


DELICIÆ
PASTORUM ET PRÆDICATORUM,
HOC EST:
SERMONES
PER OMNES DOMINICAS ET FESTA TOTIUS ANNI,

in quibus

Principalia Mysteria veritatum christianarum cunctis scitu, & ad Praxin necessariarum singulari methodo, ac energia, & conceptibus, ex sacra scriptura, Conciliis & sanctis Patribus exhibentur.

Primò Gallicè conscripti per

REVER. PATREM JOANNEM JUNIUM AVEUGLE,

Vulgò dictum Cæcum Presbyterum Oratorii Jesus nunc Latinitati donati per Venerandum P. F. Brunonem Neusser S. S. Theologiæ Lectorem Ord. FF. Minorum Recollect.

Spiritus Domini super me, ad Evangelizandum Pauperibus misit me Luc. 2.

Cum Privilegio Sacr. Cæsar. Majestatis.

PP. Eremitarum Camald. ... Eremi Montis Regii emptus 15 flor. Curr.



MOGUNTIÆ,
Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNVVETTERI.
M. DC. LXVIII.



APPROBATIO

Eximij Domini Grandin Doctoris Sorbonici deputati ex aminatorem librorum.

LEgi librum intitulatum Missionarium Apostolicum in duobus tomis compositum per Reverendum Patrem Joannem Junium Presbyterum Oratorij Jesus, signatum Parisiis anno 1662.

M. Grandin.

Approbatio Domini Manent Doctoris in facultate Parisina.

LEgi sermones Libri intitulati Missionarij oratorij per Reverendum Patrem Iunium Presbyterum oratorij Iesus cum satisfactione extraordinaria, & nihil animadverti in illis, quod non sit conforme fidei Ecclesiæ catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ & Principiis morum: Et obligatus sum reddere testimonium veritatis, & sanctitati doctrinæ in iis contentæ, & receptæ in Missionibus, quas fecit in hac diocœsi cum tanto applausu totius mundi, quod recognoverim manifestè benedictionem cœlestem ibidem se expandisse. Opto quod omnes, qui eos legent, se applicent in eorum lectione, ut tanto in iis proficiant spiritu, quanto eos prædicavit, qui est divinus, quo repletus est. Datum Lemovicæ 16. Febr. 1662.

Manent. D. Theol. facult. Parisiens. & Canonicus Ecclesiæ.

Approbatio Doctoris Regentis Universitatis Tolosanæ.

NOS infra scripti Docto res Regentes in universitate Tolosana certificamus exactè nos legisse duos tomos *Missionarij Oratorij* compositos per Reverendum Patrem Joannem Junium Presbyterum Oratorij Jesus, repletos doctrina cœlesti, quæ illuminat intellectum, & calefacit voluntatem. Et quod valde rarum est in aliis, apparet per totum ordo admirabilis in multitudine conceptuum, comparationum novarum involutæ artificio peraggreabili, sunt clari in ænigmatibus etiam totis ordinatis, & ita, ut appareat quod Deus ei clauserit oculos corporis ut magis clari reddantur, videntes illos spiritus dum ambulare eos facit passu firmo & tuto in labyrinthum difficillimarum quæstionum Theologiæ. Prædicatores addiscent magis corde loqui, quam lingua, animæ devotæ principaliores, Regulas veritabilis, & solidæ pietatis, & peccatores medium evadendi statum funestum, in quem perversa eos voluntas immersit. Nostrum hoc est judicium. Datum Tolosæ 2da Martij Anni 1662.

Fr. Joannes de la Nativitate Doctor Regens, & Provincialis Carmelitarum.

F. Bernardus Lapalisse Religiosus Ordinis Prædicatorum, & Doctor Regens in Theologia.

FACULTAS Admodum Reverendi Patris Ministri Provincialis.

L*Iber, cui Titulus Deliciæ Pastorum, & Prædicatorum, primum compositus duobus tomis à R. Admodum Patre Ioanne Iunio, vulgo dicto Aveugle, ceu Cœco, nunc ex Idiomate Gallico in vatinitatem conversus studio R.P.F. Brunonis Neusser* Pro-

Provinciæ nostræ S. Theol. Lectoris servatis sacri Concilij Tridentini, & ordinis constitutionibus imprimi poterit. Datum Aquisgrani in Conventu nostro F. Minorum Recollectorum 2. Martij 1668.

F. Bernardinus Vetvveis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Coloniensis, seu Rhenanæ Minister Provincialis.

DEliciæ Pastorum, & Prædicatorum, seu sermones per annum Reverendi Domini Junij, vulgo Cœci, Presbyteri Oratorij JESUS, cum nihil fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium; verum materias contineant à Prædicatoribus, & Pastoribus Populo Christiano utiliter proponendas: nunc operâ Venerandi Patris Brunonis Neusser. Sanctæ Theologiæ Scholasticæ Lectoris, Latinè prodeuntes, Lucem magno Christiani populi fructu aspicient. Ita sentiens dabam Moguntiæ 10, Martij anno 1668.

F. Bonaventura Goffa sanctæ Theologiæ Lector Jubilatus, & pro tempore Guardianus.

FACULTAS eundem R. Admodum Patris Ministri Provincialis,

VIrtute Privilegij S. CÆSAREÆ MAIESTATIS super impressione & distractione Librorum per Fratres Minores Regularis, aut strictioris observantiæ concessi facultatem facio



Ioannni Baptistæ Schönvvettero Bibliopolæ Francofurtensi, ut Imprimat, ac distrahat Librum Intitulatum Deliciæ Pastorum, & Prædicatorum Evangelicorum Latinitati donatum à Venerando Patre F. Brunone Neusser Provinciæ nostræ Rhenanæ S. Theol. Lectore cum plenario Usu Privilegij Cæsarei præfati, Actum Aquisgrani in Conventu nostro fratrum Minorum Recollectorum 2. Martij 1668.

(L. S.) F. Bernardinus Vetivveis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Coloniensis seu Rhenanæ Ministri Provincialis.

INDEX AR-

INDEX ARGUMENTORUM.

SERMO I.

Pro Dominica prima Adventus.

Missio, & ejus usus bonus est nota, & effectus nostræ prædestinationis.

EXORDIUM.

Idea Sermonis.

PRædestinatio est quædam Missio, & origo Missionum. Complectitur tres actus, nempe amorem Dei in nos, electionem, præparationem mediorum.

Punctum Primum.

Missio est effectus amoris Dei, quod probatur primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Rationibus. Quartò Experientia.

Punctum Secundum.

Missio est effectus electionis, nam primo Electis si dantur Missionarii. Vel secundò, si mittuntur ad reprobos, isti non adsunt Concionibus. Vel Tertiò, non audiunt attentè. Vel Quartò, non credunt. Vel Quintò, non retinent. Vel Sextò, non redigunt in praxim. Imo Septimò, quandoque reprehendunt.

Punctum Tertium.

Missio est medium aptissimum ad effectum prædestinationis, qui est sanctificatio nostra, quod probatur primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Praxi Ecclesiæ.

Conclusio.

Exhortatio ad bonum usum Missionis, per recapitulationem.

SERMO II.

Pro Dominica II. Adventus.

Nostra salus est negotium maximi momenti.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

SAlutem nostram esse opus magni momenti, probatur primo Rationibus ex parte Dei, quia Deus cogitavit de illa: quia diu. Quia tàm ardenter, ut ad illam referat omnia sua opera in ordine naturæ. Nobilissimas creaturas in ordine gratiæ. Suas perfectiones. Personas à se procedentes nempe Filium. Spiritum Sanctum.

Punctum Secundum.

Idem probatur secundò rationibus ex parte animæ nostræ. Primò quia est pretiosa. Secundò quia immortalis. Tertiò quia nostra.

Conclusio.

Expenduntur Christi verba. Luc. 12. Stultè hac nocte repetent animam tuam.

SERMO III.

Pro Dominica III. Adventus.

Nobilitas, & spiritualitas nostræ animæ monstrat importantiam nostræ salutis.

Idea Sermonis.

Exordium. *Nemo sanæ mentis dubitat an habeat animam.*

Punctum Unicum.

Nobilitas, & spiritualitas animæ, probatur primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Comparationibus citharædi. Incolæ domus. Quarto Rationibus naturalibus, ex modo quo anima subsistit. Quo agit. Quo recipit. Quinto Rationibus supernaturalibus, ex pretio quo empta est, Sexto historiis sancti Carpi. Catharinæ Senensis.

Conclusio.

In eos qui animam proximi negligunt, & perdunt. In eos qui propriam negligunt.

SERMO IV.

Pro Dominica IV. Adventus.

Salutem nostram debemus operari promptè, seriò, perseveranter.

Idea Sermonis.

Exordium. *Electi, sunt fœliciores in statu naturæ reparatæ, quam integræ. Nam interius habent majora auxilia. Exterius exemplar nobilius nempe Christum. Qui operatus est salutem nostram, citò, seriò, perseveranter.*

Punctum Primum.

Ejus exemplo debemus operari salutem citò. Primo scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Rationibus. Quarto exemplis vitiosis. Virtuosis.

Punctum Secundum.

Salus operanda serio. Primo scripturæ. Secundo Patribus. Tertio Comparationibus. Quarto Rationibus. Quinto Exemplo Christi.

Punctum Tertium.

Salus operanda perseveranter. Primo scriptura. Secundo Instructionibus ex Divo Bernardo. Conclusio per recapitulationem.

SERMO V.

Pro Dominica infra octavam N. Dni.

Innocentia est via certior ad nostram salutem.

Idea Sermonis.

Exordium. *Conditio innocentis primo honorabilior. Secundo jucundior. Tertio securior quam pœnitentis.*

Punctum Primum.

Probatur argumentis ex parte Dei, quā stultum sit perdere innocentiam, quia forte non recuperabitur. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Rationibus. Quarto Exemplis. Quinto Responsione ad objectiones.

Punctum Secundum.

Argumenta ex parte nostri. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Ratione.

Conclusio.

Primo scriptura. Secundo Rationibus. Tertio Comparationibus.

SERMO VI.

Pro Domin. infra Epiphaniam Dni.

Virtus pœnitentiæ iis, qui amiserunt innocentiam est absolute necessaria.

Idea Sermonis.

Punctum Unicum.

P*Oenitentiæ necessitas probatur primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto Rationibus ex parte Dei. Ex parte nostri. Quinto Exemplis. Sexto Responsione ad objectionem.*

Conclusio.

Per paraphrasim Verborum Pauli Act. 17. Nunc annuntiat Deus ut omnes pœnitentiam agant.

SERMO VII.

Pro *Dominica* II *post Epiphan.*

Essentia & Natura virtutis pœnitentiæ declaratur.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

P*Oenitentiæ ethymologia.*

Punctum Secundum.

Ejus definitio.

Punctum Tertium.

Divisio. In pœnitentiam Cathecumenorum. Justorum. Peccatorum.

Punctum Quartum.

Argumentatio sumpta. Primo Ex scriptura. Secundo Patribus. *Tertio Conciliis. Quarto Ratione. Quinto Exemplis.*

Conclusio.

Per *oppositionem pœnitentiæ damnatorum ad nostram.*

SERMO VIII.

Pro Dom. III. post Epiphaniam.

Notæ & proprietates virtutis pœnitentiæ declarantur.

Idea Sermonis.

E Xordium. *Hominis conditio est melior quam bruti & Angeli, quia brutum non resurgit post mortem. Nec Angelus post casum, sicut homo,*

Punctum Primum.

Convertimini : Pœnitentiam esse mutationem. Probatur primò scriptura. Secundo Patribus. Tertiò Conciliis. Quarto Rationibus.

Punctum Secundum.

Pœnitentia convertit cor: Circa hoc notantur à sancto Gregorio duo errores.

Punctum Tertium.

Convertit totum cor. Primò Quoad amorem. Secundò Quoad objectum amoris. Tertiò Quoad tempus, nempe ut pro semper convertamur.

Conclusio.

Ex dictis patet plerasque Confessiones esse invalidas.

SERMO IX.

Pro Dom. IV. post Epiphaniam.

Ostenduntur tres primæ notæ, & proprietates falsæ pœnitentiæ.

Idea Sermonis.

F*Alsa pœnitentia. Primò est sera. Secundò mutilata. Tertio Naturalis.*

Punctum Primum.

Pœnitentia sera quæ plerumque est falsa dissuadetur. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertiò Rationibus ex parte Dei. Ex parte nostri. Ex parte pœnitentiæ quæ dilata in mortem est involuntaria. In senectutem infœcunda. In crastinum incerta.

Punctum Secundum.

Falsa pœnitentia est mutilata; quia vel non relinquit affectum peccati. Vel non omnis peccati. Vel non occasionem peccati.

Punctum Tertium.

Falsa pœnitentia, est naturalis, & hæc dissuadetur. Primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione. Quartò Comparatione. Quintò praxi.

Conclusio.

Recapitulatio per exhortationem, ad imitandum Zachæum, qui festinans descendit, & gaudens.

SERMO X.

Pro Domin. V. post Epiphan.

Ostenduntur tres aliæ proprietates falsæ pœnitentiæ.

Idea Sermonis.

Exordium. *Sæpe mens nostra nos decipit. Sed præcipuè circa pœnitentiam.*

Punctum Primum.

Falsa pœnitentia est tota exterior: Et hæc improbatur. Primo scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione. Quartò Comparatione.

Punctum Secundum.

Falsa pœnitentia est scurilis, improbatur primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione. Quartò Comparatione.

Punctum Tertium.

Falsa pœnitentia est inconstans, & hæc reprobatur. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertiò Ratione. Quartò Comparationibus.

Conclusio.

Per exhortationem, evitandam dubiam, & incertam pœnitentiam.

SERMO XI.

Pro Dom. VI. post Dom. Epiphan.

De objecto materiali pœnitentiæ, quod est peccatum mortale & veniale.

Idea Sermonis.

Exordium. *Christus convertit in vasa gratiæ instrumenta vindictæ. Patet in pœnitentia, in qua peccatum est materia sacramenti & virtutis: Peccatum inquã, sive mortale: en primum punctum: sive veniale, en secundum.*

Punctum Primum.

An unum peccatum mortale possit remitti sine alio. Rationes quibus videtur quod sic. Probatur quod non primò scriptura. Secundo Patribus. Tertio Responsione ad rationes cõtrarias. Quarto instructione.

Punctum Secundum.

Pœnitendum de veniali. Primo Ratione præteriti. Secundo Præsentis. Tertio Futuri.

Conclusio.

Rationes conglobatæ pro secundo puncto. Rationes, & Instructiones pro primo.

SERMO XII.

Pro Dominica Septuagesima.

Pœnitentia nunc agenda est, nec differenda in tempus futurum.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

Conversio dilata in posterum est incerta, ob diem mortis incertum. Primo Scriptura. Secundo Patribus. Tertio Comparatione. Quarto Ratione.

Punctum Secundum.

Conversio erit difficilior. Rationes ex parte Dei. Ex parte Dæmonis. Ex parte nostri.

Punctum Tertium.

Conversio erit minus fructuosa. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Comparatione. Quarto Rationibus. Quinto Exemplis Augustini.

Conclusio.

Rationes conglobatæ ex tribus punctis.

SERMO

SERMO XIII.

Pro Domin. Sexagesima.

Pœnitentia non est differenda in ultimum morbum.

Idea Sermonis.

Exordium. *Leges humanæ sanciunt ultimam voluntatem esse liberam; multo magis Lex Divina. At pœnitentia in morte, non est Libera, ergo periculosa.*

Punctum Primum.

Eam esse periculosam, probatur quatuor scripturæ Locis.

Punctum Secundum.

Idem probatur ex Patribus antiquis, in Africa, Tertulliano, Cypriano, Augustino. In Europa, Salviano, & aliis. In Asia. Patribus Concilii Neocæsariensis. Patribus recentioribus.

Punctum Tertium.

Idem probatur rationibus. Primo Ex parte Dei. Secundo Ex parte nostri. Tertio Ex parte pœnitentiæ.

Conclusio.

Per recapitulationem.

SERMO XIV.

Pro Domin. Quinquagesima.

De eodem argumento.

Idea Sermonis.

Exordium. *Qui differt conversionem in mortem, non poterit dici virtuosus, ob tria.*

Punctum Primum.

Conversio dilata in mortem, est incerta. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Ratione. Quarto Historiis.

Punctum Secundum.

Conversio tunc erit difficilior. Primo Rationibus ex parte Dæmonis. Secundo ex parte Nostri.

Punctum Tertium.

Erit involuntaria. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Rationibus ex diversis scientiis.

Conclusio.

Paraphrasis illorum verborum: Ecce nunc tempus acceptabile.

SERMO XV.

Pro Domin. I. Quadrages.

Pœnitentia debet durare tota vita.

Idea Sermonis.

Punctum Unicum.

Pœnitentiæ virtus debet durare per totam vitam: Quod probatur primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto Rationibus. Primo satisfactionis pro peccatis primi parentis. Avorum nostrorum. Concivium. Secundo Imitationis Christi. Tertio Præservationis. Quinto Comparationibus. Sexto Exemplis.

Conclusio.

Confirmans prædicta, per scripturam. Patres. Exempla.

SERMO XVI.

Pro Domin. II. Quadrages.

Primum impedimentum pœnitentiæ est cœcitas spiritus.

Idea Sermonis.

Exordium. *In ordine naturæ nihil nobilius intellectu, nihil miserius ejus cæcitate.*

Punctum Primum.

Cæcitatis mentis causæ. Primo Vindicta Dei.

cta Dei. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertiò Ratione. Quarto Exemplo Achab decepti. Secunda causa malitia Dæmonis, à quo obcæcamur sicut Sedecias. Tertia causa aliqua passio.

Punctum Secundum.

Remedia. Primo præservativum, credere quod Deus non excusat culpas per cæcitatem commissas. Secundo Curativum, tollere causas. Primo orando Deum, & pœnitendo. Secundo subjiciendo se directori. Tertio diffidendo de nostris affectibus.

SERMO XVII.

Pro Dom. III. Quadrages.

Secundum Impedimentum est durities Cordis.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Zacharias, visione amphoræ quæ portata est in Sennaar, exprimit quinque gradus quibus pervenitur ad duritiem cordis. Primus est derelictio à Deo, cum post completum cumulum peccatorum deserit animam. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Exemplis. Secundus gradus insensibilitas, ad damna spiritualia. Ad temporalia. Tertius gradus Assiduitas peccandi. Quartus Imprudentia. Quintus stabilitas in malo.*

Conclusio.

Primo per Eximium locum Bernardi ad Eugenium. Secundo per recapitulationem.

SERMO XVIII.

Pro Dom. IV. Quadrages.

De Tribus partibus pœnitentiæ in Generali.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Hoc sacramentum merito habet tres partes. Unde hic dantur tria monita circa singulas.*

Punctum Primum.

Monita de Compunctione. Primum, ea est de necessitate medii. Primo scriptura. Secundo Conciliis. Tertio Ratione. Quarto Instructione. Secundum, ea debet esse supernaturalis. Tertium, sola attritio, sine absolutione non justificat.

Punctum Secundum.

Monita de confessione. Primum, confitenda peccata interiora. Secundum peccata omissionis. Tertium, Aliena.

Punctum Tertium.

Monita de satisfactione: Primum, eam obligare in conscientia. Secundum, imponendam convenienter. Tertium, non eandem pro quibusvis peccatis.

Conclusio.

Primo cavenda peccata futura. Secundo de præteritis vera pœnitentia agenda, & à Deo petenda, utrumque explicatur comparationibus.

SERMO XIX.

Pro Dominica de Passione.

De Contritione.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Sicut ad tumoris, sic ad peccati remedium tria requiruntur.*

Punctum Primum.

Contritionis necessitas probatur. Primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione. Quia est remedium maximè proprium quod convenit omni peccato. Et soli. Et semper.

Pun-

Punctum Secundum.

Contritionis essentia, nempe quod sit dolor de peccato. Primò scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione.

Punctum Tertium.

Contritionis conditiones, multum conducunt ad salutem. Prima, quod sit vera sicut Zachæi. Non falsa sicut Antiochi. Secunda, ex motivo supernaturali, sicut Davidis, non naturali sicut Saulis. Quod sit integra sicut Petri, non mutilata sicut Iudæ.

SERMO XX.

Pro Domin. Palmarum.

De Examine conscientiæ.

Idea Sermonis.

PRimò Examen faciendum. Secundò super Quæ. Tertiò Quomodo.

Punctum Primum.

Examen faciendum probatur. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Comparationibus. Quarto Rationibus. Primo quia utile ad perfectionem. Secundo quia necessarium ad contritionem, ad confessionem, ad satisfactionem.

Punctum Secundum.

Examinanda. Primo peccati essentia. Secundo circumstantiæ, personæ, quantitatis, modi, finis. Tertio causæ. Quarto effectus.

Punctum Tertium.

Quomodo faciendum examen, docetur per paraphrasim verborum Jeremiæ, Sedebit solitarius, & tacebit. &c.

SERMO XXI.

Pro Domin. Resurrectionis.

De bono proposito non amplius peccandi.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Immutabilitas Dei procedit ex ejus simplicitate: Sic conversio ut sit constans, debet esse simplex, nempe cum sincero proposito nunquam peccandi.*

Punctum Primum.

Necessitas hujus propositi. Quia sine eo conversio non est vera, nec firma, quod probatur. Primo, scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto Ratione.

Punctum Secundum.

Effectus hujus propositi, Primus fuga occasionum. Secundus fuga dispositionum quæ sunt vitia capitalia quamvis parva, quod probatur inductione superbiæ Salomonis. Avaritiæ Achab. Luxuriæ Herodiadis. Invidiæ Saulis. Gulæ Esau. Iræ filiorum Jacob. Pigritiæ Davidis. Tertius effectus, extirpatio inclinationum, quæ fit primo per orationem, secundo per fervorem in bonis operibus.

Conclusio.

Per paraphrasim illorum verborum; in simplicitate cordis lætus obtuli universa.

SERMO XXII.

Pro Domin. in Albis.

De fuga occasionum necessaria ad veram pœnitentiam.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Quicquid refertur ad peccatum est odiosum, ergo & ejus occasio.*

Punctum Unicum.

Eam esse fugiendam, probatur. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto Rationibus. Primo ex charitate in nos. Secundo ex humilitate. Quinto exemplis evitandis, Samsonis, Davidis, Salomonis. Sexto exemplis imitandis in Lege naturæ Joseph. In script. Judith. In nova, Martinianus. Septimo argumentis conglobatis. Conclusio per recapitulationem.

SERMO XXIII.

Pro Domin. II. post Pascha.

De confessione sacramentali.

Idea Sermonis.

EXordium. *Hæc verba* Confitebor adversum me &c. *Indicant confessionem debere esse. Primo præparatam. Secundo vindicativam. Tertio Integram.*

Punctum Primum.

In hoc tribunali pœnitens est pars adversa contra se, unde debet parare accusationem, scrutando sua crimina per examen. Præcipua pars hujus examinis est dolor. Ardenter petendus à Deo.

Punctum Secundum.

Debet animo vindicatorio contra se conformari intentionibus, ob quas Christus instituit confessionem, quæ sunt punitio, humiliatio, correctio. Ergo debet quærere severum judicem ut puniatur. Non se excusare, sed accusare ut humilietur. Petere pœnas convenientes, ut corrigatur.

Punctum Tertium.

Debet integrè confiteri. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Rationibus. Sumptis ex qualitatibus confessarii in se, & erga pœnitentem; nempe quia est homo, Christianus, sacerdos, Pater, Medicus, Judex. Quarto Historia.

Conclusio.

Piæ instructiones per paraphrasim illorum verborum. Dixi confitebor.

SERMO XXIV.

Pro Domin. III. post Pascha.

De satisfactione.

Idea Sermonis.

EXordium. *Dæmon studet impedire, aut inficere, aut mutilare sacramentum pœnitentiæ & hoc adimplet, cum leves pœnitentiæ imponuntur pro magnis peccatis. Quod probatur inductione in quatuor punctis. Primo. De contritione. Primo scriptura. Secundo Ratione. Tertio Comparatione. Quarto praxi Ecclesiæ antiquæ.*

Punctum Secundum.

Idem probatur de confessione. Primo Scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto Ratione.

Punctum Tertium.

Idem probatur de satisfactione. Primo Rationibus ob quas est instituta. Secundo Stephani Papæ.

Punctum Quartum.

Idem de absolutione. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis.

Conclusio.

Piæ instructiones, per illa verba. Facite fructus dignos pœnitentiæ.

SERMO XXV.

Pro Domin. IV. post Pascha.

De Beneficio absolutionis.

Idea Sermonis.

EXordium. *Christus potestatem remittendi peccata, quam accepit à Patre, dedit sacerdotibus.*

Punctum

SERMO XXIX.

Pro *Eesto* S. *Trinitatis.*

Peccatum facit ut abutamur beneficiis Divinis.

Idea *Sermonis.*

Punctum Primum.

P*Eccatum offendit beneficium creationis, nam est contra ejus finem, nempe gloriam Dei: Et hoc explicatur primo de veniali. Et probatur primo scriptura. Secundo ex Bern. Tertio Ratione. Deinde de mortali.*

Punctum Secundum.

Peccatum offendit beneficium Redemptionis. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertio parabola uxoris adulteræ.

Punctum Tertium.

Peccatum offendit beneficium inspirationum. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione. Quartò comparatione. Quinto exemplo.

Conclusio.

Per recapitulationem in illa verba: Quæ perfecisti destruxerunt.

SERMO XXX.

Pro *Domin.* II. *post* P*entecosten.*

Peccatum offendit beneficium Incarnationis.

Idea *Sermonis.*

Exordium. *Deus est incomprehensibilis. Et tamen incarnatus est.*

Punctum Primum.

Potuit incarnari, quod illustratur per responsionem ad objectiones quas infideles apud Augustinum faciebant contra hoc mysterium. Prima. Secunda. Tertia. Responsio ad primam. Ad Secundam. Ad Tertiam.

Punctum Secundum.

Voluit incarnari, hoc illustratur. Primo scriptura. Secundo expendendo eximia verba Bernardi: Amor dignitatis nescius. Dignatione dives. Affectu potens. Suasu efficax.

Conclusio.

Expenduntur, & applicantur ad mores eadem Bernardi verba.

SERMO XXXI.

Pro *Domin.* III. *post* P*entecost.*

De Injuriis, quas peccatum infert homini, Deo.

Idea *Sermonis.*

Exordium. *Peccatum destruit opes Christi, eum expellit è domo sua, inhonorat, crucifigit.*

Punctum Primum.

Opes Christi quas peccatum destruit, sunt thesauri gratiæ, quod probatur primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione.

Punctum Secundum.

Peccatum pellit Christum è domo sua. Quam hoc sit illi injuriosum, probatur ex amore illius erga animam justam. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione. Quarto comparatione.

Punctum Tertium.

Peccatum inhonorat Christum. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio rationibus.

Punctum Quartum.

Crucifigit Christum. Primò scriptura. Secundo comparationibus: Tertio exhortatione ad fugam peccati, cujus malitia præponderat bonitati omnium bonorum operum, tam nostrorum quam omnium Sanctorum.

Conclusio.

Recapitulatio per paraphrasim: Quare me persequeris.

SERMO XXXII.

Pro Dom. IV. post Pentecost.

Peccatum est causa, cur Deus nos deserat, contemnat, & abominetur.

Idea Sermonis.

DEus peccatorem deserit, spernit, odit.

Punctum Primum.

Deserit, hæc derelictio est major pœna quem quævis temporalis. In ea continentur tres pœnæ. Prima privatio benevolentiæ Dei. Secunda doni perseverantiæ. Tertia augmenti gloriæ.

Punctum Secundum.

Deus peccatorem spernit tanquam ignarum, infantem, stultum, bestiam, nihilum.

Punctum Tertium.

Deus illum odit. Primo odio abominationis. Secundo odio malevolentiæ.

Conclusio.

Per verba Ierem.

Oderũt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

SERMO XXXIII.

Pro Domin. V. post Pentecosten.

Peccatum nos reddit odiosos sanctis cœli, nos assimilat bestiis terræ, reddit nos mancipia Diaboli.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Sancti in hoc mundo Zelant contra peccatum, multo magis in cœlo.*

Punctum Primum.

Per peccatum sumus odiosi sanctis. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione, quia amant Deum, & oderunt peccatum in se, & aliis. Quarto comparatione Abisai. Quinto gratiarum actione.

Punctum Secundum.

Per peccatum sumus primo similes belluis. Primo Patribus. Secundo Inductione. Secundo sumus belluis inferiores. Primo scriptura. Secundo Patribus, *& rationibus quas afferunt. Tertio inductione. Quarto comparationibus.*

Punctum Tertium.

Per *peccatum sumus servi diaboli. Primo scriptura. Secundo* Patribus, *Tertio Ratione. Quarto Experientia.*

Conclusio.

Comparatio ruinæ animarum destructioni templi ex Chrysostomo S. recapitulatio per lamentationes Ieremiæ.

SERMO XXXIV.

Pro Dom. VI. post Pentecosten.

Peccatum depauperat, deformat, & tormentat animas.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Nihil timendum in hac vita quam peccatum, quod spoliat, maculat, cruciat animam.*

Punctum Primum.

Primo *spoliat bonis acquisitis; quod probatur scriptura,* Patribus, *comparatione, ratione. Secundo impedit acquirenda.*

Punctum Secundum.

Peccatum *maculat animam. Primo scriptura. Secundo* Patribus. *Tertio Experientia. Quartò ratione. Quinto comparationibus.*

Punctum Tertium.

Cruciat animam. Primo *scriptura. Secundo* Patribus. *Tertio rationibus.*

Conclusio.

Recapitulatio. Primo *per comparationem. Secundo per lamentationes Ieremiæ.*

SERMO XXXV.

Pro Dom. VII. post Pentecosten.

Peccatum est causa afflictionum temporalium.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Justitia Dei est timenda.*

Punctum Primum.

Deus punivit personas particulares pœnis temporalibus: In bonis Ezechiam: in honore Oziam: in vita Onan.

Punctum Secundum.

Deus inflixit tria flagella ob unicum peccatum: Famem ob Saulis. Pestem ob Davidis. Malum successum in bello ob Achan. Hæc tria flagella multis provinciis, nostro tempore.

Punctum Tertium.

Morale, *non punimur his flagellis, quia servamur æternis. Quæ multo graviora sunt si comparentur. Primo pœnæ pœnis. Secundo culpæ culpis. Tertio personæ personis. Quarto status statui.*

Conclusio.

Malum & amarum est peccare, ut ait Jeremias.

SERMO XXXVI.

Pro Domin. VIII. post Pentecosten.

Peccatum mortale reddit mortem nostram infelicem

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Videtur quod mors non sit pœna. Explicatur quomodo sit pœna.* Peccatum *est centrum mortis.*

Punctum Primum.

Mors peccatorum mala: In mundi amissione. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio rationibus. Quarto comparationibus.

Punctum Secundum.

Pejor in carnis separatione. Primo scriptura. Secundo Patribus. *Tertio historiis. Quarto comparatione.*

Punctum Tertium.

Pessima in vermis duplici corrosione. Primo ob bona omissa. Secundo ob mala commissa.

Conclusio.

Primo in morte undiq; peccatori objecta timoris, & tristitiæ. Secundo expenduntur verba Christi; Facite vobis amicos.

SERMO XXXVII.

Pro Domin. IX. *post Pentecost.*

Peccatum mortale nos exponit veritati, severitati judiciorum Dei.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Justitia Dei est ejus veritas quadruplex, nempe essentiæ, cognitionis, loquutionis, operationis. Eas exercet in judicio, ut docet S. Joannes, Apoc. 1.*

Punctum Primum.

Veritas essentiæ, ostendit gravitatem peccati divinis perfectionibus oppositi, quod significatur Apoc. 1. 14. Caput ejus, & capilli candidi sicut nix.

Punctum Secundum.

Oculi ejus tanquam flamma ignis. *Veritas cognitionis, quæ intimas radices actionum intuetur.*

Punctum Tertium.

Ex ore ejus gladius utraque parte acutus. *Veritas locutionis, quæ in divitibus, & pauperibus punit quælibet peccata, gravia, & levia, interna, & externa.*

Punctum Quartum.

Vox ejus tanquam vox aquarum multarum. *Veritas operationis quæ prolatam sententiam exequitur.*

Con-

Conclusio.

Paraphrasis illorum verborum. Tunc videbunt filium hominis, &c.

SERMO XXXVIII.

Pro Dom. X. post Pentecosten.

Peccatum mortale nos privat felicitatibus cœli.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Deus prædestinavit homini tres habitationes, pro exercitio triplici vitæ; nempe sinum matris, pro vegetātiva: Hunc mundum pro sensitiva: Paradisum pro intellectuali: Et quanto secunda antecellit primam, tanto tertia secundam.*

Punctum Primum.

Considerat locum, societatem, actiones beatorum. Locus primus est spatiosus. Secundus purus. Tertius ornatus. Societas beatorum gratissima. Primò ob pulchritudinem corporum. Secundò ob excellentiam animi. Tertio ob dominium animæ in corpus. Actiones beatorum jucundissimæ. Primo in intellectu, visio Dei. Secundò in voluntate fruitio, & adimpletio omnium desideriorum. Tertiò in memoria recordatio, & laus à Deo bonorum operum.

Punctum Secundum.

Ex iisdem considerationibus probatur peccatorem obstinatum, immerito sperare beatitudinem. Ex primo an qui toties peccavit, obtinebit locum, quem Angelus unico peccato perdidit? Ex secundo an coinquinatus audebit sociari beatis tam puris, tam sanctis? Ex tertio an Deus volet uniri in æternum Animæ tam impuræ. Secundo an voluntatem contemnentium se faciet? Tertio Quid laudabitur in peccatore, cum laus erit unicuique à Deo.

Conclusio.

Quam fœlix sors prædestinati.

SERMO XXXIX.

Pro Dom XI. post Pentecosten.

Peccatum mortale nos ducit ad pœnas inferni.

Idea Sermonis.

IN sententia damnationis consideratur judex, carnifex, reus, pœna.

Punctum Primum.

Judex est Deus cujus severitas probatur quia est magnus potens, sapiens, bonus.

Punctum Secundum.

Carnifex est dæmon, qui est crudelis, fortis, infatigabilis, inflexibilis.

Punctum Tertium.

Reus, homo debilissimus, quod probatur primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione.

Punctum Quartum.

Pœna, quæ est pura, multa, æterna.

Conclusio.

Continens, primo scripturam. Secundo Patres. Tertio figuram. Quarto historiam.

SERMO XL.

Pro Domin. XII. post Pentecosten.

De peccato veniali.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Peccatum veniale non negligendum.*

Punctum Primum.

Quid sit? & est triplex, ex S. Paulo, & D. Thoma, magnum, mediocre, parvum, quod per lignum, fœnum, & stipulam significatur.

Punctum Secundum.

Differentia inter mortale & veniale.

Pun-

Punctum Tertium.

Fides est columna ignis ardens claritate, & bonis operibus. Primo scriptura. Secundo Patribus. *Tertio ratione.*

SERMO XLIV.

Pro Dom. *XVI. post* Pentecosten.

De spe in misericordia Dei, & confidentia in ejus providentia.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

Fiducia in Deum fundatur. Primo in ejus potentia, quam videmus in creatione, conservatione, redemptione mundi. Secundo in ejus sapientia, quæ disponit suaviter, & attingit fortiter. *Tertiò in ejus bonitate.*

Punctum Secundum.

In eam peccamus. Primo cum non soli Deo fidimus. Secundo cum non ab initio. Tertio cum non firmiter usque in finem.

Punctum Tertium.

Hinc fit ut non mereamur tam præstans auxilium Dei, quod probatur. Primo scriptura. Secundo Patribus. *Tertio ratione. Quarto comparatione.*

Conclusio.

P*araphrasis verborum Ecclesiastici.* Habe fiduciam in Domino.

SERMO XLV.

Punctum Primum.

Pro Dom. XVII. post Pentecost.

Beatitudo in cœlo cõsistit in visione, hic vero in terra in amore Dei.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

Perfectio ut beatitudo nostra in cœlo, essentialiter consistit in visione Dei. sed super terram consistit in amore.

Punctum Secundum.

Pro*pterea Deus nos obligat ad amorem suum, omnibus viis.* Primo *præcepto. Secundo donis. Tertio promissionibus. Quarto minis. Quinto vi. Sexto philtro.*

Conclusio.

Praxis illius Consilii. Increpa, argue, obsecra.

SERMO XLVI.

P*ro Dom.* XVIII. *post* Pentecost.

Ostendit honorem, quem ex virtute Religionis tenemur exhibere Ecclesiis.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

Considerantur impensæ factæ in templo Salomonis. Inde excitamur ad ornanda nostra templa, præcipuè in pagis.

Punctum Secundum.

Quomodo prophanantur. Primo generaliter. Secundo specialiter per superbiam, per scandalum, per luxuriam, per invidiam, per avaritiam, per idololatriam, per immodestiam, per sacrilegia.

Punctum Tertium.

Hæc prophanatio dissuadetur rationibus. Primo ex parte Christi. Secundo ex parte nostri. Tertio reipublicæ.

SERMO XLVII.

Pro Dom. XIX. *post* Pentecost.

Declarat naturam juramenti, & Blasphemiæ.

Idea Sermonis.

Exordium. *Licet aliquando jurare.*

Punctum Primum.

De juramento. Primo *quid sit. Secundo quotuplex. Tertio quas conditiones requirat. Quarto cur frequens sit vitandum.*

Punctum Secundum.

Blasphemia damnatur. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertiò rationibus. Quia blasphemus est pejor latrone, homicida,

Primo

nis. Secundo ubi sis. Tertio quo vadis. Disce à Tertulliano quæ ornamēta tibi cōveniant.

SERMO LXII.

Pro Festo S. Matthiæ Apostoli.

Contra choreas, saltus, Comœdias, atque alias mundi ineptias, libidinis incentiva.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Argumenta mundanorum pro choræis.*

Punctum Unicum.

Eæ improbantur. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertio Conciliis. Quarto praxi primitivæ Ecclesiæ. Quintò exemplis. Sexto rationibus. Primò ob sanctitatem ad quam tenemur. Secundo ob vitia quæ inde oriuntur. Tertio ob periculum concupiscētiæ. Quarto quia perit ibi devotio. Quinto læditur charitas. Sexto pœnitentiæ spiritus extinguitur. Septimo responsione ad argumenta mundanorum. Octavo experientia.

SERMO LXIII.

Pro Festo S. Iosephi.

De Luxuria spirituali quæ est superbia.

Idea Sermonis.

EXORDIVM. *Mirum quod Lucifer peccare potuerit. Ejus peccatū cōtinet omnes species superbiæ, & vitia quæ ex ea oriūtur.*

Punctum Primum.

Luciferum imitatus est Nabuchodonosor. Et hujus exemplo superbus incidit in vanam complacentiam, In ostentationem, Vanam gloriam, arrogantiam, præsumptionem, ambitionem, sic exaltatus humiliatus. Primo temporaliter apud homines. Secundo spiritualiter quia incidit in vitia, quæ ex septem speciebus superbiæ procedūt. Primo invidiam. Secundo prodigalitatem. Tertio inconstantiam. Quarto iram. Quinto ingratitudinem. Sexto Luxuriam. Septimo avaritiam.

Punctum Secundum.

Nabuchodonosor conversus humiliatur, ejus exemplo tres actus humilitatis exercendi sunt à nobis. Humiliati exaltabimur tripliciter sicut Nabuchodonosor.

Conclusio.

Paraphrasis verborum Ecclesiastici, Quāto magnº es, humilia te in omnibus.

SERMO LXIV.

Pro Festo Annuntiationis Deiparæ.

De Furto, defraudationibus.

Idea Sermonis.

C*oncio complectitur, causam, essentiam, proprium effectum furti.*

Punctum Primum.

Furti causa ordinaria, est avaritia, quæ vocatur Radix omnium malorum. *Primo quia est occulta. Secundo quia nutrit omnes ramos arboris, nempe omnia vitia. Tertio quia difficile evellitur.*

Punctum Secundum.

Natura, & definitio furti. Rapinæ. Malignitas rapinarum quæ fiunt in foro. Quia sunt inevitabiles, pœnales, monstruosæ, scandalosæ.

Punctum Tertium.

Furti effectus, obligatio ad restitutionē, de qua explicantur articuli D. Thomæ.

Conclusio.

Exhortatio ad vitandum furtum, & faciendam restitutionem. Primo *scriptura.* Secundo Patribus. *Tertio rationibus. Ex parte Dei Patris, Christi, spiritus sancti, animæ nostræ, Satanæ filiorum. Quarto comparatione. Quinto exemplis.*

SERMO LXV.

Pro Festo SS. Apostolorū Philippi & Jacobi.

De peccatis quæ committuntur in Aula.

Idea

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Laudes virtutis justitiæ.*

Punctum Primum.

Argumenta ex parte Dei, contra injustitiam judicum. Quia judicantur, primo infallibiliter, secundo exactè. Tertio severe.

Punctum Secundum.

Argumenta ex parte proximi, quia injustitia fori est perniciosa. Plusquam naufragium, latrocinium, homicidium.

Punctum Tertium.

Argumenta ex parte judicum, qui obligantur ad restitutionem.

Conclusio.

Salutaria documenta pro judicibus, per paraphrasim verborũ psalmi, Nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terrã.

SERMO LXVI.

Pro Festo Inventionis S. Crucis.

De Detractione.

Idea Sermonis.

S*Piritus sanctus nobis commendat custodiam linguæ.*

Punctum Primum.

Explicat genium, & ingenium detractoris, qui comparatur lamiæ, & detrahit sub specie veritatis. Petendi consilii. Compassionis. Punctum Secundum.

Effectus detractionis, quæ occidit detractorem, audientem, absentem. Obligat ad restitutionem.

Punctum Tertium.

Remedia à spiritu sancto commendata nempe habere stateram examinis. 1. Frænum humilitatis. Ostium charitatis, seram timoris. Custodiam providentiæ. Signaculum imitationis Christi.

SERMO LXVII.

Pro Festo S. Joannis Baptistæ.

De primo satisfactionis opere, quod est oratio.

Idea Sermonis.

EXORDIUM. *Christus oratur à nobis, orat pro nobis, & in nobis: unde ejus oratio est exemplar nostræ.*

Punctum Primum.

Prima orationis conditio est humilitas interior. Exterior. Primo scriptura. Secundo exemplis. Tertio Patribus. Quarto rationibus.

Punctum Secundum.

Secunda conditio est fervor. Primo scriptura, Secundo Patribus. Tertio rationibus. Quarto comparationibus nautarum, pauperum.

Punctum Tertium.

Tertia conditio est perseverantia. Primò scriptura. Secundo Patribus. Tertio ratione. Quarto responsione ad objectiones.

SERMO LXVIII.

Pro Festo SS. Apost. Petri & Pauli.

De Jejunio, ac sanctæ quadragesimæ institutione.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

I*Nstitutio, & obligatio jejunii Quadragesimalis probatur, & commendatur. Primo scriptura. Secundo Patribus, & Conciliis. Tertio rationibus. Quarto responsione ad objectiones carnalium. Nempe quod jejunium non nocet sanitati. Et quamvis noceret, esset licitum. Quinto exemplis.*

Punctum Secundum.

Virtutes quæ jejunio adjungi debent. Nempe patientia, mansuetudo, verbum veritatis, castitas, claritas.

SERMO LXIX.

Pro Festo S. Jacobi Apostoli.

De Eleemosyna.

EXORDIUM. *Deus præcipiendo eleemosinam ostendit suam potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam.*

SERMO LXXVII.

Pro Festo SS. Apostol. Simonis & Judæ.

Contra Recidivam.

Idea Sermonis.

Punctum Primum.

ARgumenta ex parte Dei quibus dissuadetur recidiva. Primo probatur scriptura exemplo Ninivitarum. Secundo rationibus, quia recidiva est ingratitudo, Perfidia, contemptus.

Punctum Secundum.

Argumenta ex parte dæmonis.

Punctum Tertium.

Argumenta ex parte peccatoris. Primo scriptura. Secundo Patribus. Tertio rationibus. Quarto comparationibus. Conclusio.

Argumenta conglobata ex tribus punctis, ex Primo, ex Secundo, ex Tertio.

Conclusio.

Missionis, in qua frequentia orationis commendatur.

SERMO LXXVIII.

Pro Festo Omnium Sanctorum.

Plusquam in Sexaginta Locis demonstratur nos veram amplecti fidem.

Idea Sermonis.

EXordium. *Calvinistæ ne unum quidem scripturæ locum citare possunt pro sua hæresi: nos plusquam Sexaginta pro nostra fide.*

Puncto Vnico.

Probantur veritates Catholicæ, de iis quæ sunt in cœlo, in terra, in inferis. In cœlo, Angeli, Sancti: In terra, Ecclesia, & ea quæ in ea sunt, nempe Verbum Dei, scriptum, & traditum; Personæ, nempe Papa, Sacerdotes Religiosi, laici, de quibus considerantur in intellectu fides; in voluntate libertas, in concupiscibili, abstinentia à cibis; in irascibili timor, & spes; in actionibus bonis meritum, in malis culpa: Sacrificium, sacramenta sacramentalia In inferis, limbus, & purgatorium.

In particulari, veritates quæ probantur in cœlo. Primo Angeli nos custodiunt. Secundo invocandi. Tertio honorandi. Quarto sciunt cogitationes. Quinto sancti audiunt preces. Sexto miracula, per reliquias, & imagines. Septimo imagines. Octavo diversitas gloriæ Sanctorum. Nono Ecclesiæ Authoritas, & infallibilitas. Decimo ejus præcepta obligant. Vndecimo scriptura indiget interpretatione Ecclesiæ. Duodecimo Traditiones. Decimo tertio primatus sedis Apostolicæ. Decimo quarto sacerdotum potestas. Decimo quinto Religiosorum vota. Decimo sexto austeritates eorum. Decimo septimo fides mortua. Decimo octavo fides perdi potest. Decimo nono liberum arbitrium. Vigesimo abstinentia à cibis. Vigesimo primo timor reprobationis. Vigesimo secundo præcepta Dei non impossibilia. Vigesimo tertio meritum bonorum operum. Vigesimo quarto culpa non tegitur in justificatione. Vigesimo quinto sacrificium missæ. Vigesimo sexto baptismi necessitas. Vigesimo septimo realitas corporis Christi in Eucharistia. Vigesimo octavo satisfactionis necessitas in pœnitentia. Vigesimo nono matrimonium est sacramentum. Trigesimo aqua benedicta. Trigesimo primo limbus. Trigesimo secundo purgatorium.

SERMO LXXIX.

Pro Festo S. Martini Episcopi.

Demonstratur plusquam in 50. scripturæ locis, calvinistas non esse in Ecclesia Iesu Christi & Apostolorum.

Idea Sermonis.

IN vera Ecclesia, debent credi omnes articuli fidei, quos Christus docuit; administrari omnia sacramenta, quæ instituit; observari omnia præcepta, & consilia, quæ tradidit. Hoc non fit in Ecclesia calvinistarum, sed in nostra, quod probatur inductione eorum quæ sunt in cœlo, in terra, in purgatorio. In cœlo, Angeli, Sancti, in terra, Ecclesia, præcepta; Et ea quæ in ea sunt, nempe verbum Dei, personæ, præcepta Dei sacramenta, sub terra purgatorium.

En in particulari veritatis quæ probantur in cœlo. Primo Angeli invocantur. Secundo sancti cogitant de nobis. Tertio sciunt actiones nostras. Quarto sunt judices nostri. Quinto in terra Ecclesia una. Sexto Catholica. Septimo Vniversalis. Octavo visibilis. Nono libri Machabæorum sunt sacri. Decimo personæ in Ecclesia nempe Episcopi. Vndecimo Sacerdotes. Duodecimo Exorcistæ. Decimo tertio Concionatores. Decimo quarto Religiosorum obedientia. Decimo quinto castitas. Decimo sexto paupertas. Decimo septimo virgines religiosæ. Decimo octavo laicorum orationes. Decimo nono præcepta; Christi sacramenta. Vigesimo baptismus extra templum. Vigesimo primo confirmatio. Vigesimo secundo altare. Vigesimo tertio Eucharistia in acymo. Vigesimo quarto Communionis frequentia. Vigesimo quinto Calicis benedictio. Vigesimo sexto Confessio. Vigesimo septimo extremo unctio. Vigesimo octavo Ordo. Vigesimo nono Matrimonii indissolubilitas. Trigesimo ablutio pedum. Trigesimo primo purgatorium.

SERMO LXXX.

Compendium Mysteriorum fidei.

ALTER

ALTER INDEX
Concionatorius in Dominicas totius anni,
In gratiam Concionatorum summo studio ita dispositus, ut quilibet pro lubitu diversos Conceptus super singulas Dominicas sibi formare, ac sermones quoque desuper applicare possit.

Dominica prima Adventus.

Erunt signa in Sole, & Luna.

DEUS vult ut inveniat nos paratos, & ut computos nostros habeamus præparatos, & ideò ut tempestivè hoc faciamus, prædicit nobis turbationem, quæ futura est ante judicium, quia difficulter poterimus nos præparare, si nos pœnitentiam differamus in ultimum morbum, vel in finem vitæ. Vide sermonem 12.13. & 14.

Arascentibus hominibus.

Incipient tunc omnes culpæ detegi, & gravitas omnium peccatorum innotescere, unde non est mirum, quod peccator tunc arescet præ timore, quia exponit nos veritati, & severitati judiciorum Dei, quia Deus tunc quælibet peccata punit, & prolatam sententiam exequitur. Sermon.37.

Respicite, & levate capita vestra.

Hoc est justi, & habentes conscientiam bonam, sitis tuti, & jucundi; nam esto, peccatores meritò habeant ansam timendi, & dolendi, dum non possunt sperare beatitudinem, vos gaudere potestis, quia venietis ad paradisum, qui est habitatio terra hominis. Sermon.38.

Dominica secunda Adventus.

Ioannes in vinculis. Matth.11.

An Ioannes sit in vinculis, qui in juventute sua continuò egit pœnitentiam & vitam asperam duxit? Immò, quia vult docere pœnitentiam agendam esse toto tempore vitæ. Sermon.12.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, tunc misit, &c.

Non diu distulit mittere discipulos ad Christum, sed statim eos misit, ut doceret, quod operari debeamus salutem nostram promptè. Serm.3.puncto 1.

Ioannes in vinculis.

Si Ioannes sit in vinculis, qui nullum fecit peccatum, multo minus nos debemus opera pœnalia facere, qui peccavimus, cum virtus pœnitentiæ sit necessaria iis, qui peccarunt. Sermon.3.

Ioannes in vinculis.

Vitium luxuriæ invasit Herodem, unde nil miri, quod Ioannem incarceravit, quia libido consumit omnia bona. Sermon.59.

Thema idem.

Herodias totam hanc machinam struxit, quia scandala mulierum sunt potentissima, & ideo Herodem ad tale facinus pellexit. Sermon.58.

Mittens duos de discipulis.

Curam gerebat discipulorum suorum; nam id debent facere Domini & parentes, unde peccant illi, qui pro eo quod deberent proles suas ducere ad

gida erat. Vid. Sermones de pœnitentia, & Serm. 73. puncto 3. & absque dubio omnia illa opera serventur fecit, & debitè circumstantionata. vid Serm. 4.

Dominica prima post Epiphaniam. Luc. 2.

Dolentes quærebamus te.

Si Beata virgo deserta à Christo tantùm quoad corpus, & quidem sine culpa adeò doluit, quid non debet facere peccator, quando Deus ab illo discedit per peccatum mortale? profectò magnā causam dolendi habet. Vid. Serm. 32.

Et isti non intellexerunt verbum.

Profectò plures sunt, qui non intelligunt verbum Dei, hoc est, divinas vocationes & inspirationes, & ideo manent impœnitentes, quia prima causa impœnitentiæ est cœcitas cordis. Vid. Sermon. 26.

In his quæ Patris mei sunt. &c.

Tradidit hisce Christus nobis doctrinam, quomodo debeamus negotia salutis nostræ tractare, nempè serio, ferventer, & promptè. Vid. Sermon. 4. Potest hodie agi de celebratione festorum, de honore templis exhibendo, de obligatione parentum erga filios, & è contra, de pœnitentia, & deploratione animæ mortuæ in peccato, de quibus vide Indicem Argumentorum. Item, non esse irascendum.

Dominica secunda post Epiphaniam. Ioann. 2.

Vocatus est Iesus ad nuptias.

Iesus ex se non ivit ad nuptias, sed vocatus, ut discamus, neminem debere assumere aliquem statum, nisi sit ad eum vocatus, quod benè attendant parentes, ne proles non vocatas ad statum ecclesiasticum cogant, quia aliàs eis graviter nocent. Sermon. 51.

Nondum venit hora mea.

Ex quo liquet, quod Deus nil casu & cœcè agat, sed ex dispositione providentiæ suæ ad particulares fines, & ideo sicut permisit deficere vinum, ita quandoque tibi permittit immitti tribulationes, has tu igitur patienti animo acceptare debes. Serm. 62.

Fili, vinum non habent.

Usa est nomine hoc Filii, ut ostenderet suam fiduciam, & securitatem. Tu similiter in necessitatibus, & afflictionibus dic ad Deum: Pater, hoc & hoc mihi deest, & habe fiduciam in eo. Sermon. 44.

Crediderunt in eum discipuli ejus.

Nempe ad conspectum illius miraculi. Quomodo ergo nos non debemus credere, eo quod fides Catholica tàm miraculosa sit. Serm. 41.

Dominica tertia post Epiphaniam. Matt. 8.

Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

Vocat illum puerum eo quod fuerit bonus, & absque dubio obediens. Tales debent esse servi. Vid. Sermon. 55. ubi agitur de obligatione eorum erga dominos.

Iacet paralyticus & malè torquetur.

Paralyticus designat peccatorem, nam sicut paralysis est morbus, qui privat usu membrorum, ita peccatum nos privat operibus meritoriis. Sermon. 34.

Ibi erit fletus & stridor dentium.

Nempe in inferno, tunc enim peccator videbit, quò eum duxerint sua peccata. Vid. Serm. 39. Potest hodiè agi de obligatione Dominorum erga servos, de confessione, absolutione, satisfactione, honore erga sacerdotes, quomodo ob peccatum immittantur morbi, de quibus vide Indicem argumentorum.

Dominica quarta post Epiphaniam.
Matth. 3.

Ascendente Iesu in naviculam. &c.

Iuxta Glossam, Status pœnitentiæ est navicula, si velis salvari, debes esse in illa, quia est secunda tabula post naufragium. Navicula etiam potest dici Crux Christi, hoc est opera pœnalia, & jejunium ad hoc invitat, *Qui vult venire post me*, &c. Vid. Sermon. de jejunio. Etiam potest intelligi Ecclesia, quam impugnant hæretici. Vid. Indic. argumentorum, Serm. 40. & duobus seqq. ubi ostenditur, quantum simus obligati Deo ob fidem.

Ita ut navicula operiretur fluctibus.

Cur agitata est fluctibus? Erat ibi Iudas. Afflictiones autem immittuntur ob peccata, Serm. 35. quia creaturæ odio habent peccatorem, quid ergo non facient justi & sancti. Serm. 33.

Mare & venti obediunt ei.

Quid ergo tu non debeas facere? Venti & mare obediunt suo creatori, & conantur ad finem, ob quem creati sunt. Idem ergo & tibi agendum, sed tu destruis opera creationis. Vid. Serm. 30.

Dominica quinta post Epiphaniam.
Matth. 13.

Cum dormirent homines, venit inimicus.

Nil miri, quod familiæ perdantur dormientibus patribus familias, & dominis. Unde discere debent parentes & domini, qualiter debeant invigilare suis prolibus. Vid. Serm. 58.

Superseminavit Zizania.

Primum Zizania seminata non apparent in agro, sed tractu temporis in magnam excrescunt perniciem. Idem est de peccato veniali, de quo vid. Serm. 40.

Vis imus & colligimus ea?

Deus habet famulos, nempe Angelos, qui postquam peccator peccat mortaliter, statim vellent eum occidere, quia eo ipso quo peccat, statim fertur sententia mortis in peccatorum. Vid. Sermon. 36.

Dominica sexta post Epiphaniam.
Matt. 13.

Simile est regnum cœlorum fermento.

Fermentum dicit dilectionem Dei, quæ fervere facit, & excitat. De dilectione Dei vide Serm. 45. ubi ostenditur, quomodo Deus ab homine amari debeat. Sermon. 73.

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis.

Deus minimis quandoque conceptibus se accommodat genio, & ingenio nostro, cum enim nos non possimus comprehendere Deum & cœlestia, sed pueri simus dum de eo loquimur, ipse nobis condescendit. Serm. 26.

Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.

Farinæ sata tria, quæ mulier accipit, sive poenitens anima, possunt intelligi tres partes pœnitentiæ, quæ fermentantur reg[illegible]o cœlorum. Vide indicem argumentorum.

Domi-

tiosa vitanda est; nec curabat mundum. vid, serm. 71.

Domine ut videam.

Idem roga tu ut videre spiritualiter possis, nec sis cœcus. Potest agi de eleemosyna, de oratione, de confidentia in Deo, de quibus faciliter invenies thema, item de amore proximi.

Dominica prima quadragesimæ. Matth. 4.

Accedens tentator.

Deus permittit ut tentetur Christus, & affligatur, & idem est de sanctis, non in eorum damnum, sed bonum, idque speciali providentia, ex quo discis, quomodo afflictiones à manu Dei debeas recipere. vid. serm. 72.

Si filius Dei es, dic ut lapides.

Prima tentatio est diffidentiæ, persuadendo si servias Deo, quod media vivendi tibi deficient, sed tu noli hanc audire, quin potius in Deo confide. De confidentia vid. serm. 44.

Statuit eum supra pinnaculum templi.

Tulit eum ad templum, quia in eo possunt committi gravia peccata; sic multos eò fort, ut lascivos obtutus conjiciant in filias; verum ex bono fine vade ad templum. De honore templis exhibendo vide serm. 47.

Mitte te deorsum.

Per peccatum, quia per illud fit homo similis bestiis, immò subjectus Dæmoni, vid. serm. 33. & degenerat à nobilitate animæ suę, serm. 3. vult etiam ut demittat se deorsum, quia scit statum pœnitentiæ esse deteriorem, quam innocentiæ. Serm. 4. Potest etiam agi de jejunio, De pœnitentia, &c.

Dominica secũda quadragesimæ. Matt. 17.

Duxit illos in montem.

Sicut Apostolos hos Christus duxit in montem, ita & tu debes videre ut bonum ductorem habeas, qui te ad montem ducat perfectionis. De hoc vide Serm. 75.

Transfiguratus est ante eos.

Si tu velis transfigurari, debes sanctè & justè vivere, & non peccare, quia peccatũ impedit nos à felicitatibus cœli, & ne ad hunc montem adscendere possimus, Serm. 38.

Nemini dixeritis visionem.

Si Christus noluit revelari illam visionem, ne forsan vana gloria adurerentur, & superbirent, quid nos non debemus facere, ut caveamus superbiã. Vid. Serm. 3. ubi agitur de vitatione superbiæ.

Dominica tertia quadragesimæ. Lucæ 11.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium.

Non potest esse majus infortunium, quam quod Dæmon habeat potestatem in animam, quia cum sit mors, causat multas mortes in ea, quia privat vita gratiæ, & occidit vitæ opera, defœdat illam, expellit Christum, subjicit eam sibi. Vide Serm. 30. 31. 34. 35.

Statim locutus est mutus.

Tolle peccatum, ejice Dæmonium, & illicò cessabunt afflictiones corporales, quia peccatum illas causat. Serm. 25.

In principe Dæmoniorum ejicit Dæmomia.

Vide quomodo peccator Christum inhonoret, & quomodo eum è domo sua expellat, nam ubi Dæmon est, Christus esse non potest. Serm. 31.

Fiant posteriora pejora prioribus.

Ne sis securus Dæmone semel devicto, quia quamdiu vivis es in periculo, cadere in recidivam. Vid. Serm. 78. Potest agi de detractione, confessione, peccato veniali, ob quod Dæmon sæpe solet obsidere, luxuria, &c. de quibus vide Indicem argumentorum.

Domi-

illum in iis urgere debemus. Vid. de eleemosyna facienda Serm. 79.

Valde manè.

Non ad insipientiam iverunt valde mane, ut ungerent corpus Iesu, quia opera nostræ salutis debent fieri manè, id est citò, quia salus nostra opus maximi momenti est. Serm. 2. Potest etiam hodie agi de observatione dierum festorum, de amore erga proximum, de recidiva. Vid. indicem argumentorum.

Dominica in Albis. Ioann. 20.

Et fores essent clausæ.

Residebant Apostoli clausis januis, vel potius clausis foribus cujuscunque consolationis, quæ poterat illos recreare, & hoc quia non aderat illis Christus. Quid ergò non faciet peccator ab eo desertus. Serm. 32. puncto 1.

Ostendit eis manus, & pedes.

Sit benedictus Deus, qui verbis, operibus, & corde nos consolatur, nos autem non agimus sic, quia fidem habere nos dicimus, sed non opera, & hæc non est vera fides. Serm. 43.

Nisi videro, non credam,

Non dicas sic ô Christiane, quia esto non videas oculis corporalibus, sufficienter tamen videre potes oculis spiritualibus nostram fidem esse veram, utpote tot miraculis corroboratam. Serm. 41. Potest hodie agi de absolutione Sacramentali, de excœcatione, de confidentia, esto fores omnes sint clausæ, de contritione.

Dominica secunda post Pascha. Ioann. 10.

Ego sum Pastor bonus.

Utinam quilibet posset dicere, quod habeat verum & bonum pastorem, hoc est bonum directorem, nam magna est illius necessitas. Serm. 77.

Ego sum pastor bonus.

Quandoquidem ipse non fuerit mercenarius, sed pastor, qui te amavit amore benevolentiæ, & non concupiscentiæ; ita & tu non debes eum amare amore concupiscentiæ, sed benevolentię. Serm. 73. puncto 1.

Animam meam pono pro ovibus meis.

Viden quàm nobilis debeat esse anima unius hominis, ut Christus animam suam ponat pro una. De nobilitate animæ vide Serm. 3. Hinc etiam docemur, quod debeamus vitare scandala, de quo Sermo 68. & quomodo Domini se debeant habere erga servos, de quo vide Serm. 54. Agi potest etiam de auditione Verbi Dei. Vid. Serm. 1.

Dominica 3. post Pascha. Ioann. 16.

Modicum & non videbitis me.

Hunc sermonem habuit Christus ante suam mortem, & eam vocat modicum, erat enim sanctissimus & justus: non sic peccatores, quia illorum mors est infelicissima, & hinc eam non vocant modicum, sed ægerrimè eam ferunt. Serm. 36.

Amen dico vobis, &c.

Cum juramento affirmat, quod tribulationes sint passuri adeò crudas, ut nemo id sit crediturus, & talia firmari juramento. Serm. 46. & vita electorum est continua pœnitentia. Serm. 15.

Mulier cùm parit tristitiam habet.

Per mulierem parientem congruè intelligitur peccator, qui peccatis gravibus vadit ad confessionem; hic debet tristitiam habere, quia debet elicere contritionem. Serm. 19. & 18. ubi de partibus pœni-

pœnitentiæ; de qua etiam poteſt agi hac concione.

Dominica quarta poſt Paſcha. Ioann.16.

Nemo interrogat me, quo vadis?

Quod Chriſtus conquerebatur de ſuis diſcipulis, hoc modo poſſumus conqueri de multis, qui vadunt ad confeſſionem, quod non interrogent ſe, quo vadant, hoc autem deberent facere per examen, de quo ſermo 20. Idem deberet quærere peccator, quia videret, quod iret ad infernum. Serm.38.

Idem Thema.

Me, inquit Dominus, non eſt neceſſe, ut interroget aliquis, quo vadis, quia id ſcio; ſed an aliquis ſit, qui id non ſciat? Ita, ſed quis? Peccator, quia eſt excœcatus. Serm.16.

Princeps hujus mundi judicatus eſt.

Et ideo judicium omne dedit illi Pater, ut ſit judex non ſolum in throno juſtitiæ, ſed & throno miſericordiæ, nempe ſacramento pœnitentiæ. Ex quo debemus diſcere, qualiter debeamus inſtituere confeſſionem, de hoc vide Serm. 23. Poteſt quoque hodie agi de fide, judicio, eccleſia, contritione, pœnitentia. Vid. indic. argumentorum.

Dominica quinta poſt Paſcha. Ioan.16.

Si quid petieritis.

Merito conqueritur de nobis, quod cùm nos admiſerit in filios, minus de illo fidamus quàm quilibet filius ſuo patri, hoc autem gravius eum offendit, quia vult ut illi fidamus. Serm.44.

Si quid petieritis Patrem.

Si ſit pater, ubi amor noſter filialis? Vult ergo ut petamus tanquam filii, & non tanquam ſervi, qui amant amore ſervili, & non filiali, quia nos debemus amare amore filiali. Serm.73.

Petite ut gaudium veſtrum plenum ſit.

Id erit plenum, ſi ſciverimus, quomodo afflictiones à Deo recipere debeam⁹. Hoc docebit Sermo 75. Poteſt hodie agi de oratione, jejunio, eleemoſyna. Vide Indices.

Feſtum aſcenſionis. Marci 16.

Exprobravit incredulitatem eorum.

Iam Apoſtoli crediderant, atque omnem à ſe defectum expulerant quo poterant laborare, & nihilominus à Chriſto redarguuntur. Quomodo hoc, Domine? An peccatis remiſſis, & emendatis ſic indignaris? Vult ne ſtatim peccatum confeſſum oblivioni tradamus, ſed pro eo ſatisfaciamus, de quo Sermo 24. & ne in illud relabamur, de quo Sermo 68.

Prædicate Evangelium.

Sed quid? An hi pauperes, idiotæ, indocti, piſcatores mittantur in mundum, ad Philoſophos, Reges, ut Evangelium prædicent? Ita Auditores, quia in hoc apparet noſtram fidem eſſe miraculosè propagatam. Serm.41.

Linguis loquentur novis.

Lingua maxima ſolet cauſare damna, & hoc ſi ſit detractoria. Nos ergo loquamur linguis novis, & vitemus detractationes; de hoc vide Sermon.66. Poteſt hodie agi de legitimo uſu miſſionis, obligationibus fidei noſtræ.

Dominica ſexta poſt Paſcha. Ioan.15.

Spiritum veritatis.

Utinam illum haberent parentes, dum proles ſuas volunt cogere ad ſtatum eccleſiaſticum, quia ſi eum haberent, ſcirent eas non eſſe vocatas, nequaquam eas cogerent. Sermon.51.

damnis, quæ infert peccatum; bono directore.

Dominica quarta post Pentecosten.
Luc. 5.

Sedens docebat.

De navicula Petri non verò in Synagoga Lutheri, vel Calvini vide Sermones de fide, & Sermon. 79. & 80.

Rumpebatur rete.

Per eos rumpitur rete communitatis vel Ecclesiæ, qui scandala suscitant. De scandalo vide Sermon. 58.

Præceptor per totam noctem, &c.

Idem potest dicere peccator, quia perdit omnia merita, & impedit nos ne possimus mereri. Serm. 33.

Exi à me, &c.

Meritò hoc dicit, quia Deus deserit peccatorem, & quanta hæc sit infelicitas. Serm. 32. Potest etiam agi de humilitate, de Zelo animarum, &c.

Dominica quinta post Pentecosten.
Matth. 5.

Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum, &c.

Pharisaica virtus nonnisi in eorum facie pingebatur, & erat interior tantum: Deus autem vult etiam pœnitentiam exteriorem. Vid. Serm. 10. & 76. ubi ostenditur, qualia debeant nostra opera esse.

Qui irascitur fratri suo. &c.

Meritò hoc dicit, quia debemus vindicare peccata nostra, & non aliena, & judicium strictum erga nos exercere debemus. Vid. Serm. 73. puncto 3.

Nisi abundaverit, &c.

Plura exigit à nobis quàm à Iudæis, quia illi erant servi, nos filii, unde nos debemus amorem filialem. eod. sermone.

Dictum est antiquis, Non occides.

Hoc nobis non tantum dicitur corporaliter, sed & spiritualiter, unde & vitandum est scandalum. Vid. Serm. 58. Potest agi de ira, vindicta, peccato veniali, perfectione Christiani, ad quam tenetur. Vide indicem. Item quod vita ejus debeat esse continua pœnitentia.

Dominica sexta post Pentecosten.
Marci 8.

Ecce jam triduo sustinent me.

Tu debes Christum sustinere triduo, hoc est per tres partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, de his agit Sermo 18. Vide Dominic. quartam quadragesimæ. Agi potest de perseverantia & constantia pœnitentiæ, bonorum operum; item amore benevolentiæ, & non concupiscentiæ erga Christum, ac Deum. Vide indices.

Dominica septima post Pentecosten.
Matth. 7.

Attendite à falsis prophetis.

Deus non recipit opera nostra, inquit Tertullianus, nisi sint probata, & examinata, quod maximè verum est de pœnitentia, & ideo videre oportet signa, & notas, quæ veram pœnitentiam à falsa distinguunt. Vid. Sermon. 8. & 9. & ideo oportet etiam examinare veram naturam pœnitentiæ. Vid. Serm. 6. & 7.

prætulit; tu autem sic non agas, sed judica te ipsum; nam hoc facere debes. Vid. serm.73.puncto 3.

Velut hic publicanus.

Valde erravit Pharisæus, quod de sua justitia gloriaretur, esto putaret se justificatum, quia post peccata semper debemus esse solliciti, ne in illud relabamur, ideoque gratiam Dei oportet conservare. Vid.Serm.78.

Percutiebat pectus suum.

Non alienum. Sic tu debes tua peccata accusare, & illa in alium non referre. serm.18. & 23. Dein egit non solum pœnitentiam interius, sed & exterius. Vid. serm.10. Potest etiam agi de humilitate, detractione.

Dominica undecima post Pentecosten. Marci 7.

Adducunt & surdum & mutum.

Laudabilis ille populus est, quia saluti proximi prospicit, ideo quia nobilem habet animam, de quo vide serm.3.

Idem Thema.

Ex hoc liquet, quantam habeat Diabolus in peccatorem potestatem, ut velut tyrannus eum subjiciat. Vid.serm.73. Potest etiam agi de eo, quod peccatum cruciet animam, & illam reddat deformem. serm.24.

Apprehendit eum seorsum de turba.

Ut ita eum removeret ab occupationibus peccati, ut te doceat easdem vitare debere, quando converteris. serm.22. Potest agi de lenitate confessarii, de locutione in confessione, de examine, de auditione missionum, de confessione, &c.

Dominica duodecima post Pentecosten. Lucæ 10.

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.

Si beati fuerint Apostoli, qui viderunt Christum, etiam nos tales sumus; quia videmus eum in sacerdotibus, qui vices ejus gerunt, & habent potestatem absolvendi. serm.25. & ideo sunt honorandi. serm.53.

Despoliaverunt eum.

Hoc facit peccatum, quia privat animam omnibus virtutibus, quas habet, sicut & meritis. serm.34.

Accidit ut Sacerdos.

Ex quo patet, quàm periculosum sit differre pœnitentiam, quia casu fit, si in morte sacerdotem habeamus, ideo illa non differenda. Serm.12.13.& 14.

Viso eo præteriit.

Hoc & tu facis, si pauperem pertranseas, & non facias eleemosynam, de qua vide Indicem. Potest etiam agi, de amore Dei, proximi, fide, cœcitate spirituali, qualitate confessarii, directore.

Dominica decima tertia post Pente*costen.* Lucæ 17.

Steterunt à longè.

Meritò à longè steterunt, quia indigni erant, qui Christo appropinquarent; cum enim essent peccatores, erant maculati & deformes, quia peccatum deformat animam. serm.34. & Deus peccatorem abhorret, & contemnit. Sermon.32.

Cum intraret Iesus in quoddam Castellum.

Esto esset fatigatus, non voluit tamen comedere, aut aliquam refocillationem acceptare, priusquam illos curasset, tum quia scivit nobilitatem animarum eorundem, tum ut nos doceret, quomodo salutem nostrã operari debeamus. Vid. Serm. 3. & 4.

Dum irent, mundati sunt.

Quamvis fuerint mundati, tamen melius fuisset, eos illa mundatione non eguisse, quia innocentia melior est, quam pœnitentia. Serm. 5. Potest hic agi de sacerdotibus, de occasione vitanda, de recidiva, pœnitentia, fide, ac aliis, de quibus vide indicem, item de abusu beneficiorum Dei.

Dominica decima quarta post Pentecosten. Matth. 6.

Nemo potest duobus Dominis servire.

Hoc est, si contraria mandent, nam Diabolus allicit ad peccatum, Deus illud vetat; vide Indicem. Deus vult ut jejunes & pœniteas, Diabolus ut voluptatibus fruaris. Vide indicem de choreis & jejunio.

Nolite solliciti esse.

Diabolus maximè in id est, ut nos reddat sollicitos de temporalibus, quia sic nos inducit in furtum, & alias injustitias Vid. Serm. 64.

Quærite primum Regnum Dei.

Hoc est cogita & considera, cur in hoc mundo creatus sis, quia si finem, & beneficium creationis consideres, non ita faciliter peccabis, quia peccatum destruit illum finem. Serm. 26. & seqq. Potest agi de confidentia in Deo, &c.

Dominica decima quinta post Pentecosten. Luc. 17.

Hæc vidua erat.

Forsan quia erat vidua, ideo in filio aliquas inordinationes permittebat, quia parentes tenentur corripere filios. Vid. Serm. 59. & ideo mater morte filii punita fuit, unde patet peccata puniri temporaliter. Serm. 35.

Adolescens unicus matris suæ.

Eccur hic adolescens tam cito mortuus? meo judicio, quia matri, quæ erat vidua, non obedierat, uti solet fieri, nam sicut obedientibus promittitur vita longæva, ita inobedientes morte puniuntur. Serm. 52.

Adolescens tibi dico, Surge.

Idem dicat sibi quilibet post peccatum recenter cõmissum, ut diutius non differat pœnitentiam Vid. Serm. 12. & duos seqq.

Dominica decima quinta post Pentecosten. Luc. 14.

Ecce quidam homo hydropicus.

Verè hydropicus censendus est, qui mundanas voluptates, luxus, ac alias delicias sectatur, ad has vitandas te stimulabit Serm. 61.

Ac dimisit.

Sanatum eum Dominus dimisit, ne eorum convictu, & societate rursus contaminaretur. Ex quo discimus, quod fugienda sit occasio peccandi. Serm. 22.

Recumbe in novissimo loco.

Certè qui eligit statum Ecclesiæ, non debet ambire supremum locum ex se, sed debet ad illum vocari. Ex quo discunt parentes, quod non debeant cogere

gere proles & statum Ecclesiasticum, nisi ad eum vocati sint, id eos docebit Serm. 51. Potest agi etiam de observatione festorum.

Dominica decima septima post Pentecosten. Matth. 22.

Congregatis Pharisæis interrogavit eos Iesus, Christus, cujus filius est.

Utinam & vos congregati in unum ex quocunque fine interrogaretis, cujus filius & Christus sit, quia si intelligeretis ipsum esse hominem Deum, & quod ipsi injurii sitis per peccatū, non ita faciliter peccaretis. Vid. Serm. 30. ac 31.

Quomodo ergò David vocat eum Dominum.

Ad hanc interrogationem non poterant ei respondere, & meo judicio eò quod obdurati essent, & excœcati, circa quod vide Serm. 16. & 17.

Non sunt ausi eum amplius interrogare.

Id hodie quoque convenit hæreticis, nam ii interrogant multum de fide, & tu eos ex scriptura convincas, non audebunt amplius te interrogare. Vid. Serm. 79. & 80.

Dominica decima octavo post Pentecosten. Matth. 9.

Confide Fili.

Talis est confessarius, si tu sis ritè dispositus, unde animari, & excitari debes, ut libenter confitearis. Serm. 23.

Remittuntur tibi peccata tua.

Cur remittit illi peccata, cum solum rogaverit, ut illi daret sanitatem? Respondet D. Anselmus, ut significetur, quod morbus ille ipsi inflictus sit ob peccata, nam peccatum promeretur remissionem peccatorum. Serm. 72.

Videns Iesus fidem illorum.

Talis & esse debet tua fiducia in Deo, quia sic impetrabis à Deo, quidquid volueris. Serm. 44.

Dominica decima nona post Pentecosten. Matth. 22.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.

Rex iste est Christus, qui cum humana natura infirma inivit sponsalia, unde videmus, quomodo illam fidem illi servare debeamus, hoc discemus, si legamus Serm. 29.

Ite ad exitus viarum.

Hic significatur missio Prædicatorum divinorum, qualis ego unus sum, unde signum prædestinationis est, si me audias. Serm. 1.

Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Hoc est charitate, si tu eam non habeas, fac ut illam iterum recuperes; hoc autem fiet, si elicias pœnitentiam. Vid. Sermones de Pœnitentia.

Dominica vigesima prima post Pentecosten. Ioann. 4.

Erat quidam Regulus, cujus filius.

Potuit hic esse unicus, in quo totus parentis amor conquiesceret, ita ut eum plus amaret, quam Deum, hoc autem Deus non vult, quia vult, ut eum tantum amemus. Serm. 45.

Rogabat quidam Regulus.

Vide quam solicitè, quam anxie rogat hic parens pro filio, quā ferventer Christum accedat, parentes enim sæpe sui ipsius obliviscuntur ut filios juvent, cum tamen non legamus, quod aliquis filius pro parente Christum accesserit, quod tamen filii facere deberent. Agi ergò potest de obligatione prolum erga parentes. Serm. 52.

Nisi

INDEX CONCIONATORIVS

Pro Festo Sanctorum.

Pro festo Sancti Andreæ Apostoli.
Sequere me. Matth. 4.

ANdreas statim secutus est Christum, ex quo discimus statim faciendam esse pœnitentiam, nec eam esse differendam usque ad mortem, de quo vide Sermonem duodecimum, decimum tertium, & decimum quartum, potest etiam agi, quod debeamus nostram salutem operari promptè, &c. sermone quarto, & etiam quomodo prędicatio nostræ fidei sit miraculosa. sermone quadragesimo primo.

Festum Immaculatæ conceptionis.
Isaac genuit Iacob. Matt. 1.

Iacob cum omnibus virtutibus decoratus fuerit, etiam polluit obedientia, & hoc quia ejus parens obediens fuit. vide sermonem quinquagesimum secundum. Potest etiam agi de beneficio Incarnationis, & quomodo peccatum illud offendat. sermone Trigesimo, & Trigesimo primo.

Festum S. Thomæ Apostoli.
Quia vidisti me Thoma credidisti. Ioann. 20.

Etiamsi nos non videamus, attamen credere debemus, & obligati sumus Deo ob destructionem Idolatriæ, & stabilitionem fidei. Sermone quadragesimo secundo.

Festum Nativitatis Domini.
Et Mundus eum non cognovit. Ioann. 1.

Utinam & tu non cognosceres mundum, nec ejus vanitates, de quo vide sermonem sexagesimum primum & secundum. Potest etiam agi de beneficio Incarnationis, de quo vide Indicem argument.

Festum S. Stephani.
Ierusalem, Ierusalem quæ occidis prophetas &c. Matt. 23.

Idem tibi contingit si peccata peccatis accumules, quia te Deus deseret, sermone trigesimo secundo, potest etiam agi de vindicta, sermone quinquagesimo sexto, de ira, de obduratione vide Indicem argumentorum.

Festum S. Ioannis Apostoli.
Sequere me. Ioannis ultimo.

Idem dicitur cuilibet Christiano, ut Deum sequatur, & non tantum credat, vide sermonem quadragesimū tertium, ubi ostenditur quod fides non debeat esse mortua, potest etiam agi quod non debeamus examinare aliorum vitam, sed propriam conscientiam, vide sermonem vigesimum.

Festum SS. Innocentum.
Fuge in Ægyptum. Matt. 2.

Si Christus fugit persecutionem Herodis, tu multò magis debes fugere persecutionem peccatorum, hoc est ejus occasiones, vide sermonem vigesimum secundum.

Festum Circumcisionis Domini.
Vocatum est nomen ejus Iesus. Luc. 2.

Iesus idem est ac salvator, ex quo discis,

Festum

Festum S.S. Apostolorum Petri & Pauli.

Quem dicunt homines esse filium hominis? Matth.16.

Christus voluit videri singularis, & ideo ab Apostolis quæsivit, quæ de se homines sentirent, nam singularitas virtuosa laudanda est, sermone sexagesimo sexto. Potest etiam agi de beneficio absolutionis, sermone vigesimo quinto, de fide, Ser. quadrag. 1.

Festum Visitationis Deiparæ.

Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? Luc.1.

Idem tu dicere debes, dum prædicatores ad te mittuntur, nam concionum bonus usus est effectus prædestinationis, sermone. 1. Potest agi de humilitate, de obligatione parentum erga proles, de acceleratione salutis, vide indicem argum.

Festum S. Iacobi Apostoli.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Matt.20.

Fuit non vocata, sed se intrusit, id hodie multi parentes faciunt, qui filios non vocatos cogunt ad statum Ecclesiasticũ, quod valde damnosum est filiis, sermone quinquagesimo primo.

Festum S. Annæ.

Ibi erit stridor dentium. Matt.13.

Nempe in inferno, unde debes cavere peccatum, quia hoc ducit ad pœnas inferni.

Festum S. Laurentii.

Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam. Ioann.12.

Profecto, magna est jactura animæ, de cujus nobilitate, & spiritualitate vide sermonem tertium.

Festum Assumptionis Deiparæ.

Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Lucæ 10.

Idem multis dici potest, qui hodie solum voluptates mundanas sequuntur, vide sermonem sexagesimum primum. Potest etiam agi de eleemosyna, vide indicem arg.

Festum S. Bartholomæi Apostoli.

Erat pernoctans in oratione. Luc.22.

Idem tu agere debes, & in oratione perseverare. vide sermonem sexagesimum septimum.

Festum Nativitatis B. Virginis.

Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Matt.1.

Quamvis David præponatur Abraham, tu tamen propter hoc non debes peccare, nam innocentia est via certissima ad salutem, sermone quinto.

Festum S. Matthæi.

Volo misericordiam & non sacrificium. Matt.9.

Ex quo vides quam grata sit Deo eleemosyna, de quo vide sermone septuagesimo.

Festum

Finis Indicis Concionatorii.



Instructio juniorum Concionatorum.

Veterani nautæ nonnunquam junioribus salutaria præbent consilia, non quod semper doctiores sint, sed quod majorem habeant experientiam. Primum ergo documentum ceu consilium, ut bene prædices, est, quod benè Deum ores: secundùm est, quod bene Deum ores, tertiùm, quartùm decimum est, ut bene DEUM ores. Scriptura dicit de Filio Dei: *Erat pernoctans in oratione, ibat secundum consuetudinem in montem oliveti.* Sanctus Dominicus Patriarcha ordinis sacerrimi Prædicatorum tam assiduus fuit in oratione, ut Tholosæ & in aliis conventibus, in quibus fuit commoratus, nullus scire possit, ubi habuerit suam cellam, quia ejus cella, studium, Bibliotheca, fuit chorus Ecclesiæ, in quo transigere solebat integras noctes, & maximam partem diei. Sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, sanctus Vincentius Ferrerius, & alii sancti Prædicatores plus studuerunt ad pedaneum Altaris, & pedes Crucifixi, quam in schola, aut Bibliotheca. Quod si non vocatus te ingeras sacerdotio & officio prædicandi, in magno periculo damnationis versaberis: Sanctus Joannes Baptista, quamvis fuerit in utero sanctificatus, & usque ad trigesimum ætatis suæ annum commoratus fuisset in deserto, attamen non nisi speciali DEI mandato munus prædicandi assumpsit: *Factum est verbum Domini super Joannem in deserto, & venit prædicans.* *Luc. 3. 2.*

Ipsemet noster Salvator non nisi missus prædicavit: *Ad evangelizandum pauperibus misit me.* *Luc. 4.* Quod si vivas in aliqua communitate, mandatum superioris sufficiens vocatio videtur, dico mandatum, non consensus: nam non erit vocatio legitima, si te applices ad hoc munus, ut tuæ inclinationi & importunitati condescendas.

Quod si jam degas in aliqua communitate, ut cognoscas an sis vocatus, ne confidas exiguo zelo animarum, quem te putas habere, sed postquam attente legeris libros de sacerdotio sancti Chrysostomi, Pastorale sancti Gregorii, Armamentarium terrestrium Cherubinorum, in quo diversi tractatus spirituales continentur, sub directione Patris alicujus spiritualis, pii, prudentis, non interessati, bis vel ter exercitia spiritualia serves, ei omnes angulos & latebras tuæ animæ pande, ei detege actiones vitæ tuæ præteritæ, & si illis peractis mandet, ut fias sacerdos, vel Prædicator, tu judicare potes, te esse vocatum; quod si hucusque vitam duxeris dissolutam, levem, si luxibus fuisti deditus, aliquot annis prius debes pœnitere.

Porrò unicus finis & scopus tuarum concionum sit gloria DEI & salus animarum: quicquid in hunc finem non tenderit, ad minus expiabitur flammis Purgatorii, & te contemptibilem in hac vita reddet. Assidue volve & revolve sacram Scripturam, quia non ascendis pulpitum, nisi ut prædices verbum DEI, ut fecit Assertor noster Jesus Christus, cujus tu vices geris. Unde ex illo exesse debent fabulæ, & scientiæ profanæ. Unicus textus S. Scripturæ plus valet in animis Christianis, quam decem discursus humani. Quod si aliquid S. Scripturæ addere velis, meo sensu hos libros præcipuè evolvere debes, S. Augustinum, Chrysostomum, Summam S. Thomæ, sanctorum, & nonnullos Interpretes S.

Scripturæ, si media & sumptus habeas eos emendi. Verum post S. Scripturam maxime legere & relegere debes opera spiritualia Granatensis, oporteret illa quasi memoriter scire, & de verbo ad verbum prædicare, quia fructus experieris admirabiles. In quolibet sermone, quem componis, in id sis semper, ut ex eo aliquid utilitatis possint haurire, opifices, famuli, ancillæ, &c. & ita labora, ut nemo sit, qui ex illo non possit aliquid addiscere, quia forsan potest contingere, quod si aliquis, qui nunquam interfuit, vel intererit toto anno tuæ concioni, & qui forsan per præsentem convertendus est.

Magnus sane est abusus & error, velle per conceptus sublimes delectare triginta aut quadraginta doctos, & jejunos dimittere alios innumeros, qui te auscultant. Certi tibi persuasum sit, quod magni & docti libentissime audiant aliquem prædicatorem zelo accensum, qui Auditores docet, & movet per discursus familiares & populares.

Dum pulpitum ascendis, considera quod prædicaturus sis pluribus, qui doctiores, eruditiores, pientiores, virtuosiores sunt, quam tu. Ergo cum iis agas magno cum respectu exteriori, & humilitate interiori: meo videri, non debet dici, tu facis hoc, tu facis illud, sed vos facitis hoc, vos facitis illud.

Nec aliquid agas nisi subordinate ad Episcopum, quia tu es ejus instrumentum, quod nihil facit sine motione causæ principalis. De Episcopis intelligendum est, quod Salvator dicit: *Qui vos*
Act. 20. *spernit, me spernit.* De iis dicit sanctus Paulus. *Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Hoc est quod dixit S. Ignatius Martyr *Epistola ad Trallum sub initum. Episcopo subjecti, sicut Domino.* Et paulo infra. *Necesse est quiquid facitis, ut sine Episcopo nihil tentetis.* Et Epistola ad Magnasianos sub initium: *Decet vos obedire Episcopo, & in nullo illi refragari, terribile namque est tali contradicere, nec enim hunc fallit, qui videtur, sed invisibilem fallere nititur, nec ad hominem, sed ad Deum redit contumelia.*

Insuper majorem benedictionem habebis, si nil facias absque beneplacito & mente parochorum, in quorum parochiis prædicas, nunquam eos prætereas, nunquam illis obtrectes, vel in cathedra, vel alibi. Tu quidem potes errores eorum perstringere, sed id debes facere circum spectè, suaviter, charitative, secretò. Illi sunt patres in parochia, nos sumus eorum servi, missi, ut iis serviamus in sanctificatione animarum. Illi habent potestatem ordinariam, nos delegatam. Illi sunt pastores, nos sumus canes, qui allatrare debemus lupos, eosque arcere à grege ovium, ne hunc dispergant. Illi sunt matres, nos nutrices.

Quod si aliquis tibi pulpitum disputet, quamvis injustè, tu majorem habebis honorem, & meritum, si cedas ex amore DEI, quam si cum scandalo alterceris. Quod si cedendo pulpitum alteri honores prædicationes filii DEI, tu honoras ejus silentium, qui triginta annis siluit, & tribus tantum prædicavit. *Natura invite vult mori, nec premi, nec subesse, nec sponte subjugari, gratia vero studet mortificationi propriæ, quærit subiici, appetit vinci, nec alicui cupit dominari, &c. lib. 3. de imit. Christi cap. 54.*

Abstine ab omnibus verbis, quæ pos-

sunt

ſunt provocare riſum, quia hoc circum foraneorum eſt. Filius DEI nunquam ad riſum movit, omnia ejus verba fuerunt incitamenta ad compunctionem, & amorem DEI. Etiam in hoc ſis, ne ullum verbum proferas, quod vel minimam in mentibus Auditorum tuorum generare poſſit. *Eloquia Domini, eloquia caſta.*

Quod ſi ſit aliqua janua, feneſtra, infans, aut aliud quod tibi impedimento ſit, aut aliquo modo incommodet, quidquid tandem illud ſit, cave ne iraſcaris, ſed humiliter roga, ut illa amoveantur. Tu non credis, quantum minima paſſio prædicatoris ſcandalizet populum, & fructum verbi DEI impediat. Nec ſero venientes objurges, aut diſcedentes ante finem increpes, quia forſan impediti ſunt, aut negotium urgens habent, quod tu neſcis.

Quod ſi in parochia, in qua prædicas, ſint partialitates, ne huic parti magis faveas, quam alteri, quia altera idcirco ex tuis concionibus nullum fructum percipiet. Tu es Angelus pacis, tu debes eſſe mediator, velut noſter Salvator, *Qui fecit utraque unum.*

Quod ſi aliquis privatus tibi detrahat, aut de tuis concionibus male loquatur, cave ne aliquid dicas in pulpito primo, quia forſan exacerbabitur, & ſæpius illud repetet, ubi alias forſan poterit tangi tuis concionibus, & converti. Secundo, pauci ſciunt id, quod de te dixit, unde ſi in pulpito de hoc agas, tota civitas illud ſciet, & ubi putas te expurgare, tu tuum honorem periculo exponis, nam Mundus, qui tam pronus eſt ad mala credenda, forſan ſuſpicabitur illa dicta eſſe vera.

Quod ſi alius prædicator in ſuggeſtu te traducat, tu majorem honorem & benedictionem habebis, ſi honores & imiteris patientiam & ſilentium Filii DEI; *Bene patientes erunt, ut annuncient.* Quod ſi in ſuggeſtu dicat, te prædicaſſe hæreſes, tu eum denuntiare potes Epiſcopo, aut ejus Vicario, quod ſi illi non adſint, tu te potes expurgare, explicare, & probare modeſte veritatem, quam prædicaſti, ſed cave ſis ne hoc agas cum fervore, dicteriis, ſed manſuetè.

Tu quidem potes hortari Auditores tuos, ut ſint frequentes in auditione verbi DEI, ſed nunquam conqueraris de exiguo numero Auditorum; primò, quia illi, qui antea nunquam de hoc cogitarant, nunc incipiunt advertere, & te minus æſtimare, velut hominem ambitioſum. Secundò, quia ſuſpicabuntur te hoc agere ob commodum particulare. Tertiò, tu debes honorare Filium DEI, qui unum è prolixioribus diſcurſibus habuit ad unam mulierculam Samaritanam. Quartò, ſæpius majorem fructum, & minorem amorem erga te ipſum habes, quàm ſi copioſos Auditores habeas. Quinto ſi perſtringas præſentes, illi non ſunt culpabiles, ſi abſentes, illi te non intelligunt.

Eloquentia quidem, emphaſis & proprietas verborum quidem ſuadent, ſed ego non ſim auctor, ut prædices periodos ornatas, & utaris floſculis ſelectis, & compoſitis. Primò, quia Filius DEI ſic non prædicavit, & Apoſtolus dicit: *Non in perſuaſibilibus, & humanæ ſapientiæ verbis.* Secundò id ſapit aliquam vanitatem, & imperfectiones concionatoris valde parum ædificant Auditores. Tertiò tu tempus perdis conquirendo hos floſculos, & has periodos componen-

nendo; cum potius rogare deberes Deum, ut suam benedictionem tuis verbis daret. Quartò hi flosculi sæpe nocent fructibus, quia ingenium Auditorum, dum elegantiam verborum conatur admirari, non attendit ad veritatem sententiarum.

Ego sæpius adverti, Auditores ægre ferre si longum panegyrium texas alicui Magnati, qui est præsens. Primò, quia suspicantur te esse adulatorem. Secundò quia forsan in cathedra veritatis profers mendacia. Tertiò plures sunt, qui non æstimant hunc magnatem, & ideo forsan te etiam vilipendent. Quartò suggestus ideo est, ut in eo laudetur Deus, prædicetur veritas, & non ut homines laudentur. *In Ecclesiis benedicite DEO.* Quintò, quia S. Thomas docet esse peccatum veniale aliquem laudare in ejus præsentia, eo quod ipsi præbeatur materia vane gloriandi.

Consultum est, ut statim post concianem te coram DEO humilies, & veniam petas erratorum, quæ patrasti, legasque aliquem librum, aut bono alicui operi vaces, ut vanam gloriam vites, quæ tuum spiritum potest invadere dum cogitas, quod bene feceris, & dixeris, aut tristitia & melancholia obrui, dum imaginaris, quod male tibi cesserit. Tu sollicitus valde esse debes, ut te sæpius commendes tuis sanctis Patronis, Angelis custodibus Auditorum & parochiarum, in quibus prædicas.

Quod si per aliquid tempus commoreris in aliqua parochia, curare debes, quantum est possibile, ut instituatur aliqua confraternitas Rosarii, Scapularis, Chordæ, ut Venerabile deferatur ad infirmos cum aliqua pompa & comitatu, ut signa consueta mane, in meridie & vesperi dentur, ad salutandam Virginem, ut obstetrices sciant modum baptizandi, ut boni habeantur ludimagistri & magistræ, ut pietas & doctrina Christiana infantibus tradatur, ut publicæ choræ, compotationes, luxus vitentur, ut dissensiones & lites inter familias componantur.

Qui DEO lucratur animam unius sacerdotis, ille lucratur centum alias, unde utilissimum erit, si qualibet septimana habeas aliquas conferentias cum sacerdotibus in parochia, & aliorum, qui ex locis vicinis volunt interesse, non quasi velles eos instruere, sed quod potius ab iis velis instrui, & in amore DEI accendi. Discursus aliquot spirituales habendi sunt de virtutibus, quæ necessariæ sunt sacerdotibus, & postea proponendi, & resolvendi aliquot casus conscientiæ, & practici.

Et sanè magnum referes fructum, si non bibas, aut comedas in locis, ad quos invitaris. Primò, quia Filius
DEI dicit: *In eadem domo manete eden-* Luc.10.v.7.
tes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Nolite transire de domo in domum. Secundò plures sunt, qui æstimationem minuunt, quam habuerunt de sacerdotibus, dum eos vident comedere, & bibere velut alios, cum aliàs sacerdotes valde suspiciant & revereantur, utpote, quos non vident nisi in altari, & in cathedra. Tertiò in mensa vix possumus abstinere à jocis, vanitatibus, aut aliis verbis, quæ offendere possunt.

Quando agis contra Hæreticos in cathedra, aut in privato, vide ut agas cum

iis cum respectu, modestia, condolentia & manifestatione affectus, & omnia concedas, quæ potes sine præjudicio veritatis. Abstine à conviciis, invectivis, calumniis, & iis, quæ sapiunt contemptum.

Antequam tam sanctum exercitium incipias, jacere oporte fundamentum pietatis & doctrinæ. Nam quomodo quis id communicare potest, quod non habet? *Oportet sanctum esse non carnalem*, inquit S. Bernardus, Gregorius, Nazianzenus, Basilius, Augustinus, qui antequam munus prædicationis aggressi sunt, pluribus annis delituerunt in deserto, operibus se exercuerunt pœnitentiæ, & Scripturarum lectioni vacarunt. Quomodo ergo juvenis viginti sex annorum, qui vix emersit è cœno vitiorum, & qui nec à limine salutavit Biblia, possit prædicare cum fructu & benedictione?

Quod si functio tua tibi quandoque occasio sit cedendi in peccatum mortale, & hoc, quamvis semel tantum in anno, tu eam abdica, & si possis, intra Ordinem Chartusianorum, aut Fuliensium, & hoc quantumvis maximos fructus alias faceres, quia Deus à te vult vitari peccata, & tuam salutem potius quam conquisitionem mille animarum. *Quid prodest homini?* Non dicit, *si divitias*, sed, *si universum mundum lucretur?* Animæ quoad acquisitionem salutis toti mundo præferri debent. Nulli sunt tibi propinquiores, inquit sanctus Bernardus, quam filii tuæ matris.

ad Eugen.

Et quamvis sis excellentissimus prædicator, ne tamen data occasione dedigneris prædicare in pagis, & aliis parvis locis, ac servare simplices & familiares conciones. Sanctus Chrysostomus insigniter docet, in domibus opificum non esse nisi unam lampadem, aut lucernam, quæ domesticis luceat. In exiguo oppidulo non est nisi unus fons pro omnibus incolis: Verum in palatiis Magnatum sunt faces in ipsis angulis, & gradibus. In magnis urbibus sunt copiosi fontes etiam in plateis minus frequentatis. In hoc consistit gloria & excellentia Ecclesiæ, quæ est domus DEI, & civitas Sancta, quod habeat magnos prædicatores velut magnas faces, & fontes copiosos etiam in parvis parochiis, ubi sunt pauci Auditores.

Nec dedigneris, quantumvis magnus sis Ecclesiastes, catechizare infantes, & rudem populum, ad minus bis vel ter in septimana, si tuæ vires id permittant, quia majorem facies fructum, & minus habebis periculum. Experientia docet, cantica spiritualia, quibus decantantur mandata DEI in catechismis, attrahere homines, eosque delectare, sed nescio, an bonum sit, quod ipsemet Catechista cantet, quia hoc diminuit ejus respectum ecclesiasticum.

Sunt quædam pia opera, quæ populo sæpe inculcanda sunt, ut mane rogare DEUM genibus flexis, vesperi congregare omnes domesticos, & simul facere examen, venerari sacram Eucharistiam, eamque comitari, dum defertur, ad infirmos, colere devote virginem, eiq; quotidie aliquod persolvere pensum, frequenter suum cor elevare ad DEUM, & in hunc finem, animabus sub oculos ponere earum fragilitatem, & infirmitatem, & extremam necessitatem, qua egemus gratiâ DEI.

Postquam in omnibus missionibus inculcassem necessitatem Baptismi, sicut & in dominicis, ac festis Adventus, & quadragesimæ, feminæ catervatim concurrerunt, & seipsas accusarunt ac pœnitentiam rogarunt etiam extra sacramentum confessionis, ex eo, quod ignorarint nenecessitatem hujus sacramenti, & ita ob hunc defectum peccarint, & mori permiserint infantes sine Baptismo, & hoc ut tantum expectarent patrinum, aut matrinam Et ideò non satis possumus inculcare miseriam infantum, qui moriuntur sine baptismo, ac materiam, & formam hujus Sacramenti.

Experientia me docuit, quod plures ex meo consilio, quo suasi iis in sermonibus, ut acciperent crucem ligneam, eamque portarent ad Ecclesiam, ut benedicatur, eamque collocarent in aliquo loco cubiculi, & vesperi certâ horâ omnes congregarent domisticos, ut simul orarent, & per diem subinde si eam viderent, in corde Filium DEI in ea pendentem adorarent, eo quod dæmones, & malefici non habeant tantam vim nocendi domesticis, qui tam pium exercitium practicant, multum profecerint.

Similiter experientia me docuit, quod peccata valde diminuta sint, postquam in quibusdam locis confraternitas Rosarii, aut chordæ instituta, & servata fuit. Obtine ergo licentiam à Reverendis Patribus prædicatoribus, & Franciscanis, eos, qui volunt admitti, recipiendi, rosarium, & chordas benedicendi, prædica frequenter indulgentias, quas lucrantur, participationem, & communicationem precum, quæ fiunt in toto mundo, auxilium Virginis in morte, Vulnerum sacrorum efficaciam, quod nil donetur pro inscriptione, quod nulla sit obligatio pro peccato, quod quotidie sint recitanda quinqne Pater & Ave, semel recitandum Rosariū in septimana, dumq; è cathedra descendis, bonum est, eos inscribere, qui volunt, & quando fervet hæc devotio.

Devita conversationes feminarum quantumvis devotarum, nec solus iis loquaris, illæ frequentes conversationes insignibus vestitæ prætextibus nil aliud sunt, quam vanæ occupationes, & fraudes amoris proprii, occasiones vanarum cogitationum circa hæc, aut illa. Audi S. Hieronymum: *Ne præteritæ castitati confidas, nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior, memento semper, eiecit mulier de possessione sua paradisi colonum*: Nisi cautus sis, & rigidus in hac materia, Diabolus medium habebit te privandi gratiâ Dei, fervorem amoris ejus tepefaciendi, tuum honorem lædendi & similia. Sanctus Carolus Borromæus, ut nos exemplo præiret, nec propriæ sorori loqui voluit.

Spatio quadraginta annorum, quibus prædicavi Adventum, & quadragesimam, & dixi omnibus quasi dominicis & festis, in fine concionis subjunxi mysteria fidei explicite credenda, puta mysterium sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis, essentialia Sacramenti Baptismi, Eucharistiæ, pœnitentiæ, & magnum habui Auditorium etiam in urbibus, ubi sunt Parlamenta.

Quod si habeas zelum gloriæ DEI, & animarum, credo quod idem debeas facere, quia alias plebs sepulta jacebit in densa ignorantia horum mysteriorum ad salutem necessariorum, quia màgna negligentia frequentandi catechismum, dum

dum putant eum tantum eſſe pro infantibus. Porro tempore miſſionis, bonum erit ſi hoc fiat quotidie mane & veſpere, ut illi, qui hoc non diſcunt in una concione, vel non veniunt, id diſcant in altera. Ante omnia porro bene inculcari debet, quod Filius Dei non fuerit ſemper homo, ſed quod Deus ab æterno exiſtens factus ſit homo amore noſtri, & ſemper erit, & quod ſit vere & realiter præſens in Euchariſtia, & non velut crucifixus in Eccleſia, qui eſt tantum imago lignea, vel lapidea, ſed quod ſit in Euchariſtia in propria perſona. Similiter quotidie inculcanda eſt neceſſitas, materia & forma Baptiſmi, quod confeſſio nil ſit ſine vera pœnitentia, & quod contritio inſtanter ante confeſſionem poſtulanda ſit.

Non conſulo, ut cites Auctores, quos neſcis quomodo citare debeas, alias haberis ignorans, uti illi, qui dum debent citare legem, dicunt capite, aut codice, & qui pro eo quod dicunt S. Chryſoſtomus homilia 4. ſuper epiſtolam ad Epheſios, dicunt, S. Chryſoſtomus Scribens ad Epheſios. Viden ergo loca quæ hic & alibi quandoque citantur. l. facere, ff. de teſtam. milit. l. habeat. C. de Sacroſ. eccl. § teſtes. Inſtit. de teſtam. ordinand.

Methodus harum concionum eſt, ut juvetur memoria, & non ut ars oſtentetur, nam adverti, motiones ſancti Spiritus validiores eſſe, quando eloquentia naturalis & nativa adhibetur, & quod hæc melius ſuadeat, quam Rhetorica artificialis.

Inſtructio pro Paſtoribus junioribus.

Major pars documentorum, quæ dedi junioribus prædicatoribus, tibi poterunt quoq; ſervire, & ideo illa præmiſi. Ante omnia itaque debes lucrari reſpectum & affectum tuorum parochianorum, quod fiet, ſi agas cum iis charitative, manſuete, ſi tibi curæ ſit eorum ſalus ſpiritualis & corporalis, nec cum iis contendas. *Servum Dei non oportet litigare.* 2.Tim.2. *Nemo militans DEO implicat ſe ſecularibus negotiis.* 2.Tim.4. *Jam pridem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non* 2.Cor.7. *magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini.* Quod ſi, ut honores hæc verba, amittas aliquod bonum temporale, ne illud repetas in judicio, ut ita melius poſſis laborare in negotio ſalutis animarum, nec credo circa hoc aliquem ſcrupulum eſſe faciendum, maxime ſi quandoque proteſteris contra, ut impediatur præſcriptio.

Quod ſi aliquis pœnitens nolit communicare in Paſchate, tu ei nega abſolutionem, quia ita mandat Concilium Lateranenſe: Et quomodo ergo tot Parochis detur abſolutio, qui non obediunt Concilio Tridentino, quod eſt æq; Authenticum, ac Lateranenſe? Audi illud: *Archipresbyteri plebani & quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes, Eccleſias quocunque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, dicendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere & cœleſtem gloriam conſequi valeant.*

Apud omnes Theologos indubitatum eſt, quod omnes adulti jure divino eccleſiaſtico teneantur ſcire explicite myſte-

ria Trinitatis, Incarnationis, passionis Resurrectionis, Ascensionis, Filii DEI, plebeii illa non possunt scire, nisi instruantur: Tu itaque non es capax absolutionis, & es in statu perpetuo damnationis, si tua negligentia aliquis parochianus hoc ignoret.

In aphor verb. fid.

Quod si habeas magnum zelum animarum, tu non debes recipere, nec permittere, ut tui sacellani recipiant pecuniam ob administrationem pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ unctionis, quia si aliquid recipias non habes tantam libertatem tuos exhortandi ad frequentationem Sacramentorum, quia putat, quod hoc facias intuitu lucri. Secundò tui Sacellani probè non administrabunt sacramentum, quia festinabunt, ut multum lucrentur. Tertiò plures pauperes, & avari non confitebuntur tam frequenter, vel quia non habent pecuniam, vel quia nolunt dare. Quartò, quodque magis considerandum est, plures negligent dari sacramenta suis infirmis, & hoc ne quinq; solidos exponant, qui ita morientur sine sacramentis, aut saltem tamdiu different sacramenta, ut usu rationis careant. Et quamvis intra centum annos hoc semel tantum contingeret, salus unius animæ præferenda est lucro, quod tota vita lucrari posses. Et quamvis non petas pecuniam, si tamen eam acceptes, eadem inconvenientia sequentur, si unus enim eam det, alii, qui nolunt viliores esse, & magis ingrati, quam alii, quod tenentur eam dare.

Experientia didici, quam salutare & prudens fuerit consilium, quod Illustrissimus Zemovicensis dedit omnibus suis parochis, ut omnes baptizatos à feminis sub conditione baptizarent, quamvis enim sciant materiam & formam Sacramentorum, tamen ordinarie sunt turbatæ, ita ut nesciant quid agant, & aliæ adeo superbæ sunt quamvis aliquem defectum commiserint, tamen eum confiteri erubescant, nisi interrogentur. Idem suadet S. Thomas. Reperimus in diœcesi Languedocensi, Gebennensi, & in provincia plures feminas baptizantes sub hac forma. *Aiguo te Baptizo*, hoc est, Aqua te baptizati, dum enim audierunt sacerdotem dicentem. *Ego te baptizo*, illæ putarunt. *Ego* in lingua vulgari significare *Aiguo* Ergo non solum in catechismo, sed & in concionibus illa forma iis explicanda est.

Opuscul 5. §. 1.

Quin plures Doctores docent probabiliter, quod moribundus possit absolvi sub conditione, qui nullum petiit confessarium, & qui nulla signa contritionis edere potest, quæ sententia tuta est, eamque videtur suadere S. Augustinus *tom. 6. de adulterinis conjugiis, cap. 26. 27. 28. Dinna part. 3 tract. 3. Resol.* 8 ubi ait Clementem VIII. id fecisse, & à *Coniatz tom. 1. de sacrament. disp. 1. dub. 2.*

Lib. 4. I cap. 18.

Quod si duæ missæ celebrentur in tua parochia, necesse est, ut cures sæpe prædicari in prima aut ad minus cures legi alta, & clara voce per quadrantem horæ aliquem librum pium, puta pædagogum Christianum, aut memoriale Granatensis, iisque explicari mysteria fidei, qui alias servi, & ancillæ, qui non audiunt nisi hanc missam, nunquam necessaria ad salutem addiscent.

Pastor

Pastor sedulus sæpe visitat suos infirmos etiam postquam receperunt omnia Sacramenta, quia quotidie possunt committere aliquod peccatum mortale & indigere consequenter absolutione, quia contritio perfecta est valdè difficilis & rara, & sicut lupus infernalis nunquam cessat à tentandis Christianis in articulo mortis, ita quoque Parochus debet vigilare, ut iis succurrat & eos juvet.

Parochi, qui negligentes sunt in administranda extrema unctione privant infirmos plurimis gratiis, & sanitate corporis, quam donat hoc Sacramentum, quando est utile ad salutem animæ.

Lib. 4. Dial. cap. 18. Et quia S. Gregorius Magnus, Doctor, Papa & Sanctus, narrat puerum quinquennem fuisse damnatum, meo judicio pueri infirmi intra sextum & septimum annum excitandi essent ad confessionem, & absolvendi, immò & iis danda foret Eucharistia, si judicium suppleat ætatem, etsi intelligant mysteria fidei, & sciant quid sint Sacramenta.

Experientia quoque monstrat, quod si gravida moriatur, non statim tamen moriatur infans, sed quod hic sæpè vivat per quadrantem, vel mediam horam adhuc post mortem, immò quandoq; diutius, undè consultum est, ut secetur mater, & infans baptizetur.

In vita Parochi pagi vulgò Matincourt in Lotharingia, pietate conspicui & celebris, quia reformare cœpit Canonicos Regulares S. Augustini, narratur, quod postquam suos parochianos optimè docuisset mysteria fidei, ille in parvis schedulis scripserit, quomodo populus in quolibet vitio posset offendere Deum, & in aliis scripsit motiva, quæ ab hoc nos deberent abstrere, & incitarent ad proposita elicienda, millies potius moriendi, quàm vel semel peccandi: in aliis curavit scribi praxes pietatis, in aliis stimulos amoris Dei, perfectionum Divinarum, & mysteriorum fidei, illasque schedas dedit infantibus, ut illas addiscerent, & in catechismo recitarent, ut ita domestici instruerentur & moverentur, dum eas repeti audirent.

Porrò excellentem invenio fuisse charitatem unius Sacerdotis, qui quotidiè per annum in Ecclesia spatio unius horæ infantes, qui veniebant, esto, essent tantum duo vel tres, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, confiteor, Symbolum in lingua vulgari, mysteria fidei, preces matutinas, vespertinas, ante & post communionem, & sic paulatim plurimæ familiæ fuerunt, quæ hæc omnia sciverunt.

Et annon tot Sacerdotes & Parochi, qui dictâ missâ & officiis divinis inutiliter tempus perdunt, simile facere possent? Annon timent hæc verba in iis verificanda: *Servum inutilem proiicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 25. v. 30. *Si non pavisti, occidisti*, inquit S. Ambrosius. Quod si animæ pereant defectu instructionis, nonne ratio ab iis exigetur, qui potuerunt eos instruere, nec hoc fecerunt? Si Zelos salutem tuorum parochianorum, tu subindè iis dabis confessarios extraordinarios, uti præcipit eos dari debere Monialibus, quia constat experientiâ, plures parochianos commissum aliquod grave scelus nunquam suis parochis fuisse confessos, quia ab ipsis denotandos timent.

Si auctoritate polleas in collegiis civitatis, fac ut præmia, quæ distribuuntur, sint libre devotionis, uti Libri S. Francisci Salesii, Granatensis, Sainct Jare, Meditationes

h de

de Ponte, Pædagogus Christianus, ita paulatim domus spiritualibus libris replebuntur.

Magna facilitas absolvendi eos, qui sine ulla emendatione relabuntur in eadem peccata, eos fovet in prava consuetudine: quod si iis deneges absolutionem, quousq; aliquam videas emendationem, aut aliqua remedia præservativa adhibeant, tu illos pungis, & corrigis. Experimentum cape, & veritatem videbis. Et quamvis aliqui contradicant, & minitentur se non reversuros, tu tamen in tua obligatione constans mane, quia pro duobus, quos offendis, decem alios lucraberis. Salvator non tantum dixit: *quorum remiseritis peccata*, sed & addidit, *quorum retinueritis*. Ergo quandoq; illa retinenda sunt, cum magna tamen affabilitate, compassione, ostendendo pœnitenti, quod hoc fiat ob ejus majus bonum, & ut tuæ satisfacias obligationi.

Experientia tibi ostendet, quod dulcedo, patientia, mansuetudo, corda & animas Deo, & Parochis lucretur, ubi è contra morositas & acerbitas animos exacerbet, & avertat. *Mites possidebunt terram. Docebit mites vias suas. Humilium & mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. Discite à me, quia mitis sum.* Matth. 5.

Bonus Parochus, si possibile sit, habeat annotatas omnes familias suæ Parochiæ, ut saltem semel in anno cum suo Sacellano eas visitet, nam præterquam quod ita in cognitionem veniat in necessitatem spiritualem, & corporalem earundem videt, an sint in iis scandalosi, libri lascivi & nocivi, tabulæ inhonestæ, an manè vel vesperi Deum simul orent, an sit in iis crux, aqua benedicta, libri spirituales.

Quod si velis scire, quomodo domi tuæ, & in tua parochia debent vivere, lege, & practica insignia documenta, quæ tibi dedit Gothardus Episcopus Gratianopolitanus parochis suæ diœcesis, & meditationes & sermones P. Beuvelet, qui modo sudant sub prælo.

Humillimè & ex toto corde rogo Lectores, ut à Deo rogent misericordiam pro peccatorum maximo, qui dedit hæc documenta, & magnum dolorem, quo doleat, quod illa non practicarit; & qui submittit suum librum, suam personam, suas cogitationes, sententias, & opera hactenus edita, quæ nunc eduntur, & edenda, judicio, & censuræ nostræ Matris sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, extra quam non est salus, & à qua flagito benedictionem, ut vivere & mori possim, velut humillimum & fidelissimum ejus membrum, ac obedientissimus, & indignissimus ejus infans.

DOMINICA



Sermo primus pro Dominica prima adventus.

Levate capita vestra quoniam appropinquat Redemptio vestra. Lucæ. 21.

EXORDIVM.

DUm Propheta Samuel à DEO in Bethlehem missus civitatem ingrederetur, seniores urbis ei occurrentes, summoperè admirati sunt, eumque interrogarunt *Pacificusne est ingressus tuus?* Qui respondit pacificus, *ad immolandum Domino veni.* Nullum est dubium quin hodierna missio, quâ Verbum à Patre mittitur in mundum, quam missionem hodie sacra Ecclesia celebrare incipit, & cujus accelerationem instanter rogat sit pacifica, utpote facta in eum finem, ut homo cum Deo reconcilietur, unde et is qui missus est vocatur Rex pacificus. Nos concionatores legatione pro Christo fungimur, ut igitur missionem meam, qua hac Dominica prima adventus mittor, ostendam esse pacificam, declarabo missionem quâ concionatores mittuntur esse pacificam, hoc est, esse effectum amoris Dei, & electionis nostræ ad gloriam. 1.Reg.16.

 Quod

Idea Sermonis Quod missio, ejusque bonus usus signum sit prædestinationis.

I. PRima missio, cujus sacrum meminit Euangelium, hisce exprimitur verbis: *Missus est Angelus à DEO.* Missio expressio propter te & ad te facta, ô Virgo sanctissima. Homines mittuntur ad homines, homines fragiles, ad homines peccatores, Moyses ad Pharaonem, Nathan ad David, Daniel ad Nabuchodonosorem: Verùm quia tu eras purior, sanctior, cœlestior, & magis Angelica quam ipsimet Angeli, unus supremorum Seraphinorum ad te mittitur, qui admirans raras, & excellentes perfectiones, quas tam natura, quam gratia in te recondiderant, & thesaurizaverant, humili respectu & reverentia illas honorat, se prosternendo pedibus tuis, & hinc te salutando verbis: AVE MARIA &c.

PUNCTUM PRIMUM.

Quod bonus usus missionis effectu sit prædestinationis. Probatur scriptura, patribus, rationibus, experientia.

II. ANgelicus S. Thomas, cujus profunda & salutaris doctrina nobis erat pro ductore, & face in omnibus nostris discursibus, loquens de effectibus divinæ providentiæ ansam nobis præbet considerandi, quod prædestinatio vera sit missio, causa, scaturigo, principium & origo omnium missionum temporalium, quæ unquam factæ fuerunt, vel fient usque ad consummationem sæculorum. Prædestinatio, dicit magnus hic Doctor est ablegatio, missio & transmissio creaturæ rationalis, ad beatitudinem cœlestem. *Transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam.* Ad cujus intelligentiam adverte cum sancto hoc Doctore, quod proprium providentiæ sit conducere omnes res ad ultimum ipsarum finem, per media convenientia, cum vero vita æterna, ad quam homines pervenire velint ut suam adipiscantur salutem, finis sit supernaturalis, hoc est superans vires, & conatus naturæ illorum, necesse est ut Deus illos eo mittat, transmittat, & transportet per gratiam suam: Ut equum hinc Parisios transire facias non requiritur nisi ut in viam constitutum frœno conducas & dirigas; sed ut sagittam hinc in illum, vel illum locum ire facias, cum oculis careat quibus illum videat, vita & motu ut illuc perveniat, necesse est ut sagittarius illam mittat, dirigat, & evibret versus scopum per motum arcus. Comparatio hæc S. Thomæ est. Ad conducenda animalia, aliasque creaturas irrationales ad ultimum ipsarum finem, qui est conservatio vitæ ipsarum, & servitium hominum, non requiritur nisi providentia naturalis, quàm Deus exercet in œconomia & directione hujus mundi; Verùm ad dirigendos tum Angelos, tum homines ad gloriam cœlestem quæ superat illorum cognitionem, illorum poten[illegible], merita, & inclinationem naturalem, necesse fuit ut Deus

1.p.q.23. art.1.

Deus illos destinaret, quod bonam pro iis habuerit voluntatem, decretum, pro illis fecerit, & conceperit intentionem in ideis, & prænotionibus suis æternis. Cùm vero una pars Angelorum per rebellionem contra Deum, & tota natura humana per peccatum primi hominis se reddiderunt indignos tanto favore, & tam sublimi honore; Deus, postquam exercuisset justititiam rigorosissimam contra apostatas Angelos, misericordiam exercere voluit erga hominem perditum, & intuens eum oculo favorabili resolvit mittere unicum filium ad ejus redemptionem spiritum sanctum ad illum sanctificandum, Apostolos ad illum convertendum, Pastores & Prædicatores ad illum instruendum; instituere sacramenta, aliaque media valde convenientia ad illum à peccato retrahendum, & ad cœlum conducendum. Hinc patet, quod quamvis prædestinatio in Deo actus sit purissimus, simplicissimus, & omni carens compositione, nihilosecius secundum exiguum nostrum intelligendi modum, tres contineat, & comprehendat actus, ob quos sacra scriptura animabus electis tria tribuit nomina; Primum est, quò ex amore ardente, ex voluntate antecedente, quam habuit Deus ab omni æternitate beatitudinem conferendi creaturis intellectualibus, id est Angelis & hominibus, Beati vocantur prædestinati, hoc est, ad gloriam ante mundi constitutionem destinati; secundum S. Paulum *Cum nondum aliquid boni, aut mali egissent*, sed *secundum propositum voluntatis suæ*: hoc est, gratuito, ex libera voluntate, independenter à scientia, quæ appellatur visio, sive providentia.

S. Thom. 1. p. q. 23. an-ti 4.

Rom. 9.

III. Secundus actus est electio, quàm Deus de certis facit animabus, eo quod ad illas affectum, & inclinationem gerat specialem, volens illas separare de communi, & extrahere de massa corruptionis, & constituere objecta suæ misericordiæ, suorum favorum, & benevolentiæ particularis, hinc prævisò peccato primorum parentum, prædestinati vocati sunt electi, vasa electionis, vasa misericordiæ; & si inquiras cur potius hic quam ille electus sit? Respondet D. Paulus: *O altitudo divitiarum*. Respondet S. Augustinus: *Noli investigare, si non vis errare*. Respondet S. Prosper. *Non studeamus habere cognitum quod voluit esse secretum, & ubi non licet investigare, quare ita judicet, sufficiat scire quis judicet.*

IV. Tertius actus est prævisio, & præparatio quam Deus in Spiritu suo fecit de gratiis necessariis ad hoc intentum, de mediis propriis, & convenientibus, ad conducendos animos electos ad gradum gloriæ, & beatitudinis ad quem vocati sunt, hinc Jesus illos nominat benedictos Patris sui, benedictiones enim Dei, beneficia sunt.

Verum est, prout docet Ecclesia, solo Deo cognitum esse numerum animarum beatarum, suo tempore ad beatitudinem cœlestem admittendarum, secundum illud Ecclesiæ: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus*. Nam ipse solus infallibiliter novit an talis vel talis futurus, vel futura sit de hoc numero: *Dominus novit, qui sunt ejus*. Verum si cognosci possit causa aliqua per cognitionem suorum effectuum, dico quod missio magnam tribuat conjecturam, & signum proba-

probabile vestræ prædestinationis, si illa bene utamini. Huic adstipulabimini veritati, si consideraveritis quod missio bene recepta, & congruenter usurpata, effectus sit, trium actuum supradictorum, in quibus continetur finis, & œconomia tota prædestinationis.

PVNCTVM PRIMVM.

Missio est affectus emoris Dei probatur primo Scriptura, secundo Patrib⁹ tertio rationibus, quarto experientia.

II. Primus actus est amor Dei erga nos, & missio ejus est effectus: audite illũ per Ierrem. 31. Prophetã Jeremiã loquentem: *Charitate ꝑpetua dilexi te, ideò attraxi te miserãs tui.*

Rom. 10. 13 S. Paulus pulchros facit gradus, per quos nobis explicat diversos annulos, & catenulas quibus componitur catena hæc mysteriosa, qua utitur Creator noster ad lucrandas, & attrahendas animas prædestinatorum; Didicimus à S. Petro, quod omnes qui invocant nomẽ salvatoris salvi erunt; evidens est quod nõ intelligat de omnibus illũ taliter qualiter invocantibus, Nã Jesus dicit: *Non* Matth. 7. *omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Intelligit ergo de illis qui invocant illũ cum fide, pietate, humilitate, fervore, devotione, & perseverantia, quã Deus à nobis requirit.

D. Thomas dicit: *Invocare, est Deum in se vocare per affectum, & devotum cultum.* Ad invocandum ergo illum hisce dispositionibus, oportet illum cognoscere per fidem; nam illum invocamus, prout illum Cognoscimus; si illum cognoscimus, & apprehendimus tanquam infinitè magnum, potentem, sapientem, bonum, amabilem, timendum; invocamus illum magno cum respectu, profunda humilitate, fervore devotionis. Per fidem illum cognoscere nequim⁹, nisi nobis annuntietur, & prædicetur, nemo autem illum dignè, & legitime prædicare potest sine missione, cum nec ipse filius Dei, nec Spiritus sanctus in mundum venerint nisi per missionem. Filius missus est à Patre suo: Luc. 4. *Ad euangelizandum pauperibus misit me.* Spiritus sanctus missus est â Patre, & Filio: *Quem mittet Pater in nomine meo:* Ioan. 14. *Cum assumptus fuero, mittam eum ad vos.* Missio ergo legitimos constituit Prædicatores; Prædicatores annuntiant verbum Dei; Verbum Dei excitat fidem, fides illuminat Spiritum, ad cognoscendam magnitudinem, & alias perfectiones Dei, hæc cognitio facit ut digne, & devote invocetur, taliter illum invocando meremur salvari.

Verum est quod prædicationes, quæ fiunt in Adventu, & quadragesima, non fiant, nec fieri debeant, nisi per missionem; Verum fieri potest, & sæpe fit, quod non sit Deus, qui vos ad illos trahit; sed consuetudo, societas, curiositas, pruritus audiendi conceptus altos, & sublimes, discursus curiosos, phaleratos, politos. Verum si consuevistis audire prædicationes simplices, familiares, populares, in quibus proponitur verbum Dei purè, nudè, sincerè, sine fuco, sine arte, sine eloquentia humana, & mixtura curiositatis: prædicationes quæ adulatione non demulcent, sed pungunt; quæ increpant, quæ invehuntur in vitia, quæ vos excitant ad pœnitentiam, & replent amaritudine; certè plus quàm probabile est quod sit Deus, qui vos ad illos trahat, quod sit Deus, qui vos vult convertere, quod sit Deus, qui vobis dicat in affectu; *Charitate*

tate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. Unum è signis evidentioribus quod Pater filio suo demonstrare potest affectum quem erga illum gerit, & desiderium quò ipsius quærat commodum, est, si illũ addiscere faciat professionem vel artem; si illum mittat ad aliquam A- *Episti ad Rustii* cademiam, ad aliquod collegium, vel aliquem artificem.

Accommodè dicit S. Hieronymus: An non res est deploranda videre, quod nulla ars tam sit vilis, nullum opificium tam abjectum quod quis per seipsum addiscere queat, & ad quod addiscendum non egeat Magistro? Et tamen artem boni Christiani, scientiam sanctorum, scientiam salutis nos addiscituros putamus sine magistro, & ductore.

Verùm, ut cognoscamus missionem opus esse Dei summopere ad salutem nostram necessarium; solum considerandum est, quod inimicus Dei, & salutis nostræ, omnem moveat lapidem ut illam impediat, denigret, odiosam reddat, effectus ejus impediat, fructus perdat, & annihilet, quod ipsum in omnibus retro missionibus molitus fuit; quamprimum enim Deus suos ablegat missionarios; continuò mittit & suos, emissarios suos in campum educit; suppositirios, & Janizaros suos adornat, ut munitionem *Exod.* contra molimina excitent verorum missionariorum. Deus mittit Moysen ad Pharaonem, ut ipsum, & totum ipsius regnum convertat; Sathan illi opponit Magos, qui eadem apparentia patrent miracula.

VI. Mittit Deus Eliam, aliosque Prophetas, ut invitent Israelitas ad pœnitentiam, retrahant ab Idololatria, aliisque criminibus iram ejus provocantibus: Sathan fallos mittit Prophetas, qui adulentur Regi, & populo mendacibus promissis. Primus missionarius Legis gratiæ est Jesus, Pater illum mittit ut homines doceat sanctam suam voluntatem, & in viam dirigat perfectionis: Sathan suscitat Scribas, & Pharisæos, qui habebantur pro doctis, devotis, & spiritualibus in tota Synagoga; hi contradicunt Salvatori, illum vocant seductorem, conantur illum capere in sermone, observant ipsius conversationem, tandem affigunt patibulo.

S. Petrus mittitur Romam, tanquam urbem mundi capitalem, ut illam convertat ad fidem, & per illam provincias reliquas, Sathan eodem tempore suum emittit missionarium, Simonem æque bene, ac Petrum nominatum. Simon Magus dementat, & decipit populum fictis miraculis: Sed cur in his probandis tam longe imus? Non crederetis inventiones, & artificia, quibũs usus est ad oppugnandas, & evertendas missiones hujus temporis. Quandoque nonnihil ante inchoatam missionem in urbem venire fecit circumforaneos, Comœdos, & dum conquereremur & sciscitaremur à Consulibus, Cur Domini mei permittitis ut Diabolus missiones suas huc ableget, eodem tempore quo Deus mittit suas? Responsum: Quid volumus, dedimus ipsis verbum nostrum; jam impedimenta, & instrumenta huc venire curarunt. Alia vice persuasit popvlo Missionarios esse homines à Rege, & Cardinale missos ad investiganda cujusque media, ad imponenda tributa secundum illorum relationem. Procuravit itidẽ ut ipsi Concionatores publice declamarint contra missionem, & contra veram Doctrinã, ab illis traditã.

In aliis locis per Urbem submittit susurrones, qui murmurant dicentes: Quid opus hac missione? annon sufficientes per annum habemus conciones? si vero illam impedire nequeant, saltem illius destruunt effectum. Dum animæ quædam tanguntur, & ut perfecte convertantur, deserere volunt vanitates suas, politias mundanas, Visitationes superfluas, & ornamenta Vana: hi sunt scrupuli (dicunt) qui Vestris imprimuntur capitibus, hoc est nimis esse devotum, & rigorosum; non estis religiosi, non oportet esse tam austerum, non est desperandum de mundo: Et quidem cum Deus prævidisset, & destinasset ab æterno ablegare Missionarios in tali tempore, & ad talem Parochiam; Diabolus econtra prævidit & præparavit à longo tempore obstacula, & imdedimenta ad annullandum Dei conceptum, & se opponendum conversioni, & sanctificationi animarum.

Sic enim argumentatur apud semetipsum: Missio exequetur in tali tempore, in tali parochia; si talis, & talis prædicationi intersit, infallibiiiter tangetur, suscitemus ergo illi processum, ut obligetur adire Burdegalim. Talis, & talis vivunt simul, sibi invicem occasio sunt peccati, vel unus, vel ambo ibunt ad Confessionem, obligabuntur ad separationem, quò perversa ipsorum dissolvatur amicitia. Quid faciam? Audite quæso, tribus mensibus ante missionem cessat à tentando, permittit ut simul adinstar fratris & sororis Vivatis, absque minimo impuritatis experimẽto, ut, cum ad confessionem, veneritis, dicatis: Verum est mi Pater, male simul Viximus; sed gratias DEO, modo abstinemus, & quidem à tribus, mensibus non amplius cogitamus. *Si* Confessarius non sit valde cautus, & providus, dabit vobis absolutionem absque obligatione separationis mali consortii; ast quindena post Missionem Sathan reaccendet ignem sopitum, & inibitis Vias antiquas.

Hi sunt astus ordinarii, & subtiles inventiones quibus utitur Diabolus, ad impediendos fructus missionis, & *ut inducantur in errorem si fieri potest, etiam electi.* Prout dicit Jesus. Ita ita *si fieri potest.* Nam in vanum molitur, & frustra laborat, nihil lucrabitur, dicit enim Jesus de ovibus suis: *Nemo illas rapiet de manu mea.* *Matt. 24.* *Ioan: 10.* *Isa: 46.*

Protestatur insuper per Isaiam: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Hoc ipsum experientia demonstrat. Videmus enim quod qui assidui, & attenti sunt Concionibus, homines sint honesti, animæ devotæ & spirituales; Illi autem qui magis indigent, rariùs tamen comparent, sunt ignorantes, Vitiosi, dissoluti, & reprobi, hi illas abhorrent, & spernunt; Et de his spiritualibus divitiis dici potest, hoc quod Poeta dicit de temporalibus.

Semper eris pauper si pauperes Æmiliane,
Nulli dantur opes nunc nisi divitibus.

Hoc nos insensibiliter ducit ad secundum discursus punctum.

PUNCTUM SECUNDUM.

Ostenditur quod missio sit effectus electionis, nam electis mittuntur missionarii, nam reprobi non adsunt

ſunt concionibus, vel ſi adſunt non audiunt attente, non credunt non redigunt ad praxim, immoquandoque reprehendunt.

OStenſum eſt bonum miſſionis uſum, animas electas trahere è maſſa corruptionis, illas ſeparare & diſtinguere à cõmuni per gratias omnino particulares: Nam Deus miſſionem non deſtinat ad reprobos, vel ſi ad illos deſtinatur, illi non aſſiſtunt, nec veniunt ad prædicationes; Vel ſi aſſiſtant, non attendunt; ſi vero attente auſcultent, fidem dictis non adhibent, vel non retinent ea quæ dicta ſunt, & una intrant, alia egrediuntur aure: Vel ſi retineant, in praxin non redigunt, cenſurant, ſyndicant, imo contradicunt; Verbum Dei
Pſal. 67. comparatur pluviæ, & rori: *Pluviam Voluntariã ſegregabis Deus hæreditati tuæ. Concreſcat ut pluvia doctrina mea: fluat utros eloquium meũ.* Verũ eſt, rorem, qui ſingulis auroris in mẽſe majo diſtillatur & torrentes inundantium pluviarũ in æſtate quandoque decidentes, proficuos eſſe terræ; ſed ad illam magis reddendam fertilem, ut profundius irrigetur, & aqua penetret usque adfundum & ipſam radicem plantarum: conveniens eſt, ut ſæpè integris pluat ſeptimanis, mane, Sero, & meridie & quaſi continuo; Verum eſt quod ſermones, qui fiunt mane in quadrageſima, quod torrentes eloquentiæ qui detonant diebus Dominicis, & feſtis ſolennioribus, plusquam ſalutares, & proficui ſint fidelibus animabus; Sed dum fiunt Conciones, Catechiſmi, & doctrina Chriſtiana mane, ſero, & meridie, Vno aut altero menſe ſine interruptione; prædicationes dico, morales, familiares, cujusque conditioni, & capacitati accommodæ, veritas profundius penetrat, & diutius Spiritui, & cordis centro inhæret,

Pluvia hæc vocatur Voluntaria, cùm indifferenter non omnibus communicetur, ſed hominibus bonæ voluntatis, hoc eſt dicere illis qui ſunt objectum benevolentiæ, & bonæ voluntatis Dei: *Secundum propoſitum bonæ Voluntatis ſuæ.* Miſſionarii comparantur Nubibus: *Qui ſunt iſti qui ſicut nubes volant?* Aſt nubes non profundunt pluviam in omnes Provincias, ſed jam in hanc, jam in illam, ſecundum quod providentia Dei illas miſerit.

VI. Eſt igitur hæc pluvia de qua loquitur Propheta: *Segregabis Deus hæreditati tuæ. Vos elegit Deus in hæreditatem ſibi.* Vera hæreditas Jeſu, hæreditas ipſius electa, dilecta, immutabilis, æterna eſt Pſal. 15.
pars prædeſtinatorum, de quibus dicit: *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Huic parti, huic hæreditati propriè hæc mittitur & reſeruatur pluvia: *Annuntiat Verbum ſuum Jacob, non fecit taliter omni nationi.* Verum eſt reprobos eſſe de Eccleſia, eſſe in Eccleſia, ſi ſint Catholici, ſicut palea eſt cum frumento in horreo patris familias, hirci cum ovibus in ovili, mali piſces cum bonis in reti, Vaſa ignominiæ cum Vaſis honoris in domo, Virgines fatuæ cum ſapientibus in ſocietate; in hac qualitate frui poterunt hac pluvia; Sed illa uti nolunt, fugiunt & abhorrent bonas prædicationes. Nam hæ illis amaras reddunt ſenſibiliores, & magis faſcinantes delitias, per minas judiciorum Dei, & apprehenſionem infelicis æternitatis, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

um. Dum media nocte in silua constitutus facem accendis, aviculæ cœliturmatim aduolant; Lupi, Apres, Tygres Vulpes fugiunt. Dum invenitur prædicator qui purum prædicet verbum Dei, & toti mundo dicat veritatem, animæ electæ accurrunt; Qui vero sunt fures sicut Lupi, Carnales sicut Apres, Crudeles in domibus suis sicut Tygres, astuti, & Vafri sicut Vulpes non assistent, cum ipsorum de-
Ioan. 8. ff tegantur Vitia: *Non veniunt ad lucem ut non arguantur opera eorum.* Vel si assistant, est, ut faciant sicut alii, & ne notentur tanquam impii, non advertunt, non attendunt, Spiritum habent aliis cogitationibus dissipatum. JEsus ansam habet illis dicendi sicut Scribis, & Pharisæis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea Vos non auditis, quia ex Deo non estis. Oves meæ Vocem meam audiunt.* Prædestinati enim conciones audiunt cum auiditate, & attentione.

X. Verum non solum illas audiunt, sed & iis fidem adhibent, illas approbant, illas recipiunt cum delectatione, Lumen habent Spiritus Sancti, ut cognoscant puram esse veritatem quæ prædicatur; non dicunt cum reprobis: hæ sunt hyperboles, exaggerationes, & amplificationes ad terrendum mundum. In actibus Apostolorum legitur quod
Act. 13. v. 10. cum S. Paulus prædicationem energia plenam fecisset Antiochiæ Pisidiæ: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad Vitam æternam.*

Eodem modo Animæ bonæ, dum videtes veritates prædicatas maximæ esse consequentiæ pro salute æterna, non sufficit illis eas audire, credere, & approbare, verum illas etiam retinent, ruminant, meditantur, considerant, & sibi applicant. Vide quæso, quomodo in aliquo agatur consortio, in quo quidam, qui fuit Romæ enarrat iter suum, describit Civitates quas pertransiit, Vias periculosas, monetam inibi receptã, sicut & rejectam; si quis intersit, Cui Romam petere in animo non sit, respicit hæc quasi indifferentia, ex parte illis attendit, imó obdormiscit, vel alia cogitat: si vero quispiam intersit qui resolvit videre Romam; aures arrigit, ab ore loquentis pendet, pugillaribus inserit viam tenendam, pericula evitanda, monetam receptam Pari modo, dum prædicator ex parte Dei docet viam paradisi, tentationes, & vitia per quæ deviamus, Virtutes esse opera bona ibidem tum recepta, tum recompensata: Reprobi nunquam eo perventuri, audiunt hæc per modum transeuntis, è memoria illis elabuntur statim ut Ecclesia egressi sunt. Prædestinati vero, quibus animus est, quocunque tandem pretio eó contendere, erigunt Spiritus ut bene intelligant, nec verbum excedere permittunt, omnia perfecté pugillaribus cordis imprimentes.

XI. Ast non solum illa retinent, sed & bene utũtur, & in praxin redigunt. Sertarius, sive florilegus, & Apothecari⁹, in campo sæpius eundem ingrediuntur hortum, verum non eadem intentione, nec eodem successu, Sertarius non quærit nisi flores vel pulchros, vel suaveolentos, ut Tulipas, cariophyllos &c. ad vendendos, vel eorum odore ad tempus reficiendus; hi vero flosculi transeunt tanquam nihilum, & spatio trium, aut quatuor dierum flaccescunt

cunt: Apothecarius vero decerpit absynthium, Chicoream Silueſtrem, non ut delitias indę hauriat, ſed ut ex iis conficiat Syrupum, electuarium, aquas diſtillatas, Vinum abſynthiacum, ad conficiendas purgationes, ad calefaciendum hepar, ad fortificandum cor: hoc ipſum agitur de Concionibus; quidam accedunt ut decerpant aliquos floſculos, figuras Rethoricas, Margaritas gallicas, pulchros conceptus, ut illis pro occaſione utantur, & minutim in conſortiis divendant; Alii tanquam prædeſtinati, non quærunt hos loquaculos, ſed decerpunt textum ſcripturæ, veritates evangelicas, conditiones veræ pœnitentiæ, quantumvis amaræ, & ingratæ, ex his faciunt electuaria, conſervant illas in memoria, reducunt in praxin ad purgandam conſcientiam, ut incaleſcant in amore Dei, ut fortificent ſuas voluntates, & propoſita bene illis utendi: Quid ſcio, forte ſicut apes è floribus ſugunt mel, & Cantarides Venenum; ſic loco, quo animæ bonæ veniunt ad ſermones, ut ex iis trahant mel devotionis; Vos veniatis corde felle repleto ad explorandum, cenſurandum, ſyndicandum, reprehendendum, & mutandum omne quod dicitur in venenum, & in conſortiis veſtris ridendum, & diſcindendum, quod eſt miniſtrum agere, & ſuppoſitum Dœmonis, hoc eſt ipſius propoſita complere, hoc eſt in ruinam agere unum è præcipuis, & ſalutarioribus mediis, quæ providentia elegit divina, pro ſalute prædeſtinatorum, & pro completioue prædeſtinationis, quæ eſt verbum Dei bene diſtribuere, bene recipere, & bene impendere.

Nam quemadmodum Deus creavit hominem ſolo verbo omnipotenti, *Feciſti omnia Verbo tuo.* Sicut illum redemit verbo ſuo incarnato, ſicut illum ſanctificat per verba ſacramentalia; ſic & conſuevit homines convertere, & ad perfectionem adducere per verbum ſcriptum, vel prædicatum. *Lex Domini inmaculata convertens animas.* Nam remediũ efficaciſſimũ ad reducendas animas errabundas, eſt verbum Dei. Econtra, tanquam pœnam maximam minatur animæ reprobæ, ſub ſymbolo vineæ deſertæ: *Nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Sic minabatur Jeroſolymæ: *Auferet Dominus à Jeruſalem Prophetam, conſiliarium, & ſapientem.* Minabatur terræ famem, non panis & aquæ, ſed verbi Dei. Dicens *Mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum* Domini.

Sap. 9. Pſal. 18. Iſai. 5. Iſai 5.

Dum infirmus nullum amplius, vel ſumit nutrimentum, vel illud rejicit, deſperatus eſt. Dum puſio materna renuit ubera, de illo actum eſt: Cum anima Chriſtiana negligit audire verbum Dei, aut illud auditum ſpernit; proxima eſt reprobationi: *Percuſſus ſum ut fœnum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Hæc mihi addunt lumen ad intelligentiam loci alicujus S. Auguſtini, qui mihi alias difficilis intellectu videbatur, & eſt hic: *Quanta ſolicitudine obſervamus, quando nobis Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat.* Hoc ipſum quod iisdem terminis dixit Origines. Inſinuare volunt verbum Dei utilius, conducibilius, & ſalutarius eſſe animæ peccatrici, quam ſancta ſit Euchariſtia. Dum enim in malo exiſtis ſtatu, &

Pſal. 101. Hom. 26. ex 5. Hom 13.

ſanctum recipis ſacramentum, venenum tibi eſt, mors animæ tuæ eſt, judicium, & condemnatio tua eſt; *Mors eſt malis. Iudicium ſibi manducat*, quó ſæpius recipis, eó magis deturparis, & ſordidaris: è contra ſæpe accidit quod Verbum Dei maximos convertat peccatores, & ſanctificet animas omninò induratas. & deſperatas.

Hinc Eccleſia olim vetabat ne Catechumeni tremendis aſſiſterent myſteriis: ab illis proſcribebat Iudæos, Paganos, aliosque infideles: ſemper autem permiſit quibuscunque aſſiſtere verbo Dei, Catechumenis, Iudæis, Paganis, imò ipſis interdictis, & excommunicatis, prout habet. *Cap. reſponſo, de ſententia excommunicat.*

Concluſio Exhortatio ad bonum uſum per recapitulationem

Heb. 12. In hoc ergo negotio cum S. Paulo dicendum, & monendum: *Ne quis deſit gratiæ Dei.* Hæc gratia miſſionis nulli hujus denegatur urbis, nullus ergo illam rejiciat; Viva, aperta, & toti mundo patens eſt ſcaturigo, omnes ad illam accurrant, & lavandi, & ſitim expleturi.

Ne gratia hæc vobis reddatur inutilis, de omni corde adorate miſericordiam Dei, charitatem & amorem æternum, quem habuit pro vobis, & pro veſtra ſalute; quam per hanc teſtificatur miſſionem; rogate illum ut impediat artificia Sathanæ, qui molitur ejus impedire fructus, ut vobis aperiat mendacia ſuppoſitiorum, quos mittet Sathan, & in opus ſuum applicabit.

Intimo, & maximo affectu gratias, referte DEO, de gratia tam ſingulari, quàm exhibuit vobis: Et, quod, *non taliter fecit omni nationi.*

Ah quot pauperculi infideles reperiuntur in Turcia, Japonia, China? Quot miſelli ruſtici qui degunt in montibus, & Villis diſperſi, lucrum facerent? Quot Catholici in Anglia, Hollandia, aliisque hæreticorum partibus magno pretio ſalarium pendunt ſacerdoti ut ex ore ejus audiant verbum Dei? Res tam pretioſa vobis nihili conſtat, ne contemnatis illam. Aſſidui ſitis, & diligentes veniendo ad Conciones, Catechiſmos, doctrinam chriſtianam, facile aliqua die tantum temporis recuperabitis, quantum labori diurno demetis, nam magna eſt apparentia, quod nunquam tam inſignem habebitis occaſionem addiſcendi ea, quæ ſcire obligamini pro veſtra ſalute.

XIII Dū ſermoni aſtiteritis, ne diſtrahatis Spiritum veſtrum vanis, & mundanis cogitationibus, ſitis attenti, & applicate Verbum Dei, non per Spiritum curioſitatis, ſed deſiderium proficiendi. Venimus ad hanc miſſionem, non ad ſatisfaciendum Spiritibus curioſis, ſed ad inſtruendos humiles, & dociles, non ut venales exponamus pulchras cogitationes, & ſublimes conceptus, ſed ut vos doceamus virtutem: *Non in ſublimitate ſermonis, ſed in oſtenſione Virtutis.* Non ut vos reddamus doctos, ſed ut vos convertamus; Non ut vos faciamus contentos, ſed vos ſanctificandos, non ad demulcendas aures, ſed tangenda corda. Dum vobis propoſuerimus veritatem aliquam, nonnihil mortificantem, videte ne ſitis increduli, nec dicite cum Capharnaitis: *Durus eſt hic ſermo*, nec cum Judæis apud Iſajam: *Loquimini nobis placentia.* Ne ſitis de numero eorum de quibus dicit *Sanam* Pſal: 30.

2. Tim. 4. Isa: 3. *nam doctrinam non sustinebunt, sed à veritate auditum avertènt.* Nec de illis quibus dicebat Isaias: *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Nec de illis quos admonendo dicebat Jeremias: Thren. 2. *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta,* Luc. 8. *nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Nec de illis, de quibus loquitur Jesus: *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum ne credentes salui fiant.* Ne permittatis quod Concione absoluta, suppositius quispiam Diaboli, vos conducat ad deambulandum, confabulandum, ludendum, aut alias temporis fallendi gratia nugas: quæ deleant in vobis bonas dispositiones conceptas: Sed potius secedite in angulum aliquem Ecclesiæ, vel cubiculum Vestrum ad considerandа quæ audistis, ruminata illa, contemplamini desuper, fatemini vos bene convictos, & conamini deducere in praxin audita. Nam Jesus non dicit beati quibus sufficit audire Verbum Dei, sed qui audiunt & custodiunt. Cavete ne sitis terra illa, de qua S. Paulus dicit. *Terra sæpe super venientem bibens imbrem, proferens autem spinas, reproba* Hebr. 9. *est, & maledicto proxima.*

Si vos proficere non velitis ex missione, ad minus non impediatis alios, nec destruite in illis opus Dei, nec divertatis illos ab audienda concione, nec minuite in illis fidem auditorum: Job dicit quod qui resistunt Lumini, non obtinebunt misericordiam. D. Paulus 2. Tim. 3. dicit, quod *qui resistunt veritati, homines sint corrupti mente,* & tandem subjungit: *Vltra non proficient.*

Timendum sane, ne verba hæc verificentur in vobis, nam in missione tot sunt motiva, media tam potentia, facilia, commoda, & efficacia ad conversionem, quod maxima sit apparentia, quod illi qui non convertuntur, nunquam convertendi sint: *Vltra non proficient.* Forte hæc ultima erit gratia quam vobis afferre decrevit Deus ut convertamini, & sanctificemini, si sapitis, non abutimini ea. Seponite paucis diebus negotia vestra temporalia, nisi sint valde urgentia, ut vos aliquādiu applicetis seriò spiritualibus, revisionem instituite Vitæ vestræ, Legite Granatensem, vel alium quempiam bonum librum. Meditationibus, precibus, jejuniis, eleemosynis, pœnitentiis particularibus vos addicite, ad obtinendum à Deo bonum missionis usum, Orate illum, ut hanc proficere, & cedere faciat ad gloriam sanctissimi nominis sui, ad bonum hujus Parochiæ, ad æternam salutem animarum prætioso sanguine Jesu Christi redemptarum: Cui sit honor gloria, Laus, amor, & benedictio, in omnia sæculorum sæcula. Amen.

SERMO SECVNDVS.

Pro Dominica Secunda Adventus.

Tunc misit duos de discipulis suis Matt. 11.

EXORDIUM.

QVam primum Sanctus Joannes in carcere immissus audivisset opera Christi ad nos in carne missi, statim sine ulla mora discipulos duos ad Christum misit, ut cum interrogarent an ipse esset missus, vel an alius adhuc ad nos esset mittendus: cum enim juxta Doctrinam Apostolorum & Ecclesiæ, una

ex principalioribus causis, cur Christus ad nos missus sit, sit nostra salus, Sanctus Johannes loquitur ad illam consequendam nos sum opere allaborare debere, cum ille sit finis, & scopus omnium prædicationum Christi, & esse debeat omnium nostrarum concionum, & ideo Johannes sciens illam esse rem maximi momenti, non exspectate quousque veniret è carcere, & Christum adiret, sed misit suos discipulos, sciens illam rem maximi momenti esse. En hunc finem declarabo hodie, quod salus nostra negotium maximæ importantiæ sit.

Operamini Salutem vestram:
Phil. 21.

I. APostolorum, Virorumque apostolicorum missio, continuatio est, sequela, & imitatio illius Filii Dei, qui dicebat discipulis suis: *Mitto vos, sicut misit me Pater.* Agedum, ergo docet nos Ecclesia, & omni die Dominica publice decantare facit Vnam è principalioribus causis, cur Filius Dei descenderit de cœlo, & in hunc mundum missus sit, fuisse propter nostram salutem: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Ad hanc consequendam allaborare debemus, hæc scopus, & finis esse debet omnium prædicationum, Confessionum, Catechismorum, aliarumque missionis actionum. In hunc finem vobis hodiè declarabo, salutem animarum nostrarum negotium esse quam maximæ consequentiæ. Declarabo, inquam, primo rationibus ex parte Dei desumptis, secundo rationibus ex parte hominum, & excellentia animarum eorum provenientibus: hæc sunt ô Virgo gloriosa, quæ nos obligant ad te honorandam, tibique gratiarum actiones referendas. Olim dicebatur Samaritanæ, *Salus ex Judæis est.* Jure potiori nos tibi dicemus: *Salus ex Virgine est.* Cum non solum ex tua progenie, sed & ex tuo sinu, & substantia Virginali, illum in castis tuis conceperis Visceribus, illum genueris pro redemptione mundi, illi imposueris nomen Salvatoris, Vnde nostram obligaris procurare salutem. *Ecce concipies in utero.* Hoc est quod Angelus tuus dicebat, dum te hisce salutabat verbis: Ave Maria &c.

Idea sermonis
Salus nostra est opus magni
monenti.
PVNCTVM PRIMVM.

SAlus nostra est opus magni momenti, *probatur* primo rationibus ex parte Dei, quia Deus cogitavit de illa quia diu, quia tam ardenter, ut ad illam referat omnia sua opera in ordine naturæ.

Nobilissimas Creaturas in ordine gratiæ suas perfectionts.

Përsonas à se procedentes nempe Filium Spiritum Sanctum.

II. Judicamus ordinarié, & quidem satis rationabiliter, negotium aliquod magni esse momenti, dum illo expediendo magna se impédunt ingenia, longo se applicant tempore, & hoc ardenter, & magno affectu.

Ille qui se impendit ad nostram operandam salutem, Deus ipse est; dum dicimus Deum, totum dicimus: *N*ihil enim tam magnum, tam nobile, tam augustum, tam eminens, nihil ipsi comparabile, aut quod in minimo ipsi pos-

sit assimilari. Templum Salomonis æstimatum fuit miraculum mundi, objectum admirationis, & laudis populi universi; Nam centum quinquaginta tria millia operariorum in eo desudarunt spatio septem annorum. Etsi omnes Angeli cœli, & omnes homines terræ incessanter incumberent perficiendo aliquo opere spatio decem millium amorum, labor hic non tantum demonstraret momentum & importantiam operis, sicut minima cogitatio, quam Deus dignatur habere de aliqua re, demonstret & declaret ipsius magnitudinem, & excellentiam. De vestra cogitavit salute, longo tẽmpore de illa cogitavit, omni tempore de illa cogitavit, imo, ante omne tempus de illa cogitavit.

III. De illa sibi formavit propositum, non propositum in aere, non projectum tantummodo Ideale, & theoricum, sed propositum firmum, propositum totale, & perfectum. Ipse prævidit, præcognovit, & voluit finem illius, & media, direxit, & ordinavit totam illius oeconomiam, ipse præparavit gratiam, Lumen, inspirationes, & occasiones convenientes ad hunc finem: Ipse vobis dicit per Jeremiam: *Charitáte perpetua dilexi te.* Ipse vobis dicet in extremo judicio: *Possidete regnum vobis præparatum ab initio mundi.* Notate illud: *Præparatum.* Vult enim dicere quod ex Deo, est Deus, ab omni tempore, & æternitate, dixit in semetipso: Mittam in muudum talem, & talem: Mittam illum non in Tartariam, non in Chinam, aut Japoniam, ubi non habebit cognitionem veri Dei, sed in regnum Christianum, in regnum Franciæ, Mittam illum, non ad Rupellenses, Bergeratenses, Montaubanẽses, Sed in civitatem Catholicam, in urbem N. Mittã illum in tempore, non quo Pastores ecclesiæ erunt negligentes, sacerdotes ignorantes, & Scandalosi: Religiosi indevoti; Sed in tempore quo curati erunt Vigilantes, & Zelosi, Sacerdotes docti, & virtuosi, Religiosi exemplares, & devoti, Mittam illos tempore Missionis, quo erit commoditas illa addiscendi, quæ erunt salutis, dabo illi tales, & tales inspirationes.

Ier. 31. *Matth.* 25.

Dicit S. Augustinus in suis Confessionibus, quod quondam Libertini quidam cavillantes fidem Ecclesiæ, docentem mundum non esse æternum, interrogarint Catholicos, quid fecerit Deus, antequam creaverit mundum? In quo se occuparit tanto tẽ pore, quod præcessit creationem? Quidam respondebant quod præparaverit pœnas animabus libertinorum, tam curiosa quærentium. Respondebant alii, Vos quæritis in quo se tam longo temporis spatio Deus occuparit; Eratne ergo tempus ante creationem? Tempus est mensura motus, motus supponit creationem, ergo ante creationem non erat tempus; Discite misselli melius formare vestram quæstionem, & nos videbimus quomodo respondeamus. *Lib.* 11, *c.* 12

Responsa hæc optima erant ad occludendũ os superborum, qui omnem volunt videri devorasse sapientiam. Verum Spiritu humili, & docili responderetur: Quod Deus ante creationem mundi hoc ipsum fecerit, quod faciet in omnia sæcula; contemplabatur

tur semetipsum, amabat semetipsum, delectabatur in possessione, & fruitione suarũ magnificentiarum & perfectionum infinitarum generabat Verbum suum, producebat Spiritum Sanctum, hisce adjungere possumus, quod vere est mirandũ, nimirũ quod eodem tempore, in eadem æternitate se applicarit ad vos considerandos, ad vos amandos, ad vestram salutem concipiendam, & his considerationibus divinis, in his effusionibus, dilectionibus, productionibus, & adorandis communicationibus dignatus fuit immiscere cogitationem, amorem, & dilectionem tam misellæ creaturæ. Non citius oculos suos conjecit in divinam suam essentiam, quam in vos, non citius affectionem habuit erga semetipsum, quam erga vos, non citius produxit Filium suum, & Spiritum Sanctum, quam conceptum, & intentionem Vestræ salutis. Amor quem habuit erga vos, & desiderium vestræ salutis, sunt de eodem dato, si ita liceat loqui, hoc est coæterna amori, quem habuit erga semetipsum, & filium suum unicum, ac perdilectum.

Sed quale amabo desiderium? Desiderium tam cordiale, & ardens, ut opus, & negotium vestræ salutis vocet per excellentiam opus, & negotium suum, Filius ipsius dicebat Discipulis

Ioan. 4. Luc. 2. suis: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Et ad benedictam matrem suam in templo: *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Et in cœnaculo pridie

Ioan. 17. mortis suæ: *Opus consummavi* (O Pater æterne) *quod dedisti mihi ut faciam.*

IV. Ad cujus intelligentiam vobis serviet axioma illud Aristotelicum ipsa experientia verificatum, *Omne agens agit, ut assimilet sibi passum.* Hoc est, agit per instinctum naturalem, inclinationem, & intentionem producendi sibi Simile. Dum sol radios suos evibrat in aerem, vel speculum cristallinum, ideo facit ut illum reddat clarum, & lucidum sicut ipse est, dum ignis agit in lignum, ideo; facit ut illud commutet in ignem, dum hirundo suum construit nidulum, incubat suis ovis, nutrit suos pullos, ideo; facit ut producat hirundines sibi similes, sicut gutta similis est aquæ, dum magister suum instruit discipulum, ideo; fit ut illum reddat doctum sicut ipse est.

Fides catholica recognoscit, & adorat in esse divino duas operationes, operationes, nimirum ad intra, & extra. Veruntamen ecce hic mirabile quid, & particulari considerarione dignum. In operationibus internis, Deus producendo suum simile hic non cessat: generando enim filium suum, qui est imago ipsius perfecta, & ipse character suæ substantiæ, non terminat in hac geratione cursum suarum emanationum, & adorandarum productionum, Nam Ultra generationem Verbi, adoramus in Sanctissima Trinitate processionem Spiritus Sancti. Verum in operationibus exterioribus, quamprimum produxerit suum simile, per consummationem salutis Vestræ, & illam omnium electorum, ibi cessabit. Ex nihilo creavit Cœlum & terram, produxit, Astra, Elementa, Plantas, & Animalia ad seruitium hominis, creavit & conservavit homines ut operentur suam salutem. Nutationem & motum

omnibus confert creaturis, per operationem continuam: *Pater meus usque modo operatur.* Sed quamprimum omnes electi suam operati fuerint salutem, quamprimum ipsum facie in cœlo intuentes, perfectè illi erunt similes, tunc terminabit cursum suarum actionum, motum cœlorum, influentias Astrorum, fœcunditatem Terræ, commercium Elementorum, productiones quoque animalium cessabunt, & finientur, eo quod salus nostra finis, fructus, corona, & complementum sit operum, & actionum suarum.

V. Non solum ita destinavit opera sua in ordine naturæ, sed in ordine gratiæ, in iis occupat præcipuos suos famulos, chariores, & nobiliores suos amicos, & aulicos. Videbis ex una parte stabularium sive Equisonem in equili, qui ad aliud nihil intentus est, quam ut equos, sive mulos strigili purget, & à pulveribus mundet: ex alia parte Angelum in cœlo beatum, nobilissimum, fortissimũ, dexterrimum, sapientissimum, intelligentissimum, cujus omne exercitium est magna reverentia, & respectu assistere divinæ majestati, illique servire. Huic dicit Deus, Vade ad illud equile, morare apud istũ Equisonem, excubias age circa ipsum, impedias ne inimicus nimis furiosis illum aggrediatur tentationibus, caue ne se damnet, procura ipsius salutem, si velit tuis obsequi inspirationibus. Ecce illud Psalmistæ: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* In Hebræo est. *Cone, Malac Adonai; Castrametatur Angelus Domini.* Et sic omnes reliqui Angelici spiritus, in hæc inferiora destinati, non alium in finem ablegati sunt, quam ut salutem procurent prædestinatorum. Unde D. Paulus. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.*

Psal. 33.

Heb. 1.

S. Joannes Baptista, qui Angelus videbatur incarnatus, miraculosè conceptus, in ventre matris sanctificatus, vitam duxit Angelicam, non alium in finem missus fuit, quam ad docendam viam salutis: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Si Apostoli totam percurrant terram, incredibili fervore, & affectu prædicantes evangelium, si sancti Martyres suum profundant sanguinem; si sancti Doctores vigilent, studeant, libros componant: si Prædicatores pulmones exhauriant clamando contra vitia, si Confessarii caput fatigant examinando, & adhortando pœnitentes, totum fit pro nostra salute. Paulus de se ipso protestatur: *Ego libentissimè impendar, & semper impendar pro vestra salute.* Et alibi: *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Et merito. Nam sapiens dicit: *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.*

Luc. 1.

2. Cor. 12.

2. Tim. 2.

Eccl. 7.

VI. Nam ut illius importantiam demonstret, illam toti mundo recommendatam esse voluit: hinc Parocho vestro dicit, recommendo tibi salutem talis, & talis Parochiani, instrue illum, doce illum mysteria fidei, exercitium virtutum. Patri tuo dicit: recommendo tibi prolem tuam, sedulò advigila ne in pravas declinet consuetudines, castiga illum dum juraverit. Fratri tuo: admone fratrem tuum dum errat, & malum operatur. Vicino tuo: Cave ne illi des malum exemplum; Immò, quod

quod plus est, non solum impendit creaturas suas, familiares aulicos suos, etiam ipsas suas divinas impendit perfectiones, & adorandas ab ipso procedentes personas. Nam si exerceat potentiam suam ad patranda miracula, sapientiam suam ad perscrutandas inventiones quibus nos convertat; bonitatem suam ut nos alliciat, Justitiam suam ut nobis minas intentet, providentiam suam ut à nobis amoveat lapidem offensionis, & occasionem peccati; totum est ad procurandam nostram salutem.

VII. Et ut nihil sit nec in ipso, quod ad rem tanti momenti non referatur, filium suum mittit Unicè dilectum, qui seipsum ad illam applicat tanta teneritudine, & affectu, ut hinc suum traxerit nomen: tanto ardore, & Zelo, ut & sudorem & sanguinem suum impenderit: Noluit vocari miraculorum patrator, Dæmonum Victor, mundi subjugator, sed vocari voluit Zelus, Salvator, author salutis nostræ. Illi qui passionatè amant, præter nomen proprium, annulo insculpi faciunt, & nomen amati: Filius Dei salutem nostram scripsit non juxta nomen suum, sed in nomine suo, prout dicit quidam ecclesiæ Pater: *Non amantium more nomen cum suo nostrum, sed in suo scripsit.* Nominis sui recordari non poterit, quin simul nostræ recordetur salutis. Unde quidam devotus: *Recordare nominis tui Domine Jesu, hoc si donas, nihil ultra precor, meministi mei.* Dum ardentissimum, cujuspiam rei desiderium exprimere vultis, dicere assueuistis; Utinam non constaret nisi sanguine meo, libenter ad hoc duodecim vitra sanguinis mei impenderem. Salvator noster hoc non solum dixit. sed & fecit; dedit non duodecim vitra, sed omnem pretiosum sanguinem suum pro nostra salute.

VIII. Cum vero Spiritus Sanctus, consubstantialis sit Filio, & idem Deus cum illo: eundem pro nobis habet Zelum. Dum salus nostra in discrimine versatur, & in peccato Lethali hæremus, quæ non molitur ut nos retrahat; & convertat? Excitat nos, expergè facit, minatur, molestat, incessanter portam cordis nostri pulsat, si illi aperiamus, intrat in animam nostram, in illa habitat, animat illam, regit illam, conducit illam; ipse per illam bona facit opera, ut melius, & perfectius fiant; In nostris orationibus ipse orat, ipse clamat, ipse gemit in nobis, & per nos: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom: 8.
In tentationibus nos adjuvat, in perplexitatibus nos illuminat, in afflictionibus nos consolatur.

In summa, Deus ter optimus maximus, quo nos certiores reddat sinceri, & cordialis desiderii quod gerit pro nostra salute, loquitur de hac re in terminis tam affectuosis, ut videatur salus nostra, salutem ipsius esse propriam. Audite S. Paulum: *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Gal. 4.
Mittens hunc filium suum in mundum, dicit apud Isaiam: *Dedi te in lucem gentium, ut sit salus mea.* Si salutem Dei Isa: 49.
operari staret penes te, & dependeret de te, nonne promptissimè illam operareris? Sanè diceret quis, quod te certum faciat, quod si tuam procures salutem, rem ipsi tam acceptam facias, ac si esset propria ipsius salus: Dic ergo cum Ecclesia, dic cũ sanctis, sed dic in effectu, & cum affectu: *Sit salus illi, salus Deo nostro.*

DVN-

PVNCTVM SECVNDVM.

Idem ostenditur ex parte animæ, quia illa est pretiosa, immortalis, nostra.

IX. VErum enimvero, cum homines tam sint Mercenarii, ut nihil faciant nisi ære, amore proprio, & regressu lucri ad semetipsos: Jesus nobis persuadet curam salutis nostræ motivis è proprio nostro emolumento desumptis, & proprietatibus animæ nostræ, nobis demonstrans illam esse pretiosissimam, esse immortalem, propriè esse nostram; audite quæso illum loquentem, est enim magni consilii Angelus: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.* Græca habent ἀπολέσας, ἢ ζημιωθεὶς ἑαυτόν. *seipsum perdens, aut damno afficiens.*

Matt. 16.

X. Spiritus sanctus per os Sapientis Avarum animam suam venalem habere *dicit; nihil est iniquius quam amare pecuniã, hic enim & animã suam venalem habet.* Hoc supposito dicit Salvator noster: Quam pro illa postulas mercedem? quanti illam facis? decem, viginti, triginta Imperialibus ad faciendum unum antedatũ falsum, testamentum, vel aliam actionem, nigro signandam calculo, O miserum! O miserum homuncionem Puer, es pretiosum das adamantẽ pro pomo: Omnia reconditoria & scrinia auri, & argenti, omnes thesauri universæ terræ, cuncta mundi imperia, pretium animæ tuæ exæquare nequeunt. Apud S. Marcum non solum dicit: *Quid proderit*, nimirum in alio mundo; sed apud S. Matthæum: *Quid prodest*? nimirum in hoc mundo, & vita; quod lucrum, quas delitias, quam consolationem, aut solidam satisfactionem recipietis etiam in hoc mundo, de bonis terrenis, si illa acquiratis cum detrimento, & jactura animæ vestræ? Salvator noster illa appellat divitias fallaces, cum quietem, satisfactionem non tribuant, quam promittunt: Cupiditas tua, quæ alios privat illorum possessione, vos privat illorum usu, & fruitione: Nam secundum illud. *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet*, similes estis Tantalo, ore arido, & sitibundo in medio aquarum; Nam avaro ordinarie contingit, quod malitioso diviti, cujus meminit historia Romana qui vocabatur *Asenius*, vel. *Vidius Pollio.*

Eccles. 10.

Diti∫simus hic erat in bonis temporalibus, & pauper valde spiritu, & virtutibus, inhumanus, & crudelis supra modum. Refert Seneca, quod si quispiam mancipiorum ejus fictile fregisset vasculum mobilium ejus, statim condemnabatur proiici in vivarium domus, ut pro pastu, & cura serviret Mustælis, & aliis piscibus. Hic cum esset amicus, & pullus Jovis Augusti Cæsaris, illum quadam vice domi suæ lautè excipere constituerat: dum apparatur mensa, mancipiorum quoddam accurrit, & pedibus Imperatoris se prosternit, vitam sibi ab illo donari postulans: Quid causæ est? quid peccasti, inquit Cæsar? fictile fregi inquit, & condemnat[9] morior in Vivario, ut fiam esca piscium; detur huic gratia, inquit Imperator & dein postulans bacillum, omnia vasa fictilia in abaco exposita, in oculis istius barbari confregit inquiens

Lib. 1. de Clemens. c. 18.

ens, vade, insanus verè, & fatuus es. Cur tibi in mentem ducis hominem pauperculum condemnare morti ob vile vas fictile? Disce vitam hominis pluris constare, quam totius mundi vasa.

Imperator cœli sæpius hoc ipso procedit modo; Tu teipsū sæpi⁹ viliter adeo deprimis ut imergi merearis, nō vivario aquæ dulcis, sed stagno ignis, & sulphuris ardentis, ut fias esca Dæmonum in omnem æternitatem; oppignoras te damnationi per juramenta, quo melius, & charius vendas per contractus usurarios, exercendo artem rabulariam, injustitias exercendo: Virgam justitiæ prehendit bonus Deus, conterit omnia vasa tua; infortunatus processus tuæ in dicitur familiæ, scintilla ignis in flammam agit villam tuam, actio criminalis, cujus est complex filius tuus, plus tibi consumit una die, quam decem accumulaveris annis. Et unde quæso hæc? Imperator cæli est, qui te docere vult animam tuam præstare totius mundi divitiis: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

XI. In textu græco Filius Dei non solum incusat te, si perdas animam tuam pro bonis temporalibus, verum etiam si minimum ei inferas damnum: habet enim prout superius annotavi: *Animam perdens, aut damno afficiens*; minimum enim damnum saluti nostræ illarum censetur infinitum, & infinities deplorandum, respectu æternitatis, & immortalitatis animæ nostræ. Quamprimum enim æternitas alicui additur rei bonæ quantumcunque exiguæ, illam infinitè reddit meliorem, dum adjungitur rei malæ quantumvis parvæ, infinities illam facit pejorem: exempli causa: delitiæ, sive voluptas unius diei, est aliquod bonum, delitiæ duorum dierum, bonum est duplò majus, delitiæ centum, imo mille dierum, bonum est centies, & millies majus, ergo delitiæ infinitorum dierum, infinitorum annorum, quantumvis exiguæ sint, bonum erunt infinitum, & infinitè desiderandū. Cum ergo minimum opus bonum in statu gratiæ peractum, vobis mereatur, & acquirat gradū gloriæ, gradum gaudii, sive delitiarum, quæ æternaliter durabunt, damnum incurris infinitum negligendo unum sacrum, unā communionem, unum opus misericordiæ, mediam horulam orationis, vel aliam quamcunque actionem virtuosam, per processum quem prosequeris, per ædificium quod moliris, per villam, quam locatam colis, nisi te obligatio, & charitas te ad hoc astringant.

XII. Bona hujus mundi transeunt cum tempore, anima tua æternæ durationis est; bona temporalia recuperari possunt, perditio animæ sine recuperatione est: bona mundana, vestra non sunt, anima vero vestra, propriè vestra est. *animæ vero suæ.* Dicere soletis, qui perdit suum, perdit sensum: & verum dicitis. Verū quis est ille qui perdit suū? Non est ille qui perdit suos ducatos, sua armenta, suam hereditatem. Cum duo sibi associati campum perambulant, & unus habeat canem se sequentem, quādiu simul procedunt, vix dijudicabis ad quem pertineat canis: vis scire cujus sit? separentur ab invicē, unus vadat hac, alter illac, & statim cernes cuj⁹ sit canis, nimirū illius quem sequitur, non alterius quem deserit. Quamdiu in hac degitis vita,

vita, vix dignosci potest ad quem pertineant hæ hereditates, mobilia, domus, ducati, utrum sint mundi, an vestri, cum adhuc sitis cum mundo, sed cum hanc deserueritis societatem, cum mors vos ab ea separaverit, evidenter cognoscetur, quod bona hæc non fuerint vestra, sed mundi, hoc quod vos conferetis, quod propriè vestrum esse dici potest, est anima vestra. Qui ergo perdit animam suam, quid suum perdit, & per consequens sensum perdit, & si capax esset moderandi habenas integri imperii, & si acquireret omnia regna mundi, adhuc sensum perdit, cum enim perdat suum, stultus est, insensatus est, dici poterit illi, quod stulto Evangelico diceba-
Luc. 12. tur: *stulte hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ parasti cujus erunt?*

CONCLVSIO

Expenduntur Christi verba, stulte hac nocte repetent à te animam tuam.

XIII. HAc nocte. Anima vestra immortalis est, ast non corpus, morieris una hac dierum, cum minime cogitaveris, tempore quocunque tandem, si in malo deprehensus fueris status erit tibi nox, annon nox est subobscura, & tenebræ crassæ, non considerare quanti momenti sit salus vestra? Non considerare longitudinem æternitatis, dignitatem vestræ animæ, & quanti illa constiterit filium Dei?

Repetent. Terminus est Juristarum, quo exprimitur animam tuam tibi tanquam depositum concreditam, *depositum custodi.* Nil tam sacrum, inviolabile inter homines, quam fidelitas depositi, & obligatio illud restituendi in eadẽ qualitate, qua illud recepisti, absque ulla diminutione, destructione, vel quacunque alteratione; Poterisne restituere animam tuam in hora mortis tuæ, in eodem statu quo illam accepisti in Sacramento baptismatis? Nonne totaliter sordidata, polluta, & deturpata est? *Repetent.*

Animam. Plus nimium curæ vobis est, ne vel alia amittatis, cum eorum perditio, sive amissio ignominiosa, dejecta, & sensibilis sit: si perdas officium tuum, contemptui haberis; si perdas processum, pars adversa tibi insultat, si perdas bona tua, illarum jacturam experiris, & doles ob paupertatem. Si vero per peccatum perdas animam tuam, hæc jactura tibi parũ cordi est, eò quod illam debitè non apprehendas, est nihilosecius maxima, damnosissima, deploranda, & horrenda: Nam de illa ratio reddenda erit exactissima; Ibi enim ratio non exigetur utrũ processum viceris, proles tuas exaltaveris, in splẽdidis, & divitibus matrimoniis elocaveris, bene excolueris, & limites hereditatum extenderis, sed an decoraveris: & sanctificaveris animam tuam. *Animam.*

Tuam. Legitur quod Secretarius quidam Francisci I. lectulo mortis affixus, lamentando exclamarit: durante vita mea, in servitio Regis scribendo insumi feci mille corbes chartæ, & ignoro utrum unquam bonum horæ quadrantem impenderim pro salute animæ meæ, si visitaret quis registra tua diurna, ibi legeret, tali die emi tale dominium, lucro exposui talem pecu-

niæ summam; sed pro salute tua reperiret Chartam albam. *stulte.*

Stulte. Hoc utitur verbo, ut te doceat, quod si perdas animam tuam, tibi defuturæ non sint exprobrationes, reprehensiones, & horrendæ confusiones: obiiciet tibi Pater æternus: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quid pro salute hominum agere debui, quod omisi? Desideravi illam cum ardore, propter illam destinavi creaturas meas, servos meos, aulicos, sive amicos meos, perfectiones meas infinitas, personas divinas Filii mei, & Spiritus Sancti: Pro ô vos infelices, qui tantis abusi estis beneficiis! unam, unicam mihi denegastis petitionem, quam tanta instantia postulavi, tam honorabilem, & proficuam vobis ipsis, ut nimirum salvaretis animas vestras.

Isa: 49. Conqueretur exprobrando Filius. *In vanum laboravi, sine causa consumpsi fortitudinem meam.* Pro salute hominum missus fueram in mundum, triginta tribus laboravi, & desudavi annis, vitam exposui omnium pulcherrimam, & sanctissimam, in mortem magis infamē, & probrosissimam actus sum, Ah quam malè vobis consuluistis, reddēdo vobis inutilem, & infructuosam Incarnationem meam, vitam meam, labores meos, sudorem meum, lassitudines, meas passionem, & mortem meam, mysteria mea, merita mea!

Adjunget Spiritus sanctus: Tot annorum curriculis conservavi vos in sanitate, præservavi ab accidentibus infœlicibus, tam diu expectavi vos ad pœnitentiam, toties illustravi meo lumine, solicitavi meis inspirationibus, minas intentavi per prædicatores, admonui per Confessarios, reprehēdi per remorsum conscientiæ, taxavi per patrem, & Matrem, corripui per uxorem propriam, & tamen induruisti ad instar incudis.

Addent homines honestæ conversationis: tot bonis vobis præluximus exemplis, cur nos imitati non estis? Fuimus simul in eadem urbe, in eadem Parochia, eadem platea, eadem domo, in eadem fortuna; eosdem audivimus Prædicatores, eosdem habuimus Confessarios, easdem confraternitates, eadem sacramenta: continuò vobis ob oculos versabatur speculum vitæ nostræ, cur illam imitari detrectatis?

Subjungent ipsi Infideles: Ah si Deus nobis exhibuisset favores vobis præstitos! si unquam vidissemus, quæ vos vidistis; audissemus quæ audistis; recepissemus gratias quas recepistis; habuissemus occasiones bene operandi; quas habuistis! Vixistis in regno Christiano, in urbe Catholica, inter tot homines virtuosos, tot, & tam pulchra audistis documenta; Vàh infelices vos, qui tantis abusi estis gratiis!

Concludent parentes: ergone propterea tantum desudavimus? hiccine scopus nostrorum laborum, quod enutrierimus, & educaverimus irreconciliabilem Dei inimicum? Victimam ipsius justitiæ? objectum ipsius furoris? abortum naturæ? monstrum ingratitudinis? mancipium Diaboli? titionem inferni? fomitem flammarum æternarum? Has evitare vultis exprobrationes? Profunde imprimite cordibus vestris, & in praxin redigite pulcherrimam hanc maximam, præclarum hoc

lemma

lemma prudentiæ christianæ, quod Poeta quidam Tragicus his expressit versibus.

Æternitati procudet quisquis sapit.
Creditque vanum quidquid hoc spreto facit.

Hanc sapientiam vobis concedat Deus Pater Filius, & Spiritus sanctus Amen.

SERMO TERTIVS

Pro Dominica Tertia Adventus.

Tu quis es? Joann. 2.

EXORDIVM.

NOtissimum, & solemnissimum est illud antiquorum Græcorum pronunciatum *nosce teipsum*, utque illud sub omnium oculos continuò versaretur illud templo Delphico aureis Literis inscripserunt nunquam obliterandum, & obliviscendum, & meritò, nam esto homo habeat multas cognitiones, tamen juxta Divum Bernardum nulla est melior, quam illa, quâ cognoscit seipsum, hoc est animæ suæ dignitatem, nobilitatem, & excellentiam; nam ab hujus cognitione provenit tepor noster in bonis operibus, & negligentia in negotiis salutis quamvis hoc negotium tanti momenti sit, ut ergo hac ignorantia à nobis pellatur, declarabo hac concione, nobilitatem, & spiritualitatem animæ nostræ; Dominica præterita consideravimus, & declaravimus opus salutis nostræ, negotium esse quam maximi momenti; quod clarum fecimus rationibus desumptis tum ex parte Dei, tum ex parte dignitatis, & excellentiæ animæ nostræ; tempus non patiebatur ut me longius extenderem examinando, & declarando punctum secundum. hodie hunc complebo defectum, vobis demonstrando nobilitatem, & spiritualitatem animæ nostræ per S. scripturam, per sanctos Patres, per similitudines familiares, per rationes evidentes, & historias authenticas.

Venite, audite, & narrabo vobis quanta Deus fecit animæ meæ. Tu esse es. O sacratissima Virgo, quæ his uti poteris verbis multis rationibus fulcita. Si permissum esset inhærere opinioni istorum Philosophorũ, qui docent omnes animas differre ab invicem specie, & perfectione essentiali, prout S. Thomas affirmat de Angelis, assererem tuam O Virgo sacratissima, eminenter continere, etiam in ordine naturæ, omnes perfectiones, & eminentias aliarum. Verum, etiamsi hoc non esset, ipsa gratia te donavit privilegio, & prærogativa, quæ nulli convenit, quam tibi soli, & filio tuo dilectissimo; nimirum quod in primo instanti conceptionis tuæ, usu rationis præventa, gratia Dei tanta accumulata fueris gratia, ut merito condici potueris gratia plena, prout & Angelus te paulo post compellavit, dum te his salutaret verbis: AVE MARIA &c.

IDEA SERMONIS

De spiritualitate animæ.

II. ILle procul dubio caret anima, qui dubitat an sit anima. Sicut Spiritus Sanctus in scriptura sacra non multum contendit ut nobis probet esse Deum in hoc mundo; quantulumcunque enim egrediamur nosmetipsos, continuo illum cognoscemus per creaturas suas. Pari modo non multum, allaborat ut nobis probet, quod in parvulo

lo hoc mundo, animam habeamus: Nam quantumvis parũ nos ingrederemur nosmetipsos, quin hocipsum cognoscamus per operationes suas. Imo veritas est approbata, non per unum solum Doctorem, non per unam Philosophorum sectam, non per unam solam Nationem, sed veritatem, consensum universalem omnium populorum, ut inhibitum sit omni homini, sub pœna ne sit homo, ne illam revocet in controversiam. Cum enim forma sit, quæ tribuit esse, & anima forma sit hominis, ille qui negaret se habere animam, diceret sane quamvis inaduertenter, quod non sit homo, Veruntamen animam nobiliorem esse corpore, quamvis vix inveniantur qui negent, considerando nihilominus vitam, & conversationem mundi, probabiliter credi potest plerosque Christianorum hoc revocare in dubium.

PVNCTVM PRIMVM.

Probatur nobilitas animæ nostræ, ejusque spiritualitas, primo scriptura, secundo Patribus, tertio comparationibus citharodi, incolæ domus, quarto rationibus naturalibus ex modo quo anima subsistit, quo agit, quo recipit. Quinto rationibus supernaturalibus ex pretio quo empta est, ex historia sancti Carpi, Catharinæ Senensis.

II. PRimo ipsa sacra scriptura nunquam nobis præcipit singularem gerere curam corporis nostri, verũ nobis mandat: *Custodite solicitè animas vestras.* Et ipse filius Dei in Evangelio nos admonet: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed timete illum qui & animam, & corpus potest mittere in gehennam.* Matt. 10.

III. S. Pater Augustinus veritatem hujus rei palpabili nobis demonstrat ratione. Duo domi tuæ inquit sunt filii, supponamus unum esse monoculum, Gibbosum, claudum, valetudinarium, sed vivacis Spiritus, tenacis memoriæ, omnia lecta intelligit, in concionibus audita capit, & memoria retinet, dexter est, prudens, sapiens, sobrius, obediens, virtuosus: alter vero, nec monoculus, nec gibbosus, nec claudus, sed omnibus integer membris, & complexione sanus est Verũ immoriger est, malæ conversationis, stupidus, ignorans, bardus, vitiosus, intemperans, inobediens: Quæso te, quemnam amborum potiori complecteris amore? Si unus perdendus esset, quem quæso mori præoptares? Annõ verum est quod majori afficiaris erga primum? Quod majorem teneritudinem, & affectum geras ad illum, qui virtuosus est, & sapiens, quamvis monoculus sit, gibbosus, & claudus? Quæro ulterius: Sapientia, scientia, & virtutes Filii tui quem amas, & sæpius commendas, ubi morantur, & resident? Non in oculis, nam alter præstantiores præ ipso habet oculos. Non in manibus, nam alter manus habet meliꝰ formatas, & robustiores. Non in ipsius corpore, nam consumeretur cum corpore: imo è contra, quò magis consumitur, & senescit corpus, eò magis sapientia, & scientia augetur, residebit ergo in anima ipsius. Concedendum ergo animam nobiliorem esse corpore, cum perfectiones animæ excellẽtiores, & amabiliores sint, quam illæ corporis.

IV. S. Pater Chrysostomus hoc ipsũ alia probat demonstratione. Cur putas voluisse Deum inquit quod corpus no-

strum

ſtrum tam ſit difforme, putridũ, & horridum poſt mortẽ? Oculi extincti ſunt, tempora connexa, genæ pallidæ, labia livida, manus dejectæ, tibiæ glaciales, corpus ipſum cadaver, peripſema, formicarium vermiũ; & ut paucis totum dicam, pauxillum terræ, quod non poſtulat niſi in terrâ recondi? Igitur ſane, ut tibi perſuadeat, quod dum hoc ipſum corpus erat vivum, omnis illi aliunde, quam à ſeipſo, acceſſerit decor, quod pulchra frontis ſerenitas, oculorum claritas, genarũ rubedo, ſuavis oris illicium, albedo alabaſtrina hujus ſinus, claritas, & majeſtas hujus faciei, vita, vigor, gratia; motus, & ſenſus hujus corporis aliunde provenerit, quam ab hoc corpore, à vigore nimirum procedat animæ, quæ proinde pulchrior, & vigoroſior eſſe debet ipſo corpore; Nam axioma eſt receptiſſimum, cauſam in ſe continere excellentius, & perfectius omnes proprietates effectuum ſuorum. Nam teſte Philoſopho. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Annon hæc bona eſt conſequentia? Nux condita, dulcedinem non habet, niſi quam illi confert ſaccarum, ergo ſaccarum dulcius eſt ipſa nuce. Pari modo optima eſt conſequentia: Corpus non habet pulchritudinem, nobilitatem, excellentiam, quam illam ſibi ab anima communicatam: ergo anima multò nobilior, pulchrior, & excellentior eſt ipſo corpore?

V. Dum harmoniam audiſti Teſtudinis, Cytharæ, Chelis, vel cujuscunque alterius inſtrumenti muſici, cujus concentu tota inſonabat platea, & tibi per aures ipſam abripiebat animam; & poſtmodum, eandem Teſtudinem menſæ videas injacentem, mutam, immobilem, inutilem, facile conjecturabis fides has, & chordas non à ſe ipſis motas; & quod dum earum audires harmoniam, præcellentem, dubio procul fuiſſe muſicum, qui has tangeret, & plectro pungeret chordas. Corpus vides examine proximi tui, mutũ, inſenſibile, & ad omnes functiones inhabile, facile ergo conjicies ſi vel minimo polleas ſpiritu quod dum corpus hoc ſe moveret, dum loqueretur, dum ſaltaret, & tanta dexteritate, ac gratia alias quaſvis exerceret actiones, in hoc corpore aliud quidpiã fuiſſe præter ipſum corp⁹, ipſoque multò nobilius; ſicut præcellens muſicus multò nobilior, & excellentior eſt ipſo inſtrumento muſico. *Telluris inutile pondus.*

VI. Aliam vis ſimilitudinem? Vidiſti aliquando caſtrum, ſive præclaram aliquam domum bene conſervatam, quibusvis mobilibus optimè inſtructã, aulæis ornatam, & omnibus divitem, quæ magnum decent Dominum; Inpræſentiarum autem videas illam his omnibus ſpoliatã, ruinam minitantẽ, tegulas dejectas, poſtes putridas, contignationem diſruptã, muros everſos, in ſumã habitaculum factum nocturum, Nonne dicis, apparet ſatis, quod ante viginti annos, dum hæc domus tam ſolicitè conſervabatur, magnum aliquem Dominum, ſive Dominam habuerit colonum, cui cordi erat illius conſervatio, & decoratio. Corpus hominis durante vita in ſuo vides luſtro & decore, ita ut ſi vel in minimo laceretur, vel lædatur, ſtatim reparetur: poſt mortem vero hoc ipſũ corp⁹ in totali vides ruina

& de-

& desolatione: membra dissoluuntur, caro putrescit, Venæ sunt vacuæ, humores glaciales, sensus omnem perdunt vigorem, vermes, & bufones in illo domicilium constituunt, tandem totum resolvitur in pulverem. An non merito judicas, quod quamdiu corpus in statu tam decoro, solicitè conservatum erat; magna quædam Domina illud incolverit, anima nimirum rationalis suam in eo habuerit residentiam, & quod hoc consequenter multò illo nobilior fuerit, sicut Domina nobilior est, & excellentior domo quam inhabitat.

VII. Quod anima hæc spiritualis sit, quod immaterialis sit, quod nec sit pars corporis, nec ab illo dependeat, facile demonstari potest ex modo quo subsistit, ex modo quo agit, & ex modo quo recipit.

Si anima esset pars corporis, aut quoquo modo ab illo dependeret, cresceret cum corpore, vires perderet cum corpore, & deficeret cum corpore: cujus omnino fit contrarium; Corpus incrementum sumit ad certum tempus, & tunc subsistit; jam vero ordinariè eodem tempore anima prius incipit crescere, crescere inquam in Virtutibus, & sapientia, in quibus proficit; sicut corpus profecit in magnitudine, dum se extenderet. *Si* anima dependeret à corpore, anima claudi claudicaret; anima cæci cæcutiret, anima mutilati aliquam experiretur diminutionem, anima pulmoniaci esset ægrota; Jam vero videmus claudos, cæcos, mutilos, & infirmos animam habere ita dextram, tam clarevidentem, ita integram, ita sanam, ac alios, & sæpius excellentiorem; Videmus in exili corpore animam degere magnam, & præcellenté: quod in corpore languido & mutilo, intellectus sit subtilissimus, memoria felicissima, & voluntas æqui, & justi amantior, quam in corpore alioquin pulcherrimo, & bene proportionato, & quis ignorat intellectum, memoriam, & voluntatem, tres esse potentias, tres facultates, & quasi tres animæ partes.

Dum corpus incipit deficere, & fini suo approximare, tunc anima sese excitat, recognoscit, & se vivaciorem, experitur: tunc plures, & magis decoras exercet actiones quam unquam; tunc de seipsa disponit, & de sua salute per sacram confessionem; de sua familia, & posteritate per suum testamentum; de Republica, & tota Provincia per sana consilia & monita; & hæc omnia præstat majori pietate, æquitate, & prudentia, quam unquam fecerit, & hoc in corpore tam pallido, & marcido quoad exteriora, tam putrido, & infecto quoad interiora, ut qui corpus hoc intueatur, illud non videat nisi terram, & qui animæ audit discursus, rapitur in cœlum, & ultra. Videns ergo quispiam animam tam vivacem in corpore tam caduco, & debili, an non dicat illam esse quasi pullum in testa ovis, qui molitur egressum. Videt quidem testam frangi, sed in lucem prodire quod eâ claudebatur.

VIII. Ulterius, proprietas est materiæ rerum materialium pati, anima vero in continua est actione. Corpus à seipso nullum habet motum, anima vero tam est mobilis, & activa ex sua natura, quod si nihil habeat adextra

quod

quod moveat ut se exerceat, non cessabit tamen seipsam agitare, & discutere in seipsa; & si non dependet à sensibus in sua operatione, ipsa agere non poterit, nisi ipsi sensus eodem tempore simul agerent: e contra, dum sensus non operantur, tunc anima melius proprias suas exercet actiones: dum nullum audis tumultum, dum nihil vides, quod te distrahat, dum reliqui sensus nec agunt, nec patiuntur, tunc aptior es ad contemplationem. Hinc in monasteriis, clauduntur fenestræ, ut commodius orationi vacetur. *S*æpe corpus dormit, & anima evagatur per totum; illud immobile hæret in eodem loco, hæc mille percurrit loca; transit ab uno cardine universi ad alterum, ab oriente in occidentem, à meridie in *S*eptentrionem: descendit ad centrum mundi, ascendit super omnem suam circumferentiam: scrutatur profundum maris, circumit rotunditatem terræ, mensurat extensionem cœli; spatio unius horæ quadrantis mille perficit itinera, quæ corpus etiam agilissimum multis non perficiet sæculis, licet corpus quod inhabitat, cubiculo sit inclusum.

Deinde corpus suas habet dimensiones, non continet, nisi quod ipsius magnitudini proportionatum est, cum nihil illud excedens in illo locum habere possit, aliud enim corpus in se recipere nequit, nisi aliquam partem sui, à se, ipsa expellat, aut destruat; Anima in se continet totam terræ massam, cum omnibus suis dimensionibus: In spiritu suo mensurat longitudinem, latitudinem, & profunditatem magni hujus, elementi; & quod maximè stupendum, in seipsa tam immensum locando corpus, ipsa se ipsam in tam exiguo locat corpusculo.

Dum plures res materiales in eodem locantur corpore, seinuicem impediunt, & incommodant: Anima e contra cœlum continet, & terram absque eo quod occupetur; imo absentes, præsentes, mortuos, & necdum natos, in ea continentur, absque ulla sui incommodatione; In seipsa infinitas concipit personas, civitates, provincias, & Regna, absq́ eo quod se inuicem comprimant. Res magnæ in ipsa continentur secundum earum magnitudinem, paruæ secundum earum exiguitatem, & hæ, & illæ, pro earum dimensione, & omnes simul pro facultate animæ, Nam absque eo quod hinc egrediar, distinctè in spiritu meo video magnitudinem, longitudinem, & largitatem civitatis Parisiensis, & omnem circumiacentiam quam vidi, civitates, Villas, domos, quas pertransivi, & tantum abest ut hæc impleant animam meam, ut e contra quanto magis impletur, tanto capacior reddatur ad recipiendum: quanto plus continet, eo amplius plura continere desiderat.

Si ipsa esset materialis, si quicquam in ea corporale incapax esset recipiendi quodcunque corpus, Nullius enim causæ incapax est, omnia potest continere corpora, illa jungere, separare, comparare, & invicem confundere pro suo libitu. *S*i in speculo aliquo esset figura, alterius susceptiva non esset, si in prunella oculi color quispiam esset particularis, vel nihil videret, vel omnia ipsi ejusdem esse coloris viderentur. Lingua, quæ judex est saporum, particularem

larem habere nequit, nisi sit simplex, alio enim humore imbuta, omnia ei hujus esse videntur saporis. Ad suscipiendas figuras, colores, sapores extraneos, liberum esse oportet ab omni figura, omni colore, sapore proprio, & particulari, Igitur ad recipiendum, & concipiendum per intellectum omne corpus, prout facit anima nostra, oportet illam in seipsa exemptam, & liberam esse ab omni corpore. Illa enim tanta evidentia Spiritualis est, ut recipiendo quodcunque corpus, illud purificet, spirituale reddat, & ab omni corporeitate, & materia liberet.

Concludamus igitur argumentum hoc, & dicamus, quod illa, quæ vigorosior, quæ liberior est cum suo approximat fini; illam, quæ in simul conjungit tempus præteritum, præsens, & futurum absque successione; illam quæ ascendit in cælum, & descendit in abyssum absque mutatione loci; quæ in se continet corpus, absque eo quod occupet locum; quæ plura recipit corpora, absque eo quod invicē se premant; imo quæ recipit omnia, & de eorum iudicat qualitatibus; illam, quæ tam præcellens in corpus gerit imperium, illam inquam, non esse partem corporis, nec dependere à corpore, nec materialem esse, nec qualitatis materialis.

X. Omnes hæ demonstrationes, meo judicio potentissimæ sunt, ut ipsi etiam Pagano, ostendatur nobilitas, & spiritualitas animæ nostræ. Christianus vero in sublimiori educatus Schola, alia via excellentiam animæ suæ cognoscere debet, per pretium nimirum, & inæstimabilem valorem, quo est redempta, & per ardentissimum amorem, rem, quo erga eam flagravit Filius Dei. Quod enim Salvator noster amet animas nostras, quamdiu in ipsius persistunt gratia, non adeo mirandum est; credi enim potest, quod illas amet ob pretiosum illud, & nobile ornamentum, quo ornatæ, & decoratæ sunt. Verum quod illas amaverit tanta teneritudine, redemerit tanto pretio, cum essent etiamnum in statu peccati, & gratia ipsius privatæ, signum est ipsas ex natura sua nobilissimas esse, & excellentissimas.

Si campum inambulans, invenires adamantem, vel gemmam aliam in terra, ut ejus indagares pretium, certè me non convenires, cum rem non intelligam, sed ad Gemmarium te conferres, qui indies manibus tales terit gemmas, earumque novit pretium, & si tibi statim præsentaret tercentos, aut quadringentos ducatos se, procul tubio intelligeres Adamantē hunc valde esse pretiosum. In terreno tuo corpore animam geris nobilem, & pretiosam, ut ejus cognoscas pretium, ad nullum alium te conferas, quam illius Creatorem, qui indies cum illa agit. Mercator prudens, & cautus magnam pecuniæ summam non dabit pro mercibus exigui valoris, centum utpote ducatos pro unione, qui non valet centum solidis. Salvator noster, qui non solum sapiens, sed & ipsa est sapientia, dedit pro redimenda anima tua pretium excedens omnes totius mundi thesauros. Nemo revocabit in dubium unicam adorandi sanguinis ipsius guttulam, pretio excedere omnes mundi divitias, ast ipse pro anima tua non solum unam dedit guttam, sed omnem pretiosum suum sanguinem

guinem usque ad ultimam guttam. Pro anima tua dico; Non enim existimes velim, quod plures alias redimendo eodem pretio, tua ipsi constiterit minus, vel tu ex eo ipsi minus obligeris. Non equidem, nam tanti tuam fecit animam, quod pro ipsa sola in particulari ita expressè, & eodem affectu totum suum profuderit sanguinem, ac si illam solam redimere intendisset. Audi S. Paulum: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hoc ipsum & tu dicere potes: Nam eousque nostras diligit animas, quod si ad illas salvandas, denuò moriendum esset, & sanguis profundendus, promtissimè facturus id sit.

Gal. 2.

XI. S. Dionysius Areopagita in epistola ad Deomophilum, hoc ipsum insigni probat historia, prudentissimè discurrens; cum illam ab ipso didicerit authore, cui obtigerat casus: Refert quod Sanctus quidam Insulæ Candiæ Episcopus, tanto à Deo prosequutus fuerit favore, quod quaquavice, qua se disponeret ad sacrum obeundum altare, visione aliqua cælesti fuerit donatus; accidit vero eodem tempore casus funestus, ut nimirum in die festivo cujusdem Idoli, Paganus quidam peruerterit Christianum, & ad abnegandam eum induxerit fidé: Vir Sanctus his intellectis novis, tanto fuit correptus dolore, ut tœdio, & excessiva tristitia pressus, ac nimio exardescens, Zelo, mortem optarit, & punitonem utriusque. Huic inhærens desiderio, & conceptui, quodam vesperi è quiete surgens ut precib[9] interesset matutinis, terram vidit dehiscentem, & in ea ptofundissimam abyssum, hosque ambos infelices ad ipsam ripam trementes, & jam jam præcipitandos, serpentes quoque ex ipsa ascendentes abysso, qui illos in eam attraherent, ac homines, qui illos protruderent. Vir sanctus illos in extremo hoc videns periculo, lætabatur, & omnis illi tardior videbatur hora, donec caderent, & præcipitarentur. Eodem momento cælum contuens, illud vidit apertum, & Salvatorem compassione tactum de throno suo, multitudine Angelorum stipatum descendere, ac misellos hos manu prehensos, suavitate, ac comitate incredibilie periculo liberare. Dehinc ad Episcopum conversus dixit: Ecce latus meum, percute, & denuo aperi illud potius, quam unius animæ desideres damnationem, & noveris me denuo paratissimum ad patiendum pro salute hominum, si ita necessitas requireret, immò lubentissimè facerem id, & illos à peccando impedirem.

XII. Idem Salvator noster quadam vice apparens S. Catharinæ Senensi, illi monstrabat animam carne exutam, & videns illam in stuporem actam, & admirationem, ob ejus decorem eximiũ; Et quid tibi videtur inquit ô filia? Annon optimè meos impendi labores? nonne merito de cælo descendi? Viator factus sum terræ? Vitam meam impendi ad redimendum tam pretiosam margaritam? Ex hoc tempore sancta hæc Virgo tanto erga animas afficiebatur amore, ut sæpius illorum oscularetur vestigia, qui desudabant ad illas Deo lucrandas; immò dicebat, nihil sibi unquã fore difficile, nihil nõ se velle dare, pati, & contribuere, quantumvis hoc fuerit, pro salute alicujus animæ.

Conclusio in eos qui animam perdunt, & negligunt.

HÆc mihi refricant memoriam illius, quod milites Holofernis Bethuliam obsidentes, ad invicé dicebant, castam enim Judith, veram pulchritudinis Ideam prodire videntes: *Quis*, inquiunt unus alteri, *contemnat populum Hebraorum, qui tam formosas mulieres habent, ut non merito pro his certare debeamus.* Diceturne de nobis quod vitæ, & sanguini pepercerimus, in subjuganda tali natione? Nos hoc ipsum diximus, ad hanc destinati urbem? In hac reperiuntur mille, imo duo millia, & plura excellentissimarum creaturarum, duo inquam millia animarum ad imaginem Dei creatarum, ipsius sanguine prætioso redemptarum: parcemus ne sudori, & labori nostro, ad acquirendum tam prætiosum thesaurum? Ad lucrandam Filio Dei vel unicam ex his animabus? Hunc ipsum vobis formalé conceptum, hoc ipsum propositum, Auditores charissimi. In familia quam gubernatis, in communitate vestræ curæ commissa; in Parochia cujus geritis curam, nobilissimæ reperiuntur creaturæ, ad illas lucrãdas, & Deo conservandas, certandum est, pugnandũ est. Dum est quæstio de instruendis verbo, ædificandis exemplo, & reprehendendis subditis, & domesticis vestris; hic se opponunt negligentia, respectus humanus, timor inutilis: contra hos *certandũ est, pugnandum est.* Hortamur vos bonũ fore, si singulis vesperis adgeniculati preces fundatis cũ familia vestra, videbunt hoc proles vestræ, & post morté vestrã hoc ipsum practicabunt, sicut & filii, filiorum vestrorum; Acedia te impedire nititur: *Pugnare debemus.* Dicimus vobis opus maximæ esse charitatis, mysteria fidei docere domesticos vestros, villicos vestros, operarios vestros, qui in vestris occupantur laboribus: respectus human⁹ vos impedire satagit: Quid replicatis, dicent de nobis, vocabunt nos sanctulos, dicẽt quod illis prædicare velimus: *Pugnare debemus*, nimirum contra hunc respectum. Dicitur vobis: obligamini corripere famulos vestros jurantes; in mulctam condemnare debetis œnopolas, qui tempore Divini officii vina propinant: Timor vos impedit; *Pugnare debemus.*

Iudith. 10.

XIV. Verum enimvero, vos adhuc nimis elongati estis à pugna, & labore ad lucrandas animas, immò e cõtra infeliciter illas in ruinam impellitis: quam pœnitudinem hujus non experiemini in morte? Prophetæ Isaias; & Jeremias meminerunt certarum bestiarum, quas Lamias vocant; Commentaristæ, & Naturalistæ dicunt has Mõstra esse facie quidẽ humana, naturæ autem humanæ tam inimica, quod si offendant hominem, primo impetu irruentes, illum discerpunt, & devorant: Quo facto, si se in fonte aliquo crystallino contemplentur, & in figura propriæ faciei videant hominis pulchritudinem, quem devorarunt, tanta aguntur pœnitudine, in tantam iracundiam prorumpunt, & furorem, ut proprium dilacerent, & in partes conscindant corpus.

Supponamus nonnisi peccatum esse veniale, & paululum vanitatis, sinum gestare nudum, (quamvis hoc non ausim definire) aliquis quispiam videns hoc objectum, malas concipit cogitationes, consentit, perseverat, iisque immoratur: Jam vero te moriente, anima tua corpore nudata seipsam videt, pulchritudinem suam admiratur, & in pulchritu-

chritudine propria pulchritudinem videbit animæ, per nuditatem sin⁹ tui perditæ. Qualis pœnitudo, qualis displicentia, qualis ordo, fuisse causam ruinæ tam decoræ creaturæ per desideriũ fumi pauxillæ vanitatis? Filiam illam solicitas ad impudicitiam, sperans quod postea de hoc dolebis, confiteberis, & pœnitentiam ages: supponamus hoc futurum, sed quis tibi dixit illam hoc ipsum facturam? spiritum habet debilẽ, sexus est fragilis, inclinatur ad illicium voluntatis, cadet de peccato in peccatum, morietur tandem sine vera pœnitentia; Te autem ex hoc mundo abeunte, anima tua in sua pulchritudine, videbit decorem, & excellentiam animæ, cui causa fuit perditionis; nunquid non dices purgatoriũ ignem nõ satis calere ad tantam expurgandã, & delendã labem?

XIII. Verum quid admiramur quod animas perdatis alienas, cum nec proprias curetis. Referebatur quadam die Imperatori Augusto, quod Herodes Rex & proprium mactasset filium, inter plurimos Innocentes neci traditos in Bethleem, ejusque finibus: ad quod valde judiciosè replicabat Imperator: Mallem Herodis esse porcus, quam filius, si enim ejus essem filius, morti me traderet, si vero essem porcus mihi parceret; vivebat enim inter Judæos, quibus suillam manducare inhibitum est. Et ego adjungit S. Augustinus, mallem esse Equus, Indusium, aut quicquam aliud multorum Christianorum, quam ipsorum anima: Majorem enim gerunt curam, plus amoris, & affectionis erga quamcunque aliam rem, quam propriam animam.

Annon hoc ipsum de vobis quis affirmare possit? Annon quis merito præferet esse vester Equus, quam vestra anima? Quoties hebdomatim pabulum præstas Equo tuo? hebdomatim inquis? Dolerem si nõ quotidie bis illi pabulum præberetur. Quoties reficis animam tuam, non tam dicam quotidie, hebdomadatim, per mensem, per annum? Quisnam cibus animæ tuæ? Nolo à me, sed à Salvatore tuo discas: *Caro mea vere est cibus inquit*: Non corporis, sed animæ. Quoties hunc cibum præbes animæ tuæ? Bis in anno? In Nativitate, & Paschate; Mallem ergo esse Equus, quam anima tua. Quanto tempore eodem indueris indusio, absque eo quod lavetur? Velles ne illo quatuor continuis uti mensibus? Ipsemet profectò illud abhorreres; tantum enim imbibisset sudorem, tot sordes, ut vix mundari posset. Quamdiu circumgessisti animam tuam, sine lavacro? scisne ubi dealbetur? In sacramento pœnitentiæ, in sanguine Agni; dicitur in Apocalypsi, *In sanguine Agni dealbaverunt stolas suas.* Indusio tuo quatuor mensibus indui detrectas nisi lavetur; *Apo: 7.* Animam tuam sex integris gestas mensibus, decem, immò anno integro antequam mundetur, & dealbetur, & tantas interea aggregat sordes, ut quacunque etiam confessionẽ vix mundari queat.

Breviter, considera vitam tuam, vide quid agas de mane usque in serum; ab initio anni usque ad ejus finem, & reperies quod nũllius minus, quam animæ tuæ, & Dei servitii, ad quod creatus es, geras curam. Maximè vel te induendo, vel ad macellum eundo dicis unum Pater, & Ave; vesperi orationem fundis jam lectulo incumbens,

bens, ſemidormiens & tam exigua cum reverentia, ac ſi alloquereris pediſſequū famulum, reliquo autē diei, vix de Deo cogitas. Non plus ipſi loqueris, ac ſi plane non eſſet; niſi forte blaſphemando. Diebus Dominicis, & feſtivis parvum audis ſacrum, cogitationibus intentus es œconomicis, aut aliis mūdanis negotiis; & ſic tranſit annus, & poſt hunc alius, donec reperias mortem.

Jam dic mihi in fide bonæ conſcientiæ, tantundemne facis de aliis rebus tuis? Vinea ſit tibi, an ſemel in anno tantum illam ingrederis? An parumper tantum illam coli facis mane, & veſperi? Numquid non magna cura illam curas fodi, putari, ligari, ſuperfluis nudari foliis, fimo impinguari? Quanta tibi non eſt cura domus tuæ? Quoties non viſitas armaria tua, ſcrinia tua, granaria, cellaria, ut videas annon tibi aliquid furto decedat, ut impedias ne aliquid depereat, deſtruatur, auferatur: immò pudet me dicere, œconomum agis pro minimo candelæ fruſticulo, quam perdi ægre ferres? Vade, vade; an non te pudet tantam gerere curam corruptibilium, & tam flocci facere immortalia, & incorruptibilia, tam ſolicitum eſſe de his quæ extra te ſunt, & tam parui facere, quæ intra te ſunt, & quidem quæ melior ſunt tui pars? Tantum angi pro iſtis, quæ exigua comparantur pecunia, & tam nihili illa æſtimare, quæ Filio Dei conſtiterunt & vita, & ſanguine ſuo? Ubi eſt fides, quā oraculo huic æternæ veritatis, ejusque monito adhibere teneris: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentū patiatur?* Hæc rumina verba, & vade in pace in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

SERMO QUARTUS
Pro Dominica Quarta Adventus.

Factum eſt verbum Domini in deſerto. Lucæ 3.

EXORDIUM.

VAriæ adducuntur rationes à Doctoribus, cur Chriſtus in deſerto clamare dicatur, & non in palatio, unica hæc eſt cauſa, quod omnia illa, quæ in deſerto exiſtunt, promptè eū audiāt, & ei obediant. Ei obediunt animalia in deſerto, quia dum quondam præciperet leoni cuidam, ut inobedientem dilaceraret Prophetam, ſtatim ei obediivit, arbores quoque in deſerto ſtatim illi obtemperarunt, nam vox Domini mandavit cedris Pſal. 28. ut in partes diſcerperētur, & ſtatim in partes diſcerptæ ſunt. Saxa quoq; & lapides ei promptè obedierunt, nam diviſi populo ſitienti potum præbuerunt Deo ſic mandante, in deſerto ergo Chriſtus clamat ut doceat quod promptè ei obedire teneamur operando ſalutem animæ noſtræ promptè, ſeriò, perſeveranter, quod hodie à nobis declarandum.

I. Heri nos docebat Filius Dei omnes terræ theſauros, & omnia mundi Imperia æquiparanda non eſſe animæ noſtræ, tam pretioſa enim eſt, & excellens. Quod cum ita ſit, & videamus quod tanti inſumantur labores in mundo ad acquirenda paucula bona temporalia; certe ſi vel minimum ſapimus, ſi vel tantillum nobis prudentiæ, & amoris pro nobis ipſis eſt, laboremus ex toto corde pro ſalute animæ noſtræ;

ſtræ; laboremus inquam primo promptè, ſecundo ſeriò, tertio perſeveranter. A te nobis hoc addiſcendum O ſacra virgo, tu opus Dei operata es promptè, nempe ab ipſa vitæ tuæ aurora; De te enim dictum eſt: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Operata es illud ſeriò & diligenter: *Manum ſuam miſit ad fortia:* Perſeveranter usque in finem; *laudent eam in portis opera ejus.* Hoc ipſum ad imitationem tuam, & per gratiam filii tui facere deſideramus cujus te ſalutando imploramus auxilium. AVE MARIA.

IDEA SERMONIS

Saltem noſtram debemus operari promptè ſeriò perſeveranter.

EXordium. Electi, ſunt feliciores in ſtatu naturæ reparatæ, quam integræ; Nam interius habēt majora auxilia, exterius exemplar nobilius, nēpe Chriſtum, Qui operatus eſt ſalutem noſtram, cito, ſeriò, perſeveranter.

II. O *Felix culpa, quæ talē meruit habere Redemptorem.* Sacrum eſt Entuſiaſma, quod reſonat Eccleſia in benedictione cerei Paſchalis, per raptum aliquem, & exceſſum gaudii, quo rapitur in rememoranda reſurrectione, & vita glorioſa dilecti ſui. Verum, exceſſus hic gaudii non usq; adeo illam extra ſe rapit, quin optimè ſciat, quid loquatur; facile enim probatu eſt, delictum primi hominis felix fuiſſe, & fortunatum pro animabus prædeſtinatis; Non ob qualitatem peccati, quod nihil niſi malum continet; ſed propter miſericordiam Dei, & actum ſtupendum ſapientiſſimæ providentiæ ip ſius, quæ nunquam permitteret malum, niſi polleret bonitate, induſtria inde aliquod trahendi bonum. *Melius judicans de malis benefacere, quam mala nulla permittere.* S. Augus. in Enchrid.

Ad hujus veritatis pleniorem elucidationem, ſacræ Theologiæ Magiſter, S. Thomas, & poſt ipſum tota ipſius ſchola concludit, quod licet primus homo non manducaſſet de fructu vetito, nec infeciſſet poſteritatem ſuam labe Originali, adhuc ab ipſo deſcendentes potuiſſent committere peccata, quibus excidiſſent è ſtatu gratiæ, & juſtiſſimè obnoxii fuiſſent æternæ damnationi. Ecce ratiocinationem Doctoris Angelici: Magna eſt differentia inter voluntatem Angeli, & illam hominis; ſicut ſagitta per acuta, à robuſta manu vibrata tā profundè figitur, & vibratur in ſcopum, ut nequeat inde extrahi. Sic voluntas Angeli, cum extremæ ſit vivacitatis, activitatis, & valde penetrans, dum in objectum fertur vivaci, ac forti cognitione, ita in illo ſe immergit, radicatur, ſtabilitur, & firmatur, ut nunquam inde avellatur: Angelus enim nunquam ab illo in æternum dimovetur, quod prima converſione & affectu cordis ſemel elegit. 1. part. q. 100. art. 2. In corp: & ad 4.

Non eſt ita cum voluntate hominis, hæc enim ſimilis eſt laminæ plumbeæ, quæ facile hebetatur, & inflectitur, hoc quod amat non complectitur tam ſtrictè, quin facile ab illo dimoveatur; tributaria eſt mutationi; flexibilis eſt, mutabilis, inconſtans, & vaga quamdiu in hac degit

degit vita: cum intellectus tam perspicax non sit, uti etiam primo intuitu non repræsentat quid bonum sit, aut malum, amandum, aut rejiciendum in suo objecto. Hinc oritur secundum S. Thomam, quod de cursu ordinario, homo non sit confirmatus in gratia, nisi per visionem beatificam, tunc cum tam clare, & perspicaciter summum intuetur bonum, ipsique tam strictè unitur, quod nequeat ab illo separari, cum in eo perfectissimè, & eminenter omne hoc possideat, quod in bonis particularibus, & inferioribus desiderare potest.

Dixi de cursu ordinario, ad excipiendam Beatam Virginem, & quosdam sanctos qui de privilegio speciali in gratia confirmati fuerunt, antequam cœlum conscenderint.

III, Agedum: primus homo dando per generationem vitam naturæ prolibus suis, illis etiam statim communicasset vitam supernaturalem gratiæ, sed perfectiorem, & securiorem communicare non potuisset, quam ipsemet habebat, adeoque sicut ipse in gratia confirmatus non erat, nec ipsius proles fuissent, quam diu in hoc mundo erant, qui locus est meriti, pugnæ, & Victoriæ, ad obtinendam coronam beatitudinis cœlestis. Verum conditio animarum electarum in Ecclesia Christiana incomparabilior, felicior est, quam illa primorum hominum in paradyso terrestri, in statu innocentiæ, & justitiæ originalis. Nam loco, quod pro tunc gratia actualis, secursus supernaturalis, quæ hominibus data erant ad practicanda bona opera, multo inferioris ponderis, & minoris essent valoris, utpote donum Dei, tanquam Creatoris conveniens naturæ humanæ: In præsenti statu animæ Christianæ recipiunt gratiam fortiorem, potentiorem, prætiosiorem, gratiam dico prælectam, quæ est donum Dei, in quantum Redemptoris, conveniens, & correspondens meritis Salvatoris. Annon ergo infelices essemus, si in Ecclesia Catholica non operaremur nostram salutem, in lege nimirum gratiæ, in statu naturæ reparatæ, per redemptionem tam proficuam, & excellentem?

IV. Vlterius, homines pro isto tempore in praxi virtutum aliud non habuissent exemplum, & ideam, quam primum parentem, aliosque majores, & præcessores: dictum illis fuisset illud quod Jsaias dixit Judæis: *Attendite ad petram unde excisti estis.* Isa. 2. Vbi econtra in lege gratiæ Salvator noster operando salutem nostram in medio terræ, prout loquitur Propheta, exempla nobis reliquit rara, & admirabilia, de modo, quo nos laborare oportet ad acquirendam beatitudinem, quam ipse nobis suis acquisivit meritis. Docuit nos operari salutem nostram, promptè, seriò, & perseveranter, ad exemplum suum.

PVNCTVM PRIMVM.

Juxta exemplum Christi probatur quod debeamus operari nostram salutem cito primo scriptura, secundo patribus, tertio comparationibus, quartò exemplis bonis, & pravis.

V. PRomptè salutem nostram operatus est: Audi & Prophetam, & Apostolum ipsius: Filius Dei, inquit David, eleuans cor suum ad Deum Patrem: *Ingrediens in hunc mundum, dixit, hostiam, &*

um. & obligationem noluisti, holocausto-mata pro peccato tibi non placuerunt, ecce venio, ut faciam voluntatem tuam Deus, Apostolus autem docet quæ sit hæc voluntas. *Hac est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Quando dulcis Jesus hoc cœpit opus? Quando hanc sui ipsius fecit oblationem pro nostra salute? *Ingrediens in hunc mundum.* Ne quidem distulit donec intrasset, sed in ipso introitu festinus tantũ aggressus est op⁹.

Dicitur in philosophia quod operatio necessario consequatur esse; illudque semper comitetur: *Operari sequitur esse.* Verum in proposito nostro dicendum esset: *Operari comitatur esse:* Cum operari, & esse sint de eodem dato. Eodem enim tempore, eodem instante, quo Jesus incepit esse, eodem tempore, & instanti nostram cœpit operari salutem; ne quidem ad momentum distulit. *Ingrediens in mundum.* Ad ipsius exemplum nobis loquitur Spiritus ejus per os Sapientis: *Quodcunque potest manus tua instanter operare.* Nimirum pro ipsius gloria, & tua salute: Minus illud differas in aliam horam; minus in aliã diem, mensem, sive annũ.

Ecclesi: 6.

VI. Filius Dei dicit in Evangelio. *Nescit unde veniat Spiritus, aut quo vadat.* In quem locum præclarè Mellifluus Bernardus: *Venit Spiritus, & vadit prout vult, & nemo facile scit unde veniat, & quo vadat: At istud sine damno salutis fortasse nescire licet, sed quando veniat, & quando vadat, id plane periculosissimè ignoratur.* Et infra: *Vigilandum proinde, & vigilandum omni hora, quia nescimus, quia nescimus, qua hora Spiritus venturus sit, seu iterum abiturus, it, & redit Spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est.* Unde & optimè S. Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

Serm. 17. in Cant.

Quando Deus nobis suam offert gratiam, non patitur nos diu cum ipso mercari, & nundinari. Sponsus quadam vice pulsabat ad ostium sponsæ; diu morabatur ipsa aperire, socors erat, & negligens in surgendo; tandem aliter sapiens, & surgens ad aperiendum ostium, reperit sponsum jam aliò declinasse, & transiisse. *Et ecce declinaverat.* Hoc quod in beneficio pluris æstimatur bona est voluntas: Si enim tardius illud exhibeas, jam diu defecisse convinceris à bona voluntate. Vnde Seneca *Qui tarde dedit, diu noluit.* Si comitatem aliquam expectes ab amico, vel servitium à famulo, si illud differat, & te expectare faciat, omnem huic servitio, & comitati auferet gratiam. Eodem modo omnem detrahis pinguedinem sacrificio, totam medullam victimæ, dum de tempore in tempus differs, hoc quod à te requirit Deus. *Hilarem datorem diligit Deus.* Vult enim Deus ut prompto, & hilari corde ipsi præstetur, quod præstandum est; si ex bono corde fiat, & hilariter fiet, & delectabiliter: si in eo quis delectetur quod faciendum est, sanè & promptè fiet, & sine omni molestia.

Senec: de benef.

VII. Deinde executio rerum, quas vel maximè desideramus, prout est negotium salutis nostræ, sæpe dependet à concurrentia plurium circumstantiarum; fieri etiam potest ut talis conjunctio nunquam redeat, & defectus unius solius circumstantiæ impediat felicem successum rei conceptæ. Quod ipsum nos docet S. Paulus allegatione historiæ sacri text⁹, qua nobis in memoriam

riam reducit quod legitur in Genesi: Esau ad venationem iverat, forte quadrante horæ serius regreditur, petit benedictionem patris; Serius inquit pater, venisti, jam data est, nihil agendū restat, nec ullum superest remedium: Plorat miser, gemit, singultit, erugit; actū est, nulla pro te superest benedictio.

Commoditatem habes confitendi; patri alicui, in confessionali te expectanti, differs post prandium; forte tunc amplius non erit tibi: differs in mane; ipsa nocte improvisâ abriperis morte in statu peccati: In Inferno clamabis: Confessionem, Confessionē; Sed in Vanum:

Voluntatem habes assumendi statum religiosum, videns te nimis fragilem ut salutem opereris in mundo; durante Concione obvenit tibi cogitatio, quod hodierna adhuc die, adire velis superiorem, sive monasterii Præfectam, ad petendum locum; differs in diem dominicam: Sabbatho se, offeret tibi juvenis quidam adolescens, postulans te in matrimonium, conceptum, & desiderium religionis in corde tuo abortire faciet, contra vocationē Dei inibis matrimoniū, & sic forte in mundo peribis Inspirationem habes visijandi infirmum, ut agas cum illo de salute animæ suæ, differs in crastinū, forte ille mortuus, vel tu infirmus eris, aut aliud quodpiā superveniet impedimētū. *Instanter operare.*

VIII. Sancti Basilius, & Chrysostomus optime animadverterunt quod Jesus, ordinariè taxaverit dilationem eorum, qui vel in minimo distulerunt obedire vocation ipsius, quamtumvis speciosis prætextis| excusationibus. Luc. 9. Apud S. Lucam, quidam inspiratus ut illum sequeretur, dicebat illi: Magister desidero te sequi, sed permitte mihi ut prius disponam de bonis meis: Respondit illi Salvator: Vade, vade, non est aptus ad regnum cœlorum. Eodem capite, paulo inferius dicebat cuidam alteri: Sequere me; respondit juvenis: permitte prius ut vadam, & sepeliam patrem meum. Respondet Salvator: ad veram te voco vitam, sepeliant mortui mortuos suos: Non est putandum, monet Chrysostomus, Filium Dei ægrè tulisse, ut disponerent de rebus suis, vel sepelirent patrem mortuum, sed quod illud prius voluerint facere, quam sequi Jesum. Dicebant: Permitte me primum. Primo obediendum erat Filio Dei, & ipsius sequelæ se committendum, & deinde cum ipsius venia, & benedictione reliqua facienda. Expectas orare Deum, donec hora decima, vel undecima ad ecclesiam venias, vel forte in seram noctem, Interim non consideras, quod si te totum tempestivè commendares Deo, & intentiones tuas à mane ad ipsum dirigeres, actiones tuæ, ad ipsum relatæ plus meriti, & benedictionis habituræ essent. Dicis, deseram peccata mea, & dicabo me servitio Dei, dum absolvero mea studia, vicero hunc processum, educavero proles meas, obtinuero hoc, vel illud officium, *Dimitte me primum,* Itane? Quid si jam te in bono constitueres statu, forte perageres tua studia, prosequereris tuum processum, educares tuas proles in statu gratiæ, cum benedictione Dei, cum majori merito, & meliori prosperitate?

IX. Videmus in Evangelio, quod illi qui seduli fuerunt ad promptè sequendam vocationem Filii Dei, ipsi gratissimi fuerint, magna per illos effece-

fecerit, & illorum operâ ad actus præclaros, & gloriosos usus fuerit. Apud S. Lucam Zachæus ad primam Salvatoris vocem, promptè descendebat ex arbore, & existens in domo sua, pergratam hanc audivit vocem: *Hodie huic domui salus facta est.* Apud S. Matthæum Petrus & Andreas, Joannes & Jacobus frater ejus, vocati à Filio Dei, & navem, & retia, & patrem deserentes, sequuntur Salvatorem, qui illos creat apostolos, principes ecclesiæ suæ, & supremos terræ monarchas. Apud S. Lucam dicit Matthæo, *sequere me.* Et Trapezita hic, non replicat: Computus meos prius lustrabo, & formabo, ut percipiam quæ mihi debentur, sed omnia relinquit, ut obediat, Filius Dei illum facit Sanctum, Protonotarium apostolicum, & historicum vitæ suæ. In actibus Apostolorum, S. Paulus audiens quærulam Salvatoris vocem, *Quid me persequeris?* Statim compescuit ardorem indiscreti Zeli quo erat inflammatus, & sine dilatione ad unicum momentum, se offert ad præstandum omnia quæ ipsi injungerentur. *Quid me vis facere?* Et Deus ex illo fecit vas electionis, Præconem sui verbi, Doctorem gentium, Organum divini sui Spiritus. *Quid me vis facere.*

Luc. 19.

Matt.

Luc. 5.

PVNCTVM SECVNDVM,

Salus operanda serio. Probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio comparationibus, quarto rationibus quinto exemplo Christi.

X. HÆc verba nos, quasi in advertenter introducunt ad secundum punctum discursus nostri, & nos instruunt, quod, ut fæliciter succedat negotiũ salutis nostræ, seriò illi incumbendum sit, & forti resolutione, mediante gratia Dei, perveniendi ad metam non obstante quacunque difficultate quicquid etiã faciendũ, relinquẽdũ, perferendũ sit, illi insistendũ est, tanquã negotio majoris consequentiæ, quod in hoc mundo peragendũ nobis incumbit.

Filius Dei apud S. Matthæum de regno cælorum loquens dicit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et apud S. Lucam monet ut magno conamine laboremus intrare portam angustã: *Contendite intrare* Græca habẽt: Αγωνίζεσθε hoc est, tanto conatu, & violentia, ut etiam si necesse sit, ad aliquam reducamini agoniam. Et apud S. Ioannem, comparat conatum, curam, & laborem negotio salutis nostræ impendendam, labori, & conatus mulieris parturientis. *Mulier cum parit tristitiã habet.*

Matt. 11.

Ioh. 16.

Quid non moliuntur avari mercatores, qui ditari volunt? Juvenes adolescentes matrimonium opulentũ & fortunatum prosequentes? Ambitiosi pingue beneficium vel officium venantes? Quales hic curæ, quantæ vigiliæ, quot itinera, quot expensæ non fiunt, quo fælicem potiantur exitum suorum conceptuum? Et nos quid agimus pro salute nostra? Audite mellifluum Bernardum: *Magna confusio, magna prosus, quod illi ardentius terrena perquirant, quam nos cælestia.* Et devotum Thomam a Kempis: *Pro modica prabenda longa via curritur, pro æterna vita vix pes a terra levatur.*

XI. Concordat hisce Philosophus moralis, dum docet qualiter virtuti acquirendæ insudandũm sit. *Si quis, inquit, sibi proposuerit, quantum opus aggressus sit, sciat & nihil delicate, nihil molliter esse faciẽdũ.* Aggredivis domare perversã tuã naturã, ferro duriorẽ: poteritne molliri ferrum, & pulchrum aliquod ex eo conficiopus,

Seneca ep. 51.

abs-

absque igne, sine malleo, & robusto brachio? Poteritne quispiam mutare, naturam corruptam, & ex vitiosa facere virtuosam absque fervore sine mortificatione, & magno conatu spiritus? Intendis vincere malas tuas consuetudines à longo tempore contractas; idem est ac sistere velles torrenté ab alto monte decidentem; poteritne hoc fieri sine violentia? virtutem acquirere conaris; An ignoras veteres solere dicere, habitaculum ejus altissimis circumdari fossis sudore repletis?

XII. Cælum conquirere vis? Perbellè remonet os aureum: Qui fortalitium aliquod occupare vult in terra situ, & cui proximus est mons, conatum adhibet, sudat, jejunat, laborat, vigilat, terræ incumbens quietem capit, & mille sustinet fatigationes. Tu conquirere, & occupare vis non aliquod fortalitium, civitatem, Provinciam, sed regnum cælorum, quod tanto spatio à te est elongatum, tanta altitudine supra te situm, & nihil difficile, vel arduum moliris, nullum adhibes conatum, nullam violentaim: *Vim patitur, vim patitur.*

Quò molitio, sive negotium majoris est importantiæ, eò majorem requirit solicitudinem, circumspectionem, diligentiam? Plus impenditur laboris in processu, ubi agitur de centum Imperialibus, quam si non ageretur nisi de decem; ad huc plus si ageretur de mille, & amplius si de decem, vel centum millibus; quantò ergo major adhibenda solicitudo, & sedulitas si ageretur, ut vel vivus comburaris, vel summo gaudio, honore, divitiis, & voluptate accumuleris per millena annorum millia?

Durum tibi est mane surgere ut ores Deum, difficile tibi est jejunare, condonare offensas, restituere bona injustè parta; crediderim id equidem, tantum putas malũ evitabis, tantũ acquires bonum sine labore? In tali opere ritè perficiendo, omnia meritò essent relinquenda, profundendus sanguis simul, cum vita: taxat vos S. Paulus: *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Et vobis ardua hæc aggredi persuadens, exemplum proponit filii Dei dicens: *Recogitate eum, qui talem pro vobis adversum se sustinuit contradictionem; ut nõ fatigemini deficientes.* Quid enim non fecit ut vos salvaret? Exinanivit semetipsum in mysterio Incarnationis, subiecit se virgini, & fabrolignario, triginta tribus annis incessanter laboravit, integras peregit noctes in oratione, absq; cibo, & potu quadraginta jejunavit diebus ac noctibus, mortuus est in patibulo crucis in horribilibus tormentis: si hæc omnia fecit propter nos, quid non convenit nos facere propter ipsum, & nosmetipsos? An non deceat nos illi servire, & pro nostra salute laborare cum omni fervore, vigilantia, diligentia, & possibili assiduitate? *Heb. 12.*

PVNCTVM TERTIVM

Probatur quod debeamus operari nostram salutem perseveranter.

Primo scriptura, secundo instructionibus ex S. Bernardo.

XIII. CUm assiduitate dico, & perseverantia, nam hæc tertia est conditio, quam à nobis requirit Deus in negotio salutis nostræ. Dicebatur olim Episcopo Smyrnensi: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* *Apo: 2.*

Et

Et ille in seipso fecit, & adimplevit hoc quod huic Prælato, ac tibi recommendavit. Hinc in hora transitus sui dicebat Patri æterno. *Opus consummavi, quod* Ioan. 17. *dedisti mihi ut faciã.* In ipsa existens cruce non cessit importunitatibus, & vanis inimicorum suorum persuasionibus, qui dicebant: *si Filius Dei, est descendat de cruce.* E contra, quia filius Dei est, descendere non debet, ait S. Bernardus, sed constanter, firmus, imotus in tanto incepto opere perseverandum illi est.

Epist. 126. Idem S. Bernardus Genevensibus scribens paucis perstrinxit verbis omne quod pulchrum, & excellens in hac ipsa re dici potuit: *Perseverantia, inquit, est consummatio virtutum, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, patientiæ soror, constantiæ filia, propugnaculum sanctitatis, sola est cui æternitas redditur, vel potius quæ æternum hominem reddit.* Sane quot verba, tot instructiones salutares, expendamus unam post aliam.

Perseverantia est consummatio virtutum. Una hirundo non facit ver: unicus actus bonus non reddit hominem virtuosum saltem ordinariè, prout docet Aristoteles; opus est habitu, habitus autem generatur per plures actus iteratos: ad quos sæpius iterandos, necessaria est perseverantia.

Nutrix ad meritum. Quantumvis exigua sint bona opera dummodo sint frequentia, & sæpius iterata, magnum acquirunt thesaurum meritorum. Unica avicula singulis vicibus non nisi unicam affert paleam, sive plumulam, & tamen successu temporis nidum ædificat completum, & accomodissimum. Lapicida è olubrum, sive peluim marmoream excavare volens, singulis mallei ictibus, vix ultra crassitiem capitis aciculæ excutit, cum tempore tamen, continuando laborem, intentum perficit. Si bene utaris inspirationibus divinis, & occasionibus tibi ad exercitium virtutum concessis; verbigratia: mane exercendo actum devotionis, te privando, & abstinendo ab aliquo delicato ferculo, actũ mortificationis eliciẽdo, post prandium actum patientiæ practicando, perseverãtia talis in hora mortis tuæ inæstimabilibus te cumulabit meritis.

Mediatrix ad præmium. Quæ non aguntur, & attentantur in mundo, ad obtinendam exiguam aliquam recompensationẽ incertam, vilẽ, temporalem? In domibus Magnatum, in Exercitibus, in Curiis ex tribus vitæ partibus, duæ impenduntur servitio spe evadendi in magnũ reliqua tertia: Et ut acquiramus magnitudinem, & divitias fine carentes, cur non serviemus Deo perseveranter usque in finem? *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam.*

Patientiæ soror, ipsiusque individua comes. Pro hac ad Agricolam nos ablegat S. Jacobus dicens. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens. patientes estote & vos.* Colit terram, laborat, impinguat fimo, se- Iacob. 5. mine inspergit, fructum tamen non videt: immò sæpe advenit, quod in ipsa messis vigilia, omnis spes ejus grandine pereat: *sata læta, boumque labores.* Hinc tamen non despondet animum, patientiam non perdit, sed anno sequenti denuò incipit colere arua sua, & tandem unius anni fœcunditas sterilitatem præcedentium recompensat.

ſat. In ſervitio Dei incommoditates ſuſtines, fatigaris orando, jejunas, mortificas carnem, eleemoſynas largiris decem, quindecim, viginti annis, & non advertis effectum, non percipis ſingularem fructum tanti ſeminis; patientiam habe, perſevera in bonis operibus, tandem una dies, ſupplebit totum; *Erit merces operi tuo.*

Conſtantia filia. Spiritus iſti volantes, & inconſtantes, qui nunquam permanent, nec perſiſtunt in propoſito, qui centenos formant conceptus, & nec unicum deducunt in effectum; nunquam ad perfectionem pervenient: Oportet vos agere vitam conſtantem, & regulatam, bonum agere œconomum temporis, & actionum veſtrarum, non deficere niſi urgente aliqua inevitabili neceſſitate; tali hora ſurgam, mediam horam impendam orationi, tali hora interero Miſſæ ſacrificio; & ſic de reliquis: die lunæ adibo hoſpitale, die mortis talem agam pœnitentiam.

Propugnaculum ſanctitatis. Si huic propugnaculo circumducas vallum, & firmus in eo conſiſtas, ſanctitatis certus eris. Poſito quod per revelationem certificati eſſemus, quod omnes in Gaſconia morientes ſalvi fiant, & neminem ſalvandum niſi inibi moriatur. quid faceremus? Ego ſane inde non egrederer, & ſi panis mihi oſtiatim mendicandus eſſet; & peſtis ſæviret in quatuor partibus, & in meditullio: Et ſi quis mihi diceret, niſi egrediaris certo morieris: bene optime, ſi moriar, ſalvus ero. E contra, ſi per revelationem boni Angeli certificaremur omnes Pariſiis morientes, damnari, & neminem damnandum, niſi qui ibi moritur: Certe nunquam pedem eo ponerem, etſi certificarer me fore Regem Franciæ, & totius orbis Monarcham: & ſi modo ibidem eſſet, non expectarem craſtinum ad egrediendum, nec fugam inde ad momentum differrem.

Plus ſatis ex verbo Dei aſſecurati ſumus, quod morientes in ſtatu gratiæ, ſalvi fiant; & quod nemo ſalvetur, qui in tali ſtatu non decedit: ſi in hoc te reperias ſtatu, & tibi vel minimum ſuperſit ſapientiæ granum, noli ab eo recedere, & ſi ruinam paſſurus ſis honoris, bonorum, ſanitatis & vitæ; ſufficienter etiam aſſecurati ſumus ex revelatione ipſiuſmet Salvatoris, quod omnes in ſtatu peccati morientes, ſint damnati; & quod nemo damnetur, quam illi, qui in hoc moriuntur ſtatu: Si tibi bene proviſum velis, nunquam hunc ingrediaris, & ſi caſu infortunato te in illo reperias, quamprimum retrahe pedem, ſtatim ad confeſſionem propera; & recuperata Dei gratia, in illa te conſerva usque ad mortem; reminiſcendo quod perſeverantia: *æternitati hominem reddat.* Hæc enim eſt ſuburbium beatitudinis, Anticamara cœli, Pronaum Paradiſi, Oſtium beatæ æternitatis. Cæteræ quidem virtutes nos ad illam conducunt, hæc nobis introitum parat.

CONCLVSIO
Fit per recapitulationem.

LIceat ergo mihi dicere animabus Chriſtianis, quod magnus Propheta Nathan, magnæ dicebat Reginæ Bethſabeæ: *Salva animam tuam.* Nam nihil illa nobilius, aut pretioſius poſſides. Primarius quidam antiquitatis 3. *Reg.* 1.

victor

pictor imaginem Adonidis, summa arte & industria delineaverit, ut reputaretur Canon artis manus ipsius; intelligens autem ignem corripuisse domum ipsius, clamabat per plateas: *saluate mihi Adonidem.* Anima tua, imago est Dei, optimè delineata, Canon operis omnipotentiæ ipsius, compendiosa tabella omnium creaturarum ipsius; salva illam. Si processus aliquis tuæ insinuetur familiæ, noli pejorare; si tibi præsententur munera, ut committas injustitiam, vel adulterium, noli acceptare; si offeratur tibi beneficium, cavene ad obtinendum simoniam committas. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero sua detrimentum patiatur.*

Salva animam tuam: præclarum sane negotium, negotium summi ponderis, negotium negotiorum; reliqua negotia in comparatione hujus, non sunt nisi lusus puerorum, & nugæ nugarum: non serviunt nisi ad spatium temporis, hoc pro æternitate, reliqua sunt pro tuis hæredibus, hoc pro teipso; Illa sunt utilia, hæc necessaria, illa accessoria, hoc principale: licet tibi curæ non sint negotia mundi, multi erunt, quibus cordi erunt, si vero tu non cures salutem animæ tuæ, nemo sane pro te curabit; Cura ergo, & operare illam promptè, serio, & perseveranter, & vide quantam diligentiam, vigilantiam, assiduitatem impendant mundani negotiis temporalibus.

Reg.1.

Et quidem Piscatores, in captura Halecum, & Asellorum; Rustici in messe, milites in bello, medici in morbis, quomodo non speculantur & animadvertunt tempus, opportunitatem, & Crisin: quomodo festinent, angantur, & inquietentur ne bonam perdant occasionem.

Dum matrimonium inire, vel prolem vis in matrimonium elocare, hæreditatem aliquam emere, bonam pecuniæ summam ad bannum dare, quales non præmittuntur informationes & sedulæ inquisitiones? Quales non requiris cautiones, præcautiones, & assecurationes? Dum gravi aliquo urgeris processu, quales non adhibes, consultationes, expensas, itinerationes? totum distillas cerebrum, omnes imploras amicos, totam exhauris crumenam, sero vigilas, mature surgis, ut perlustres chartas tuas, ut insttuas referendarium tuum, ut demulceas Judicem.

Adhibe negotiis tuis, quantumvis diligentiam, nisi perseveraveris in finem, nihil efficies. Qui exercitu circumdedit urbem, si obsidionem solvat, pridie quando capienda erat: Qui in stadio currit, si duobus tantum passibus desistat à bravio: Qui domum construit, & tandem fabrum lignarum non applicat ut conficiat tectum, & tegatur structura: Quidnam quæso omnes lucrantur, nisi derideantur, & de illis dicatur, quod bene ceperint, sed nihil perfecerint.

Perfice negotia spiritualia ad minus tanta solicitudine, quanta perficis temporalia, age illa prompte, nec differas ad diem, horam, & momentum, non dicas, me convertam dum absolvero studia; desponsavero illam filiam, vicero meum processum: tale opus bonum faciam anno sequente, proxima septimana, cras, vel perendie, fortassis enim

enim cras non amplius eris in vivis, eris infirmus, vel non habebis has bonas cogitationes, inclinationes, inspirationes, & commoditates faciendi hoc opus bonum; superuenient obstacula, & impedimenta, quæ modo absunt, & forte non eris in statu tali ut illa facias cum tanto merito.

Fac negotia illa seriò, tanto affectu, Zelo, applicatione animi, ac si hæc sola peragenda haberes, ac si esset ultima actio, quæ tibi peragenda restaret, ac si ex hoc actu omnis tua dependeret fortuna; Nam primus actus, quem exercebis, si illum sanctè, & magnâ dispositione per feceris, forte Deꝰ in recõpensationé dabit tibi gratiam perficiendi alium sanctiorem, & post hunc alium, & sic consequenter: sicut e contra, si opus bonum malè peragamus, vel opus prorsus malum agamus, forte Deus se elongabit à nobis, subtrahet gratiam particularem, & hac privati, in majores prolabemur defectus, & paulatim excidemus. Si dehinc mors nos deprehendat in statu retrogrado, privatos amore, & gratia Dei, certè risui expositi erimꝰ inimicorũ, & pœnitebit nos videre omnes labores nostros, & merita præcedentia inutilia esse, & sine mercede. Vnde bene monet S. Hieronymus. *Non quæruntur à Christianis bona initia, sed finis.* Et S. Paulus de seipso gloriatur: *Cursum consummavi, reposita, est mihi corona justitiæ.* Et S. Bernardus: *Non bona qui cœpit, sed qui bene facit, & qui pertingit ad metam donatur honore Coronæ,* Et Filius Dei dixit. *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit Amen.*

SERMO QVINTVS.

Pro Dominica infra octavam Nativitatis.

Positus est in ruinam, & in Resurrectionem multorum Lucæ 2.

EXORDIUM.

Eandem rem sæpè uni prodesse, alteri nocere clarissimũ est, sic cibus qui sanos confortat, ille aegros enecat, ita ex eodem flore apis mel, aranea venenum sugit, ita ex factis Christi plurimi sunt scandalizati, è contra plurimi sunt ædificati, de quibus Paulus, *Aliis quidem odor vitæ in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Quod hodiernum Evangelium satis manifestè confirmat, Sed quænam est hujus rei caussa? Breviter eam insinuabo. Ex eo quod videant peccatores, quod Christꝰ familiariter egerit cum peccatoribus, & misericors iis fuerit, sumunt ansam primam innocentiam deserendi, cum spe resurgendi, eo quod misericos sit, quod si attenderent quod non tantum peccatores absolvat, sed etiam condemnet ut inquit Simeon quod *positus est in ruinam, & resurrectionem multorum*, non ita faciliter peccarent, & primam innocentiam desererent; Ostendam ergo hodie plurimos Christianos esse fatvos, & temerarios, qui primam innocentiam deserunt cũ spe secundã obtinendi.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde. Psal. 23.

II. Verum est omnes homines quotquot sunt in hac vita, in quocun-

que sint loco, cujuscunque sint status, aut conditionis sperare posse, quod operaturi sint suam salutem. Verum multum interest ut persvasi simus, duo tantum esse, quibus perveniatur ad tam serium & sanctum finem, Innocentiam nimirum, & Pœnitentiam. Innocentia est via illorum, qui in infantia recepto baptismate, conservant gratiam baptismalem, usque ad ultimum vitæ momentum. Pœnitentia est via illorum, qui tam male informati fuerunt, ut peccatum mortale commiserint, vel ante, vel post baptismum susceptum.

Agedum, itaque demonstrabo vobis hodie, gratiâ Dei favente, magnam esse fatuitatem, & horribilem temeritatem, primam deserere viam, spe intrandi secundam, prout plurimi faciunt Christiani. Divina providentia pro duobus hisce statibus duo rara, & admiranda subministravit prototypa, duas incomparabiles Marias: Animæ pœnitentes tanquam in imaginem, & exemplum contueantur Sanctam Mariam Magdalenam, Animæ innocentes oculos conjiciant in te, teque sumant Ideam, O sacra Virgo Maria, ita illis consulit S. Ambrosius: *Sit nobis*, inquit, *tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beata Mariæ, de qua sumatis exempla vivendi.* Ad te O Virgo propriè diriguntur verba hæc Sponsi; *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Nunquam enim in te vel minima reperta fuit macula, nec mortalis, nec venialis, nec originalis: semper enim fuisti tota pulchra, pura, innocens, gratiosa hanc enim tibi qualitatem dedit Angelus dum te his salutaret verbis: AVE MARIA.

IDEA SERMONIS

Innocentia est securior via ad salutem.

EXordium; Conditio innocentis est primo honorabilior, secundo Jucundior, tertia securior, quam pœnitentis.

II. Doctores Theologi, qui pondere sanctuarii omnium virtutum ponderant merita, controvertunt, quænam anima è duabus plus obligetur Deo, an illa quæ usque ad finem vitæ conservavit gratiam, in baptismo sibi collatam: an vero illa quæ post baptismum in peccatum mortale incidit, sed per veram, perfectam & legitimam pœnitentiam resurrexit; Veruntamen non disputant quænam harum animarum felicior, & melioris sit conditionis.

PUNCTUM PRIMUM

Probatur argumentis ex parte Dei quam stultum sit perdere innocentiam, quia fortè non recuperabitur primo scriptura, secundo patribus, tertio ratione, quarto exemplis, quinto responsione ad objectiones.

III NAm extra dubiū est Innocentiam statū esse multo honorabiliorem, delectabiliorem, & securiorem, quam Pœnitentiam. Imprimis honorabiliorem: Annon honor est maximus, & inæstimabilis gloria, Creaturæ fragili, semper mansisse fidelem Deo suo? Nunquam erga ipsum falsificasse

ſuam obligationem? ſemper firmam,& conſtantem permanſiſſe ne conſentiret peccato, non obſtantibus ſuggeſtionibus Diaboli,tentationibus Mundi, illicitamentis Carnis,cum quibus tota pugnandum fuit vita?

Infortunata Carthaginis Regina, movere volens Æneam ne ſe deſereret, illi apud Poetam declarat ſe complicem conjurationis non fuiſſe, quam Græci, & illorum conſortes inierant in Civitate Aulide, ad deſtruendam Troiam.

Non ego cum Danaji Troianam excidere gentem
Aulide juravi, claſſemve ad Pergama mihi.

Anima quæ nunquam peccatum commiſit mortale,magnam erga Deum Æneid:6. habere poteſt confidentiam; ſperare poteſt quod illam nunquam deſeret: omni humilitate ipſam convenire poteſt hiſce verbis: Nunquam me tibi opposui, nunquam me junxi parti illorum, qui tibi indixerunt bellum, & ſe rebelles oſtenderunt tuæ majeſtati. Hæc felicitas tanti eſt momenti, ut David illam in frontiſpicium ponat ſuorum pſalmorum, tanquam primam, & maximam felicitatem. In pſalmo 33. felicem illum æſtimat qui ſperat in Deum: Et alibi eum qui inſtructus eſt, Pſal.33. & edoctus à Deo. *Beatus homo quem tu erudieris Domine*: ſed præ omnibus, & ante omnia felicem illum deprædicat, Pſal. 39. qui nunquam parti peccatorum adhæſit: *Beatus vir qui non abjit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.*

Pſal.1. Annon ſummum eſt delectamentum, & ſubjectum maximæ conſolationis, in veritate dicere poſſe ſicut dicebat Job. *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Et cum S. Paulo: *Nihil mihi conſcius ſum.* Et cum Davide ante Iob. 27. commiſſum peccatum: *Perambulaſam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* In quem locum S. Auguſtinus. Per- 1.Corr. 4. ambulat quis delectabiliter in horto, u- Pſal. 100. bi viæ ſunt mundæ, in quibus non ſit lutum, lapides, ſpinæ. In aula ſcópis bene mundata, in qua nihil ſit quod noſtros offendat ſenſus, non malus odor, nullus tumultus, nulli clamores, nullæ diſplicentes picturæ.

Quando Deum offendiſti perverſa tua vita, quamcunque egeris pœnitentiã, difficile tibi erit ingredi cor tuum, & bene diſponere rem tuam. Ipſa criminis recordatio, malum tibi parit odorem, propria tua imaginatio, picturas, & ideas tibi repreſentat ingratas; conſcientia tumultum excitat, & clamores per invectivas, ſpinæ ſynderesis te inceſſanter pungunt, & inquietant.

Anima vero, quæ ſibi peccati nullius conſcia eſt, libenter ſeipſam ingreditur, perambulat cor ſuum, tanquam cœnaculum affabrè Stratum; *Perambulabam in innocentia cordis mei.* Nihil illam impedit, præterita non præbent remorſum, præſentia non deſplicent, futura non angunt; Non eſt ſicut anima pœnitens, quæ ſemper eſt in inquietudine, in dubio, & perplexitate, an ipſius pœnitentia fuerit legitima; in timore, & anxietate recidivæ, & perditionis, & non ſine ratione. Nam oſtendam vobis, quod qui tam eſt fatuus, ut ſuam perdat innocentiam, & proſtituat gratiam Dei, conſentiendo peccato mortali, maximum incurrat periculum ſalutis, & occaſioni ſe exponat labendi de peccato

in

in peccatum, & consequenter in ruinam & perditionem se præcipitandi.

III. Si adhuc sis in statu innocentiæ audi monitum Regij Prophetæ: *Custodi innocentiam, & vide æquitatem.* Summoperè cavendum ne offendas Deum, in hunc finem recordare illum esse justum, & quod ex justitia obligetur punire peccatores favorem exhibere, & salvare justos. *Injusti disperibunt, salus autem, justorum à Domino.* Psal.36.

Cave ne dicas, cum tentatio titillaverit cor tuum gustabo dulcedinem voluptatis, ut desiderio meo satisfaciam, & sciam bonum, & malum, dum satisfecero delectationi meæ, & passionem contentavero, dolebo, ibo ad confessionem, & agam pœnitentiam. Ages pœnitentiam? Forte hoc posset aliquo modo transire, si illam agere à te solo dependeret, si illam ex teipso facere posses; verum in Evangelio dicit filius Dei: *Sine me nihil potestis facere.* Non dicit nihil facietis: sed nihil potestis facere; Non dicit sine me non potestis facere miracula, opera miranda, domare vestras passiones, resistere, fortibus tentationibus, practicare heroicas, & perfectas virtutes, sed nihil potestis facere, nihil omnino, ex omni impossibilitate vobis est impossibile. Ergo nec pœnitentiam facere potestis, nisi Deus vobis dederit illam facere, contritionem, & pœnitudinem habere non potestis, nisi Deus illam dederit: donum hoc effectus est ipsius benevolentiæ, vos autem per peccata ipsius provocatis vindictam: effectus est ipsius bonitatis, & vos irritatis ipsius severitatem: donum est ipsius misericordiæ, & vos accenditis ipsius choleram. Effectus ordinarius ipsius choleræ est deserere animam peccatricem, tradere illam tyrannidi effrœnatarum suarum passionum permittere ut labatur de peccato in peccatum, de præcipitio in præcipitium.

IV. Dicebat illi olim populus Israeliticus: *Iratus es peccavimus, & facti sumus ut immundus omnes nos.* Isa.64. Et ipsemet in Deuternomio: *Mea est ultio, & ego retribuam ut labatur pes eorum.* Deut.32. Terribilius apud Ezechielem: *Si conversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Ezech.3. Propheta Regius his concinit dicens, *Pluet super peccatores laqueos.* Hoc est dicere, quod laquei desursum venientes, dirigendi sint contra peccatores ex permissione, & punitione Dei. S. Augustinus commentando in locum illum Davidis, dicit: *Si nubes generaliter Prophetæ intelliguntur, sive boni, sive mali, sic ordinantur Pseudoprophetæ à Domino, ut de his laqueos super peccatores pluat, non enim quisquam in sectandos incidit, nisi peccator.* S. Aug: in Psal.10. Seductus nimirum per illorum mendacia. Offenditis Deum per usuras, oppressiones pauperum, processus injustos, permittit Deus vos incidere in Confessarium laxum, adulatorem, nimis indulgentem, proprium interesse nimirum sectantem; qui vobis nihil dicit, nec remonstrat criminum gravitatem, silentium ipsius offendiculum, & laqueus vobis est, ut eo audaciores in pristina recidatis crimina.

V. David de Deo loquens aiebat. Psal.147.
Ante faciem ejus quis sustinebit? ubi S. Augustinus. *Ante faciem ejus quis subsistet.* addens: *Cujus? Dei? unde est ejus frigus? ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam:* potentem nimirum & efficacem, ut se relevet à sua miseria,

 gratiam

gratiam nimirum gratuitam, & paucis exhibitam. Frigidos nos erga quempiam ostendimus, dum illum non prout solebamus diligimus, & bene volumus, & nos ab eo elongamus, & aversionem erga illum concepimus. Deus à peccatore non solum aversionem habet, sed insuper horrorem, & abominationem, odium, & inimicitiam; merito se igitur frigidum erga illum ostendet. Et quodnam hoc frigus, nisi quod supra retulit S. Augustinus?

Et ratio hujus est, quia ut Deus te convertat, & tuā recidivā impediat, magno illi opus est conamine & labore, opus est ut suam adhibeat potentiam, & quidem dupliciter. David suam ab eo postulans conversionem orabat: *Domine Deus virtutum converte nos.* Non dicit Deus virtutis, sed virtutum: Oportet enim illum suam exercere potentiam, sive virtutem, in te, & quod majus est, in semetipso; in te, ut liberum tuum superet arbitrium, domare possit rebellionem perversæ tuæ voluntatis; in semetipso, nam justitia ipsius, quæ idem est cum illius essentia, postulat ut puniaris, & deseraris in tua miseria, hic opus est ut misericordia vincat justitiam, illam superet, supplantet, supprimat, qualitercunque tandem, *Misericordia superexaltat judicium*, inquit S. Jacobus. In Græco est: *Gloriatur misericordia adversus judicium.* Ut autem hoc fiat, opus est ut Deus pugnet contra semetipsum, superet semetipsum, triumphet de semetipso. Hinc dicit Ecclesia: *Quæ te vicit clementia. Ipsa te cogat pietas. Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè, & miserando manifestas.*

Psal. 79.

VI. Sancti Chrysostomus, & Basilius, aliique Patres loquentes de peccato S. Petri, qui tam ignaviter & turpiter suum abnegaverat Dominum, dicunt quod illum deseruerit Salvator usque ad illud punctum, suæ permiserit imbecillitati, & permiserit ut succumberet ad vocem vilis ancillulæ, in punitionem suæ temeritatis, nam nimium de seipso præsumens dixerat, quod quamvis omnes eum essent deserturi, se nunquam tergiversurum, imò paratum esse mori cum illo. Peccatum mortale graviorem meretur pœnam, quam veniale, annon merito timeas, quod in punitionem unius peccati mortalis commissi sinat te cadere in aliud, & in pœnam secundi in tertium, quartum, quintum, cum scriptura dicat, quod peccata ad instar catenæ innexa sint, & se invicem sequantur? *Iniquitates manus vestræ concinnant.* Excepto S. Petro, videmus omnes, aut saltem ferè omnes, qui in peccatum mortale prolapsi sunt, non fuisse contentos semel cecidisse, sed perseveraverint, & alia graviora commisisse crimina? Sicut fecerunt Cain, Saul, Pharao, Achab.

Chrys. hom. 31. ad Hebr. Basil. hom. 21. de humilitate.

Psal.

VII. Verum enim hoc quidem dicetis mihi, sed gratia Dei omnipotens est, nemo est tam excæcatus, quem nequeat illuminare; non sunt tenebræ tam crassæ, quas non possit dissipare; Non est glacies tam dura, quam non liquefaciat & dissolvat, Cor tam obstinatum, quod non emolliat, voluntas tam rebellis, quam non vincat, & domet, Verum hoc quidem est, Deus victricem hanc gratiam nulli promisit peccatori in particulari, nulli illam debet, & pluribus illam denegat.

Sed

Sed nunquid non dixit Salvator, quod neminem ad se venientem rejicere velit? Sed etiam adjunxit: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus Cælestis traxerit eum.* Sed replicas: S. Augustinus dicit: Si non es attractus, roga Deum ut te attrahat. Et Filius Dei hanc nobis facit promissionem. *Petite, & accipietis. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sic est, Omne quod petitis, prout petere oportet, & prout Deus vult, ut petatis, alias non obtinebitis. Nam S. Jacobus dicit: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* Et S. Augustinus: *Dat omnibus affluenter, his utique, qui si petunt, & tantum petunt quomodo, & quantum res tanta petenda est.* Et devotus ille Thomas à Kempis. Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam Domine, quid possum conqueri si me deseris, aut quid justè obtendere possum, si, quod peto, non feceris?

Iacob. 5. Aug. de natu. & grat. tract. 17. Lib. 3. de imit. cap. 4.

Salomon asserit, & fatetur, quod nemo castus esse possit, nisi Deus illi conferat donum continentiæ, hoc donum à Deo petiit, non taliter qualiter, non languidè, & perfunctoriè, & medio corde, *sed ex totis præcordiis.* Et nihilosecius, quod stuporem meretur, non obtinuit, sed in annis senilibus totus factus est voluptuosus, & carnalis, quia non postulavit illud debita humilitate, confidentia, & perseverantia, quam Deus in illo requirebat. Sicut cum scriptura dicit: quod qui invocaverit nomen Domini salvus erit, non intelligitur, quod omnes qui taliter qualiter invocant nomen Domini salvandi sint: sed qui illud invocant cum fide, pietate, devotione & puritate conscientiæ, quam Deus desiderat.

Sap. 8.

Agedum, dicis orare non potes, nisi Deus tibi aperiat os. *Domine labia mea aperies,* rogabat David. Nihil postulare potest in nomine Salvatoris nisi Spiritus Sanctus in te oret. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Immò non potes habere voluntatem, nec velle orare, nisi Deus per misericordiam suam tibi donaverit: Nam: *Operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Nec bonam habere potes cogitationem, nisi ille tibi illam instillaverit, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis.* Nec in ullo scripturæ loco promisit hunc præstare favorem illi, qui majestatem ipsius infinitam non horret offendere. Præstat quidem illam quibusdam, ut suam exerceat misericordiam, pluribus autem denegat, ut suam exerceat justitiam.

Psal. 50. *1. Corr. 12* *Philip. 2.* *2. Cor. 3.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Idem ostenditur ex parte Dæmonis Primò scriptura, secundo Patribus: tertio Comparationibus, quartò Ratione.

VIII. Dum malignus Spiritus vos tentat, occultat vobis illius justitiam, & non ostendit nisi suam misericordiam, persuadet tibi, quod postquam gustaveris dulcedinem voluptatis, ut appetitui satisfacias, postquam hoc vel illud bonum acquisieris, pro-

cessum istum injustum, viceris, te sis conversurus; Anne adhuc tam simplex es ut ipsius titillationibus & illicitamentis credas?

Ecel. 12. Non audis Spiritum Sanctum, qui te monet per os sapientis. *Non credas inimico tuo in æternum.* Præsertim tali inimico, qui mendax est, & pater mendacii. Dolosè te vult attrahere, ut te in suam perducat pedicam; dum semel captus fueris, tam facilè non egredieris, quam tibi promittis, opprimeris sub dominatione hujus tyranni, sicut S. Augustinus ante suum baptisma, l. 8. Conf. cap. 5. qui de seipso dicit: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Idem Sanctus Pater dicit alibi. Quod Diabolus bene possit nos allatrare, & solicitare ad peccatum, mordere autem nequeat contra nostram voluntatem.

IX. Dicit itaque S. Augustinus quod captivam tenuerit ipsius voluntatem: Nam quamdiu es in statu gratiæ, Sathan nihil contra te potest, non plus quam canis catenæ innexus, latrare potest, contra niti potest, fremere dentibus potest, & ardere desiderio te devorandi, nocere tamen non potest. Quamprimum peccato consensum præbuisti, solutus est contra te, jam in faucibus suis, & sub pedibus habet te: Nam prout ait S. Petrus, & ipsa docet experientia: 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, ejus servus efficitur.* Propriè non est nisi voluntas quæ vincitur per peccatum, antequam enim consentis Diabolo, turbare quidem potest imaginationem tuam, commovere humores, alterare corpus, sed imperium nullum habet in voluntatem tuam, nec per ullam activitatem, aut influentiam illam cogere. Quam primum autem consentis, jam est superata, supplantata, subjugata, & jugo illigata, non est tam libera sicut fuit, captiva est, mancipata est, & serva illius, qui illam vicit. *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Tim. 2.

Applicemus Sanctuario divitias Ægypti, & conceptus Aristotelis lumini Evangelico. Filius Dei de maligno agens Spiritu, qui per consensum in peccatum intravit animam, comparat illum generali exercitus, qui fortalitium aliquod occupavit, & illud in potestate sua tenet manu, & brachio forti: *Cum fortis armatus custod atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Magister philosophiæ profanæ, ut persuadeat populo alicui, ne unquam admittat dominationem principis extranei, qualiacunque adhibeat speciosa promissa, exemplo, & similitudine utitur familiari, & materiam mihi subministrat duarum comparationum satis appositarum, & ad propositum servientium.

X. Adverte ait, quid faciat Eques conscendere volens Equum ferocem, indomitum, & duri oris, diligenter illum curat, fœnum administrat pleno strigili, & avenam pleno præsepio, adaquat sibilando, striget, manu delinit, & demulcet: hisce beneficiis, si vincatur, frænum ori ejus injicitur, Camus naso, sella, sive ephippium dorso imponitur, & pera magna crepidini dorsi, Eques illum conscendit, regit, increpat, circumagit ad dextram, & sinistram, per montes, & valles, jam ipsius intercidit gressum, jam succussare,

..*Tim. 2.*

ſate, jam laxato frœno currere cogit, laborare cogit, fatigat, groſſas ſudare facit guttas, unico verbo, facit de illo quicquid ſibi placet.

Eodem modo, inquit Ariſtoteles, dum extraneus vos ad rebellionem ſolicitat contra legitimum principem veſtrum, ſi tam ſitis imprudentes ut cum illo contrahatis, ſplendida vobis promittet ad oculum, omnes articulos illi propoſitos confirmabit; ſanguine ſuo, ſi neceſſe ſit, ſubſignabit; libertatem religionis veſtræ ſtipulabit, privilegia veſtra vobis integra conſervabit, immunitates veſtras nec in minimo læder; vivere vos ſinet ſecundum antiquas & receptas patriæ leges, & conſuetudines; nulla à vobis, nec in pace, nec in bello exiget ſubſidia: Civitatem tandem ingreſſus, validum imponet præſidium, ex armabit cives, fortiorem ſe illis faciet, præclara promiſſa fallet, tributa, ſuper tributa imponet; nullas audiet quærelas; dicet ſe Dominum eſſe, ipſius eſſe præcipere, & veſtrum obedire; ipſius non eſſe recipere leges, ſed dare; & ſic loco Principis naturalis, & Patris patriæ, tyrannum habetis qui vos opprimit, ſpoliat, & miſeros reddit.

Hoc ipſum eſt in meo propoſito, dum ſpiritus malignus obſidet fortalitium cordis veſtri, mille vos diſtrahit fraudibus, mille perſuadet falſitates, credere vos faciet, quod nonniſi ſemel aut bis conſentietis illi peccato, ut veſtrum vincatis proceſſum, ad obtinendum tale beneficium, ut complacetis alicui magnati, cujus gratia, & authoritas vobis eſt neceſſaria, & impoſterum de hoc pœnitudinem concipietis, ad coſeſſionem accedetis, indulgentias lucrabimini, ſacro roſario nomen dabitis, ſcapulare aſſumetis, Religionem intrabitis. Ingreſſus demum per compoſitionem, veſtrum conſenſum, dominum ſe reddit loci, ſpoliat animam armis ſpiritualibus, gratiam vobis aufert Dei, & dona Spiritus Sancti, bona propoſita evaneſcere faciet, & Sanctas conſuetudines, avertit ab audiendis concionibus, impediet confeſſiones, aut ſi illas accedatis, fiet ſine vera contritione, & cum diſſimulatione peccatorum. Abſtrahet vos à conſveta devotione, & operibus miſericordiæ, ſub prætextu, quod meritoria non ſint, eo quod ſitis in malo ſtatu, relabi vos faciet in peccata, non ſolum ejusdem generis, & ſpecie cum primis, ſed & in alia graviora, enormiora, & numeroſiora.

XI. Ratio penè clara eſt: Nam docent nos Sancti Patres, quód Dæmones exercitia, & officia ſua, inter ſe habeant diſtributa: Unus nos tentat in hoc, alius in alio vitio: Lucifer cum ſuis aſſeclis nos tentat in vitio ſuperbiæ, & ambitionis; Aſmodeus cum ſua turma, in peccato Luxuriæ. Quamprimum conſenſum præbuiſti alicui peccato, Dominio ſubjectus es, & tyrannidi illius Dæmonis, qui huic vitio præpoſitus eſt, ac omnem adhibet conatum ut te in illud toties relabi faciat, quam ipſi poſſibile erit, primo ut honorē acquirat præ conſodalibus, & applauſum Luciferi, tanquam qui operi ſuo graviter incubuerit: prout hoc probat *S.* Gregorius per hiſtoriam ſui ævi. Secundo, quo plura te faciet committere peccata, eo putat ſe majorem Deo inferre contumaciam, & infamiam, quo magis te à Deo elongat, quo fortius te decipulis ſuis involuit, & converſionem tuam difficilem

lib. 3. Dialo. cap. 7.

lem reddit, Audi qualiter David ipsius describat hostilitates, & progressum suorum conceptuum.

Persequatur, inquit, *inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriā meam in pulverem deducat.* En progressum Dœmonis ut te perdat, en processum, & scopum, En deplorandum finem illorum, qui ipsius consentiunt artificiis, ipsius cedunt tentationibus. *Persequatur.* Persequitur te omnibus viribus, bellum tibi movet, & igne, & sanguine: interius, & exterius, per se, & suos administros per illicitamenta tuæ carnis, per suggestionem mundi, per timorem, & blandimenta, vi, & artificio, si tam sis imprudens ut ei consentias. *Comprehendat*, manum collo iniiciet, apprehendet, & terræ allidet, de hinc pedem gutturi imponet, impedit ne resurgas, in malo statu perseverare facit. *Conculcet in terra vitam meam.* Et si quandoque resurgas, si suis temporibus ad confessionem accedas, attamen relaberis, *Peccator adjiciet ad peccandum.* Nam gloria tua in pulverem deducta est, liberum nimirum arbitrium, in quo totus tuus consistit honor, quo à bestiis distingueris, & supra illa extolleris, est adinstar pulueris, lusus venti, leve, in constans, mutabile: *tanquam pulvis ante faciem venti.* Eccl. 3

PVNCTVM TERTIVM

Probatur idem ex parte nostra

idque ex variis locis: Primo Scriptura, secundo Patribus, tertio Ratione.

XII. Repeto adhuc semel, licet ad confessionem accedas: Nam prout dicit S. Bernardus, dum peccato consentimus, in lutum cadimus, & super acervum lapidum; deturpamur, & lædimur: anima nostra tota est sordida, tota contrita; per pœnitentiam perfectam lavamur, sed non tam subitò sanamur; absolutio tollit maculas, sed non sanat vulnera, semper funestus remanet effectus, corruptio nimirum naturæ, malæ species in imaginatione, debilitas in voluntate, tarditas ad bonum, inclinatio ad malum, rebellio sensualitatis; omnia hæc te infestant, te movent, & magnam tribuunt dispositionem ad relapsum. Serm. 1. de Cœna Domini;

XIII. Quapropter cum peccatum committis, in temetipso collocas inimicum, tyrannum, tentatorem millies periculosiorem, assiduiorem, importuniorem, quam sint omnes inferni Dæmones, nimirum concupiscentiam personalem. S. Thomas nobis hujus conceptus præbet subjectum, & occasionem. Nam tractans de sequela peccati, monet ut advertamus peccatum actuale, in quolibet nostrum quasi eosdem producere effectus, quos peccatum primi hominis produxit in tota natura humana. 1. 2. q. 81. art. 3.

Ex quo concludendū est, in nobis duplicis generis esse posse concupiscentiam, originalem, & personalem: Originalis fructus est, sive partus peccati originalis, communis omnibus hominibus, solo homine Deo, ejusque sanctissima Matre exceptis: titio est, & illicium peccati, quo incessanter tentamur, nec extinguitur nisi in morte, non enim suffocatur in baptismate, nec exorcismis expellitur. Concupiscentia personalis in quolibet nostrum est, quamprimum

primum consensimus peccato mortali, est continuus pruritus inclinatio, & propensio, quæ nos in nova ducit peccata. Et sicut concupiscentia originalis non extinguitur per baptismum, sic nec personalis deletur per absolutionem. Diabolus fugari potest per signum S. Crucis, vel aquam benedictam: *Aut fugi, aut fugari potest.* Sed neutrum horum nos tutos reddit à funesta hac concupiscentia. Incursum maligni Spiritus sæpe evitare possumus, secedendo ad Ecclesiam ad præsentiam venerabilis Sacramenti: sed maledicta hæc concupiscentia nos sequitur ubique, prosequitur, solicitat in omni loco, in agro, in civitate, in domo, in Ecclesia, in societate, in solitudine. Sathanas nos ad voluptates allicere non potest immediatè, & per seipsum, hæc concupiscentia vero illicium est, fascinum, & amorsus actualis, & continuus ad nova peccata.

CONCLVSIO

Primo Scriptura, secundo Rationibus tertio Comparatinibus.

XIV. De vobis igitur, & vestræ farinæ hominibus peccatoribus, loquitur Spiritus Sanctus in proverbiis, dicens: *Sequitur illam* (voluptatem scilicet) *quasi bos ductus ad victimam, & nescit quod de periculo animæ ejus agitur.* Vos sequimini allectamenta carnis, tentationes Diaboli, & Mundi, sicut bos quem antiqui ducebant ad Altare ut immolaretur. Bos talis magna conducebatur pompa, cum sono fistularum, & tympanorum, coronatus herbis, & floribus, & post omnẽ hunc apparatũ, mactabatur. Prov. 7.

Vos O peccatores peccata committitis audacter, gaudenter, & alacriter, inde trophæa ducitis, & vos glorificatis, Videmini vobis Rex fabarum: & non advertitis quod agatur de vestra salute, periculum incurratis vestræ æternitatis: Nã subitanea mors in pessimo hoc statu obrui potestis, quæ indies variis contingit accidentibus. Et si hæc vos non contingat, tamen ex his sordibus surgere non potestis, nisi Deus vos retrahat, ad quod cum non obligetur, magnum erit dubium, an vos extrahere velit. In tota sacra scriptura non reperitur quod alicui peccatori in particulari promiserit quod illum velit extrahere, in pluribus autem locis legitur minatus, quod velit deserere, punire, & perdere omnes criminosos.

Psalmo 5. dicit *Non permanebunt injusti ante oculos tuos*? & paulo inferius. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Psalm. 36. *Peccatores peribunt.* Psalmo 72. *Qui se elongant à te peribunt.* Psalm. 144. *Omnes peccatores disperdet.* Cur ergo speras in promissum tibi nunquam à Deo factum, & non times minas toties repetitas? In summa; omnis confidentia tua non est nisi purum fortè. Si enim committas peccatum, fortè Deus, exercendo suam misericordiam te extrahet. Forte etiam, exercendo suam justitiam, te in illo sordescere permittet. quorum primum non magis potes sperare, quam secundum timere. Psal. 5.

Dum es in statu peccati mortalis, nihil

in te habes quod mereatur misericordiam Dei, sed potius objectum potentissimum, quo provocetur ipsius justitia. Non repetiet nisi in semetipso motiva misericordiæ; invenit autem & in semetipso, & in te motiva, & subjecta justitiæ. Ut exerceat contra te suam justitiã, non habet multum quod agat, vel dicat, sed tantum ut à te recedat, & te deserat in tua miseria, Sed ut exerceat erga te suam misericordiam, magna op⁹ est ut erga seipsum utatur violentia, oportet enim ut ipsius misericordia. supderet, & supplantet ipsius justitiam.

XV. Experientia clarum est, plures homines objectum esse justitiæ quam misericotdiæ Dei: Plures enim inveniuntur, qui relabantur in secundum, tertium, quartum, immò centesimum peccatum, quam qui resurgant post primum. Et si difficile tibi sit modo resistere tentationi, cum Deus adhuc tibi assistit, & Angeli auxiliantur, quomodo facies ab his desertus, & tibi soli re lictus? Si non potes dum liber es, & tuæ potestatis, quomodo facies captivus existens, concatenatus? Si non possis resistere dum adhuc es protectus, & armatus gratia Dei, & donis Spiritus Sancti, quomodo facies totus nudus, & his spoliatus armis? Si nequeas adhuc consistens in pedibus, quomodo facies terræ allisus, & pedibus gutture calcato? Si non possis fortis, & sanus, quomodo poteris debilis, vulneratus, & languidus?

Si ergo te reperias in statu gratiæ, Dic cum Job, & fac sicut ille: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea, & justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Ne deseras statum innocentiæ, prætextu illum recuperandi per pœnitentiã; melius est habere, quã venari: Facilius propugnatur obsessa Civitas, muris, & fortificationibus adhuc integris, quam repellere inimicum per muros disruptos intrantem. Præstat fugere obvium serpentem, quã ipsius curare morsum, Non sordidare vestẽ sericam, quam maculatam lavare, & mundare: Conservare sanitatem per bonam dietam, & frugalem vitam, quam contracta infirmitate convalescere. Dicuntur Insulæ fortunatæ tam puri, & salubris esse aeris, quod nemo ibi moriatur: Est fictio Poetarum: Si enim verum esset, omnes eò se conferrent Reges, nec unquam egrederentur. Si tibi hæc obtingat felicitas in insulis fortunatis gratiæ Dei, si prudens sis, vide ne egrediaris: si ibi perseveres, securus es quod non morieris; vel si ad exiguum tempus moriaris, non erit ad mortem, sed ad vitam, ut immortalis effectus, semper regnes impassibilis, & beatus Amen.

SERMO SEXTUS.

Pro Dominica prima post Epiphaniam.

Dolentes quærebamus te.
Lucæ 2.

EXORDIUM.

POstquam serenissima cælorum Regina cum Sanctissimo sponso, integro triduo summo cum dolore cordis circui-

circuierat, & filium suum in templo in medio Doctorum, tandem in hæc verba erumpit *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et sane justus, & rationabilis hic dolor erat, neque enim melius dolere poterat virgo, quam quod filium suum amisisset; nullus enim est dolor melior, & utilior, immò magis necessarius, quam quod per peccatum Deum amiserimus. Interim pudor est quod magis doleamus ob jacturam temporalium, quam æternorum, & nos confundit Michas de quo vide caput decimũ tertium Iudicum, ut autem incitemur ad dolorem eliciendum de Deo amisso, ostendam hac concione iis qui innocentiæ Statu deserto Deum amiserunt, pœnitentiam, seu dolorem de peccato esse omninò necessarium.

Poenitentiam agite: Matth. 3

I. QVamvis omnis generis homines, ex omnibus mundi partibus ad coelum ire possint; Nihilosecius fatendum est, quod, sicut jam vidimus, eò perveniri non possit, nisi duabus viis, innocentiæ nimirum, & poenitentiæ: Heri ostendimus Innocentiam viam esse securiorem, hodie declarabo viam alteram absolutè necessariam esse iis, qui aberraverunt à prima. Verum est, nonnisi animas, in via innocentia constitutas te in exemplum, & Ideam habere posse O Sanctissima virgo: verum qui inambulant viam poenitentiæ, te in Asylum habeant oportet. Prototypon, & exemplar peccatorum non es, sed eorum refugium, eorum Advocata, eorum mediatrix: imitari nequeunt tuam innocentiam, sed implorare debent tuã assistentiã, prout nos devotè facim⁹ te salutando. Ave Maria.

IDEA SERMONIS.

Punctum unicum. Pænitentiæ necessitas probatur primo scriptura secundo Patribus, tertio conciliis, quarto rationibus ex parte Dei. Et ex parte nostri, quinto Exemplis, sexto Responsione ad objectionem.

II. CUm sensualitas, & amor proprius, qui in nobis est, à peccato primi hominis, repugnantiam, & aversionem in nobis generet omnium, quæ nostris contrariantur sensibus, difficile hominibus persuaderi potest pœnitentiæ necessitas, nisi convincantur probationibus tam potentibus, & irrefragabilibus, ut nihil habeant quod contradicant. Probabo igitur illam omnibus viis, quibus Catholica aliqua veritas probari potest. Nimirũ per scripturam sacram, per Sanctos Patres, per concilia, per rationes Theologicas, per exempla Sanctorum, & per responsionem ad objectiones amoris proprii.

III. Ipse Filius Dei illam nobis declaravit verbis tam claris, formalibus, & expressis, ut si vel minimam haberemus fidem, nihil super addendum esset. Apud S. Lucam, ut hanc veritatem altius inculcet Spiritui nostro, bis repetit. *Nisi* *Luc. 13.*
poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Et. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Non dicit, non eritis tam alti, & felices in gloria cœlesti, ibitis ad purgatorium; sed omnes peribitis, hoc est damnati eritis: sic loquebatur apud S. Joannem de Juda: *Nemo ex iis periit nisi Filius perditionis.* In textu *Ioan. 17.*
Græco, & Latino habetur quoad utrumque locum idem verbum, Injurius ergo est authoritati, & respectui,

 quem

quem hæc verba in nobis habere debent, alias hujus experere probationes.

Quid faceretis si vobis dicerem Carthusianum aliquem, aut Camaldulensem, qui hucusque triginta annis vixit in solitudine, in maxima sanctitate, cras è latebris suis egressum, ad hanc venturum urbem, hanc conscensurũ Cathedram, ut vobis ex parte Dei, à quo expresse ad hoc missus est, prædicet verbum salutis? Nonne omnes turmatim accurreretis? Nonne attentissimè auscultaretis? Annon in praxin redigeretis quæ vobis annuntiat? Annon reprobum æstimaretis illum, qui ipsum sperneret? Quis unquam Carthusianus, aut Camaldulensis sanctior fuit Joanne Baptista, à Prophetis prædicto, miraculosè concepto, in Ventre Matris sanctificato, qui triginta exegit annos in deserto, in maxima austeritate, & vitæ puritate? Expressum à Deo accipit mandatum, solitudinem deserat, ut nobis prædicet: *Factum est verbum Domini super Joannem in deserto.* Prædicandum autem non venit nisi: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Procul dubio prædicatio hæc maximi est momenti, si unquam ulla: Quid ergo dicit in hac sua prædicatione? *Pœnitentiam agite.*

Luc. 3. *Luc. 1.*

IV. Et ipse salvator non erubuit in prima sua prædicatione hunc ipsum proferre sermonem: Non timebat ne diceretur: Prædicator hic aliud non dicit, quam quod dicit Joannes Baptista: Et ne videretur quod pœnitentiam non prædicaverit, nisi ut præpararet populum, ad maxima quæ completurus erat mysteria; post completionem omnium horum mysteriorum, post Resurrectionem, & ascensionem suam mandavit Apostolis prædicare pœnitentiam. S. Petrus ipsa die Pentecostes clamat: *Pœnitentiam agite.* S. Paulus in Areopage Atheniensi dicebat: *Nunc annuntiat Deus hominibus ut omnes pœnitentiam agant.* Nota omnes. Et ne diceretur quod prædicaret hominibus necdum baptizatis, ut disponerentur ad Baptismum; idem filius Dei, in throno gloriæ suæ sedens, mandat Episcopo Ephesino, sicut & Sardicensibus, & Laodicensibus ut pœnitentiam agant, & nisi illam egerint, reprobari timeant: Econtra per suos clamat Prophetas, quod si peccator pœnitentiam egerit resolutionem, & propositum mutare velit exercendi contra illum vindictam.

Apo 2.

Hoc Doctori Angelico occasionem dedit, hanc maximam theologicam stabiliendi: *Impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia ut est virtus.* Peccatum mortale remitti potest, sine Eucharistia, sine absolutione, sine alio sacramento, dum tempus aliter non permittit: Nunquam tamen contigit, nec continget ut remittatur sine pœnitentia, sive actuali, sive virtuali: Pœnitentia non tali, quali; sed sincera, legitima, vera, & cordiali.

3. p. q. 86. art. 2. in carp:

V. Nam præcellenter dixit Tertullianus: *Hoc pretio nobis Deus veniam addicere instituit, si ergo qui venditant, nummum prius, quo paciscuntur examinant, sic Deum credimus pœnitentiæ probationem, prius inire, tantam nobis mercem, vitæ scilicet perennis, concessurum.* Si igitur tibi persuadeas, Deum tibi peccata tua condonaturum sine pœnitentia, tanta

Tertull: de pœnit:

tanta est fatuitas, ac si ab aliquo mercatore prætiosas velles emere merces, absque eo quod vel minimum illi dares.

Tota Ecclesia in uno corpore in Concilio Tridentino congregata, dicit hanc necessitatem tam esse universalem, absolutam, & indispensabilem, ut omnes qui unquam peccatum mortale, sive in lege Naturæ, sive Mosaica, sive gratiæ, sive ante, sive post baptismum commiserunt, pœnitentia egeant, ut recuperent gratiam Dei, & justificentur in præsenti. Verba Concilij sunt:
Sess. 16. c. 25. *Fuit autem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi sacramento ablui petivissent.*

VII. Rationes quas afferunt, & sanctum Concilium, & sacra scriptura, desumi possunt vel ex parte Dei, vel ex parte hominis. Si enim pœnitentiam non egeris, offendis Dei magnitudinem. Si tibi quisquam ignominiam intulerit, aut alias graviter injurius fuerit; si de hoc non doleat, se compareat, & transeat coram te nullam ostendens displicentiam, disobligat te in summo gradu, renovat, & novo veneno inficit inflictum vulnus, eo quod ostendat quod te parvi faciat. Rei estis Criminis læsæ Majestatis, nec vobis cordi est: offendistis Regem Regum, qui semper vobis præsens est, & vos semper in ejus versamini præsentia, & in utramque dormitis aurem: Luditis, ridetis, comeditis, bibitis tanta alacritate, ac si nihil deliquissetis.

Quanta hæc insensibilitas? Quantus contemptus magnitudinis Dei? Nero Imperator occidi fecit Senecam Philosophum, eo quod apud illũ se disgratiatũ, intelligeret, Senecam hoc flocci facere, & nihilo secius in domo delitiarum vitam agere volupem, & gaudiosam. Hoc ipsum Adrianus Imperator, eadem de causa facit Taciano. Sacra scriptura, jure merito taxat filios Jacob insensibilitatis, eo quod cum graviter offendissent Deum, denudando, & affligendo fratrem Joseph, statim assederint ad bibendum, & manducandum, ac si nihil mali egissent. Contemptus hic magnitudinis Dei, induratio hæc, qua illo offenso, pœnitentiam non agitis, plus inflammat ipsius iram, quam peccatum quo illum offendistis. Unde Chrysostomus ex Ecclesia Græca dicit: *Peccatum non dolere, magis Deum indignari facit, & irasci, quam peccare.* Et S. Cyprianus ex Ecclesia latina: *Ecce, inquit, peiora peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse, nec delicta deflere.* Imo Deus ipse conqueritur per Jeremiam: *Attendi, & auscultavi, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens quid feci?* Annon infelix quod sum offendis Deum?

Hom. 40. ad

Cypr. de lapsis.

Ier. 8.

VII. Offenditis insuper justitiam Dei: Non enim timetis ipsius comminationes, non formidatis ipsius plagas: Nam ut ait Propheta Regius. *Non est illis commutatio, & non timuerunt Deum. Extendit manum suam in retribuendo.* Si homo bene armatus tibi diceret, discede hinc, alioquin te transfodiam gladio, vel ictu sclopeti perforabo caput tuum, tu econtra maneres fixus in eodem loco, anne Psal. 54.

anne

anne hoc esset risum illum facere? Ostendere quod illum parum timeas, & quod minas ipsius æstimes verba vana, & frivola? Dicit tibi justitia Dei: recede à malo statu, in quo versaris, desere peccatum, age pœnitentiam, alias veniam contra te, vibrabo gladium vindictæ meæ in caput tuum criminale; & tu ad instar petræ manes immobilis, perseveras in pessimo tuo statu, longè post tergum tuum omnes projicis cogitationes pœnitentiæ; ut placatum reddas iratum Deum; Annon hoc est ridere eum, ipsius spernere minas, & lædere justitiam?

VIII. Lædis præterea ipsius immensitatem, nam in te conservas objectum, quod illum offendit, & illi infinitè displicet. Si tibi famulus tuus in cubiculo tuo reposuisset phialam fœdido repletam fimo, & tu inde meritò offensus, ille tibi ridendo replicaret, si tibi hoc displicet, amplius non afferam; Nonne meritò illum objurgans diceres, non sufficit plures non afferre sordes; sed & allatas auferre debes, & veniam deprecari: Non est lutum in plateis Parisientibus, nec fimus in alveolis stabulorum, nec cloaca in hospitali tam foetens, & insupportabilis hominibus, quam abominandum sit peccatum coram Deo. Forte illud amplius non committes: Verum jam commisisti, nec pœnitentiam agis, fimum hunc foetidum in anima tua, quæ habitaculum est Dei, relinquis: si fimum, vel aliud quidpiam displicens, & nauseam generans sit in cubiculo tuo, tu illud semper ante oculos non habes; nam sæpius egrederis, & te absentas: Deus autem se ab aspectu tuorum peccatorum elongare non potest, sed semper monstrum hoc horrendum, & abominabile ipsius obversatur oculis, & cogitur ex natura, & immensitate essentiæ suæ, semper commorari in anima tua, quæ de facto est in statu peccati, quāvis illud amplius non committeres; Verum nimis probabile est, quod nova committes, & præcedentibus enormiora, nisi poenitentiam agas.

Hoc indicare voluit Propheta dicens: *Abijssus abijssum invocat*: Et S. Bernardus, *Dies diei eructat crimen, & nox nocti indicat malitiam.* Addit S. Gregorius: *Peccatum quod pœnitentia citò non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit.* Peccatum nos elongat à Deo, & facit ut Deus se elonget à nobis, & nos privet gratia sua particulari, obscurat intellectum, disordinat voluntatem, debilitat liberum arbitrium, inflammat concupiscentiam, propendere nos facit, & facilitat, & inclinat ad relapsum: Quis non videat, quod nisi promptè deleatur, te in nova protrusurum sit præcipitia, & si primum peccatum, adhuc solum, & sine assistentia tam funestos producat effectus: quantò magis, dum secundo, tertio, quarto, quinto associatum fuerit? Alium, præter te hujus testem non requiro; Anne verum non est, quod ex quo primum commisisti peccatum, voluptate illectus, & inescatus, in te expertus fueris, nescio quem pruritum, & quasi inevitabilem inclinationem, secunda vice illud committendi, & deinde tertia, & quarta?

IX. Et quamvis non relaberis cum semel lapsus sis, nisi poenitentiam egeris, & semper es in statu, & habitudine peccati; volo dicere, duobus digitis ab

ab inferno, & in ipsa ripa damnationis; Nam inter te, & infernum nihil, nullum est medium, nisi exiguum filum vitæ tuæ, quod mille accidentibus intercidi potest. Prô quanta temeritas! Quadam die in præsentia magni alicujus Regis alicui nobili probrosè objiciebatur, quod ignavus esset, abjecti animi, & vitiosus. Rex vero prudenter replicabat, nescio quomodo hoc dicere possitis; ad me quod attinet, æstimo illum sat audacem, extremè, & quantum fieri potest audacem: & audaciam ejus tantam esse, ut declinet in temeritatem; immò, assero supremam esse audaciam, & temeritatem tam horrendam, ut vix possit similis imaginari, quod vitiosus cum sit, audeat se committere lecto, & securus dormire. Præclarè sanè princeps ille. Vtique audiuntur mortes subitaneæ; hi moriuntur apoplexia, illi balneando submerguntur, aut vadum transeuntes: alij occiduntur, nescio qualiter; & tu non times? Si aliud non esset periculum, quam quod pœnitentiam non agas, ex hoc solo defectu incurris periculum, & quidem maximum, certum, & inevitabile. Dicit Salvator noster Episcopo Sardicensi: Quod si pœnitentiam non agat, venturus ad illum sit instar furis, hoc est dicere, quod inopinatè velit illum aggredi, & ad suum pertrahere judicium, cum minimè putaverit. Tibi autem dicit in Evangelio; *Qua hora non putatis filius hominis veniet.*

X. Verum supponamus hoc non futurum, nec te morte subitanea periturum, sed victurum, quinquaginta, sexaginta, imò octoginta annis, Annon vides quod pœnitentiam negligendo, defraudes teipsum fructu meritorum omnium bonorum operum tuorum; involvas te necessitati dicendi in hora mortis tuæ: Per totam vitam laboravimus, & nihil coepimus. Dicit Aristoteles inter domesticos fures, perniciosorem non esse, quam qui furatur grana, quæ Paterfamilias destinaverat terræ in seminando; damnum enim hoc æstimari non debet secundum valorem illius, quod furatur, sed ex pretio messis inde proventuræ. Quandoque bona quædam facis opera, jejunas, eleemosynas elargiris, oras; quantum putas valet Messis inde colligenda? Nec ego, nec quisquam mortalium, nec Angelus de cælo illud dicere potest: Messis est infinita, reditus sunt non annui, sed continui; non perpetui, sed æterni; quodlibet horum bonorum operum tibi producet gaudium, delitias, honores, divitias, felicitates, ad centum, ducentos, decem mille, immò centum mille annos. Hinc nec Angeli, nec Archangeli, nec Seraphim, nec ipsa Virgo pretium hujus computare valent, pretium inquam recompensationis, quam quodlibet meretur bonũ opus, immò nec Deus ipse illã numerare potest, cum sit infinita. Et tu omnem hanc perdis Messem, ingentem hunc recompensationũ numerum, vivendo in statu peccati, & negligendo facere poenitentiam, *Perdit quod vivit, qui Deum non diligit*, inquit S. Augustinus. Verum non solum perdis fructum, & merita vitæ tuæ, sed insuper implicas te infelicitati, & supplicio mortis, æternę;

Nam

Nam omnino non sunt nisi duæ viæ ad evitandam damnationem, Innocentia, & pœnitentia: Innocentiam non habes, nam ut nosti, per tot commissa crimina illam amisisti: Quo te deventurum existimas nisi pœnitentiam egeris? An sapientior es ipso sapiente, qui composuit librum scripturæ sacræ: Ipse enim dicat: *Nisi pœnitentiam egerimus, incidemus in manus Domini.*

Esne securior de tua salute, quam S. Paulus, qui dicit ad Corinthios: Castigo, *græce*: Contundo corpus meum, & in servitutem redigo; ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.

XI. Esne sanctior Episcopo Ephesorũ, quem laudat in Apocalypsi Filius Dei, sed quia nonnihil tepuerat à fervore charitatis, illi dicit: Pœnitentiam fac, alioquin movebo candelabrium tuum de loco suo.

Esne homo probioris notæ, quam S. Chrysostomus, qui dicebat suis Diocoesanis: Vos mihi non creditis, verum tamen est, magnam habeo causam dubitandi de mea salute, & timendi damnationem; cum enim obliger deplorare vestra peccata, & agere pœnitentiam: mihi non sufficit, nec tempus, nec lachrymæ, ad deflenda propria peccata.

Pœnitens illa Olimpios, vel ut melius dicam, filia Spiritualis magni illius sancti, tenaci memoria ipsius retinuerat doctrinam: postquam enim in virginitate vixerat cum marito suo Nebridio Constantinopoli Præfecto, ut expiaret juventutis delicta, exigua quamvis, & levia, distributis in pauperes maximis, quibus affluebat divitiis, hospitalibus, & Ecclesiis per totũ mundum is structis, ditatis; pauperiores assumit vestes ipsis pauperibus, Matrem se constituit Orphanorum, refugium omnium afflictorum, continuo plorat, & vitam ducit ad stuporem austeram. Testatur hoc ipsum Palladius, & S. Chrysostomus in pulcherrimis epistolis ad hanc sanctam pro justitia in exilium actam datis: ubi illi consulit ut remittat paulisper ab austeritate pœnitentiæ, ob infirmitates, quibus continuo conflictabatur.

XII. Sanctior ne es S. Machario, tot Sanctorum Eremicolarum Patriarcha, cum quibus dum quadam vice esset in conferentia Spirituali; pro exordio sui discursus, assumebat Lachrymas, pro narratione, confirmatione, & conclusione, non faciebat nisi callidas profundere lachrymas, Religiosis autem suis stupore attonitis: Ploremus, ploremus, inquit fratres, & amarè ploremus in æternum. In eundem sensum S. Bernardus. *Quis dabit Capiti meo aquam, & oculis fontem Lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium.* Tu certe devotior non eris hoc mellifluo sancto. *Ser. 16. in Cant.*

Necessarium ergo è duobus unum est: aut dicere magnos hos sanctos debilis fuisse Spiritus, quod terrore hoc panico, & puerili timore ita consternati, & judicio destituti fuerint ad dignoscendam immensam Dei misericordiam, vel concedendum erit nos valde esse insensibiles, & omni carere apprehensione, Ubi homines tam judiciosi, sapientes, Sancti, & à Deo illuminati, tanto fuerunt percuisti timore.

Sat perspectum habeo quia vos absterreat: nimirum quia imaginamini vobis

bis pœnitentiam in facie austera, pallida, marcida, & mortificata, solum pœnitentiæ nomen vos conterret, quia sapit laborem, & pœnalitatem. Verum, ubi unquam vidistis, vel audivistis, quod post peccatum primi hominis, quispiam magnum aliquod obtinuerit bonum absque labore, & pœna? An exiguum æstimatis bonum liberari è captivitate Diaboli? De servitute peccati? De periculo damnationis? De furiis synderesis? Restitui gratiæ Dei? Abolitionem obtinere, & remissionem omnium vestrorum criminum? Dignitatem filiorum Dei, & jus ad vitam æternam?

Verbum hoc Pœnitentia derivatiâ pœna Verum est, sed tam magna non est, quam vos vobis imaginamini. Succursus divinæ gratiæ, unitio S. Spiritus, suavitas amoris Dei, assistentia sacratissimæ virginis & sanctorum, ipsa ejus assuetudo suave vobis, & facile reddent, quod in præsenti impossibile videtur.

CONCLVSIO.

Per paraphrasin verborum

Pauli act. 17. *Nunc annunciat* Deus, *ut omnes pœnitentiam agant.*

XIII. Audite Præconem Cœli, & obsequimini ipsius monitis: S. Paulus est, qui loquitur in Actibus Apostolorum. *Et nunc Deus annuntiat hominibus ut omnes faciant pœnitentiam, eo quod constituit diem in quo judicaturus est mundum.* Ponderemus omnia hæc verba.

Deus annuntiat. Ille qui offensus, & læsus est, infinities major est vobis, vestri non indiget, sed vos illo extremè indigetis, vos illum omni submissione requirere deberetis quod negligitis, ille autem vos prævenit, vestram quærit amicitiam, incitat ad reconciliationem: O stupendam bonitatem!

Hominibus. Non Dæmonibus, O si hanc gratiam præstitisset malignis illis, & infelicibus spiritibus! Si illi in vitarentur ad pœnitentiam! Si vel momentum temporis, vel minimus motus gratiæ ad se convertendum illis concederetur; Quam bene impenderent! Vobis tot conceduntur momenta, horæ, dies, septimanæ, immò tot anni, tot boni motus, & inspirationes, tantum luminis, tantū gratiæ! Et illis abutimini?

Hominibus. Nam, *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Quod descenderit de cœlo, peragraverit terram, mortuus sit in Cruce, factum est ut nobis mereretur gratiam pœnitentiæ, & nos ad illam invitaret: *Oportuit Christum pati, resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam.* Contemnitis inæstimabiles hos thesauros, divitias ipsius bonitatis, mysteria ipsius Incarnationis, vitæ, mortis, passionis, resurrectionis, quæ inutilia redditis vestra obstinatione; contemnitis divitias patientiæ ipsius, qua vestra dissimulat peccata, & tanto tempre vos expectat spe conversionis: spernitis thesauros ipsius misericordiæ, qua paratus est vos recipere, qua generalem vobis promittit amicitam, qua extendit brachia sua ut vos recipiens amplectatur teneritudine, & favore maximo, & inæstimabili.

Omnes. Ne quidem unico excepto, quantumvis magnus sit peccator; quantumvis enormia, nigra, & multipli-

cia vestra sint crimina, ad pœnitentiam vos invitat.

Pœnitentiam agant. Si ergo sapitis pœnitentiam agite, nisi perire velitis: Concipite ex animo, cogitationes odij, horroris, & abominationis, peccatorum. Æstimate vos infelices, miseros, & imprudentes quod illa commiseritis, habetote de illis pœnitudinem, & displicentiam maximam, vivam, & penetrantem; credite omnem aliam quamcunq ue infelicitatem vobis potius optandam, nimirum processus, hereditatis, reputationis amissionem, quam hujus commissionem, Voluntatem habete veram potius amittendi bona, honorem, proles, sanitatem, vitam, & omnia quam unicum deinceps committendi peccatum. Resolvite satisfacere justitiæ divinæ, ipsi omnem possibilem reddendi honorem, loco inhonorationis ipsi factæ; practicandi quævis bona opera quæ potestis, ut illi complaceatis, loco displicentiæ illi illatæ: Patienter & cum gaudio acceptandi, omne id quod vobis continget contra vestram voluntatem, cum tanta patraveritis contra ipsius sanctam, & adorandam voluntatem; faciendi eleemosynas, preces, mortificationes, quæ poteritis secundum vestram conditionem; privandi vosmetipsos pluribus recreatiouibus, ludis, jocis, etiam innocentibus, quo sic de vobis ipsis pœnam sumatis de actionibus illicitis, & criminalibus hactenus commissis.

Nunc. Jam, jam in præsenti, absque ulteriori dilatione; Nunquam illam tam bene egistis, & fortassis nunquam tam bene agetis, quam modo agere potestis. Forte enim plus quam quinquaginta Confessiones nullas, & invalidas in vita vestra fecistis, non habuistis dolorem supernaturalem, qualem à vobis requirit Deus, nec veram, & sinceram voluntatem emendatiouis, & evitandi peccati occasiones; forte reconciliati non fuistis inimicis vestris, bona aliena non restituistis, conscientiam debitè non examinastis; fortè ex pudore, negligentia culpabili, ignorantia crassa, & criminali peccatum aliquod omisistis. Confessarium habuistis ignorantem, blandientem; & complacentem, vel carentem approbatione, & potestate.

Modo autem in hac missione Confessarios habetis doctos, expertos, Zelosos, & affectionatos vestræ saluti, qui potestatem habent absolvendi ab omnibus peccatis, qui vos non noverunt, nec unquam viderunt, qui sæpius majora peccata audierunt, quam sint vestra. Conciones audietis, quæ vos familiariter instruent, docebunt veritates, quas nunquam bene apprehendistis, audite illas cum attentione; Antequam Prædicator cathedram conscendat, non confabulamini, sed Deum orate, ut vestra, & vestrorum corda tangat; gratias illi agite, quod hanc occasionē vobis miserit operandi vestram salutem, quam non dedit jis, qui annis præteritis mortui sunt: si hanc negligatis, fortè nunquam illam recuperabitis.

Poterit vobis contingere, quod olim cuidam Catechumeno, qui cum baptismum recipere distulisset, ut vitam dissolutam continuare posset, in articulo mortis improvisò obrutus fuit in silva, ubi non erat aqua. Accurrens quidam, sed serius, clamantem audivit; *Baptismum*

mum, Baptismum, montes baptizate me, aves baptizate me. Ast non erat pro illo baptismus. Unâ harum dierum opprime tuos improvisũ accidens; Clamabis, O Domine vicarie, sed Dominus vicarius exivit ad campum spatiatum. O Domine Paroche, sed Dominus Parochus infirmatur: Confessio, confessio; Non erit Confessarius pro te. Post mortem tuam dicent aliqui, ah: si aliquis illum monuisset: Filius Dei satis ipsi dixerat, insinuando quod nos esset visitaturus, cum minimè putamus. Dixerat & S. Paulus: Cum se pace profunda frui, & de longiore vita securos putaverint, tunc repentinus illis superveniet interitus. Prædicatores acclamarunt: Nescitis diem, neque horam. Tot homines, subitanea morte pereuntes, hoc ipsum satis annuntiarunt.

Ne ergo de cætero dicatis: adhuc satis nobis superest temporis, nil nos premit ad accelerandam pœnitentiam; Immò contrarium est, nihil est, quod non premat. Quid ergo est, quod te premat ad faciendam pœnitentiam? Voluntas Dei est, quæ tibi illam præcipit per S. Joannem Baptistam, Apostolos, Doctores, Ecclesiam, Concilia, & ipsum os filij sui.

Vis scire quid te premat? Timor est, quẽ meritò habere deberes quia offendisti Dei magnitudinẽ, ipsius justitiam infinitam, immensitatem, & præsentiam merito adorandam. Scire cupis quid te urgeat? Timor relabendi in nova peccata, moriendi in malo statu, perdendi meritum bonorum operum, quæ facis; Exemplum tot sanctorum, qui illam tota vita sua sunt sectati; Amor Jesu qui se incarnavit, qui tanta sustinuit, qui in patibulo crucis mortuus est, ut te ad pœnitentiã provocaret, qui te tanta patiẽtia, tanto tempore hac intentione expectavit, qui promisit te excessiva suscipere misericordia: *Charitas Dei urget nos.*

Invitat te occasio oblata, fortè tam citò non reversura, incertitudo futuri temporis, mors appropinquans, importantia, & necessitas salutis tuæ, affectuosa invitatio S. Pauli, qui dicit: Deus annuntiat ut omnes homines faciant pœnitentiam, eò quod judicaturus sit mundum, die statuto. Si in tremenda hac die inveniaris pœnitentiam egisse, liber eris à timore, securus de tua salute, & recipieris ad consortium animarum beatarum in cœlo, Amen.

SERMO SEPTIMUS.

Pro Domin. secunda post Epiphaniam.

Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ Ioan. 2.

EXORDIUM.

Divus Antonius Paduanus hæc verba Evangelii in hodierna Dominica interpretans, dicit animam, quæ zelo amoris transmigrat de vitijs ad virtutes sex habere hydrias, quæ sunt contritio, confessio, oratio, jejunium, eleemosyna, & illatæ injuriæ ex corde remissio, nam hæc sunt, quæ purificant judæos, id est pœnitentes ab omni peccato. Hodie porrò solũ agam de prima hydria nempe de pœnitentia declarando ejus naturã, essentiam, & differentiam specificã, ne decipiamur in re tantæ consequentiæ.

II. Cum virtus pœnitentiæ absolutè necessaria sit necessitate indispensabili omnibus peccato mortali inquinatis, sive ante, sive post baptismum, pro salute nostra necessarium est, scire quid sit

pœnitentia, ejus cognoſcere naturam, eſſentiam, & differentiam ſpecificam, ne decipiamur in re tantæ conſequentiæ. Ut autem à Deo obtineamus cognitionem tam ſalutarem, Eccleſia ad te recurrit O ſacratiſſima Virgo, & ad te dirigit has in ſua publica devotione preces: *Solve vincla reis, profer lumen cœcis.* Ecce duo apprimè conjuncta. Catenæ peccatorum noſtrorum comminui nequeunt, niſi per veram pœnitentiam; veram pœnitentiam agere non poſſumus ſine lumine Spiritus Sancti, ad cognoſcendam illius naturam, illamque diſtinguendam à falſa, tu obtinere potes à Deo hoc lumen, illudque nobis communicare, prout mundo communicaſti lumen æternum, & increatum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quem benedicimus te ſalutando. AVE MARIA &c.

IDEA SERMONIS.

Declaratur natura, & eſſentia virtutis poenitentiæ.

II. DOcet nos Philoſophia, & ipſa oſtendit experientia; quatuor eſſe principaliora ſcientiæ inſtrumenta, hoc eſt quatuor vias, per quas pertingere poſſumus ad cognitionem naturæ, eſſentiæ, & proprietatis alicujus rei. Ethymologiam nimirum, definitionem, diviſionem, & ratiocinationem, ſive argumentationem, quatuor hæ viæ, formabunt quatuor partes mei diſcurſus, & vos ſolidè docebunt, quid ſit vera pœnitentia.

PUNCTUM PRIMUM

Traditur poenitentiæ ethymologia.

III. VErbum hoc pœnitentia, derivatur, à pœna. *Pœnitere, pœnam tenere. Pœnitet me, pœna tenet me.* dicunt noſtri Doctores. Unde quidam veterum Poetarum Pœnitentiam inducit ſic loquentem.

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, ſic Metanoea vocor.

Unde hanc poſſumus trahere conſequentiam: Quod ſicut omnes partes ignis calidæ ſunt, & urunt, eo quod naturæ ignis ſit calidum eſſe, & urere, ſicut omnes partes aquæ humidæ ſunt, & humectant, eo quod natura aquæ ſit humidum eſſe, & humectare, ſic omnes Veræ pœnitentiæ partes pœnibiles eſſe, & pœnam facere. Contritio pœnam cauſat per pœnitudinem, & per dolorem, qui affligit, & affugit cor noſtrum. Quod uſque adeo verum eſt, ut Suarez hanc affirmet propoſitionē: Si peccator aliquis eliceret actum amoris Dei ſuper omnia, amoris puriſſimi, perfectiſſimi, excellentiſſimi, heroici, ſine reflexione ad peccata ſua, non habens etiam dolorem actualem, & formalem; juſtificaretur virtute hujus actus. Si vero iret ad Confeſſionem ſimpliciter, & ſine alia re, abſolutionem fore nullam, cum contritio pars ſit materiæ hujus ſacramenti, non enim haberet contritionem, ſive dolorem formalem, & actualem, ſed ſolùm in valore, pretio, & in eminentia. Anima peccatrix

trix in scriptura sacra comparatur Viperæ. Quando Vipera repleta est Viperibus, illas gignere non potest nisi hæ Ventrem Matris dilacerent. Sic quando anima Christiana concepit peccatum, ab illo abortivo liberari non potest, nec exonerari, nisi voluntas, quæ illius est matrix, laceretur per dolorem, & conteratur per contritionem.

Confessio similiter pœnam causat, per pudorem, quem habes in manifestandis tuis imperfectionibus, & diminutionem reputationis tuæ in animo confessarij tui; hinc patet quod confessiones in quibus palliatis vestros defectus, illos tantum ex parte manifestatis, vel excusatis, imputando illorum causam marito, Vxori, Prolibus, confessiones sint frigidæ, sophisticæ, imperfectæ, & de nullitate suspectæ.

Tandem & satisfactio pœnam causat, per privationem quietis, vel bonorum temporalium, & commoditatum corporalium, quæ per opera satisfactoria præcinduntur, & quæ eo perfectius delent pœnam peccatis nostris debitam, quo pœnibiliores sunt, & laborosiores, prout docet S. Thomas in Commentario suo super illud S. Pauli. *Vniusquisque mercedem propriam accipiet secundum suum laborem.* 1. Corr. 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

Traditur definitio poenitentiæ.

V. INter alias virtutis pœnitentiæ definitiones à Theologis propositas: hæc mihi videtur melior, clarior, & completior, & est extracta è doctrina ejusdem S. Thomæ. Pœnitentia virtus est moralis, sed supernaturalis inter Christianos, cujus officium est, destruere peccata, & satisfacere justitiæ divinæ, ob offensam illi factam. 3. p. q. 85. art. c. 2 & 3.

IV. Ad declarationem, & meliorem elucidationem hujus definitionis, oportet ut discas ex S. scriptura quod misericordia, & justitia Dei, quæ tibi videntur contraria, in Deo eandem esse rem, nam illas æqualiter diligit, & tantum invicem habent fœdus, tantam correspondentiam, quod nunquam unam exerceat sine alia. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi*, ait Psaltes Regius. Et iterum: *Vniversæ viæ Domini Misericordia, & veritas.* Et idem alibi. *Diligit misericordiam, & judicium. Dulcis, & rectus Dominus*: Dulcis, *quia perire non patitur*, *rectus*, *quia punire non obliviscitur.* Hinc optimè dixit magnus quidam sanctus, quod laudes, & elogia honoris, quæ damus misericordiæ Dei, blasphemia sint, si contrarientur honori, & respectui, quem debemus ipsius justitiæ, quod ipsum nos sacra docet scriptura. Docet enim duas perfectiones effectus quidem habere contrarios, sibi invicem autem contrarias, & oppositas non esse, semper enim pari procedunt passu, Deus illas semper exercet simul. Quod usque adeo verum est, ut etiam in opere maximæ misericordiæ suæ, Redemptione nimirum hominum, quæ præcellentissima est operum Dei, rigorosissimam, & terribilem exercuerit Justitiam, condemnando morti crudelissimæ & ignominiosissimæ crucis, proprium filium, qui non erat nisi fidejussor, & cautor noster. Psal. 84. Psal. 24.

Et quemadmodum duas has exercuit perfectiones in redemptione mundi, exercere pariter illas vult in applicatione hujus redemptionis, & justificatione peccatoris. Anima pœnitens hanc veritatem per lumen Spiritus Sancti, quo illuminata est, easdem cum initcogitationes, ipsius assumit causam, stimulatus ipsius honore, ipsius sequitur partes, arma sumit contra seipsam, ut vindicet injuriam, quam intulit Deo, & concedendo attentatum esse injustissimum, irrationale, & naturæ ipsi contrariũ, quod Creatura offendat altissimam, & amantissimam majestatem Dei per peccatũ, abhorret illud, detestatur, & displicentiam habet quam maximam, quod illud commiserit: Et ita disposita implorat veniam; ita tamen ut se submittat punitioni; petet misericordiam, satisfactura tamen justitiæ; Precatur gratiam pro factura Dei, quæ est ipse homo: sed destruere vult facturam, & opus hominis quod est peccatum, & dicit cum Davide: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine; In me transierunt iræ tuæ.*

PUNCTUM TERTIUM.

Traduntur divisiones poenitentiæ.

V. HOc clarius intelligemus, si consideremus tres pœnitentiæ stastus, quorum sacer textus, & Sancti Patres meminerunt. De quo expressum habet articulum S. Thomas, qui est ultimus summæ suæ, illumque mutuavit à S. Augustino: En verba ejus: Tria sunt pœnitentiæ genera, & sufficienter instructi estis, ut illa mecum intelligatis, nam sunt in usu ordinario Ecclesiæ. Primum est, pœnitentia Catechumenorum: secunda justorum, & tertia peccatorum. Illa Catcehumenorum, est poenitentia adultorum, qui necdum receperunt baptismum, desiderant autem illum recipere.

art. vul. summæ. Epist. 108. & hom. 50

Hujus meminit S. Petrus dicens in die Pentecostes Judæis: *Poenitentiã agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Nam, prout dicit S. Augustinus, nemo vitam novam, vitam spiritualem, & divinam recipere potest, nisi pœniteat de vita præterita, mundana, & vitiosa. Nam sicut in monasteriis bene regulatis, antequam aliquis admittatur ad professionem, necesse est ut annum agat novitiatus, quo durante, se addicit exercitiis jejuniorum, vigiliarum, orationis, disciplinæ, mortificationis, & aliarum austeritatum ordinis sui; Eodem modo, quando in promitiva Ecclesia Adultus expetebat baptismũ, at antequam illi concederetur, annos aliquot transigere debebat in Catechuminatu: hoc est in novitiatu, addiscendo illa, quæ erant Christianismi. Durante vero hoc tempore obligatus erat ad exercitia jejuniorum, precum, mortificationum, humiliationis, & aliorum pœnitentiæ exercitiorum. *Act. 2.*

Secundum pœnitentiæ genus est, poenitentia justorum, quam Sancti quotidianam appellant, cum illam quotidie operentur justi, & quasi continuò; plorant enim, gemunt, suspirant, & ipsa illis diplicet vita, dum se subjectos vident tentationibus, & peccatis venialibus, sine quibus vix, & difficulter misera hæc transigitur vita, cum Spiritus Sanctus dicat: *Septies in die cadit justus.* Et S. Jacobus:

cobus: *In multis offendimus omnes.* S. Paulus etiam conqueritur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Clamabat & David: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.*

VI. Hac de causa Sanctus ille, & mellifluus Bernardus, mortem præferebat vitæ, dicens: *Quid tantopere vitam desideramus, in qua quantò plus vivimus, tanto amplius peccamus, quanto vita longior, tantò culpa numerosior, vivere erubesco, quia nihil proficio, mori timeo, quia non sum paratus. Moro tamen malo, & Dei me misericordiæ committere, quam novis peccatis, vetera cumulare, Tempus est ut finem accipiat peccatum.* Eodem modo Reverendus Pater de Condren secundus Generalis Oratorii de Jesu; qui mortuus est cum opinione sanctitatis, in hora mortis gaudenter dicebat: *Tempus est ut finem in me inveniat peccatum.* Et si justi gemunt, suspirant, plorant, displicentiam vitæ concipiunt, & poenitentiam agunt, ob minima peccata, ex humana fragilitate commissa, quid non oportet facere alios pro peccatis mortalibus, enormibus, & horrendis, quæ deliberata voluntate committunt, & quidem maximo numero?

Tertius poenitentium status est, quem arripere debent peccatores, nisi æternaliter infelices, & damnari esse velint. Ut hujus importantiam, & necessitatem cognoscamus, & per quartam viam cognoscendi propositam omninò convincamur, consulamus, rogo, scripturam, Sanctos Patres, Concilia, Rationem, & Sanctorū, exempla.

PUNCTUM QUARTUM.
Probatur id ex variis locis.

Vade ostende te sacerdoti
Matth. 8.

EXORDIUM.

SVavissimum, & difficillimum, quid videtur contingere catholicis, & Christianis cum Deus eos vocat ad poenitentiam, quam proinde Hæretici nostri tempore exterminare voluerunt, & persuadere hominibus non esse Dei præceptum, sed consistere solum in cessatione à peccatis; verum deberent expendere, quod Deus per actum excessivæ misericordiæ vocet animam peccatricem ad poenitentiam, sicut hodiè pro bono Leprosi; cum mittit ad sacerdotem, ut ejus lepra curetur, & omnino mutetur, hodiè ostendam & Deū nos vocare ut pœniteamus, eò quod poenitentia in nobis causet aliquam mutationem, quia mutat cor nostrum & omnino mutat.

VII. Sacra scriptura hunc statum vocat, Conversionem: *Convertimini ad me in toto corde vestro*, clamat Deus per Prophetam Ioel. Et Psalmista. *Nisi conversi fueritis, arcum suum tetendit, & paravit illum.* nimirum contra vos. Poenitentia alchimia quædam est Spiritualis, quæ non metalla, sed homines mutat. Vide quæso, quot fornaces, Alembici, sufflatoria, quot Ignes requirantur in Alchimia, ad quid nisi ut stannum mutetur in argentum, Cuprum, sive aliud metallum in aurum? Et ad reformandos homines, ut ex vitiosis fiant virtuosi, ex carnalibus Spirituales, ex terrenis cælestes, ex brutalibus Angelici, & divini, putasne fieri Psal. 7.

poss-

posse sine magno conamine, sine pœna, sine labore, sine fervore, sine mortificatione, sine assiduitate, & perseverantia in exercitiis laboriosis pœnitétiæ?

VIII. S. Augustinus, Tertullianus, & alii Patres loquentes de pœnitentia, dicunt illam secundam esse post naufragium tabulam: Nam qui naufragium fecit salutis suæ per peccatum mortale, post baptismum; aliam non habet viam evitandi damnationem, & perueniendi ad portum salutis, quam refugium pœnitentiæ. Vide quæso Nauclerum, qui navim in Charibdā impingens, & confringens in mare decidit, quomodo non allaborat ut saltem aliquam arripiat tabulam, quam amplectatur? Quot fluctus pugnant contra illum, ne tabulam assequatur, quoties non incurrit periculum ne ab illa abstrahatur, & in profundum mergatur? eo Quantum aquæ salsæ deglutire non cogitur? Quot insultus ventorum non patitur? Quot monstra marina non timet? At quid hæc omnia, nisi ut unicam excedat mortem, quæ spatio quadrantis horæ præteriit. Et ad evitandam mortem æternam, mortem quæ nescit finem, exiguam recusabimus pœnam, quam apprehendimus in detegendis nostris peccatis, in restituendis bonis malè partis, in jejunando, & eleemosynis elargiendis, in privando nos societatibus, & recreationibus mundanis, & practicandis exercitiis veræ pœnitentiæ.

IX. Sacrum Tridentinum Concilium nominat illam secundum Baptisma, sed baptismum pœnosum, & laboriosum: Est secundum baptisma, nam perfecta si fuerit, & ex omni parte completa, restituit nos in statum illum, in quo eramus baptismo percepto; recuperare nos facit bona per peccatum amissa. Est baptisma laboriosum, nam subire nos cogit pœnam, eo quod tam leviter, & fatue amiserimus gratias tam excellentes, preciosas, & divinas. Recipiendo sacrum baptisma, te donasti Deo, promisisti illi honorem, & obedientiam; pactum cum illo iniisti, juramentum illi fidelitatis præstitisti. Factus fueras Filius Patris æterni per adoptionem, amic⁹ in ipsius, & unicè dilectus, heres omnium bonorum suorum, Frater eras Salvatoris, membrum vivum corporis ipsius, Templum eras, & sanctuarium Spiritus Sancti, Thronus Sanctissimæ Trinitatis, omne hoc eras quod jam dixi; Jure meritò igitur cor tuum confodere deberent infiniti punctiones doloris, & vivæ pœnitudinis: Nam committendo peccatum fecisti deplorabile naufragium omnium harum excellentium qualitatum pro fatua aliqua passione: per affectum ad vilem aliquam creaturam dorsum obuertisti Deo, fregisti promissum ipsi præstitum, violasti contractum, & foedus initum, falsificasti juramentum illi præstitum; Renuntiasti gratiæ, & amicitiæ Patris, filiationi adoptivæ ipsius, & juri quod habuisti ad hereditatem ipsius: Pedibus conculcasti Filium Dei, corrupuisti membrum corporis ipsius, polluisti sanguinem testamenti, contristasti Spiritum Sanctum, prophanasti ipsius Sanctuarium; Expulisti eum è corde tuo, quod erat templum ipsius, ut in eo reciperes Idola voluptatis, & transitoriæ voluptatis. Maculasti thronum Sanctissimæ Trinitatis, & ipsius te conjunxisti inimicis: Annon ergo jure merito sustine-

Sess. 14. c. 2

stine-

stineret debet pœnam fatvitatis tuæ infidelitatis, & perfidiæ?

X. Vis scire qualiter egerint peccatores verè contriti, & qui tam enormia non commiserant peccata, sicut tu, nec tam multiplicia: qui tamen plus habebant luminis, quam tu, ad cognoscendam malitiam, & deformitatem peccati?

Sancta Theodora, nobilis Domina Alexandrina, in magna sanctitate, & pace vivebat cum suo marito; erant sicut duo carbones ardentes, se mutuo in amore Dei inflammantes. Una ex illis maledictis vetulis, quæ suum lucrantur panem, ad producendam vitam: & mortem incurrunt æternam, seducendo sexum femineum, tantum effecit suis pravis blaterationibus, importunitatibus, blanditiis, & maleficiis, ut illi persuaserit consentire in adulterium; peccatum vix commiserat, & ecce plena confusione, & summo perculsa dolore, pœnitentiam agere concludit reliquo vitæ suæ. Verum qualem pœnitentiam? Pœnitentiam tam prodigiosam, duram, & extraordinariam, ut etiam illicita fuisset, sine particulari motu, permissione evidentissima, & infallibili Spiritus Sancti.

Vestibus mentitur sexum virilem, accedit ad monasterium, sex leucis inde absitum, magna instantia ibidem petit recipi: Abbas virum esse putans, ut illius probaret constantiam, tota nocte ante portam illam expectare facit, expositā aeris injuriæ absque tecto. Altera die ejus videns perseverantiam, illam recipit (de cætero loquamur de illa tanquam Viro, cum gestans habitum, habeat exteriorem viri apparentiam, & animum) Recipitur ergo Theodorus, ea conditione ut subjectus, & obediens sit omnibus Religiosis; hortum colat, pistrinæ inserviat, & alia opera laboriosa subeat tam in, quam extra monasterium, sine dispensatione jejunii, vigiliarum, & aliarum austeritatum religionis. In omnibus perfectè satisfacit, & splendet exemplo virtutum suarum inter Religiosos, sicut sol inter astra: Non est contentus pœnitentiis, & mortificationibus ordinariis, alias superaddit rigorosiores, utpote tres, aut quatuor transigere dies sine cibo, & potu, ut puniat corpus suum de ignavia, & turpitudine, quam commiserat.

Diabolus invidus ipsius Sanctitati, furiosam illi suscitat tempestatem: Puella quædam levicula reperitur gravida, interrogata de Patre prolis, respondit Theodorum monachum esse, & quod peccaverit cum illa in stabulo monasterii monialium, quo iverat de mandato sui Abbatis. Defertur infans ad monasterium; Theodorus de hac calumnia se justificare non vult, ut subjectum, & occasionem habeat humiliationis, & sustinendi tam acerbū opprobrium, & sensibilem confusionem. Ejicitur è monasterio, & condemnatur ad educandum infantem de labore manuum suarum in tuguriolo proximo. Septem elapsis annis videns Abbas quod tam rudi pœnitentia sufficienter suum expiasset crimen, illum recipit ad monasterium, hac tamen conditione, ut semper in sua maneret cellula, absque ullius alius conversatione, quam prolis à se enutritæ.

Interim quibusdam injungit Religiosis, ut sedulò ipsius speculentur actiones, & sagaciter auscultent quos cum filio suo habeat discursus, & sermones Theodorus, Et die quadam audierunt illum, hisce alloquentem filium suum putatitium. Fili mi, ecce appropinquat finis Vitæ meæ, recommendo te illi, qui cælum inhabitans, pater est omnium orphanorum; & in terra illi, qui erit Abbas hujus monasterii. Non quæras honorari ab hominibus, sed à solo Deo; & firmiter credas melius medium non esse ad illum perveniendi, quam contemni, & inhonorari à mundo, & quasuis sufferre injurias, & contumelias, Nimium evita somnum, moderatus sis, & temperans in vestitu, & victu, noli affectare delicatiora, assiduus esto in oratione, & servitio divino tam de die, quam de nocte, non accuses proximum tuum, nunquam rideas, & subsannes lapsum proximi tui, Ora pro illis, qui male vivunt, visita infirmos, servias, & honora omnes Religiosos, tanquam magistros tuos; sæpè plora, ut consoleris; in tempore tentationis recurre ad orationem, & à Domino pete victoriam.

Discursu hoc finito, benedicta illius anima è corporis ergastulo liberata, per ministerium Angelorum cælo empyrio illata fuit. Religiosi postmodum videntes illum non virum, sed feminam esse, admirati ipsius humilitatem, patientiam, aliasque virtutes, tanto tempore pacticatas, honorificè corpus ipsius sepulturæ tradiderunt. Ecce veram pœnitentiam, præ nostra. Nos volumus agere pœnitentiam, sed sine pœna; ac si quis liberalis velit dici, & nihil dare; patiens esse, & nihil sufferre; humilis esse, & tamen non subiici, virtuosus esse, hoc est virtutem habere sine virtute, anne hoc ridiculum non esset? Dicetis mihi, mulier fuit, Agedum, ecce viros, & quidem non viros vilis conditionis, sed illustres, & magnæ considerationis.

S. Bernardus, cum adhuc in mundo degeret, Juvenis nobilis, ut puniret in semetipso incautum aspectum, quo inconsideratè feminam intuitus erat, semet in aqua immersit glaciali, in ea tanto tempore perseverans, ut etiam vitæ periculum fecerit.

XI. Comes Aquitaniæ, qui vixit Anno millesimo trigesimo octavo, cum falsificasset juramentum Heriberto Camiti Mantinensi factum, Ut hoc expiaret crimen, voluntariè se huic submisit pœnitentiæ: Peregrinationem instituit Jerosolymam, Ubi cum esset, fune induit collum, quo unus famulorum ipsum trahebat à Templo usque ad S. Sepulchrum, alter famulorum virgis humeros nudatos percutiebat, quod patienter sustinens coram toto mundo spectante dicebat: Deus meus miserere mei, & compatere misero huic periuro.

Godefridus Dux Lotharingiæ, ira concitus, eò quod illi Imperator Ducatum ademisset, ex furore comburi fecit urbem Verdunensem, cum verò flamma etiam consumpsisset templum B. Virginis, voluntariè se submisit pœnitentiæ publicæ flagellationis, & ad instar operarii propriis manibus conferebat materialia ad illius reædificationem.

CON-

CONCLUSIO

Per oppositionem poenitentiæ damnatorum ad nostram.

XII HI sancti pœnitentes, bene ruminarant, & digesserant verba S. Pauli, quæ & nos meritò ad vivum tangere deberent, nisi omninò essemus insensibiles. *Irritam*, inquit gentium Doctor, *quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* De Christianis Deum offendentibus post baptismum, hæc intelliguntur verba secundum Chrysostomum. Verum, quodnam erit illud supplicium morte temporali deterius? sine dubio mors æterna. Tunc pœnitentiam agent, quia modo illam agere noluerunt: Pœnitentiam austeram, & rigidissimam, sed inutilem, & infructuosam. In pœnitentia considerari debet magnitudo mali commissi, amissio boni, & supplicium promeritum. In Inferno pœnitudinem habent damnati, gemunt, suspirant, se affligunt, Lacrymas fundunt, sed omnia inutiliter, & sine merito. Reprobi evigilabunt dicit Daniel, aperient oculos, semper videbunt, evidenter, sed nimis serò, cognoscent cæcitatem suam, stupiditatem, & stultitiam suam, opprobrium, & confusionem suam. *Evigilabunt in opprobrium ut videant semper.* Experientur pœnas promeritas: poenitebunt pœnitudine rabiosa, & furiosa contra semetipsos. Gement, & affligent se dicit Sapiens, plorabunt ob bona, quæ perdiderunt, stridebunt dentibus ob dolores, quos sustinebunt.

Heb. 10.

Hom. 20. in ep. ad Heb.

Dan. 12.

Ecclesiasticus quidam exorcisans Energumenum Lugduni in Ecclesia, imperabat Dæmoni ut ostenderet assistentibus parvulam aliquam partem tristitiæ, quam sustineret in Inferno. Ad hoc Possessa in facie, & gestibus tantam ostendebat desolationem, & melancholiam, ut horrorem incuteret omnibus assistentibus, & illorum animis maximam ingereret tristitiam. Lacrymas fundebat ad instar avellanarum. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

X. Recordor me alias vidisse hominem, qui enormiora non commiserat delicta, tandem tamen lectulo mortis affixus, tantum suorum delictorum concepit horrorem, tantam judiciorum divinorum apprehensionem, quod præ dolore, & pœnitudine, quatuor sibi radicitus enulserit dentes, non manibus, sed mero stridore. Annon ergo præstat poenitentiam agere in hac vita, in qua brevior, salutarior, & facilior est? Poenitentia hujus vitæ non durat nisi pauculis annis, illa alterius vitæ sæculis æternis: Illa non est nisi temporis transeuntis, quod dilabitur insensibiliter, cujus partes sibi succedunt invicem; quod finitur, & amplius non redit. Poenitentia alterius vitæ æterna est, fixa, firma, immutabilis, cujus omnes partes sunt simul, quod non admittit cessionem, pausam, quietem, remissionem, finem, nec interruptionem.

An non facilius est jejunare unica refectione diurna; quam plane carere mica panis, & gutta aquæ, sicut dives Epu-

Epulo? Nonne commodius est cubare super duram humum, quam ardentes carbones? gestare cilicium, quam vestiri flammis ardentibus? societates vitare mundanorum, consortia Juvenum, & Puellarum, quam semper premi manibus Lictorum? seipsum privare, spiritu, & amore pœnitentiæ cauponis, choreis, & alijs sensualibus recreationibus, quam actualibus gehennæ addici pœnis?

In initio pœnitentia tibi videbitur insupportabilis, cum successu temporis assueveris, eam rudem, & austeram non amplius reputabis; paulò post senties levem, tandem non amplius senties, & finaliter dulcem, & acceptam judicabis.

In Inferno autem anima non assuescit doloribus, spiritus non cicuratur tristitia, Corpus non induratur supplicijs, æquè manemus molles, sensibiles, impatientes post decem millia annorum, quam ab initio. Et si in Purgatorio pœnitendum est, eo quod non pœnituerimus in hac vita, certos nos reddit S. Bernardus, quod ibi centuplum soluturi simus illius, quod hic negleximus. *Illic centupliciter, quæ hic fuerint neglecta solvuntur.* Præterea, pœnitentia purgatorij, non est nisi satisfactoria; diminuit enim pœnas, sed non augmentat meritum. Illa autem, quam operamini in hoc mundo, & in statu gratiæ, satisfactoria simul est, & meritoria, solvit tua debita, & magnum acquirit præmium. Diminutio est, sive totalis absolutio pœnarum, peccatis tuis debitarum, accretio gratiarum in hoc mundo, & augmentatio gloriæ in futuro.

Amen,

SERMO OCTAVUS

Pro Dominica tertia post Epiphaniam.

Volo mundari Matt. 8.

EXORDIUM.

NIl videtur in lege nova esse difficilius, & gravius quam pœnitentia, & ideo Hæretici nostri temporis eam exterminare voluerunt asserentes, quod pœnitentia solum consistat in desertione vitæ veteris, sed valde falluntur, quia pœnitentia non solum consistit in desertione vitæ veteris, sed & inchoatione novæ vitæ, quia pœnitentia est mutatio per quam non solum desistimus à peccatis, sed & cor nostrum convertimus ad Deum, non qualitercunque, sed ex toto corde quoad amorem, quoad objectum amoris, quoad tempus, ut nempe pœnitentia toto tempore vitæ duret; unde rectè ait hodiernus leprosus *volo mundari*, quod quomodo fieri debeat in hoc sermone Auctor ostendit. *Convertimini in toto corde vestro. Joel. 2.*

I. Svavis hæc est invitatio, qua Deus per excessum misericordiæ vocat animā peccatricem, & illi suam offert gratiam, in abolitionem suorum criminum, per praxin, & operationem pœnitentiæ. Exprimit etiam nobis in jisdem verbis signa, & proprietates veræ pœnitentiæ, quo illam cognoscere, & distinguere possimus à falsa. Primo, pœnitentia vera operatur, & causat in nobis aliquam mutationem. *Convertimini.* Secundo mutat cor nostrum. *Convertimini in corde vestro.* Tertio, omninò mutat cor nostrum; *In toto corde vestro.*

Quod

Quod si vera pœnitentia nos restituat gratiæ, & amicitiæ Dei, Tu es O Virgo sacratissima, quæ nobis procuras incomparabilem hunc favorem. Ecclesia te quotidie in sua devotione nominat Arcam fœderis, eò quod precibus tuis, verè pœnitentibus apud filium tuum obtines reconciliationem, & pacem: prout etiam te mediatrice fœdus initum est inter naturam humanam, & verbum divinum, per felicissimum consensum, quem dabas Angelo invitanti, cum te hisce salutaret verbis. AVE MARIA?

IDEA SERMONIS

Vera poenitentia causat in nobis aliquam mutationem, quia mutat cor nostrum, & perfectè mutat cor nostrum.

II. SIcut placuit benignissimo Creatori, ostendere suam omnipotentiem, & infinitam sapientiam in productione hominis, in eo, quod fecereit aliquod compositum, & aggregatum ex duabus partibus omninò differentibus, anima nimirum, & corpore, quarum partium una est ex prædicamento Angelorum, alia ex cathegoria animaliũ. Una spiritualis, & cœlestis; *Igneus est illi Vigor, & cœlestis origo.* Altera materialis, & terrestris. *Terra es, & in terram ibis.* Pari modo placuit eodem Deo, in eadẽ, sua factura ostendere divitias bonitatis suæ, in eo quod homini duas contulerit prærogativas, quæ conditionem ejus mirabiliter extollunt supra felicitatem brutorum, & optabiliorem reddunt statui Angelorum.

Prima prærogativa est in ipsius corpore, resultans ex nobilitate, & dignitate animæ, alia est in ipsius anima ob debilitatem, & imbecillitatem corporis. Primum privilegium reddens conditionem ejus meliorem, quam sit illa bestiarum, est in eò, quod corpora aliorum animalium informat anima, quæ moritur, & perit cum illis, & dum semel dissolvuntur ab invicem, nunquam resuscitantur. Corpus verò hominis, semel conjunctum animæ immortalitate dotatæ, quamvis ab illa divortium faciat, semper retinet jus, spem, & prætensionem ut tandem ei reuniatur in comuni resurrectione, parti suæ dilectissimæ. De quo instructus fuit Job, secundum S. Augustinum, & Gregorium.

Volens Deus remunerare patientiam, & fidelitatem, quam ostenderat Job in suis afflictionibus, duplum illi reddidit omnium, quæ amiserat, loco septem millium ovium, trium millium Camelorum, quingentorum parium boum mortuorum, & ablatorum, reddidit illi Deus quatuor decim millia Ovium, sex millia Camelorum, mille paria boum. Verum loco decem proliũ occisarum, non reddidit ipsi viginti, sed tantũ decẽ. Animalia enim amissa omninò erant mortua, & hinc irrecuperabilia, decem autem proles per mortem oppressæ, ita non perierant, quin illas saltem per resurrectionem generalem, recuperandi spes superesset.

Secundum privilegium, conditionem hominis extollens super illam Angelorum, est, quod Angelus semel in abjissum peccati lapsus, nunquam resurgit, nam obstinatè, & inseparabiliter adhæret objecto, in prima sua conversione, & cordis affectione appre-

henso. Hac de causa Moyses, prout advertit S. Augustinus, describens creationem Mundi, silentio præterijt productionem Angelorum; si enim illius mentionem fecisset, coactus fuisset mentionem facere peccati, & lapsus illorum; unde pessimum Judæi sumpsissent exemplum, videntes primas Dei creaturas, tam nobiles, excellentes, & exaltatas, semel offenso creatore, absque ulla spe misericordiæ, nunquam velle resurgere.

Voluntas vero hominis, mutabilis cum sit, & flexibilis; quantumcunque committat peccatum magnum, & enorme, quamdiu hanc peragit vitam, obtinere potest veniam, dummodo veram agat pœnitentiam. Dico veram pœnitentiam; multi enim agunt, vel agere videntur pœnitentiam, nec tamen obtinent gratiam; cum illorum pœnitentia nec vera sit, nec sincera, sed falsa, deceptoria, fucata, & dissimulata. Propheta Joel paucis verbis nobis exprimit signa, qualitates, & conditiones veræ pænitentiæ. *Convertimini ad me.*

PUNCTUM PRIMUM

Convertimini: Poenitentiam

esse mutationem, probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio Conciliis, quarto Rationibus.

III. Prima proprietas veræ pœnitentiæ est, quod nos convertat: *Convertimini.* Est mirabilis metamorphosis, est divina Alchimia, quæ transformat, non metalla, sed animas; quæ mutat, non stannum in argentum; non cuprum in aurum; sed homines in Angelos; vitiosos, carnales, terrenos, brutales, virtuosos facit, spirituales cælestes & divinos.

S. Paulus conversum nominat hominem, novam creaturam, & dicit, quod per pœnitentiam simus quasi de novo fusi, reformati, renovati; Exuimus enim veterem Adam, ut induamus novum, qui est Christus Jesus. *Eph. 4. 2. Cor. 5.*

S. Ambrosius describens actus veri pœnitentis, dicit: *Seipsum homo abnegat, & totus mutatur.* A vita nimirum prophana, sæculari, abusu, consuetudine, & vanitate Mundi: Abnegare debet semetipsum, suum cerebrum, suas opiniones obstinatas, malas consuetudines, inclinationes vitiosas, & dissolutiones, & totus mutari quasi de nigro in album, de tenebris in lumen; ita ut de illo dici possit: *Quantum mutatus ab illo.* S. Chrysostomus præclarè advertit, quod in pœnitentia Ninivitarum ad prædicationem Jonæ, hoc quod quam maximè in illis placuit, & ad veniam donandam quam maximè permovit, fuerit quod vitam malã deserentes, civitatem planè mutaverint in aliam quam fuerat. *Vidit Deus quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est.* *Lib. 2. de pœni: c. 10.* *Iona 3.*

IV. Declarat Concilium Tridentinum veram contritionem, & pœnitentiam continere omnium peccatorum aversionem, sive desertionem, & firmum propositum, ac exordium vitæ novæ. Ad confessionem accedis in Paschate: dicis Confessario: accuso me quod totum carnis festum Bachicè, & in omni dissolutione transegerim: quod quadragesimam non jejunaverim, merces operariorum retinuerim, inimicum meum non saluta-

ſalutaverim, quamvis proximus ſit conſanguineus; ſed propono me emendare, & melius agere. Nimis facilis eſſet Confeſſarius tuus, ſi te ſtatim abſolueret, niſi te prius verè mutatum, & interius converſum judicare poſſet. Concilium dicit requiri propoſitum, & initium vitæ novæ: Reſolvis melius agere; jam ergo propoſitum adeſt, ſed necdum initium. Ut autem habeas initium, oportet velle jejunare, debita ſolvere, inimicum ſalutare. *Vbi emendatio nulla, ibi pœnitentia vana.* inquit Tertullianus: addo, Confeſſio nulla, communio inutilis, & ſacramenta ſacrilega.

Lib. de pœni. c. 2.

V. Ratio clara, & evidens eſt illi, qui vel parum in Theologia verſatus eſt. Proponamus hóminem adoleſcentem indevotum, blaſphemum, arrogantem, inobedientem parentibus, rixoſum, impudicum, detractorem, cauponas pererrantem, viduarum ſpoliatorem. Si poſt Paſcha tibi dixero: Adoleſcens ille erit devotus, blaſphemias vitabit; erit humilis, obediens, patiens, caſtus, ſobrius, charitativus; utique dices; hæc erit inſignis mutatio. *Hac mutatio dexteræ excelſi.* Firmiter tibi perſuade, quod Confeſſio ipſius Paſchalis nulla fuiſſet, niſi hæc mutatio in corde ipſius ſecuta fuiſſet, ſecundum dictum Tertulliani, ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia vana.

Articulus fidei eſt, per Concilia declaratus, omnia ſacramenta Novæ legis conferre gratiam ſanctificantem omnibus illa dignè ſuſcipientibus: Doctrina conſtans eſt, & ab omnibus Doctoribus aſſerta, gratiam ſanctificantem ſemper concomitari ſeptem dona, & fructus Spiritus Sancti; virtutes infuſas, & habitus ſupernaturales. Si ergo confeſſio hujus adoleſcentis bona eſt, accipiet gratiam Dei, ſi accipiat gratiam Dei, accipiet etiam Donum ſapientiæ, Conſilij, fortitudinis, pietatis timoris Dei. Habitum fidei, Spei, Charitatis, humilitatis &c. & conſequenter erit humilis, ſobrius, Caſtus, omnibus reliquis ornatus virtutibus.

Immò quod plus eſt, in juſtificatione non ſolum recipimus dona Spiritus Sancti, & habitus omnium virtutum, ſed & ipſum Spiritum Sanctum, ingreditur enim cor noſtrũ, ex illo ſuum facit ſanctuariũ, in illo moratur, ſicut in ſuo Templo. Quis non videat in habitaculo hoc mirandam neceſſariò fieri mutationem, ob hoſpitem à præcedente tam diverſum? Heri, cum adhuc eſſes in ſtatu peccati, habitaculum eras Dæmonum, qui ſunt ſpiritus immundi, maligni, ſuperbi, crudeles, invidi, de quibus dicit Salvator: *Ingreſſi habitant ibi.* Hodie exiſtens in ſtatu gratiæ, domicilium es, & habitaculum Spiritus Sancti, qui eſt Spiritus puritatis, dulcedinis, & bonitatis. S. Paulus hoc affirmat, dum ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* *Rom. 5.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Poenitentia convertit cor, circa hoc notantur à S. Gregorio duo errores.

VI. Verba iſta Apoſtoli, ſecundã nobis indicant veræ pœnitentiæ conditionem

onem, & nos docent cor esse quod primo, & principaliter debeat mutari: semper enim Deus, dum de conversione nostra agit, cor petit: *Convertimini ad me in toto corde vestro. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, clamat per Prophetam Joel. Et Psalmista protestatur: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Monet insuper apud Ezechielem: *Facite vobis Spiritum novum, & cor novum.* Spiritum novum, hoc est cogitationes, & opiniones novas: Cor novum, id est voluntatem, affectum, & propositum novum, & totaliter aliud à priori. Magni æstimas dignitates mundi, divitias terrenas, delitias carnis: post conversionem tuam flocci hæc facitis, & felices non æstimatis hæc possidētes, nisi simul sint virtuosi, & boni. Amabas prius societates mundanas, consortia adolescentum, & puellarum, Lusus, choreas, tabernas, alia que dissolutiones: post conversionem tuam te nauseat horum, sed amas Ecclesias, officium divinum, Conciones, solitudinem, & labores domesticos.

Ioel. 2. Psal. 50. Ezech. 15.

Quoad hoc punctum D. Gregorius duorum nos admonet errorum, quibus decipi possumus in re tanti momenti: ptimum insinuat in suo Pastorali dicens: *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.* Sæpè mutamur, & tam sumus dexteri ad decipiendum, ut & nos ipsos decipiamus: cogitationes animi nostri sumimus pro dispositione cordis, & ideas nostræ imaginationis, pro affectu voluntatis. Invenies aliquando puellas, quas interrogat Confessarius, an se ad confessionem præparaverint? Ita Pater; elicui actum contritionis. Ast, quomodo hoc peregerunt? In aliquo libello legerunt actus contritionis: Deus meus doleo ex toto corde meo, quod commiserim tale peccatum, eò quod tibi tantoperè displiceat; pœnitet me te offendisse, cum infinitè bonus sis. Et quia hæc, vel similia verba, ore, vel animo protulerunt; credunt se elicuisse actum contritionis.

1. part. pastor. c. 9.

VI. Verba hæc mala non sunt, & benè fecisti illa proferendo, dummodò non mentiaris, sed credere, quod illa, vel ore, vel Spiritu proferendo, actum elicueris contritionis, magna simplicitas est, & pernitiosus error. Contritio non est in ore, nec in Spiritu, nec in imaginatione, sed in voluntate. Deus â te non requirit, ut dicas, quod doleas te illum offendisse, sed vult ut effectivè doleas. Devotus Granatensis in memoriali suo agens de confessione simillimma multò pulchriora ponit verba, sed pro titulo non præmittit: *Actus contritionis.* Ne decipiantur simplices sed potius hunc præfigit titulum: *Oratio ad postulandam à Deo contritionem.* Vel, *ad se disponendum ad contritionem*, Homo iram conservans, bona malè acquisita non restituens, centies dicere posset: Doleo Deus meus, quod te offenderim, & tamen nec minimum habebit gradum veræ pœnitentiæ. Vnde ergo cognoscemus quod illam habeat? Ex effectu. Lingua non est infallibilis interpres cordis, sed Spiritus, verba ordinariè non sunt interpretes voluntatis, sed cogitationum, interpretes cordis, sunt manus; interpretes

tes voluntatis, sunt opera. Si restituas bona malè acquisita, si desistas à processu injusto, si deseras occasionem peccati, jam probabiliter monstras cor tuum mutatum esse. Si verò sola tibi sufficiant verba, vel imaginatio, dicetur de te, quod quidem Deo tribuas motum labiorum, affectum autem cordis plurimum ab eo elongatum esse. *Dilexerunt eum in ore suo, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* *Psal. 77.*

VIII. Poteris forsitan aliquando mutare vitam, sed si cor tuum mutatum non fuerit, negotia sola sunt, & nudi eventus, qui mutantur. Mutatio fit circa te, & in exterioribus, non intra te. Si illi, qui sunt à sinistris transirent ad alteram partem, jam essent à dextris, cum modo sint à sinistris meis, illi quidem mutassent locum, ego autem non mutassem situm nec locum. Eras quondam sectator cauponarum, dissipasti bona tua, sanitatem tuam, salutem tuam, reputationem, & honorem tuum per dissolutiones tuas. Jam vero ad egestatem, & pauperiem redactus, ludos deseris, tabernas praeteris, eo quod deficiant media, & expensae: Crumena tua mutata est, non cor tuum. Fuisti aliquando inter concives tuos Tyrannus, Tigris, & Lupus, ob exiguam aliquam potestatem, & praeminentiam ad quam hominum favore promotus eras. Ast infelix aliqua supervenit disgratia, & jam nulli amplius molestiam, vel malum infers, humilis es, & dimissus: sed fortuna tua mutata est, non cor tuum.

Praeclaram audite comparationem S. Gregorii: Iuvenis aliquis equitandi imperitus, equum conscendit duri oris, qui illum concitatissimo abripit cursu, ut illum nec sistere, nec deflectere possit: tandem equus in cursu rapidissimo vel in murũ offendit, vel in foveam, & subitò in medio subsistit cursu: possetne juvenis ille jure gloriari, & jactare, quod optimè noverit regere, pro libitu inflectere, & in medio cursu consistere facere equum? Audi S. Gregorium. *Sape a cursu spumantes equos non praesidentis dextera, sed campi terminus coercet.* Corpus tuum instar equi indomiti, rapido cursu, & laxatis habenis te abducit ad societates malas, loca infamia, tabernas dissolutionum: supervenit gravis infirmitas, quae te affigit lectulo doloris integris annis; poterisne sine mendacii labe gloriari, quod sit bona volũtas, non vero impossibilitas, quae te retrahit à vitiis? *S. Gregor.*

IX. Ad Confessionem accedis in Natali Salvatoris, Interrogat Confessarius, quando ultimò es confessus? ab anno inquis: Et cur non es confessus in Paschate ultimò? Inhonestum habebam commercium cum aliqua puella, constitueram inire duellum, periurium committere, ut superior evaderem in aliquo processu, & in hac mala constitutus voluntate, sacram synaxin adire nolui. Benefecisti abstinendo in hoc statu à sacra communione; quod autem jam accedas, forte fit ob statum, rei mutatum; forte enim filia illa mentem mutavit, processus tuus mutatus est, non cor tuum; doles te illa commisisse, Sed nisi Deus reperiat cor tuum ita dispositum, ut, si iterum peccandum esset, mori malis, quam denuo peccare, ignavus dici, quam duellum committere; proces-

sum perdere, quam peierare; nescio qualis erit confessio tua; Nam manus tuæ, & lingua tua quidem cessant à peccato, sed fortassis cor tuum non cessat illud amare, & si Deus non habeat cor, flocci facit reliqua; in tantum enim amat cor tuum, ut illud totum habere velit.

PUNCTUM TERTIUM

Poenitentia convertit totum cor, primo. Quoad amorem, secundo. Quoad objectum amoris, tertio. Quoad tempus, nempe ut pro semper convertamur.

X. Clamat Deus per Prophetam: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et per Moysen: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Non petit omnem pecuniam tuam, sed solum aliquam ejus partem in eleemosynam; nec omnes fructus agrorum tuorum, sed tantum decimam illorum partem. Verum cor tuum totum petit sine reservatione, sine restrictione, sine corrivali: totum inquam, quoad amorem, totum quoad objectum, totum quoad tempus, & pro semper.

Deuter: 4.

Quoad amorem, idem dicendum est quod de corde, si enim in minimo dividatur, emoritur: *Divisum est cor eorum, citò interibunt.* Docet nos Philosophia, quod sæpè dividamus cor nostrum inter duo objecta, inter se contraria: nam rem aliquam amamus absolutè, & ejus contrarium hypotheticè. Mercator in profundo maris periculo naufragii exposit⁹, merces suas amat, & tamen etiam contentus est illis privari, & ut in mare deijciantur; absolutè loquendo, amat illas possidere, & simul hypotheticè amat illis privari, supposito quod illarum in mare ejectio necessaria sit ad alleviationem navis, & conservationem vitæ.

Ezech. 10.

XI. Non magni facit Deus conversionem tuam, si non deseras peccatum, si sicut mercator ille merces suas, in mare proijcit, involuntariè nimirũ, cũ dolore, medio corde, coactè, & animo omnino cõtrari ante te convertas, agis unico verbo, nõ vult ut illi des cor tuũ sicut dares latronibus in silva deprehensus, nummos tuos: Accipe, inquis enumera eam, ex bono corde tibi illam dono, salva tantummodò vitam meam. Sed in temetipso, & in corde tuo aliter sentis, & dicis, si non essemus in hoc loco, si mihi fugâ consulere possem, aut me defendere: si tu bombardam, sclopetum, gladium non haberes, tibi sanè bursam non darem. Ita etiam agis cum Deo. Accipe, inquis cor meum, do tibi illud, sed si ego mortalis non essem, si semper in hoc mundo vivere possem, si nec infernum, nec justitiam haberes, parum te æstimarem, & mandata tua flocci facerem; Pudeat te agere cum Deo, sicut agis cum fure; Totũ cor tuum vult habere, & quoad amorem, & quoad objectum, vult ut peccatum deseras amore ipsius, & omnia deseras non duo, tria, quatuor, sed omnia sine reservatione.

XII. Gravissimè olim Israelitæ offenderant Deum Idololatria sua, & alijs criminibus, & Deus iram suam in illos effundens, gravissimè eos punit per Philistæos, qui crudelissima illis inferebant bella, 1. Reg. 7.

bella, ut huic occurreretur malo, congregat illos Propheta Samuel, ostendit illis illorum ingratitudinem, & alia exprobrat delicta, tanto zelo, tamque felici successu, ut pœnitudine tacti, subitò se converterint, peccata sua confessi fuerint, jejunaverint, & ut veram, ac sinceram ostenderent suam esse conversionem, aquam effuderint coram Deo, hac protestantes cæremonia, quod eodem modo corda sua effunderent coram eo: Samuel autem loco Dei, officium Judicis exercebat in eos.

En perfectam, veræ pœnitentiæ imaginem, Confessarius stabilitus est à Deo judex, ut judicium in te exerceat, sicut Samuel, quod significat: *Positus à Deo.* Tuum dicere est: *Peccavi.* Peccata tua declarare debes, jejunare debes, vel aliam exercere mortificationem; Sed punctum principale in eo consistit, ut effundas cor tuum sicut aquam coram Deo: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.*
Thre. 2. Sicut aquam dico, non vero sicut oleum, vinum, atramentum. Si oleum è vase effundas, semper aliquid remanet, & vasi adhæret: si vinum, remanet saltem odor, si atramentum, supererit color: si verò aquam effundas, nihil remanet, nec substantiæ, nec odoris, nec coloris. *Effunde sicut aquam.*

Proximo tuo de cætero non vis inferre malum, sed lætaris dum illi aliunde infertur, residet adhuc aliquid de fæcibus rancoris, & iræ in corde tuo. Non vis amplius peccare cum tali adolescente, delectaris tamen illi adhuc scribere, literas recommendatitias ab illo accipere, illum videre, & ab illo videri; vas tuum necdum perfectè evacuatum est. Reconciliatus es inimico tuo, sed adhuc frigidum te erga illum exhibes, non loquiris illi nisi intra dentes, non seruis illi occasione oblata, hæc adhuc sapiunt inimicitias, odor adhuc superest in vase. Renunciasti Atheismo, & impietati, ast amas adhuc consortia libertinorum, impia audiens verba corrides, adhuc sapis irreligionem. De cætero jurare non vis, alia tamen profers verba, juramentis valde similia, adhuc remanet color, & apparentia peccati. *Effunde sicut aquam.* Si vere conversus es, non solum deseres peccatum, sed etiam horrori tibi erit, quicquid consequitur, & sapit peccatum, quicquid ad illud ducit, & illius apparentiam habet.

Nunquam satis credideris, quantum conducat ad saluté tuam, ut omné exuas affectum mundanum, teipsum perfectè abneges, sine reservatione, & totaliter dispositioni divinæ te committas; quantum minima adhæsio creaturarum quarumcunq;, impediat perfectã conversionẽ tuam, *vas electionis est mihi iste.* Aquã rosaceam, sive alium quemcunque pretiosum liquorem, vasi non infundis, nisi omnino vacuo. Hinc S. Paulus, qui tantus fuerat inimicus, & persecutor Ecclesiæ, ab initio conversionis factus est vas electionis, & gratiam à Deo accepit abundantissimam: *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Econtra nobilis ille adolescens, qui filium Dei accesserat, quãvis magna non comisisset delicta, vocationẽ suam perdidit, & saluté; curque hoc putas, nisi quod nimiũ adhæserit divitijs suis, quamvis justè acquisitis. S. Paulus autem se offerebat Deo tanquam vas vacuum omni affectu ad rem quamcunque, ex ponebat

nebat se paratum ad omnem voluntatem, & dispositionem Filij Dei circa suã personam: Domine quid me vis facere?

XIII. Imitare tu illum, dona te Salvatori tuo sine ulla reservatione, & pro sẽper: *Effunde cor tuum sicut aquam*, Non dicit, sicut pecuniam, sed sicut aquam. Dum quis effudit pecuniã, iterum eam colligit, & in marsupio recondit, aut scriniolo; dum quis verò effudit aquam, non cogitat illam denuò colligere, sed oblivioni datur, & pedibus conculcatur. Effunde peccata tua sicut aquam, sine prætensione, sine spe, sine secreta, & occulta intentione illa repetendi post quadragesimam, post festa, dum meliori frueris sanitate. Optimum signum, è quo cognoscam, quod non intendas tempore futuro redire ad vomitum erit, si devites omnes occasiones, si te quodammodo constituas in statu impossibilitatis ad recidivam. Milites Alexandri Magni ad bellum proficiscentes, ut alienas acquirerent, & occuparent provincias, proprias igne cremabant domos, in quo & firmam ostendebant pugnandi voluntatem, & omnem se abijcere spé ad proprios redeundi lares. Si tu bona puella, igni tradas literas istius adolescentis, & alia tibi donata munuscula; Si Patri, & Matri insinues, quod ille te tentet seducere ad illicita: si tu resignes illud officium, sive beneficium, quod tibi est lapis offensionis, & petra scandali: jam signum dabis manifestum, quod ad vitam inordinatam redire nolis. Si vero in corde tuo supersit vel minimum projectum, minimum desiderium, minimus conceptus præteritorum criminum, conversio tua simulata, inutilis, & infructuosa erit.

Hisce bene expensis, evidens esse puto, & verissimum assertum S. Ambrosij, & S. Paciani Episcopi Barcinonensis; nimirum nil rarius esse vera pœnitentia, & majorem partem confessionum, quæ fiunt in Nativitate, & Paschate fictas esse, & inutiles.

XIV. Medicus forte es, Pharmacopola, Chirurgus? Dic mihi, unde cognoscis medicinam, vel unguentum aliquod non conducere infirmo? Exinde proculdubio, quod sũpta quinquies, vel sexies tali medicina, applicato tali unguento, infirmus nullum sentiat, & experiatur levamen; morbus enim, sive vulnus in eodem manent statu. Philosophus es? in mentem reduc axioma illud: *Operari sequitur esse, idem manens, idem semper facit, idem habitus est qualitas, tribuens facilitatem operandi.* In te non deprehenduntur novæ productiones, sive operationes; quis ergo credat novam te esse creaturam. *Nova Creatura*? Idem agis post Pascha, quod agebas ante quadragesimam; annon meritò quis igitur dicat te eundem esse, qui eras ante Pascha?

Majorem facilitatem non habes ad actus virtutis, quam habueris antea, jure ergo concluditur, quod nullum acquisieris habitum. Si igitur sapias, noli amplius peccare. Quod si peccatum commiseris, certus sis te perdidisse gratiam Dei, nec unquam securus eris te illam recuperasse. Peccatum tuum realissimum, & verissimum est: Conversio tua forte imaginaria, & solum speculativa est. Diffidere te necesse est de interioribus tuis, dispositione nimirum, & pœnitentia, quantumvis tibi bona & perfecta videatur; Nam ignoras an habeat qualitates, conditiones, & gradus

dolo-

doloris, quos Deus requirit. Postula illam sæpius à Deo cum magna humilitate, & fervore. Recurre ad Beatissimam Virginem, & alios sanctos; solicita illos importunè, ut gratiam tibi impetrent. Principaliter obsecra sanctos, & sanctas pœnitentes, utpote SS. Petrum, Paulum, Magdalenam, Bonifacium, Pelagiam, Mariam Ægyptiacam. Visita sæpius pauperes, & infirmos. Practica, & exerce omnia bona opera conditioni tuæ convenientia; ut à Deo verã obtineas convetsionẽ, sæpi⁹ illi acclama cum Propheta: *Converte me Domine, & ego convertar.* Ora illũ cum Ecclesia: *Deus innocẽtiæ restitutor, & amator, dirige ad te tuorũ corda servorum, ut in fide inveniãtur stabiles, & in opere efficaces.*

Tu O magne Deus, ipsa es puritas, & sanctitas, unice amans innocentes, & innocentiam, tu solus illam non habenti dare potes, tibi soli competit illam perditam reparare; non reparatur autem nisi per pœnitentiam: *Dirige ad te tuorum corda servorum.* Concede igitur nobis spiritum veræ pœnitentiæ, sinceræ, & cordialis pœnitentiæ, largire nobis cor, quod directè tendat ad te, & non sit reflexum ad nos ipsos, & proprium nostrum commodum. *Vt in fide juveniamur stabiles.* Ut famuli tui in separabliter adhæreant virtutibus, quas illis tuo nomine prædicamus; ut nunquam seducantur titillationibus, & blanditijs eorum, qui illis complacere volunt; *Et in opere efficaces.* Da misericors Deus, ut illorum conversio non sit deceptoria, nec imaginaria, sed efficax vera, & fœcunda bonis operib⁹. Per Jesum Christũ Dominum nostrũ, Filiũ tuum, qui cum S. Spiritu tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum Amen.

SERMO NONUS

Pro Dominica quarta post Epiphaniam.

Ascendente Jesu in Naviculam secuti sunt eum Discipuli Matt. 8.

EXORDIUM.

NAvigantem hodie cernimus Salvatorem nostrum. Sed quænam caussa hujus navigationis? eam nobis exponit sanctus Matthæus dicens: *videns Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Turba igitur Christum confluens, & obruens in caussa fuit, ut Christus in naviculam ascenderet, fuit proinde navis Christo asylum contra importunam turbam. Nec sine mysterio ac nostro documento Christus ad navem confugit, cum nec verbum, nec passum fecerit, quem non egerit ad nostram instructionem, ut nempe doceret nos cõfugere ad navẽ dum opprimimur à turba, sed qualis est hæc navis, & qualis est turba? Navis est pœnitentia, turba sunt peccata, quæ importunè opprimunt, & comprimunt animam; quando ergo oppressi, & compressi sumus à peccatis, debemus cum Christo confugere ad navem, hoc est poenitentiam, nec debemus nectere moras, sicut Christus oppressus à turba non expectavit, sed statim ascendit in naviculam. & eum ascendentem statim sunt secuti Discipuli ejus, ut enim poenitentia sit vera, & integra navis, quæ nos muniat contra tempestates, debet esse festina, perfecta, supernaturalis, nam falsa est sera, imperfecta, & naturalis: ut hac concione ostendam.

POstquam jam egimus de essentia, & veris propriètatibus veræ poenitentiæ, ut sufficienter cognoscatur, & distinguatur à falsa, cum hoc negotium sit tanti momenti, & fraus in hac materia, sit adeò nostræ saluti nociva, consultum esse judico, ut vobis signa, & proprietates falsæ poenitentiæ aperiam. Porrò tres principaliores proprietates falsæ poenitentiæ sunt, nempè quod sit tarda, imperfecta, naturalis, tantum exterior, sterilis, inconstans. Hodiè tamen agemus de tribus prioribus, cras Deo volente de tribus aliis. Et quia nomen pœnitentiæ deducitur a pœna, ideo proscripta est à suo domicilio glorioso, nec stare potest in statu impassibili in quo tu beatissima Virgo degis. At enim verò cum myrrha quæ præseruat corpus à putredine sit Symbolum poenitentiæ, quæ animas à corruptione peccatorum sanat, tuque dicas in tuis sacris canticis amoris, *Manus meæ distillaverunt Myrrham*, significare vis, quod animabus illis, quæ ad te confugiunt, uti nos facimus devotè te salutando per *Ave Maria*, virtutem poenitentiæ dones.

IDEA SERMONIS.

Falsa poenitentia primo est sera, secundo imperfecta, tertio naturalis.

II. SChola Theologorum, quæ ex verbo Dei docet id, quod est ad salutem necessarium, hanc proponit quæstionem, num anima, quæ per peccatum mortale à Deo separata est, statim teneatur ad eum redire, & se per veram poenitentiam ad minus interiorem, & cordialem convertere. Quod si attendamus verba sacræ scripturæ, auctoritates classicorum Doctorum, argumentorum robur, quæ ab illa adducuntur, meo judicio, quamvis non probent dari hujusce rei obligationé propriè dictâ, ad minus tamen inferunt dari de hac re consilium magni momenti, nostræ subjectioni valde consonum, rationi valde conveniens, & maximè necessarium ad salutem, quodquè illi, qui negligunt hoc consilium, incurrant periculum eliciendi pœnitentiam falsam, imperfectam, inutilem, & defectuosam.

PVNCTVM PRIMVM.

Poenitentia sera, quæ plerumque est falsa disuadetur primo scripturâ, secundo Patribus, tertio rationibus ex parte Dei, ex parte nostri, ex parte pœnitentiæ, quæ dilata in mortem est involuntaria, in senectutem insecunda, in crastinum incerta.

III. SPiritus Sanctus per Ecclesiasticum nos prudenter monet, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ex hoc loco clarè liquet, quod pœnitentiam nequaquam debeamus differre ad alterum usque annum, ad mensem, sed nec per momentum. Et ob hanc cunctationem, ceu dilationem minatur nobis vindictam Dei. Ex quo ulterius conspicimus hanc monitionem esse maximi momenti. Sanctus Antoninus, Bonaventura, Tostatus, eminentissimus Caje-

Eccles. 5. v. 8.

citat eos Suarez tom. 4. in 3 part. disp. sect. 5. c. 1. Cajetanus, & alii non infimæ notæ Doctores numero decem, asserunt his verbis Spiritum Sanctum non tradere tantum consilium salutare sed & præceptum rigorosum. Et quæso vos audite rationem, quam afferunt.

Conspicuum est in sacra scriptura, quod Deus mandet peccatoribus, ut se convertant, & agant pœnitentiam. Et quamvis hoc mandatum apparenter tantum videatur esse affirmativum, tamen reipsâ est negativum, non secus ac præceptum restitutionis; nam Salvator qui dixit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, etiam addidit, *Et quæ sunt* Dei *Deo*; Constat autem Præceptum restitutionis esse non solum affirmativum, quatenus nos obligat ut restituamus alienum, sed etiam negativum, quatenus prohibet ne alienum retineamus, *2. quæst. l. 9. art. 12 in corp. & ad 1.* uti idem Sanctus Doctor docet. Et hoc modo præceptum pœnitentiæ eatenus est affirmativum, quatenus nos ligat, ut resarciamus ex justitia injuriam, quã intulimus, & negativum, quatenus nequimus retinere honorem, & gloriam, quam illi ex tali satisfactione obligamur reddere; nam sicut dilatio restitutionis privat proximum possessione, & usu suorum bonorum; ita & dilatio nostræ conversionis optimum nostrum Deum orbat usu nostri esse supernaturalis, & actionum meritoriarum, quas eliceremus ob ejus gloriam. Ita Doctores discurrunt citati.

Præterea quomodo possit fieri, quod anima Christiana, quæ ad huc aliquid habet pietatis, & tanti Deũ facit tanto *Matt. 5.* tẽpore velit esse Deo inimica? Ille vult, & jubet, ut si aliquid habeamus contra nostrum proximum, nos linquamus sacrificium, & servitium Dei, imperfectum, ad hoc ut illi reconciliemur, quomodo ergo Deus, dum nobis vult malum, dum est noster inimicus capitalis, qualis est indubitatè, quamdiu sumus in statu peccati mortalis, non velit ut seponamus occupationes, & negotia temporalia ad hoc ut illi reconciliemur? Sanctus Paulus sic jubet dum irati sumus proximo, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* *Ephes. 4. 21. 25.* Qui ergo dies, septimanas, menses integros transigamus in statu disgratiæ, & inimicitiæ cum Deo?

V. Quinimmò amor proprius, & nostræ salutis deberet nos urgere, & impellere ad hoc, ut nostram conversionem accleremus, quia dum eam differimus, exponimus salutem periculo, dum vel possumus obrui in tali statu morte repentinâ, quæ quotidie ob mille accidentia nostris cervicibus incumbit, vel ruere in nova peccata, vel labi de præcipitio in præcipitium. Dic sodes, an si Lethale tibi vulnus esset inflictum, an uno, vel altero mense expectares, nec chirurgum advocares? An non timeres gangrænam, aut quod plaga redderetur incurabilis? An non charitas fraterna nos obligat ad corrigendum proximum in quoddam peccatum lapsum? Nonne anima nostra est carior, & pretiosior, quam sit nostrum corpus? An non nostra propria salus nobis debeat esse magis cordi, quam salus nostri proximi? Quousq; ergo differes tuam pœnitentiam? An usque ad horã mortis, usque ad senectutẽ, usque ad diem crastinam, usque ad tempus futurum? Dic amabò an

an non putes has esse technas Diaboli? pœnitentia quæ fit in hora mortis ordinariè involuntaria est, & coacta, quæ fit in senectute est infructuosa, & sterilis, quæ differtur usque in diem crastinam est incerta, & dubia.

Quod si legamus scripturas invenie-mus quandam ponderationem, quam plures observarunt, quæ tamen meretur ut singulariter observetur, & ut eam demiremur. Quoties sancti Prophetæ aliquem peccatorem morti addixerunt, nunquam vel minimam mentionem salutis ji iniecerunt, nec eum ullatenus monuerunt, ut adverteret ad suum statum, ut sedisponeret ad mortem, vel in memoriam revocaret judicium Dei. Dum Moyses descenderet e monte, & videret populum adorantem vitulum aureum, mandavit Levitis, ut per omnes currerent agros, & obvios quosvis gladio interimerent. Levitæ parverunt, & triginta triamillia internecioni dederunt. Iosve successor ej⁹, dum deprehendisset quendã militem nomine Achan quædam in expugnatione Jericho contra jussionem divinam surripuisse, & is proprio ore suum crimen confessus fuisset, solum dixit, tu nos turbasti, Deus te puniat, eumque lapidari præcepit a toto populo. Insuper primo libro Regum legimus, quod post cædem Amalæcitarum Propheta Samuel Regem Agag ad se vocarit, eique dixerit; veluti gladio tuo plures infantes, & liberos matribus suis subtraxisti crudeliter, ita & mater tua irremissibiliter suis liberis orbabitur, eumque in frustra concidi jussit.

Exod. 32.

Iosue. 7.

2. Regum 4

Rursus postquam Rechab, & Baanam crudeliter necassent Miphiboseth Filium Saul, & ejus caput magnum sperantes præmium ad David attulissent, Sanctus Rex quantocyus seruis jussit in eos irruerent, eosque occiderent. Propheta præterea Daniel, postquam accusatores Susannæ convicisset calumniæ, & falsitatis, & liberè, ac acriter scelera olim patrata perstrinxisset, illicò sine mora eos lapidibus obrui præcepit. Legite sacrum textum attentè, & videbitis, quod nec Moyses populò idololatro, nec Iosve Acham, nec Samuel Regi Agag, nec David Rechab, & Baanam, nec Daniel falsis accusatoribus vel minimam mentionem Dei injecerint, aut eos horrati fuerint, ut conscientiam examinarent, & pœniterent. Et sane, si hujus caussam quæras, dico Prophetas vocari *videntes*, quia vident judicia, & dispositiones Dei de animabus, & nullum verbum protulerunt, quod iis non suggesserit Spiritus Sanctus. *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt*, Et hi Sancti viderunt, quod Deus misericordiam voluerit præstare his miseris, uti expresse testatur scriptura eum egisse cum Antiocho, quia nullum in gratiam admittit, qui verè non convertitur, conversiones autem illæ, quæ fiunt in morte, communiter sunt fictæ; falsæ, simulatæ, Larvatæ, apparentes.

2. Pet. 1. *v.* 21.

2. Mach. 9. *v.* 23.

V. Hinc pulchrè Augustinus: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur est infirma, pœnitentia quæ à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Pœnitentia itaque quæ elicitur in infirmitate senectutis, illa languens, infirma, & debilis est, nec potest producere fructus veræ conversionis. *Quæ in juventute tua* inquit Ecclesiasticus *non congregasti, quomodo in*

Serm. 57. *de tempore*

Eccles. 2. 5. v. 5. *in senectute tua invenies?* Quomodo poteris senex practicare virtutes, dum in juventute earum habitus, & dispositiones non conquisivisti? Toties quoties Deus per suos vates nostræ conversioni gratiam, & remissionem peccatorum promittit, hanc conditionem requirit, ut nempè annexam habeat, & post se trahat observantiam divinorum mandatorum, bonorum operum practicationem, & dignos pœnitentiæ fructus. Apertè dicit per Ezechielem
cap. 10. Dabo vobis Spiritum novũ, & cor no-
cap 1. vum, & faciam ut faciatis mea mandata, & ut operemini. Similiter dixit per Isaiam, desistite à peccatis, bene operamini, oppressos defendite, viduis, & pupillis succurrite, & videbitis peccata vestra esse deleta.

Quid diceretis de illo auriga, qui habens tria jumenta, quibus onera, & merces Parisios vehere solet relictis duobus robustis, & sanis, juvenibus, soli debili, annoso, exhausto, languido onera, quæ Parisios vehenda habet imponeret? Nonne in causa esset, quod hærere deberet in via, nec præfixa die Parisios appelleret? nonne jure insimulares illum fungum, & bardum?

Vos onerati sarcina, & onere pœnitentiæ ad cælum concedere debetis, vos in hunc finem habetis tres ætates, nisi forsan moriamini in prima, vel secunda, juventutem, ætatem virilem, & senectutem. Dum priores omnes sunt fortes, robustæ, aptæ oneribus portandis, ultima est debilis, caduca, languida, inhabilis, inepta, juventuti & virilitati parcitis, eas liberas linquitis, & deliciari permittitis, & onus pœnitentiæ, rigorem austeritatum, & mortificationum soli senectuti servatis, in qua tamen ipsimet onere, & incommodis senectitutis gravati, & onerati eritis.

At enim verò, video quod mihi respondeatis, nequaquam mentis vestræ esse, ut tam diu moras nectere velitis, & hoc negotium ad ultimum differre morbum, aut in supremam rejicere senectutem, sed quod firmiter decreveritis pœnitentiam ante morbum, & senectutem agere, quamvis non modo. Apage cum his nugis. Audite sanctum Paulum nobis apertè in os loquentem, hoc opus nec solum, nec principaliter dependere à vestra voluntate, aut conatu, sed à misericordia Dei, nam *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Nec vos illam velle, nec flagitare potestis. *Deus* quippè *operatur in nobis velle, & non sumus sufficientes cogitare* Philipp. 2.
aliquid ex nobis. Similiter Judith id v. 13.
vobis regeret, quod quondam obiecit Bethuliensibus Sacerdotibus, vos superiores Deo esse vultis, & ejus misericordiæ tempus præfigere, vos vultis ut vobis se accommodet, hic non est modus eum pacandi, sed potius irritandi. *Posuistis tempus miserationis Domini.* Et hinc sanctus Paulus amanter vos hortatur; ne gratiam Dei abjiciatis, dum Judith. 8. v 16.
vobis offertur. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim tempore accepto exaudivi te;* nam inquit per Isaiam *in tempore placito audivi*
te. Hoc est quando ipse vult. Quod si 2. cor. 6 v. 1 Isaia 10. v. 2.
tempus aliquod sit propitium, & favorabile, hoc est tempus missionis. Poterit esse, nullum aliud tempus

favorabile hoc est tempus missionis. Poterit esse, nullum aliud tempus tale futurum, quod si abjicias gratiam dum est eræsens, forsan ille eam tibi negabit, dum postea eam quæres. Quod si negligas instituere confessionem legitimam, dum tā insignem habes occasionem, illam, quam alio tempore inastitues, suspicor non fore bonam.

PUNCTUM SECUNDUM.

Falsa poenitentia est mutilata, quia vel non relinquit affectum peccati, vel non omnis peccati, vel non occasionis peccati:

VII. Confessiones, quæ adeo differuntur, & quæ in festis natalitiis, aut paschalibus gravatè, & cum renitentia quadam instituūtur, sunt communiter malæ, & imperfectæ, & fiunt obiter, & perfunctoriè, sunt defectuosæ & ex aliquâ parte claudicantes; & quamvis in iis accusentur peccata, tamen affectus ad ea non eradicantur, vel saltem non erga omnia peccata, vel non tolluntur etiam occasiones peccatorum. Deus vociferatur per Ezechielem. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras.* Notate quæso illas duas particulas *A vobis*, & *omnes*. Notate & hanc, *projicite*, id est *procul iacite*. Vult ut non solum abjiciatis peccata, sed & insuper affectus ad peccata, *A vobis.* Insuper vult ut affectiones tollatis erga omnia peccata. *Omnes*, & omnibus occasionibus peccandi vos expediatis, *Projicite.*

36. v. 31

Vult ne unquam deinceps alatis concubinam, ne ludatis chartis, ne choreas domi vestro toleretis. An solum ab his abstines, quia celebramus septimanam Sanctam, ita ut ad ea redire velis post pascha? Scias, quod quidem domo tuva exsit peccatum, sed non affectio erga peccatum. *Projicite* non solum *a domo*, sed & *à vobis.* Dum ad genua confessarii prosterneris, habes quidem sensus, manus, pedes compositos, sed tamen adhuc animum habes iis dextrè utendi in chorea quadam, aut societate In hebdomada sancta non frequentas quidem comœdias, sed tamen post pascha ad eas redire vis? Scias quod quidem abjeceris peccata, sed non affectus erga peccata. Quorsum tendit hoc, quod cum Deo taliter agamus, & per quatuor vias cum eo ambulemus, ac si cor nostrum non penetraret, nec cognosceret omnes ejus flexus, & reflexus.

VIII. Vestra pœnitentia est falsa nisi velitis tollere affectus erga peccata, & quidem omnia, *omnes iniquitates.* Quod si ratis bellica aquam admittat, eò quod decem, vel duodecim machinis æneis perforata sit, non est satis quinque, sex, septem, vel octo foramina obstruere, nam si unicum tantum non obturetur, ratis aquam admittit, & undis mergitur Ita quoque tecum agitur, quamvis detesteris decem, duodecim, vel viginti peccata mortalia, attamen tua anima pergit in via ad infernum, et tua confessio inutilis est, si rancorem vel erga unū animo foveas, si potens debita solvere, non solvas, si injustè aliena retineas, si omnia omnino peccata non abomineris, si non tantum desistas à peccatis, sed etiam vites occasionem, quæ est matrix & tu-

& tutrix peccatorum, si domo non abigas tuam coquam, nisi pellicem, aut ancillam, quæ te quandoque in peccatum trahit ejicias. Nec mihi dixeris, per gratiam Dei jam sunt tres menses, tres septimanæ, quibus non sum lapsus, quia respondeo, quamvis jam forent tres, immò triginta, & trecenti anni, immò quamvis nunquam peccasses, attamen quamdiu es in occasione, versaris in periculo, adeoque si sapis, illam vitabis.

IX. Vis ut tibi hoc monstrem? Tu me hercule non es sanctior, innocentior, securior, in virtutibus stabilior, quã aliquis Propheta. Henoch ita referente Sancto Apostolo Juda erat Propheta, & ejus fidem excellentem deprædicavit Sanctus Paulus, Geneseos liber ejus celebrat pietatem, & timorem Dei, Sapiens testatur, quod fuerit Deo gratus, ejusque magnus amicus; in maxima innocentia, & Sanctitate vitæ perseveravit spatio anni annorum, hoc est trecentis sexaginta quinque annis, tot enim dies annus continet; Præclara sunt hæc fateor, & tamen quia morabatur inter perversos, ejus salus in discrimen adducebatur, in periculo versabatur peccandi; & non solum patrandi peccata ignorantiæ, fragilitatis, sed malitiæ, & quidem in tam grandi periculo, ut ex hoc mundo citò rapi debuerit. Non ego hoc fingo, sed Spiritus Sanctus hoc testatur: *Vivens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, Placita erat, Deo anima illius, propter hoc properavit illum educere de medio iniquitatum.* Quomodo ergo tu qui es fragilis instar vitri, arundine inconstantior, qui toties periculum fecisti tuæ infirmitatis, qui toties lapsus es, qui toties Deum offendisti, putas, & præsumis in centro, & sinu occasionum te esse extra periculum, eò quod spatio duorum, vel trium annorum nescio qualiter te continueris? vis scire caussam? *malitia* non solum pervertit voluntatem tuam, sed & *mutavit* intellectum tuum.

PUNCTUM TERTIUM.

Falsa poenitentia est naturalis, & hoc disvadetur primo scripturâ, secundo Patribus, tertio ratione, quarto comparatione, ultimo praxi.

X. POpulus Israel destructurus Amalæcitas, & alios populos infideles, qui ei ingressum in terram promissionis disputabant, adhibuit ferrum, & ignem. Hæc figura porrò est quæ nos docet, quod ad hoc ut intremus in cælum promissionis, & omnes illos internecioni demus, qui aditum in illud vobis impediunt, non sufficiat tantum adhibere ferrum timoris servilis, & mercenarii, sed & ignem amoris divini. *Qui solo timore* inquit Gregorius Nonus *præceptum facit, aliter quam debet facit, & ideo jam non facit.* Ipsamet attritio, ceu poenitentia imperfecta, quæ nos disponit ad recipiendam gratiam Dei, debet esse donum Dei, & motio Spiritus Sancti, uti diffinit conciliũ Tridentinũ. Debet esse supernaturalis ut docét Theologi, hoc est debet excedere omnes vires, & omnẽ activitatẽ naturæ. Timere ignẽ ẽst valde naturæ cõsonũ, unde & ipsimet Hæretici dolent, & pœnitent ex aliquo timo-

Cap. qui ex timore in decret Greger novi.

timore ; adeoquè timor solus non sufficit ad veram, & perfectam poenitentiam. Et quàvis idem Concilium eodem loco dicat, quod timor gehennæ nos disponat ad receptionẽ gratiæ Dei, attamen non intelligi hoc debet de timore naturali, de timore servili, & mercenario, sed de timore initiali, quo timemus gehennam, quia nos separat a Deo, de timore, quo non solum detestamur peccatum, sed & affectum ad peccatum.

XI. Unde memoriæ benè imprimenda sunt hæc præclara verba Sancti Augustini. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei* Et rursus. *Times credere, noli peccare, non agitur foris negotium cupiditatis, ipsa tamen cupiditas intus est hostis.* Et alibi, *audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei judicium, gaudeo fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ.* Hic timor servilis, & conatus quidem facit, quod exterius non peccemus, sed tamen non impedit affectum interiorem peccandi. Manus quidem abstinent à peccati patratione, sed non cor ab ejus amore. Hæc est mens Augustini, qui clarè loquitur non solum de timore pœnarum temporalium, sed & de metu æternorum.

XII. Et hoc venia vestra egregia mihi liceat illustrare similitudine, observa quæso unum lupum è nemore prosilientem ut ovem diripiat, & discerpat, viden, quomodo fremens, & audax advolet, sed ut ad caulam venit, & audit canes latrantes, & opiliones cernit vigiles pedis armatos, totus consternatur, nec ullum damnum infert, sed totus tremens eandem viam repetit. An non esses simplex, si diceres, viden quomodo illa bellua mutata sit, non est amplius lupus sed agnus, in caula non plus nocuit, quam ovicula, non refert amplius Lupum, totus alius apparet, accessit totus fremens, sed redit totus tremens? Immò, natura non est mutata, sed tantum mores. Lupus venit, Lupus abit. Audi Augustinum. *Nunquid quia ovem non tulit, ideo Lupus venit, & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus rediit tremens; Lupus tamen est fremens, tremens.* Tu es prædo viduarum, lemur, & spectrum noctu tumultvans in palatiis, porcus Epicuri. Audis concionatores, qui tibi minantur infernum, tu times ignem, & alias pœnas, quia amore proprio plenus es. Tu detestaris peccata ob vindictam Dei, & justitiam hominum, reipsâ tamen justitiam, supplicia, conciones proscriptas longè optares, & hoc, quia impediunt ne absque remorsu conscientiæ possis helluari, & pro lubitu tuis voluptatibus sensualibus frui. *Aug. serm. 19. de verb. Apost.*

CONCLUSIO.

Recapitulatio, & exhortatio ad imitandum Zacchæum, qui festinans, & gaudens descendit.

XIII. VT ergo infallibilius fructum reportes ex discursu tanti momenti, in quo agitur de æternitate, dum confessionem generalem vis instituere, aut confiteri peccata mortalia, excita in tuo corde non solum timorem Dei, sed & amorem ejus, in hunc finem ad aliquod tempus ad tuum secede cubile, prosterne te coram Deo, ex toto tuo corde, & ex totis viribus vitæ, roga, ut eum amare possis, idque postula cum magno

magno fervore, & humilitate, in manibus cape supplementum Granatensis, confessiones, soliloquia, vel meditationes Sancti Augustini, considera altitudinem, & eminentiam majestatis Divinæ, dic sæpius in tuo corde, mi Deus, misericordiam mecum exerce, & da mihi tuum amorem. Et ut à Deo misericordiam obtineas, eam exerce erga homines, eleemosynam in hunc finem eroga, & Zacchæum imitare. *At ille festinans descendit, & suscepit illum gaudens; ecce dimidium bonorum do pauperibus.* Mox ut audivit Christum dicentem *Festinans descende*, descendit. En verum exemplum veræ pœnitentiæ, & breve compendium totius mei discursus, imitare eundem.

g. serm. de verb. ost.

Luca 19.

Festinans descende, accelera pœnitentiam, ne expectes horam mortis, quia tunc erit impossibilis. Ne expectes senectutem, quia tunc erit sterilis, & inutilis, ne expectes tempus futurum, quia erit difficilior. Quæso te ne expectes horam mortis, quia *non est in morte qui memor sit tui.* Ne expectes senectutem: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Ne expectes tempus futurum, quia,

Prov. 22. v. 6.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ne expectes mortem, quia est pœnitentia reprobationis, ne expectes senectutem, quia est pœnitentia obstinationis, ne expectes tempus futurum, quia est pœnitentia incertitudinis. *Festinans descende.* Nec per diem, horam, aut momentum eam differas. Quò diutius eam distuleris, eò plura merita bonorum operum, quæ facis amittis, Deumque privas gloria, & honoreque ex iis recipit, ejus gratiis te reddis indignum, ejus iram mereris, ejus vindictam in te derivas, diutius ejus manes inimicus, & malum, ac damnum est insupportabile, ac incompensabile vel unico momento in tali statu manere.

Festinans descende, descende velut Zachæus, de prime te, humilia te, pone illum fastum, mitte illam arrogantiam, ambitionem, illum genium elatum, & imperiosum, paulisper considera, quænam sit primaria caussa, cur non deseras peccatum, vel ejus occasiones, aut affectum erga illud, nempe quod nolis descendere, quod nolis te humiliare, quod nobis reconciliari inimico, eum in gratiam recipere, & hoc, quia ita discurris, ille evadet crudelior, ille me exagitabit, ille suum habebit intentum, est me junior, & inferior. Quamvis indignus & incapababilis, tamen tuo non vis defungi, & resignare beneficio, & officio, non vis deserere illam domum, quia dicis, quid cogitabunt, quid dicent? omnium fabula ero; nihil ero, illi qui me nunc adorant, postea me conculcabunt, & digitis notabunt. Tu non vis desistere ab illo processu injusto, illa restituere bona, illam reddere hereditatem, quæ ad te non pertinet, quia times tuum statum minuendum.

Festinans descende, descende, suscepit illum gaudens. Ne pœniteas ob timorem pœnarum, non coactè, & imperfectè, sed spontaneè, promptè, ex corde ob amoré Dei. Hæc poenitétia est adeps victimæ, medulla sacrificii. Talem poenitentiam Deus gratissimã, & acceptissimam

ſimam habet. *Holocauſta Medullata offeram tibi. Pax hominibus bonæ voluntatis. Hilarem datorem diligit Deus.* Niſi Filius Dei dignetur nos reſpicere, ſicut reſpexit Zachæum, nos nihil in hac re facere poſſumus. Ideo humiliter illum deprecemur. *Infirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus, & ad convertendum nos dexteram tuæ majeſtatis extende.* Summe Deus, attende fragilitatem, debilitatem, & infirmitatem noſtram, nos ex nobis nil aliud poſſumus quam quod ruamus in peccata, ex nihilo creati ſumus, tuum eſt nos ad te convertere, converſio hæc eſt effectus dignus tuæ potentiæ, opus brachij tui, cunctipotentis, oramus te, ut ſicut manum tuam impendiſti ad extrahendos nos è ſtatu poſſibilitatis, & nihili, in quo jacebamus, ita etiam manum tuam adhibere digneris, ut nos educas è fovea, & abyſſo peccatorum; idque *per Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui vivit, & regnat in ſecula ſæculorum Amen.*

SERMO DECIMUS

Pro Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Vis imus, & colligimus ea? Matt. 13.

EXORDIUM.

IN hodierno, Evangelio uti opinatur ſanctus Hieronymus apud noſtrum Timotheum Schrangerum, ſeſe paratos offerunt Angeli ad evellenda zizania, hoc eſt peccatores ex agro Eccleſiæ, ceu hujus mundi. Quod ſi itaque Angeli tam ſoliciti fuerint, ut zizania eradicarent ex agro Eccleſiæ, quam ſoliciti nos non debemus eſſe, ut ex agro cordis noſtri eradicemus zizania, hoc eſt peccata mortalia, quę inimicus homo, id eſt Diabolus in eo ſeminavit, utpote, qui nos tentat, & ſolicitat, & impellit ad peccata? In id ergo incumbere debemus, ut hæc zizania, ceu peccata ex agro cordis noſtri eradicemus. Sed per quod medium? Per pœnitentiam, non qualemcunque, ſed veram; vera enim pœnitentia zizania eradicat, & non falſa, quia falſa pœnitentia eſt tantũ exterior, hoc eſt non eradicat peccata. ſed ſolum videtur ea eradicare, dein eſt ſterilis, & infecunda, tertio eſt inconſtans, uti hac concione oſtendemus.

I. Heri conſideravimus tres primas proprietates, & ſigna falſæ pœnitentiæ, hodie tres alias conſiderabimus; nempe quod conſiſtat tantum in exteriori, quod ſit ſterilis, & infecunda, quod ſit tota inconſtans, & hæc erunt tria puncta hujus diſcurſus. Vera pœnitentia à ſanctis Patribus vocatur *ſecunda poſt naufragiũ tabula.* Tu vero O ſãcta Virgo quotidie in ſancta Eccleſia vocaris ſtella maris, ut ſciant miſellæ animæ, quę naufragium ſalutis per peccatum mortale fecerunt, quod quamvis confugiant ad tabulã pœnitentiæ, appellere tamen ad portum tutè non poſſint, niſi ad te velut cariſſimam cynoſuram confugiant, & tu radiis tui luminis, quod omnes humillimè imploramus dicendo *Ave Maria* jis faveas.

IDEA SERMONIS

Falsa poenitentia primo est solum exterior, secundò sterilis, & infecunda, tertiò inconstans.

II. *IUdica me rogabat David, & discerne caussam meam, ab homine iniquo, & doloso erue me.* Quæso te mi Deus, justitiam mihi administra, suscipe in te caussam meam, & à viris falsis, & calumniatoribus libera me. Hæc sunt verba, quib⁹ sacerdotes in tota Ecclesia preces sanctissimi, adorandissimi, venerandissimi sacrificij incipiunt. Quod si quæras ab omni eo, qui hæc verba recitat, dic sodes, an plures sint tibi hostes? Plures respondebunt, Deo sint laudes non, nam sicut ego nulli malè volo; ita nec credo mihi ullum malè velle. De quo ergo loqueris dum dicis, *ab homine iniquo, & doloso erue me*? Hæc verba nequeunt intelligi de Diabolo, quia dicis *ab homine.* Vis scire de quo ego loquar, dum has preces recito? De meipso, & nullo alio, quia nemo est adeo instructus, subtilis, callidus, intentus ad me seducendum, quam ego ipse.

Psal. 42.

Narrant duos celeberrimos, & famosiores pictores totius antiquitatis quadam vice certasse, quisnam pingendo palmam reportaret, & judicaretur tabulam quandam melius, & exactius delineasse. Zeuxis adeo ad vivum effinxit quendam racemum vuæ, ut aves delusæ advolarint, & eum morsu impetierint; Apelles econtra tam affabrè quoddã spatiũ depinxit, ut dũ Zeuxin vellet videre specimen sui æmuli, à seipso deceptus liberè dixerit, amove illam cortinam, si velis ut videam illam picturam, unde victoria adjudicata fuit Apelli, eo quod Zeuxes decepisset aves, Apelles vero hominem, & quidem in arte magistrum.

Noster amor proprius est magis astutus, & industriosus, quam Zeuxes, tam affabrè pingit virtutes, & bonas dispositiones, ut non decipiat aves, quæ ratione carent, nec solum fallat homines prudentes, sed & nos ipsos, & quidem in eo, quod nos concernit, qui tamen sapientiores aliis esse volumus. Fraudulentum, & versipelle est cor nostrum inquit Jeremias. Tot habet flexus, & reflexus, gyros, & labyrinthos, ut nec seipsum comprehendat, sed solus Deus illud cognoscat. *Sæpe* inquit Gregorius *sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.*

Eousque sæpe pertingit animus, & cor nostrum, ut seipsum decipiat, ita ut illud, quod natat in superficie cogitationum sit plane diversum ab eo, quod latet in fundo, & centro intentionis, nos sæpe acceptamus falsos splendores pro vero lumine, & resolutiones imaginarias pro virtutibus solidis, & perfectis. Porrò nullum est punctum, vel materia in qua nostrũ cor tam sæpe, dextrè, periculosè nos fallit, quam in puncto, & subjecto pœnitentiæ. Ideo Ecclesia hanc virtutẽ rogat, & flagitat in suis precibus publicis, nec poscit pœnitentiam quamcunque, sed sciens, quod detur pœnitentia falsa, affectata, fraudulenta, flagitat veram pœnitentiã, quæ solum est utilis

Gregor. in pastoral p. 1. c. 9.

ad

ad salutem, *ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.* Nos ex tribus signis, & proprietatibus, quæ in omnibus rebus fictis inveniuntur falsam pœnitentiam agnoscere possumus, primo quod nullum habeat fundamentum, secundò quod nil habeat interioris, & soliditatis, tertio quod tantum sit exterior, concava, ceu vacua, apparens. Facies ficta nil habet nisi laruam, & formam exteriorem. Præterea res adulterinæ nihil sunt, nihil producunt, nec ullum exercent motum, aut actum. Statua, & colossus hominis annis pluribus in medio consistet horto, absque eo quod vel minimam actionem eliciat. Falsa arbor, arbor picta nullos flores, folia, vel fructus producit. Tandem res adulterinæ, & apparentes non durant tam diu, sicut veræ, & solidæ, colores quos videmus in Iride cum non sint veri colores statim disparent. Rex in comœdia, vel in theatro cum sit falsus Rex, exiguo tempore regit. Hæ sunt tres proprietates falsæ pœnitentiæ.

PUNCTUM PRIMUM

Falsa poenitentia est tota exterior, & hæc improbatur primo scripturâ secundo Patribus, tertio ratione, quarto comparatione.

III. PRimo est tota exterior. Non habet nisi larvam, & apparentiam virtutis, adeoque nec in minimo interiora mutare, aut reformare potest. Hoc deplorat Deus sæpius per Prophetas. Hoc sæpe Salvator in sacris Evangeliis nobis improperat. *Non est reversa* inquit Deus per Jeremiam *prævaricatix* *in toto corde suo, sed in mendacio.* Assertor noster insuper perstringit acriter Scribas, & Pharisæos, eosque diris devovet, eo quod maximo conatu exteriora mundent, & purificent, interius vero deturpati sint ambitione, invidia, avaritia, & aliis actionibus pravis. *Væ vobis, qui mundatis quod deforis est calicis.* Idem omninò evenit in præsenti tempore.

Ierem. 3.

Matth. 23. v. 25.

Nunquam ante hac fuit tanta pietas exterior, tot confraternitates, communiones, confessiones, pœnitentiæ apparentes. Interius verò pleni sumus amore proprio, commodo dediti proprio, maximi idololatræ mundi, incensi à bonis terræ, ad minimam injuriam impatientes, & vindicativi, duri, & inflexibiles ad injurias condonandas, ac si essemus Turcæ, vel Arabes. Quid prodest talis hominis audire confessionem inquit Clericus Romanus ad sanctum Cyprianum? *Hoc non est curare, sed si verum dicere volumus occidere.* Eccurtali detur absolutio, indulgeatur communio, si hæreat, & maneat in suis pravis dispositionibus interioribus, in sua vanitate, cupiditate, rabido livore spiritu vindictæ, & aliis pravis peccatis?

Epist. 31. inter opera D. Cyprian edit. nova.

Hoc nil aliud est, quam id quod agit imperitus Chirurgus, qui pro eo quod deberet scalpello putridam exscindere carnem, super plagam ponit emplastrum, plagam quidem tegit, sed non sanat; unde in caussa est, quod gangræna nascatur, & infirmus moriatur. Hoc est, quod lacrymas excussit Patribus in Concilio Lateranensi sub Innocentio secundo habito. Peierare eos vidisse, quod nos modo videmus. *Inter cætera* inquiunt *furium est, quod sanctã maximè perturbat Ecclesiam, falsa scilicet pœnitentia,*

ria, & circa confratres nostros, & præsbiteros admonemus, ne falsis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Nonne est verum, quod è centum pœnitentibus, quos audivisti, nec de uno dubitaveris, quod sit deceptus, quod per falsam pœnitentiam in infernum sit perturbatus? Et tamen mille Episcopi hoc frequenter contingere affirmant, cave, & attende ne hoc deinceps eveniat, nam Spiritus Sanctus te monet per os Ecclesiæ.

IV. Quod si aliquis peccata commisit mortalia, nec de iis doluerit, nisi sit interius planè obstinatus, aut à Deo derelictus, cruciatur à remorsu conscientiæ, pungitur, & tormentatur à sinderesi, apprehendit mortem, timet judicium Dei. Quod si cælum tonet supra ejus caput, si terra sub ejus pedibus tremat, si morbus eum invadat, compungitur; at enim verò pœnitentiæ adulterinæ vobis adulantur, vosque demulcent, quod veniam obtinueritis, vobis adimunt omnem apprehensionem, vobis falsam quandã donant tranquillitatem, omnes punctiones sinderesis elidunt, & vos de vestrâ salute certos quamvis frustra reddunt. Nam si cor non sit verè conversum, humiliationes exteriores, confessiones oris, tunsiones pectoris, suspiria, & gemitus sunt meræ ceremoniæ, & deceptiones spiritus maligni, vel ut melius loquar, nostri spiritus, qui nos mutat, & detinet per larvam hujus apparentis conversiones, uti vidimus clarè in Davide, & Saul. Hic persequebatur David igne & ferro, idque ex mera invidiâ; ejus jugulo insidiabatur, eumq; insequebatur usq; ad interiora deserti, & rupes inaccessibiles.

V. David itaque declinavit hanc persecutionem, & quadam die ad quoddam spelæum in deserto confugit. Saul nec in minimo putans Davidem in eo latere, aluum exoneraturus illud intrat. Davidis asseclæ hoc videntes, Davidi in aurem hæc leniter dicunt. Serenissime Princeps, hodie Deus tuum hosté in manus tuas tradidit, ex defensione inculpata te defendere potes, itaque sua majestas non patiatur sibi elabi hanc occasionem insigné. Sed quid replicavit David? Absit hoc à me punctus est Domini, illum tangere non licet, & solam oram chlamydis ejus præscidit. Porrò dum uterque ex antro illo exivisset, David paulisper processit, & se ad Regem convertit, eumq; sic est affatus. Serenissime, nunc sua majestas clarè videt, illos esse meros calumniatores, qui suæ majestati imponunt, quod contra eam conspirem, quod si vitæ ejus fuissem insidiatus, levi negotio eum occidere potuissem, en hujus rei clarum testimonium, nempe oram, quam ex ejus chlamide præcidi. Nonne eadem opera eum hasta transfigere potuissem.

Saul his verbis parumper pacatus ad Davidem sic loqui cœpit. An hæc tua vox est mi fili, mi amice David? Profectò conclusissimum mihi est, quod mihi non sis infensus, revera incomparabiliter me probior, & melior es, tu bonum pro malo mihi reddidisti, ego tuum jugulum peto, & tu mihi vitam donasti. Quod si aliquis hæc, & similia verba audiisset, statim conclusisset Saul fuisse conversum, pacem esse initam, nil amplius Davidi timendum, eumq; non habere amicitiorem Saule.

Et tamen talis maximè fuiſſet deceptus, quia Saul nec in minimo fuit cõverſus, ſed in centro cordis ſui pravas ſuas diſpoſitiones, ambitionem, invidiam, deſiderium vehemens, & inordinatum invadendi regnum ſervavit. Ipſe ſane reipsâ hoc oſtendit, nam ſtatim coepit rurſus perſequi David, ejusque vivæ ſicut ante inſidiari. Profectò concluſiſſimum mihi eſt, quod hoc tempore idem contingat, dum enim audis prædicari paſſionem Chriſti, aut meditaris, aut proſtratus jaces ante pedes confeſſarii, aut dum audis concionem devotiorem, neſcio quas non emittas lachrymas, trahas ſuſpiria, & gemitus, ſed ſunt Lacrymæ mendaces, velut inquit Bernardus *Lacrimula docta mentiri*, aut fraudes, & technæ diaboli, vel naturæ; nam ſi in officina interiori, aut centro cordis lateat aliquis rancor contra proximum, aliqua voluntas retinendi alienum, aut redeundi ad crapulam, comœdias, pellices, choreas, vanitates, & delicias mundi, tua pœnitentia exterior eſt mendax apud Deum. *Lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Falſa poenitentia eſt ſterilis probatur primo ſcriptura, ſecundo patribus.

VI. EX altera parte debemus cavere errorem illorum, qui dicunt ſe verè converſos, & ritè pœnitere, cum tamen eorum pœnitentia ſit tota interior, nec videatur creſcere, immò nec exterius prodi. Dum Filius Dei quadam vice ex Bethania Jeroſolymam concederet, preſſus fame ficui appropinquavit prope viam plantatæ, dumque nullos fructus reperiret, ſed ſolum virentia folia, eam diris devovit. Ficus in ſacra ſcriptura, teſte Divo Gregorio eſt Symbolum pœnitentiæ; nam ſicut noſtri primi parentes, poſtquam ſuum errorem agnoviſſent, & Deum ſe offendiſſe viderunt foliis ficus ſe texerunt, ita ſola poenitentia poteſt nos obtegere, & abſcondere ab ictibus juſtitiæ Divinæ: Fames, quæ torquet Filium Dei, nil aliud eſt, quam deſiderium, quo peccatorum converſionem, & pœnitentiam deſiderat. Hoc dixit Apoſtolis, dum Samaritanam convertit. Quod ſi noſtra pœnitentia nullos habeat fructus, ſed tantum mera folia, eam non acceptat, quin potius reprobat. *Ideo Dominus* inquit Gregorius *arborem foliis decoram, fructu ſterilem maledixit, quia confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictioni ſeu.* Confeſſiones affectatæ, apparatus verborum elegantium, promiſſiones montium aureorum, ego reſtituam, pellice me expediam, ſunt folia virentia, at Deus his viroribus non contentatur, quin potius vult fructus, vult effectus, vult opera bona. *Idcirco omnis confeſſio* inquit idem Gregorius *peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur.*

Matt. 21.
Ioann. 4.
Lib. 6. c. 1.
Reg. 6. 15.

VII. QVod ſi quæras à Sancto Paulo, quales ſint fructus, quos hæc arbor poenitentiæ producere debet? Reſpondet. *Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantum in vobis operetur ſolicitudinem, defenſionem, indignationem, timorem, deſiderium, æmulationem, vindictam.* Fructus ejus ſunt magnum 2. Cor. 15.

magnum desiderium nostræ salutis, sancta indignatio erga peccata, timor, & apprehensio judiciorum Dei, magna sollicitudo ut ei placeamus, zelus rerum Divinarum, Spiritus vindictæ contra nosipsos, ut nempe in nobis offensas Dei puniamus. Quod si indages à sancto Chrysostomo, quales sint hi fructus? Audi eundem. *Facite fructus pœnitentiæ. Quomodo id faciemus? Si utique peccatis adversa faciamus verbi gratia, aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Fornicatus es? A legitimo usu te suspende conjugii. Injuriam, vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? Refer verbum benedictionis conviciis, & percutientes te nunc etiam beneficiis placare contende. Deliciis ante, & temulentia diffluebas? Iejunio, & aquæ potu utrumque compensa.* Quod si flagites à Sancto Paciano, quinam sint fructus digni pœnitentiæ? Dicet *Detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores sunt propriè actus pœnitentium*, id est mortificationes carnis, voluptatum suppressio, vanitatum fuga, bonorum temporalium amissio per elargitionem eleemosynæ, vita laboriosa.

Hom. 10. in Matt. *Epist. 31.*

Quod si flagites à Sancto Augustino, qui nam hi fructus sint? Respondebit, *qui bene agit pœnitentiam suus ipse punitor est, sit oportet in se severus, ut in eum sit misericors Deus.*

Serm. 31. de diversis

VII. Et sane ratio hujus in Theologia est evidens. Pœnitentia inquit Sanctus Thomas est surculus justitiæ, quæ est secunda virtus Cardinalis. Justitia inquit Justinianus est voluntas perpetua, & constans jus suum cuique tribuendi. Pœnitentia itaque est voluntas sincera Deo restituendi honorem, quem abstulimus, & satisfaciendi ejus justitiæ ob offensas, quibus peccando eum offendimus, hoc posito, certum est, nullam voluntatem æstimari veram, & sinceram, nisi exeat in actum dum potest; & hæresis est pessima Calvinistarum dicere, quod pœnitentia sit tantum quædam resipiscentia, quodque ejus perfectio tantum consistat in cessatione à peccatis. Hinc optimè Sanctus Gregorius. Manus non delet ea quæ scripsit per hoc, quod desistat à scriptione, linguâ quæ evomit convitia non satisfacit, tacendo, debitis obligatus non solvit per hoc, si debita nova non contrahat. Vt vulnus sanetur non sufficit extrahere sagittam, sed & adhiberi debent emplastra, & colligari inquit Chrysostomus. At enim verò, ut ad primam comparationem redeamus, Christus non dicit tantum, quod arbor bona non producat malos fructus, sed & addit, quod debeat portare bonos fructus, & hoc esse signum, ex quo cognoscatur esse bona. Quod si nostra pœnitentia his qualitatibus non sit vestita, est sterilis velut illa ficus, quam Christus diris devovit, unde & eadem maledictione involuetur.

Lib. 2. Pastoral c. 31. *Hom. 10. in Matt.*

PVNCTVM TERTIVM.

Falsa poenitentia est inconstans

Probatur primo scriptura, secundo patribus, tertio ratione, quarto comparatione.

VIII. Tertia proprietas falsæ pœnitentiæ est quod sit inconstans, & tantum diurna, & ephe-

 meris.

meris. Filius Dei omnem arborem non plantatam à Patre suo eradicandam asserit. Deus hanc pœnitentiam falsam, & apparentem in corde tuo non plantavit, sed amor tuus proprius, Spiritus vanitatis, aut alterius pravæ dispositionis, nam ideò tam exiguo tempore durat. An putes illam vitam, quæ intertexta, & picta est vitiis, esse vitam Christiani? Timendum est, ne illæ confessiones, post quas statim in eadem peccata labimur, ita ut postea illa iterum confiteamur, & rursus in ea labamur, & rursus illa confiteamur, & in illa relabamur, timendum est inquã, quod non sint bonæ, & salutares, sed solum falsæ, & apparentes; nam alias ut inquit Tertullianus, & Sanctus Pacianus Sacramentum pœnitentiæ fieret opprobrium Christianorum.

IX. Institutio confessionis alias juxta eosdem diffamaret, & deprimeret Ecclesiam, &, infideles dicerent, quod Religio Christiana daret salvum conductum, & literas missionis, iis qui liberè quælibet facinora patrant, eò quod toties, quoties illa confiteantur uni sacerdoti, & recitent quasdam preces, ab iis absolvantur, & impuniti dimittantur. Et hinc sicut falsò pœnitentes tam citò redeunt ad vomitum, ita verè pœnitentes continuò vivunt in quadam compunctione, considerant se offendisse divinam majestatem, nec credunt se sufficienter pœnitere posse, aut sufficientem dolorem elicere; & hinc conantur tam diu dolere, quam diu est possibile, & dicunt cum David? *Dolor meus in conspectu meo semper*, et cum Paulo *Tristitia mihi magna est*, & *continuus dolor cordi meo*, cum Jeremia plorant, plorabo die, ac nocte, & in hunc finem fontem Lacrymarum à Deo poscam. Et sanè talem pœnitentiam faciunt sapientes, sed non sic stulti, qui dolore brevi contentantur, qui tantum eorum cor cruciet, dum ad confessionem accedunt. Nonne res ipsa est, quod post factam confessionem, quam bonam putas, te certum de tua salute putes, ac si nunquam Deum offendisses? Non magis solicitus es, ut rursus doleas de tuis peccatis, ac si nunquam illa patrasses; quod si ergo tua pœnitentia non fuerit legitima, si fuerit destituta aliqua circumstantia essentiali, quam Deus ad illam exegit, dic paulisper sodes, in quonam es statu? Quò amabò devenies? Viden, quid non fiat ob bona temporalià in quocunque statu. Rom. 9.

X. Si agas advocatum, aut Prædicatorem, & actio instituenda sit, aut concio de aliquo argumento habenda, non tibi satis est, ut unica via illud probes, sed diversis mediis id confirmas, à priori, à posteriori, rationibus, auctoritate, exemplis, experientia, ut si una ratio non flectat judices, aut auditores, omnes simul iunctæ eos convincant. Quod si agis mercatorem, aut institorem, non habes tantum in tua officina unicam speciem mercium, sed diversas, habes tibialia holoserica, specula, funiculos coccineos, vendis cultellos, cristas, ocularia, pectines, calẽdaria, calamria, ita ut quod ex uno nõ lucraris lucreris ex alio. Quod si agas colonum, non conducis tantum unum jugerum pro uno anno, sed pro duobus, tribus, quatuor

ut

ut si unus annus sit sterilis & infœcundus, alii anni tibi hoc compensent. Quod si igitur salus tua tibi cordi sit, uti esse debet, quia in ea consistit tua æternitas, non debes contentari unico dolore, quem elicuisti dum confitereris, sed totam tuam vitam debes transmittere in Spiritu contritionis, huisque frequentes actus elicere, ut dum aliqui actus destituti sunt condicionibus necessariis, reliqui hos defectus suppleant.

CONCLUSIO.

Exhortatio ad vitandam incertam, & dubiam pœnitentiam.

X. Videmus, quod tot, & tot videantur agere pœnitentiam, & tamen cum Deus plangat, *Nullus est qui agat pœnitentiam*, signum est quod plurimi qui eam videntur facere, videbunt se delusos cum magno eorum damno. Plura sunt, & quidem pretiosissima, quæ ordinariè, & quotidiè adulterantur. Nil est pretiosius auro, argento, balsamo, adamantibus, & tamen in nullo alio majores fraudes, & falsitates latent. Nil est excellentius pœnitentia, & tamen nil est quod magis falsificetur. Nemo sæpius aurum, & argentum adulterat, quam falsarum monetarum cusores. Nemo magis balsamum corrumpit, quam medicamentarii, nemo adamantes sæpius falsificat, quam gemmularii. At enim verò, omnes nobis applaudunt de nostra pœnitentia, Diabolus, mundus, & caro. Spiritus malignus dicit, exiguo dolore omnia nostra peccata destrui, & unico *peccavi* obtineri abolitionem, & hostilitatem destrui omnium criminum.

Mundus, immò quandoque illi, qui Spiritualiores sunt, ita discurrunt. Nè te nimium angas, & inquietes, sed pacato sis animo. Caro, & amor proprius byssinis verbis nos mulcent, & aiunt, ego examinavi meam conscientiam, omnia peccata confessus sum, pœnitentiam implevi, scio quod sim in gratia. Verum apage cum his nugis, audi quid dicat Spiritus Sanctus *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et Sanctus pœnitens addit. *Anxiatus est super me Spiritus meus, in me turbatum est cor meum,* nempe ob peccata mea. *Cogitabo pro peccato meo.* Insuper axioma prudentiæ est. *Vbi est periculum, ibi cautius agendum.* Et quale est periculum majoris momenti, quam incurrere discrimen æternæ salutis? Nos uni confidimus Lacrymulæ, quæ sæpè procedit à teneretudine naturali, contentamur dolore falso, qui latet in officina nostri cordis, vel immò forsan in sola imaginatione. Sed quid erit nobis, si hæc nostra poenitētia apud Deū insufficiens sit? Eccles. 55. Mal. 42. v. 4. Psal. 37. v. 19.

XI. Poenitentia est secundus baptismus non minus necessarius iis, qui peccarunt lethaliter, quam primus. Porrò si sit invalidus, quomodo poterimus justificari? Poenitentia est unicum scutum, quod nos potest defendere contra ictus, justitiæ Divinæ. Verum, si hoc scutum sit malè temperatum; quomodo cæsiones divinæ vindictæ declinabimus? Est unica tabula, quæ post naufragium nos potest salvare, quod si illa sit Putrida, quomodo tutè ad Portum apellere possimus? Est unica supplica, quâ post sententiam dam-

damnationis obtinemus gratiam, quod si malè sit compositum, quomodo gratiam sperare possimus? Post amissionem vitæ spiritualis est unica resurrectio, verum si deficiciens sit, labemur in mortem æternam. Illa est civitas refugij pro omnibus misellis reis, quod si aditus ad illam nobis interdicatur, ad quem asylum confugere poterimus? Illa ad salutem est necessariâ necessitate medii, unde sive nostra culpâ, sive sine nostra illa privati simus, actum est de nobis: Vultis scire, an vestra pœnitentia sufficiens sit? Adite Ambrosiũ, & ab eodem compendium hodiernæ, & hesternæ concionis audite. *Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, & quod mali fecerat derelinquit.* Quod si tua pœnitentia sit bona, contemnes quod antea æstimabas, & æstimabis id, quod antea contempsisti. Et ut quidam dixit Clivoni, *Incende quod adorasti, adora quod incendisti.* In ignem conjicias tabulas alcatorias, illas literas tuæ pellicis, libros obscœnos. Tu æstimabis lectionẽ Granatensis, meditationes, examen conscientiæ & visitationem infirmorum, prædicationes, omnia hæc avidissimè appetes.

tom. 5. serm. 36.

Pœnitentem hominem dico, qui plangit quod peccaverat, & rogat Dominum, ut non iterum faciat, quod fecerat. Quod si tua pœnitentia sit bona, non solum desiderabis diem transmittere in excubiis tuæ confessionis, sed & in omni loco in quo hæres, in quo quid agis, continuam displicentiam habebis, & hoc vulnus te semper insequetur, hæc cogitatio incessanter tuum cor pulsabit. Ego offendi meum Deum, ego ejus mandata pedibus conculcavi, ego meam voluntatem Divinæ prætuli voluntati, rogabis Deum, ut te conservet, & præservet, ut potius mille tibi mortes immittat, quam quod relabaris in aliquod peccatum. *Pœnitentem hominem dico, qui diebus, ac noctibus ingemiscit, & cum Propheta dicit; lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis.*

Noctibus integris suspirabis, toto die gemes, & dices ex corde. Heu me. Et cur mi Deus te offendi? ubi fuit mea anima, meus intellectus? Utinam infans mortuus fuissem.

Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Gaudia, & voluptates mundi tibi nil erunt, creaturis non aliter uteris, quam prout tibi necessariæ sunt ad conservationem vitæ. Privabis te recreationibus, & cibis superfluis Dices, illi meritò lætentur, qui Deum nunquam offenderunt, non autem ego, qui sum reus læsæ Majestatis. Hæc pœnitentia nequit esse opus hominis, sed necessariò est effectus misericordiæ Divinæ. Illam sæpe, & affectuosè roga, ora eum sæpè, *ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.* Ad eam aliquando nos conducit, & disponit per eleemosynas, eas itaque sive corporales, sive spirituales fac, quantum est possibile. Illam nobis donat ob mortificationes, nam sicut humiliatio inquit sanctus Bernardus est via ad humilitatem, ita austeritates, & pœnitentiæ exteriores, sunt dispositiones ad compunctionem interiorem.

Illam nobis donat per intercessionem, & exempla sanctorum. *Ad meliorem*

liorem frugem nos misericorditer per sanctorum suorum exempla restaurat. Devotè ergo eorum inclama auxilium, vitas eorum domi habeas, eas legas, & tuis præ legi facias, resolve te, quod velis eorum imitari pœnitentias, eorum exercere austeritates. Quod si tuus secundus Baptismus perfectus sit, restituit te innocentiæ primi. Si habeas hoc scutum, tutus eris contra iram Dei. Quod si habeas hanc tabulam, feliciter appelles ad portum felicitatis, & beatitudinis æternæ, Amen.

SERMO UNDECIMUS

Pro Dominica sexta post Epiphaniam.

De objecto materiali pœnitentiæ, puta peccato mortali & veniali.

Aperiam in parabolis os meum? Matt. 13.

REgius vates Psalmo sexagesimo octavo vocat sacram scripturam mensam *fiat mensa eorum* (Judæorum scilicet incredulorum) *ipsis in laqueum:* nec malè; in sacra quippè scriptura, pascuntur animæ veritate divina. Et sicut Dives Paterfamilias suis hospitibus proponit varias, & varias epulas, ita Christus Auditoribus suis alias, & alias proposuit parabolas velut fercula exquisitè cocta ad gustum Auditorum. Ad hanc mensam hodie invitamur, & quidem fercula sunt de quotidiano usu, & quotidiana conversatione sumpta, nempe de agricultura, & pistura. Primo ergo apponit nobis sinapi, per quod intelligo ego pœnitentiam; nam sicut sinapi austeram habet acrimoniam, & vim inflammativam appetitui resistentem nec odore, nec colore, nec sapore blandientem, nam qui illud largius comedit vultum, & frontem corrugat, & in lacrymas resolvitur; sic etiam pœnitentia ingrata est, & amara, quia versatur circa omnia peccata, quæ alias placuerunt; & sicut granum sinapi est parvum, ita etiam pœnitentia versatur circa peccata venialia, & minima. Ne tamē horreamus hanc mensā, Christus convertit cibos vindictæ, in cibos gratiæ, uti auctor doctè ostendit in hac concione. *Pœnitentiam agite Matt. 3.*

I. Sanctus Spiritus in sacra scriptura non sine maxima ratione comparat justificationem peccatoris creationi. *Creasti in Christo, ut simus initium aliquod creatura ejus: cor mundum crea in me Deus*; nam sicut in creatione, Deus suam potentiam ostendit circa nihilum, è quo solem, lucem, & alias mille creaturas illustres extraxit, ita in justificatione pœnitentia suam vim exercet circa peccatum, quod est quoddam nihil, ut ex tenebris bellam lucem gratiæ educat; & extrahat septem dona spiritus, & habitus virtutum infusarum. Et quia sacrum Evangelium omnes animas Christianas ad pœnitentiam invitat, cum tamen plures

Ephes. 2, v. 10. Iacob. 1, v. 18. Psal. 10, v. 22.

plures sint, quæ nullum peccatum mortale patrarint, concludere debemus, quod objectum pœnitentiæ non solum sit peccatum mortale, sed etiam veniale, uti hoc discursu ostendam. At enim verò O sanctissima Virgo, neutrum ex his peccatis in te fuit, ideo tuus Divinus sponsus pulchritudinem tuam comparavit faci argenteæ Lunæ. Ne tamen aliquis te aliquâ macula notatam judicaret, veluti hoc sidus maculatum est, ideo tuum splendorem comparat soli, & perhibet te Angelis tenebrarum esse quidem terribilem instar aciei castrorum ordinatæ, sed Angelis lucis esse admirabilem, & amabilem, qui est unus è titulis tuis celeberrimis, tibi homagium genuflexi præstamus, & te salutamus dicendo, AVE MARIA.

IDEA SERMONIS

EXORDIUM

Christus convertit instrumenta vindictæ in vasa gratiæ, patet in pœnitentia, cujus quatenus virtus, & sacramentum materia est peccatum, sive mortale, sive veniale.

II. VNus è principalioribus effectibus Filij Dei in hunc mundum, & unum è celebrioribus testimoniis amoris ejus versus homines, est nempe hic, quod dum quondã omnes creaturæ fuerint instrumenta mortis, vindictæ, maledictionis contra nos, nunc illas cõverterit in instrumenta vitæ, salutis, & benedictionis nostræ. *Convertit in vasa gratiæ instrumenta vindictæ.* Justitia Divina quondam hausit omnes homines aquis ultricibus diluvij universalis. Illud diluvium peccatores necavit, nec tamen peccata delevit; At enim misericordia subtilior, & perspicacior uti videtur, quã justitia, aliud diluvium invenit, & quidem diluvium admirabile, & salutare, diluvium aquarum baptismalium, quæ mundarent peccata, conservarent, & sanarent peccatores. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ita Dei aliâ vice vices subivit ignis, ut consumeret Sodomitas, & Gomorrhæos, & alias urbes peccatrices, quæ suam carnem corruperant; sed & misericordia Dei vices ignis supplevit sacro die Pentecostes, ut Sanctum amandaret Spiritum, & eum super omnem carnem effunderet. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Mors, morbi, Paupertas, & aliæ afflictiones, quæ sunt pœnæ peccatorum, possunt fieri instrumenta meritorum, & semen gloriæ, si ea patienter, lætanter, & cum resignatione in Divinam voluntatem recipiamus; verum enim verò id summè mirandum est, & omnem intellectum excedens, quod ipsummet peccatum per sapientiam, & bonitatem Filii Dei sit factum materia sacramenti Ecclesiæ. Nil odiosius, perniciosius, detestabilius est peccato. Econtra nil sanctius, salubrius, & magis appetibile est sacramentis Ecclesiæ, & tamen o prodigium! O miraculum! Per bonitatem Salvatoris peccatum est pars sacramenti Ecclesiæ, pars non accidentalis, non integralis, sed essentialis, & necessaria ad sacramentum pœnitentiæ. Nec est tantum materia sufficiens, sed necessaria ad valorem sacramenti. Nec potest esse materia pœnitentię, quatenus est sacramentum, nisi prius sit materia pœnitentiæ, quatenus est

Tit. 3. v. 5. act. 2. v. 10 Ioel. 2.

est virtus, id est peccatum mortale, & veniale, uti hoc discursu ostendam, est subjectum, & objectum materiale veræ pœnitentiæ.

PUNCTUM PRIMUM

An unum peccatum mortale possit remitti sine alio: Adducuntur rationes probantes quod sic. Probatur quod non, primo scriptura, secundo Patribus, tertio responsione ad rationes contrarias, quarto instructione.

III. SAcri Theologi, qui videntur omnia in dubium trahere, ut omnia certius, & infallibilius penetrent, disputant in scholis, an anima Christiana queat obtinere remissionem unius peccati mortalis, absque eo, quod obtineat remissionem aliorum, quæ commisit? Et quidem primâ fronte nullatenus de hoc dubitandum videtur, nam Salvator nos docet, quod peccata sint debita, & obligationes, quibus obstricti sumus
Luc. 1. justitiæ Divinæ, *Duo debitores erant cuidam fœneratori*, & nostris quotidie labris instillat has preces; *Dimitte nobis debita nostra.* Quis autem adeo cæcutiat, ut non videat creditorem posse remittere unum, duo debita, aut etiã plura sine præjudicio reliquorum? Præterea sanctus Augustinus invitans nos ad compunctionem, & confessionem peccatorum, hanc nobis spondet promissionem ex parte Dei. *Si agnoscis agnoscit, si accusas excusat, si pœniteas, ille ignoscit,* Quis autem ignorat, quod possimus agnoscere, accusare, detestari unam culpam, absque eo, quod agnoscamus, accusemus, detestemur aliam? In tribus valde differre vitia à virtutibus scimus. Juxta sanctum Ambrosium *Connexæ sunt sibi, & concatenatæ virtutes*, adeoque qui amat unam, amat omnes, qui perdit unam, perdit omnes. Verum non ita peccata; nam hæc invicem connexa, & concatenata non sunt, quandoquidem non solum differunt, sed & sibi contraria, & adversa sunt, uti patet in temeritate respectu timoris, avaritia respectu prodigalitatis.

Ex his conficitur, quod possimus detestari unum sine alio, & consequenter obtinere remissionem unius peccati mortalis, duorum, absque eo, quod nobis condonentur alia. Et ne hallucinemur, quæso vos in memoriam revocate, hic non esse quæstionem de potentia absoluta, & extraordinaria Dei, sed loquimur de cursu ordinario, & lege jam stabilita à Deo, an nempe possit juxta præsentem justitiam animæ peccatrici unum peccatum remittere sine alio, nam eum id absolutè posse nemo negat. Tertullianus loquens de mandatis Dei, hæc pronunciat. *Audaciam existimo de bono præcepti Divini disputare.* De ejus potentia non est disputandũ, foret quippè temeritas quærere, an possit: sermo itaque est de potentia ordinaria, an Deus secundum eam remittat unum peccatum mortale tam quoad reatum culpæ, quam pœnæ sine alio? Et Theologi respondent id nunquam esse factum, nec fore, quia David, orat *omnes iniquitates mea dele.* Præterea Deus dicit ad animas peccatrices. Psal. 10.
Proiicite à vobis omnes prævaricationes vestras.

Ezech.18. v.31. IV. Et ob hancrem, solam detestationem unius solius, cum sic omnia deleantur postulat, & dicit per Vatem Jeremiam. *Nemo est, qui agat pœnitentiam super peccato suo.* Super hæc verba sanctus Joannes Chrysostomus sic discurrit. Plures sunt inquit, qui habent aliquod peccatum particulare, habituale, peccatum, quod reservant, quodque est pullus Jovis, deliciæ cordis, Idolum, & parvus Deus, Cap.8.v.3. *Idolum Zeli* inquit Ezechiel, Idolum, quod deperiunt, peccatum, quod nec diluit sanguis Christi, nec confessio obliterat, ad quod dissolvendum nil queunt alia sacramenta, quia cordi infixum est, & amatur. Quod si concionator hæc peccata velit perstringere, si confessarius illa velit exscindere, si jubeat, ut eximas te occasionibus, certant pro iis velut pro aris, & focis, mille adferunt rationes ut se defendant, mille prætextus, quibus se excusent, mille propugnacula, quibus se muniant, & defendant. Immò quod deplorandum est, tota Sorbona, omnes Romani Pontifices iis non persuadebunt, quod in discrimine versentur salutis, & æternitatis. Quod si quæras quale hoc sit peccatum? Dico in aliquibus esse avaritiam, in aliis frequentationem popinarum, in aliis vanitatem, æstimationem sui, amorem inordinatum proliũm. Præterea sanctus Chrysostomus sic discurrit. Dic sodes, quid juvat te exemptum esse aliis vitiis, si horum manceps sis?

Viden paulisper quendam damnatum ad triremes, qui unicô tantum pede vinctus sit, an non ridiculum foret, si jactaret se esse in plena libertate, & superbiret dicens, manibus, collo, brachiis, nulla sunt vincula injecta? Fateor, quod unico tantum pede captus sis, & tamen transtris es alligatus, ad triremem damnatus, virgæ Navarchi subjectus, non minus, quam si manicis, & compedibus constrictus esses. Diabolum non angit, quod non sis homicida, Adulter, Apostata à fide, sufficit ei quod sis mendax, ebriosus, alienorum detentor, hac catena te ligavit.

V. Sanctus Thomas hujusce rei caussam assignans, monet, quod advertere debeamus magnam esse differentiam inter debita temporalia, & spiritualia. Creditor potest remittere debitum pecuniarium sine debito solvendo in vino, quia talis remissio nullam mutationem in debitore caussat. Verum peccatum mortale nequit remitti, nisi voluntas peccatoris totaliter mutata sit, nec potest aliter mutari, quam per veram pœnitentiam. Is autem qui, detestatur unum scelus mortale per veram pœnitentiam, is illud detestatur ex quodam motivo Divino, nullatenus interessato, quia peccatum est offensa Dei, quem anima amare super omnia debet; & consequenter, detestatur omnia alia peccata mortalia, quia quodlibet est offensa Dei, offensa injusta, odiosa, & infinita. Possumus quidem unum peccatum mortale [illegible] alio agnoscere, accusare, dam- 3.p.q.86. art.3. in corpore.

damnare, sed non detestari, & obtinere ejus remissionem.

Filius ideo Dei quotidie dicit animæ pœnitenti in justificatione : *omne debitum dimisi tibi.* Præterea, uti adjungit idem sanctus, peccatum mortale non remittitur nisi per gratiam sanctificantem, quæ opponitur cuique peccato mortali, qualiterque leve, & parvum illud sit; nam alias homo pro eodem tempore posset esse Dei amicus, & inimicus, in ejus gratia, & disgratia, objectum ejus amoris, & odii, quæ implicant.

VI. Ulterius pergit sanctus Thomas, & nobis suadet, ne sistamus in pœnitentia, quæ detestetur nostra peccata obiter, & in confuso, sed ut quodlibet in specie, & in individuo. En adnumero ejus verba. *Exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia ac intellige quam de veniali, ut scilicet homo actualiter peccatum, commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur.* Et rursus. *In tempore præcedente justificationem oportet, quod homo singula peccata detestetur, quorum memoriam habet.* Suarez asserit plures esse Theologos, qui doceant hoc cadere sub præcepto, & pro hoc asserto allegat Alensem, sanctum Bonaventuram, Adrianum, Angelum, Canum, Dominicum Sotum, Richardum, Gabrielem, Medinam, Paludanum, Ruardum, Silvestrum. Reliqui Doctores, qui in hanc non eunt opinionem, ad minus ultrò concedunt id esse securius, justius, & congruentius. Et ratio hæc est. Sicut nostra voluntas sæpius separatur à Deo per actus formales, & distinctos, ita æquum esse videtur, ut se ad eundem convertat, & redeat per actus pœnitentiæ formales, expressos, & implicitos. Porrò in hunc finem monet Baruch : *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo decies tantum, iterum convertentes requiretis eum.*

3. p. quæst. 87. art. 1.

art. 5. 12. q. 113 ad 3.

Suarez 3. p. disp. 4. sect. 9.

Baruch. 4. v. 18.

Quando sacra scriptura loquitur de perfecta pœnitentia, illa non dicit, quod tantum ad eum debeamus nos convertere, sed & redire. *Revertere ad me, noluerunt reverti à viis suis, reversi sunt.* Imaginemini vobis quendam adolescentem, qui discedens Parisiis, ubi habet suos parentes, amicos, sua bona, sub Hispano nomen militiæ dat, & ad Belgium proficiscitur, post aliquod tempus ad se redit, animum mutat, arma abiicit, nec contra suum Regem militare amplius vult, & ideo versus Parisios redire indendit. An dici potest hunc Parisios reverti? Nequaquam. Possumus quidem dicere quod in se redierit, quod animum, & mentem mutarit, verum ut dicatur reverti Parisios, debet relegere eandem viam, & idem iter repetere, quod peregit in Belgium concedendo. Vos discessistis à Deo, & cælo, quod est vestra patria, & omne vestrum bonum. Vos arma contra eum arripuistis, vos sub signis hostilibus militastis, vos varias offensas scelerum specie diversas comisistis, vos ad vos ipsos reditis, arma abiicicis, vos cessatis à crapulis, à peccatis, & quidem optimè facitis, bonum est hoc opus, ad vos reditis, intratis in vos

Ierem. 3 & alibi sæ...

vos ipſos. At enim, ut perfectè gratiæ reſtituamini, & amici Dei fiatis, ut plenè ejus juſtitiæ ſatisfaciatis, per diverſos actus reſipiſcentiæ, pœnitentiæ, & diverſarum virtutum ad eum redire debetis, actus inquam, qui peccatis, quæ patraſtis contrariantur; per actus humilitatis oppoſitos veſtræ ſuperbiæ, pietatis oppoſitos veſtræ indevotioni, temperantiæ, & mortificationis oppoſitos veſtræ intemperantiæ, & variis indiſſolutionibus.

PVNGTVM SECVNDVM.

Poenitendum de veniali primò ratione præteriti, ſecundò ratione Præſentis, tertio ratione futuri.

VII. INgredimini ſcripturam, & invenietis in Exodo, quod quamvis Pharao inſtanter, & inceſſanter rogarit Moiſen, ut aulam ſuam, & regnum liberaret a ranis, muſcis, ac aliis gravibus flagellis, nunquam tamen petierit liberari à culicibus. Non abſimiliter plures ſunt Chriſtiani, qui graviter apprehendunt, quod peccarint mortaliter, & valde de hoc dolent, confitentur, & gaudent ſe à peccato mortali eſſe abſolutos, & tamen nec in minimo timent peccata venialia, illa abſorbent inſtar aquæ, illa ſine numero multiplicant, nec vel in minimo anguntur ut ab iis per poenitentiam liberentur. Et tamen multum refert, loquor verò de peccatis venialibus principaliter, quæ committuntur ex conſuetudine, affectu, aut aliqua adhæſione ſpeciali, aut de iis, quæ quis commitit deliberatè, à propoſito, aut ex conſuetudine voluntaria, ut verbi gratia. ſi quis caput circumvoluat in templo, ſi quis negligenter oret, ſi quis irreverenter reſpondeat parentibus, leviter injurioſus ſit domeſticis, tempus fallat fabulis, nugis, aut aliis actionibus inutilibus, ſi quis vanè, & nimium corpus ornet, multum inquam refert, immò plusquam tu credas, ut bene, & attentè deteſteris hujusmodi peccata, dum vadis ad confeſſionem, idque ob diverſas cauſſas.

VIII. Et primo quidem, quia evenire poteſt, & ſæpe evenit, ut illa pec- *1. Regum 6.*
cata, quæ patraſtis, videantur vobis eſſe *Act. 5.*
parva, & levia, ut etiam ſunt ex ſua ſpe- *3. Reg. 13.*
cie, & natura, nihilominus vos non parum culpabiles reddant apud Deum ob quasdam circumſtantias, quæ ea valde augent, & aggravant. Quis perſuaſum ſibi feciſſet oram mortem promeruiſſe, eo quod arcam fœderis cum parva temeritate, & irreverentia tetigiſſet? Quis credidiſſet Ananiam, & Saphiram meruiſſe, ut morte necarentur, eò quod nonnulla retinuerint ex iis, quæ ex devotione obtulerunt ante pedes Apoſtolorum? Quis unquam judicaſſet miſellum quendam Prophetam morte afficiendum ob refectionem quandam temperatiſſimè ſumptam apud aliquem alium Prophetam contra manda- *in 2. diſt.*
tum Dei? Sanctus Bonaventura hujus *21 part.*
eſt ſententiæ, ut peccatum leve, & ve- *3. quæſt. 1.*
niale ex natura ſua patratum in ſtatu innocentiæ, tranſiturum fuiſſe, in mortale ob eminentiam, & nobilitatem illius ſtatus affirmare non dubitarit. Sanctus inſuper Auguſtinus loquens de primo homine, dicit eum putaſſe, quod comedendo de fructu vetito ſolum peccaturus erat venialiter, & faciliter veniam

ob-

obtenturus, eò quod eum comederit non ex aliqua prava intentione, sed solũ ut gratificaretur suæ uxori ex *sociali necessitudine*. Illa igitur peccata, quæ commisisti, & quæ tam liberè comittis, possunt esse graviora, quam tu putes, idque vel ob eminentiam tui status, quia es Episcopus, aut Religiosus, vel ratione scandali, quod aliis præbes, vel ratione magnæ ingratitudinis ob beneficia recepta, vel ratione cognitionis perfectæ, quâ malum cognoscis, vel ratione magnæ adhæsionis, & affectus, quo objecto tuarum passionum adhæres, vel ob aliquam aliam circumstantiam. Tu es sacerdos, & sæpe dicis, quam verè vivo, per vitam meam, sæculares, qui nesciunt, an jures, vel non, tuo exemplo ad sæpe jurandum incitantur. Sæpe juras in præsentia tuorum liberorum, & hoc verè, & illi tuo exemplo edocti pejerare addiscunt. Quod si non detesteris peccata, quæ tibi videntur levia, si reipsâ ob aliquam circumstantiam gravia sint, periculo te exponis faciendi confessionem nullam; eò quod vera pœnitentia saltem virtualiter debeat detestari omnia peccata mortalia.

IX. Vlterius, verum quidem est, quod peccata venialia non sint materia necessaria confessionis, sicut sunt mortalia, hoc est dicere, quod possis obtinere remissionem venialium extra Sacramentum confessionis, attamen sunt materia necessaria pœnitentiæ, ita ut sine iis non dimittantur. Et hoc adeo verum est, ut Theologos vexet resolutio hujus quæstionis, quomodo anima, quæ ex hoc mundo discedit cum aliquo affectu ad venialia, salvari possit? cum nil coinquinatum, aut minima macula affectum cœlum intrare possit? Vbi ergo hæc macula levis diluetur? Non inquiunt in purgatorio, quia hujus ignis ideo est, ut deleat reatum culpæ, non pœnæ. Melioris notæ Theologi asserunt, quod in illo instanti, in quo in statu gratiæ constituti morti pensum solvimus, Deus infundat animæ nostræ radium quendum suæ lucis, per quem turpitudinem peccati venialis cognoscamus, & concipiamus horrorem ejus, illud detestemur, & ita in hoc instanti remissionem ejus obtneamus. Adeo verum est, nullum peccatum, sive mortale, sive veniale remitti absq; pœnitentia actuali, vel virtuali, explicita, vel implicita, formali, vel eminente.

Quod si nonnunquam audias in concionibus, vel legas in aliquo libro Spirituali, quod peccata venialia dimittantur per orationem Dominicam, aquam, aut panem benedictum, benedictionem Episcopalem, & similia, quæ à Theologis vocantur Sacramentalia, hoc non ita intelligere debes, quasi hæc immediatè, & ex se efficaciter peccata venialia deleant absque actu pœnitentiæ, sed quod ii, qui devotè recitant orationem Dominicam, qui aspergunt se aquâ lustrali, qui comedunt panem benedictum, qui humiliter rogant benedictionem Episcopalem, mediantibus his Sacramentalibus obtineant à Deo motionem, & gratiam, per quam detestari peccata venialia possimus & ita eorum veniam obtinere. *3. p. q. 87. art. 3. ad 1.*

Insuper sciendum est, quod dum detestamur peccata mortalia, ea non detestemur ex amore proprio, vel ex timore naturali æternæ damnationis, nam amor

proprius naturaliter apprehendit hanc durationem longam pœnarum, & hanc æternitatem interminabilem suppliciorum; verum diu detestamur venialia, detestatio eorum videtur purior, & magis procedere ex puro amore, & carere proprio lucro. Quod si arcis præfectus alicujus principis, vel aulæ magister, solum solicitus sit, ne principi suo damnum grave inferatur, aut aliquid notabile surripiatur, judicare possumus, ne id faciat formidine pœnæ, & amotionis ab officio; sed si caveat, ne vel minima res perdatur, aut auferatur, puta nec una candela, filum, acus, ostendit, quod affectus sit suo Domino. Si tu solum vites peccata mortalia, videris id facere ob metum gehennæ, verum si detesteris, & punias peccata venialia, ostendis quod ames Deum, & abomineris omne id, quod Deum potest offendere.

X. At enim verò, Sanctus Gregorius aliam affert rationem, quæ nos meritò inducat, ut practicemus hanc veritatem. *Peccatum* inquit *quod citò poenitentia non diluit, mox suo pondere in aliud trahit.* ‡ Et hæc propositio verificatur, tam de peccatis mortalibus, quam venialibus. *Contribulasti capita*
Psal. 73. v. 13. *draconum in aquis* inquit David. Hæc verba ad literam intelliguntur de militibus Pharaonis, qui capita draconum in suis manticis habentes, mari rubro hausti sunt, verum in sensu tropologico, & morali, intelliguntur de vitiis capitalibus, quæ submergi debent per aquas maris poenitentiæ amaræ. Theologi docent, quod septem peccata capitalia in se non sint quidem mortalia, sed quod sint capitalia, hoc est radix, semen, origo, & dux pluriumaliorum, unde multum interesse consequitur, si mari rubro poenitentiæ hauriantur. Et quamvis sint solum venialia, tamen si permittamus ea vivere, & subsistere, alia producunt, & sæpe mortalia. A verbis otiosis transitur ad inhonesta, à mendacio officioso ad perniciosum, à parva contumelia, ad graves detractiones. Qui asvevit jurare, nonnunquam peierat. Filius familias, qui primo aliquot teruncios e mensa surripit, dum illa tergum vertit, postea nonnullos nummos clepit ex ejus crumena, quamvis cum timore, dein Spiritus sumit pecuniam furandi è scriniolo, si casu linquatur apertum, & dein efformandi falsam clavem.

CONCLUSIO.

Rationes conglobatæ pro secundo puncto, & dein pro primo puncto, cum instructione.

Ioel. 7. v. 19.

XI. Beatus dicebat David, *qui tenebit, & allidet pervulos suos ad petram.* Felix ille, qui nonnisi inadvertenter, & ex fragilitate peccata committit, felix ille, qui postquam ea patravit, statim ea per veram poenitentiam delet. Peccata quamvis minima, sunt offensa Dei. Et quæso te, dic paulisper an velles displicere Principi, & magnati terrestri, si tua fortuna ab illo omninò dependeret? Attende parum per, quomodo te excuses, quomodo te humilies, si vel minimum dicas, aut facias, quod homini honesto displicet. Peccata inquit Sanctus Augustinus, sunt scabies, lichen, & Serm. q. 1. de Sanctis. mentagra, quæ consumunt niorem animæ, eamque privant amplexibus, & basia-

siationibus Sponsi, sunt vulnera parva, quæ si negligantur, trahunt post se gangrænam. Sunt grana sabarræ, quæ si multiplicentur, adeo possunt fieri ponderosæ, & navem adeo deprimere, ut eam mergere possint; *Qui timet Deum, nihil negligit.*

Peccata offuscant intellectum, debilitant voluntatem, liberum arbitrium reddunt languidum, sinderesis cuspidem hebetant, charitatem frigefaciunt, imaginationem dissipant, concupiscentiam accendunt, irascibilem excitant, notabiliter vires animæ minuunt, lumen Dei in vobis extinguunt, & gratias ejus particulares suffocant. Anima igitur adeo debilitata, & viribus exhausta, miserè succumbit solicitationi primæ minimæ tentationis.

XII. *Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* (2. Regum. 2. v. 30.) Qui deliquit mortaliter, debet facere id, quod egit David cum Ammonitis, qui contra jus Gentium publicam fidem violarant. Ipse incolas cujusque urbis ferro successivè delevit. Ita quoque gladio pœnitentiæ quodlibet peccatum est delendum, & quodlibet coram Deo cum attentione cordis, Spiritu compunctionis, confusione, resolutione per aliquā pœnitentiam in memoriam revocandum, idque distinctè, particulariter juxta qualitaté, & naturam cujuslibet peccati: Hinc Chrysostomus. *Contritio paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, ponderando eorum gravitatem, multitudinem, fœditatem.* Hoc (Hom. 20. in Matt.) docet nos Ecclesia, ita practicarunt Sancti pœnitentes. Concilium Tridentinum loquens de contritione dicit, quod illa in memoriam accuratè revocet peccata à nobis commissa, quod ea cum horrore, & detestatione scrutetur, consideret eorum gravitatem, fœditatem, deformitatem.

XIII. Postquam Sanctus Petrus ter negasset, Christum, Assertor noster ter ab eo petiit, num se amaret, ut per tres confessiones fidei, & tres protestationes amoris, suum triplicem errorem dilveret. Similiter Sancta Magdalena apud Divum Lucam, distinctè, & particulariter omnia illa, in suam poenitentiam, & exercitium amoris impendit, quæ ipsi fuerunt instrumenta peccandi, hinc oculis ploravit, labris osculata est pedes Christi, capillis suis illos tersit, suffitus, ut eos condiret, & hoc, quia hæc omnia in res inhonestas impendit, os in oscula lasciva, capillos in vanos ornatus oculos in aspectus libidinosos, suffitus, ut adolescentes pelliceret. Sancta Paula, uti refert Sanctus Hieronymus, dum in Bethlehem poenitentiam ageret dixit, genas deturpabo, quas antea contra legem Dei cerussā, & stibio pinxi. corpus affligam, quod tot deliciis nutrivi, lacrymis continuis, voluptates, & gaudia mundana diluam, cilicio, & asperitate vestium, delebo vestes, & linteamina subtilia, & pretiosa. *Quæ viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.*

Similiter Sanctus Arsenius, ut delicias compensaret, quibus potitus erat in aula Imperatoris, dum ejus Filios Arcadium, & Honorium instituerét, intra vastum nemus se recondidit, & ut castigaret verba otiosa, quæ protulerat, arctissimum sibi silentium indixit, ut puniret delicias ab

ab olfactu perceptas conservando corbes, nunquam aquam omnino effudit, sed quotidie recentem putridæ miscuit, vice vestium pretiosarum, non nisi centones gestavit, pro lecto molli cortinis opulenter cincto, cubuit super corbé, ceu cratem ex viminibus salicis contextam, & plexam; vice complementorum aulicorum, se incivilem, inurbanum, & rusticum præbuit. Ille domicellæ cuidam, quæ ex dissitis partibus advenerat, ut eum videret sui aspectum interdixit, & collocutionem, dumque illa se precibus ejus ferventer commendaret, ei dici jussit, Deum incessanter flagitabo, ut nunquam tui recorder.

XIV. *Qui secutus es errantes, sequere pœnitentes.* Vt hos imiteris, in manus accipe memoriale Granatensis, & postquam legeris decem, aut duodecim priora capita, antequam te prosternas ante confessarium, Deo tua peccata confitere in spiritu contrito, & corde humiliato, eaque illi exactè, distinctè propone, quoad omnes species, actumque doloris circa quodcunque signanter exerce, & juxta cujusque qualitatem, tibi pœnitentiam salutarem impone. Mi optime Deus, ego tuum sanctum, & tremendum nomen blasphemavi, Ergone, ego vilissimus vermiculus terræ, tam audax, & temerarius ausus esse fuerim, ut verbis injuriosis te summam, & altissimam majestatem prosciderim, & hoc interim, dum te Angeli laudarent? Quomodo fieri potuit, ut hi in abyssum me non præcipitarint? Id millies fecissent, nisi per nimiam tuam misericordiam id impedivisses. Pro satisfactione, & compensatione sufficiente, ego in terra prostratus, tribus annis quotidie tribus vicibus recitabo illum decantatum versum *Gloria Patri &c.*

Mi Deus, ego transgressus sum tuam legem mille peccatis impuris, infamibus, pudibundis, bestialibus à me commissis. Et qualis hæc non fuit impudentia, & temeritas? Quomodo illa coram te, & in oculis tuis ausus fui patrare, qui adeo sanctus haberi, videri volo, ut nec coram vilissimo rustico illa committere vellem? Deinceps pro salutari pœnitentia omnibus feriis sextis, & sabbathis totius anni jejunare volo vel quotidie una portione in mensa me privare. Et ita similiter discurrere possumus de aliis offensis. Et postquam hoc factum est, omnia peccata quantumvis minima, & levissima videantur, quantumvis minima, & levissima credantur, repeto, quantumvis minima, & levissima videantur cavenda sunt, quia non sunt parua, nisi collata majoribus, quia, ut verbo finiam, omnia Deum infinitè magnum bonum, sanctum, amabilem, & venerandum, cui sit honor, gloria, laus, salus, benedictio in sæcula sæculorum offendunt, Amen.

SERMO

SERMO DUODECIMUS

Pro Dominica Septuagesimæ.

Ite & vos in vineam meam? Matt. 20.

EXORDIUM.

HOminem comparari vineæ communis est expositio sanctorum Patrum, & luculenter insinuat, ac docet S. Bernardus in illud canticorum; *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, tempus putationis advenit. Hoc est, tempus est, ut vinea animæ nostræ recidatur per ferrum pœnitentiæ. Nunc ergo nos monet Christus, ut eamus in vineam, & eam per ferrum pœnitentiæ putemus, pareamus ejus invitationi, & vineam intremus, ne duram illam, & metuendam increpationem audiamus; *Quid statis hic totâ die otiosi?* quia jam tempus est, quo pœnitere, & vineam putare debemus, quia pœnitentia dilata in tempus sequens, est incerta ob diem mortis incertam, erit difficilior, & erit minus fructuosa, & sicut hodie non amplius vocavit eosdem, ita forsan etiã nos non amplius vocabimur; nunc ergo suadebo, ut hodie pœnitentiã incipiam⁹ facere uti præstat, Auctor in hac concione. *Nunc annuntiat Deus hominibus, ut omnes pœnitentiam agant Act.* 13.

I. Devotus, & Mellifluus Bernardus insigniter illustrans illa verba è sacris canticis; *vineæ florentes dederunt odorem suum, tempus putationis advenit*, dicit per vineas in sacra scriptura designari animas Christianas, & vineas tunc putari, quando per ferrum pœnitentiæ, recidimus imperfectiones, & vitia, quæ impedire fructus operum meritoriorum poss sunt. Verum singulariter advertit sponsum dixisse, *tempus putationis advenit*, nã pœnitentia, ut sit utilis, & fructuosa, debet fieri suo tempore, & modo. Porrò tempus comodum, & salutare, est tempus præsens, quod nobis Deus offert, nam Apostolus dicit, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, & supra *Nunc annuntiat Deus hominibus, ut faciant pœnitentiam.* Et per suum Prophetam: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hoc est tempus, o sacerrima virgo, quod per tuum exemplum, & intercessionem fructuosè impendere debemus. Ecclesia in suis sanctis precibus quotidie per excellentiam te vocat Virginem fidelem. Fidelitas creaturarum respectu sui creatoris, consistit in hoc, ut promptè, plenè, punctualiter obediant. Tu semper, ei punctualiter obedivisti nec ulla fuit sancta inspiratio, cui aures occluseris, & cui non respõderis exactè. Tu illi paruisti plenè correspondendo omnibus ejus gratiis, tu illi obtemperasti promptè, ita ut nec per momentũ distuleris facere id, quod vidisti ejus placiturnm voluntati. Et hæc est promptitudo, quam rogamus in te imitari, & illam etiam promptitudinem, per quam incepta est nostra salus, dum consensum præbuisti legationi Angeli qui te salutavit hisce verbis, Ave Maria.

1. Cor. 6.

Psal. 94.

IDEA SERMONIS

Nunc facienda est poenitentia, nec debet differri in tempus futurum.

II. QVandoquidem Filius Dei expresse dixerit, *nisi pœnitentiam agatis, omnes peribitis*, frustra inculcamus animabus peccatricibus pœnitentiam esse absolutè necessariam, & quidem necessitate medii ad salutem; cum enim sint Christianæ, hoc non ignorant, de hoc non dubitant, quia de hoc sunt certæ, adeoque fieri potest, ut id aliis prædicent. Verum quæstio in hoc consistit, quando agenda sit pœnitentia; nam mundanus dicit, non esse festinandum, necesse periculũ in mora, fas esse illam differre, se eam acturum, dum ardor transierit juventutis, cum sua studia absolverit, lucratus fuerit processum, proles suas dotarit, illud officium, vel beneficium acquisierit, tunc dicit, quod se convertet ad Deum, & pœnitentiam aget. At enim apage cum his nugis, ego siquidem vobis ostendam, quod si sapiatis, & vestra salus vobis cordi sit, illam agere nullâ tractâ morâ debeatis. Ostendam vobis inquam tribus validis rationibus, prima, quia pœnitentia quam in tempus differtis sequens, est incerta, secunda, quia erit difficilior, tertia, quia minus fructuosa.

PVNCTVM PRIMVM.

Conversio dilata in tempus sequens est incerta ob diem mortis incertum quod probatur primò scriptura, secundò Patribus, tertio comparatione, quarto ratione.

III. PHilosophus moralis agens de morte pronunciat quoddam verbum, quod si bene consideretur auro æquivalet. *Citamur* inquit *ad depositum non ad censum*. Dum Deus nobis vitam dedit, illam nobis consignavit non velut censum, sed solum tanquam depositum. Magna est diferentia inter depositum, & censum: primò quippè, si tibi donem pecuniam ad censum, mox ut contractus initus est, pecunia est tua, & tu habes ejus dominium, & usum, eâ potes ludere, negotiari, eam proiicire in mare, absque injuria alterius, dummodò omnium annorum interesse mihi solvas. Verum, si laminam argenteam, cumulum auri, aut aliud quippiam tibi consignarim tanquam depositum, tu non habes harum rerum dominium, proprietatem, vel usum, nec potes de iis disponere, sed solum eas asseruare quamdiu mihi placuerit. Secundò, si tibi tanquam depositum dederim rem, quæ est utilis, & fructifera, fructus, & emolumenta non pertinent ad te, sed ad me. Declaro. Agniculi, quos peperit ovis, fructus, quos percipit ex equo depositarius non spectant adhunc, sed ad deponentem. Tertio, teneris ad primam petitionem mihi reddere depositum, absque ullo justo prætextu, & excusatione hoc negandi. Porrò Jurisperiti hanc ipsam quæstionem proponunt, verbi gratia, justo titulo debeo tibi centum ducatos, quos solvere tibi nolo, ego vice versâ dedi tibi rem mobilem tanquam depositum, an illud depositum titulo compensationis mihi retinere possis? Respondent autem Juristæ, quod non, & quidem conformiter ad ipsas leges, adeo quippè fideli-

tas

tas depositi est sacra, & inviolabilis. Ita habetur *cap Bona fides de deposito*, & in lege civili 55. *In bona fide, instit: de actionibus*. Præterea lege *si quis pecunias cod Depositi* dicitur, quod si depositarius habeat aliquam actionem realem vel personalem adversus depositorem, alia viâ sibi debeat prospicere, & jure ipso sine ulla exceptione depositum reddere. Audite legem. *Vt contractus qui ex fide oritur ad perfidiam minimè referatur.*

Citamur ad depositum, non ad censum. An vita nobis data sit ad censum? Non nam in quolibet censu, ille qui accipit rem ad censum acquirit dominium, & proprietatem ejus, vita autem nostra est Dei, nec ejus dominium, vel proprietatem acquirimus, Deus est ejus Dominus, nos tantum ejus proprietarii. Vita pertinet ad sanctos, qui sunt in cælo, non vero ad homines, qui gemunt in hoc mundo. De viatore cecinit Psaltes *Vitam petiit à te, & tribuisti ei.* Vt autem ostendat, quod loquatur de altera via dicit, *longitudinem dierum in sæculum sæculi.* Et hoc ipsi Pagani lumine naturæ edocti agnoverunt. Socrates Philosophus, ut refert Plato in *Phædo*, seu dialago *de anima*, postquam in carcerem Atheniensem conjectus, audivit se cicutâ venenosâ enecandnm, ut illam sumere debuit, contestatus est, cor ejus prægaudio exultare, dum fato, & morti quam tam diu, & tam ardenter desiderarat, tam prope se admotum conspexit. Dumque Cebes amicus ejus illi obiiceret, quandoquidem mors sit [illegible] bonum, adeo ab ipso concupitum, cur jam dudum illam sibi non conquisivisset, & expectasset incarcerationem, & Parlamenti sententiam, unam esse ianuam, per quam mundum intramus, plures vero, per quas eximus, an non aliud genus mortis eligere potuerit, prudenter Philosophus respondit, Deum vitæ nostræ esse Dominum, & proprietarium, ita ut nos eam alienare, nec de ea pro libitu nostro disponere possimus, sed solum juxta voluntatem Dei, & judicum, qui ejus vices agunt. Vita itaque nostra non est nobis data ad censum, sed ad depositum.

IV. Itaque *Custodi animam tuam solicite.* Hoc depositum non est nostrum, de eo disponere non possumus, eo uti non possumus pro libitu, nec illud impendere in ludos, recreationes, choreas, libidines. De pecunia, quam possidemus ad censum sine injuria illius qui illam nobis ad censum consignavit, dicere possumus, ego partem dabo cui volo, aliâ parte negotiabor, tertiâ debitum solvam. Verum de vita nobis in depositum tradita, sic non possumus discurrere, nec disponere, ego juventutem meam transigam in voluptatibus sensualibus, statum virilem in acquirendis mediis, in senectute faciam pœnitentiam, & satisfaciam Divinæ justitiæ, sine injustitia nec unicam partem expendere possumus contra voluntatem Dei, qui est ejus Dominus, adeoque solum ad ejus servitium illam impendere possumus. Secundo, omnes fructus depositi, omnia opera, omnia verba, omnes cogitationes, & actiones hujus vitæ ipsi debent præsentari, offerri, consecrari tanquam fructus depositi, quod suo Domino fructificat.

Quomodo ergo in teipsum tantum spectes? Quomodo tantum proprio lucro inhias? Quomodo nil facis pro tuo Deo? Ergo ne tantum non facias, ut tuas actiones ei mane offeras? Tertiò, & quod maximè meo deservit proposito, quamvis id quod cogitas esset verum, quamvis haberes aliquam actionem contra Deum, quamvis tu esses creditor, & ipse tuus debitor ob aliquod opus bonum, quod in ejus gratiam fecisses, quamvis ille tibi illud munerare obligaretur, attamen suum depositum quando vult, sine ulla injuriâ à te repetere potest, & tu ad primam postulationem sine ulla contradictione illud redderis teneris.

V. *Stulte hac nocte repetent animam tuam.* Tu dicis, quod velis te convertere, & dare operibus piis, frequentare Sacramenta, postquam in matrimonium collocaris tuas proles, adieris illam hereditatem, obtinueris illam dignitatem. Transire hoc posset, si esses Dominus tuæ vitæ. Sed Dominus inquit. Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momentâ, quæ pater posuit in sua potestate.* Quod si vestrum non sit cognoscere, multo minus de iis disponere. *Quam stultum* est inquit Seneca *ætatem disponere*, dum *ne crastino quidem dominamur.* Et Sanctus Augustinus. *Deus conver-* In Psal. 1. 99. *sioni tuæ indulgentiam promisit*, sed *dilationi tuæ crastinum non promisit.*

Quin potiusè contrario, ille sæpe nos monet in Evangelio, quod obruet nos instar Latronis, quod nos appellabit, dum minimum putamus, & ne ullum prætextum, vel excusationem allegare possimus, in hac materia, præter morem suum monitiones, quas dedit Apostolis, vobis quoque dici clarè testatur. *Quod autem vobis dico, omnibus dico; vigilate.* At enim verò, deplorandum est, quod nos imitemur illum insipientem ambitiosum, de quo prophanæ agunt historiæ. Matt. 23. v. 73.

VI. Recenset Aemilius Probus, Plutarchus, & alii Historici, quod postquam Archias opulentus civis Atheniensis principatum Patriæ sibi usurpasset, solium ascendisset Regale, & diademate caput cinxisset, adolescentiores urbis in libertate enutriti, & in omnem licentiam proclives, dum illud jugum ferre non possent, conspirarunt, & statuerunt novellum Regem Sceptro, & vita exuere, & ita illud tyrannicum jugum excutere. In hunc finem subornatunt quendam nomine Phylidum amicum simulatum, & reipsâ inimicum Tyranni. Hic iis addixerat se Archiam in domum suam ad opiparam invitaturum cœnam, & sub eandem se eos in domum introducturum, & in quodam conclavi reconditurum, ut ita sub mediam cœnam in eum irruerent, & trucidarent. Coniuratio hæc adeo latere non potuit, qui non uni ex familiaribus Tyranni innocesceret, quod eadem die esset executioni mandanda. Hinc sine mora citatis equis tabelliorem ablegavit ad Regem cum literis, in quibus ei sicariorum nomina, qui eum illa nocte trucidaturi erant, significavit. Tabellio Regium alloquium petit, admissus à Rege jam cœnante, literas in proprias ei dat manus, rogans ut statim illas legere dignaretur. Rex acceptat literas, & amicum suum nomine suo salutari, eique gratias agi jubet, se paulò post literas lecturum. Instat Tabellio,

Sere-

Serenissime Princeps, Dominus à quo sum missus, postulavit instanter, ut sua majestas statim illas legere dignetur, addens in iis valdè seria contineri. Rex genialiter respondit seria in crastinum, nunc pergræcandum est, & genio indulgendum, & literas clausas pulvino supposuit. Media vix elapsâ hora, e latibulo prorumpunt conjuratores, in eum irrumpunt, & miserè occidunt. Quid dicitis Auditores charissimi, de socordia, & incuria hujus Tyranni? Nonne valde stupidus fuit? Et tamen tu illo negligentior, & stolidior es.

Tu idem fecisti dum contra decretum Regis, & legem Dei, tot acceptasti munera, dum monopolam egisti, & decreta cum damno aliorum emisti, dum tot injustitias commisisti cum nocumento creditorum, dum periurium patrasti, ut diploma obtineres, quod justè petere non potuisti, dum pondus, & mensuram vendendo adulterasti. Tu idem fecisti, dum Tyrannidem exercuisti, dum comarchus, seu primus es in parochia, Magister, & Princeps inter tuos vicinos, omnes te adorant, honorant, reverentur, ob parva bona, quæ habes conciuratur contra te, & tu nihil scis, conspiratur contra te, & tu non attendis, jam agis annum sexagesimum, vel sexagesimum primum, ille humor catharrosus, qui sedem fixit in tuo cerebro, quique mox defluet super tuum cor, illa glarea, ceu arena, quæ condensatur in tuis renibus, quæque mox degenerabit in lapidem, illa alia accidentia, quæ te obruent, nil aliud sunt, quam conjuratores, qui vitæ tuæ insidiantur.

Filius Dei, qui est tuus optimus, & fidissim⁹ amicus, mittit ad te epistolam, in qua conspirationem contra te conceptam tibi detegit. Memoriale Granatensis, illi⁹ Ducē peccatorum, qui consumuntur in tuo repositorio sunt literæ missivæ, concionator est tabellio, quem Deus ad te ablegat, ut clarè, & expressè tibi aperiat conspirationem (uti ego hodie ex parte Domini mei facio) & te moneat, ut surgas è lecto, ut valedicas crapulæ, ut te expedias illis vitiis, quibus tanto tempore immersus hæsisti. Quod si te non resolvas, nec huic monitioni pareas, mors, & justitia Divina hoc mane in hoc tuo infelici statu, dum minimum de hoc cogitabis, te obruent, quod si moras nectas, si dicas tempus esse postea id faciendi, si seria in crastinum differas, invaderis, & damno tuo, & non ob culpam tui amici, qui te monuit. *Quod autem vobis dico, omnibus dico*, è medio tolleris.

Idem Assertor in Evangelio dicit, quod ille judicio privatus sit, qui fabricam quandam alicujus momenti super arenam instabilem extruit. Quale est ædificium majoris momenti, quam tua anima? Quæ basis est debilior, & inconstantior, quam nostra misera vita, quæ juxta Sanctum Jacobum non est solum arena fluida, sed vapor levis? Quomodo ergo tam socors sis, ut opus tuæ conversionis, quæ est fundamentum tuæ salutis, ædifices super basim adeo debilem? Quomodo illam fabricam audes extruere super id, de quo non potes disponere, super dies temporis futuri, qui necdum sunt, & forsan non erunt? Nonne hæc summa est stultitia?

PUNCTUM SECUNDUM.

Conversio erit difficilior, primo ex parte Dei, secundo ex parte Dæmonis, tertio ex parte nostra.

VII. AT enim verò supponamus id nunquam esse futurum, quod jam dixi, & quod subitaneâ morte nō sis obruendus, quod ad decrepitam usque victurus sis ætatem, quod Divina majestas per litteras te certiorem reddiderit, te ad annum centesimum perventurū, supponamus inquam hoc, & te ideo tuam conversionem differre, ego arietem instauro, & dico, te id non facturum. Et hoc probo hac secunda ratione, nempe quod difficultates, quæ modo tuæ conversioni remoram iniiciunt, tunc futuræ sint majores, validiores, principaliores, & magis invincibiles. Hæ porrò difficultates ex eo procedunt, quod Deus à te sit elongatus, sicut & tu à Deo e-
Ierem. 59. v. 2. longatus es. *Peccata vestra diviserunt inter vos & Deum vestrum.* Gratias, quas tibi præbet, ut vites peccata, non sunt adeo fortes, potentes, efficaces, frequentes, ut alias tibi donet, quia eas demere-
Deut. 23. ris per tua peccata. *Mea est ultio, ut labatur pes eorum.* Magnum est supplicium Dei, dum in poenam nostrorum peccatorum, nos permittit subjici nostris passionibus, & sinit nos labi in alia peccata. Præterea hæc difficultas procedit à nostris inimicis, qui nos tenent captivos, quia per peccata estis eorum mancipia. *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Tam fortiter est armatus, uti testatur Assertor noster in Evangelio, ut occupet arcem vestræ animæ, & in id totus sit, ne aliqua bona inspiratio, sanctum propositum cor nostrum ex pugnare possit, & ille ex arce ejiciatur. Vltimo, hæc difficultas proficiscitur ex prava inclinatione, qua propendetis in aliquod peccatum, avaritiam, lasciviam, ambitionem, vel emanat ex aliqua vehementi passione, aut affectu inordinato, quo afficimini erga aliquam creaturā, puta adolescentem, puellam, vindictam. Porrò certum est, quod post hac hæ difficultates grandiores erunt.

VIII. Et quidem primò, quia Deus longius à nobis aberit, non quidem corporaliter, aut per distantiam localem, sed per suam iustissimam, & efficacem voluntatem, qua nobis non dat tot, ac tantas gratias, sicut aliis, idque ob demeritū vestrorum peccatorum. Et quis quæso adeo cæcus sit, qui nō videat, quod quò diutius hæretis in pravo statu, eò plura committatis peccata, & Dei ira contra vos magis intendatur? Vos derivatis in vos eius vindictam, vos demeremini eius gratias, vos, quò magis ab eo vos separatis, eò magis ille se à vobis elongat. *Thesaurizas tibi iram.* Secundò, quod si Spiritus malignus dominetur vobis, & exderet corda vestra ob duodecim, vel viginti peccata, quæ commisistis, an non magis vobis dominabitur, postquam centum, ducenta patraveritis? Nonne magis ejus pedicis, ceu laqueis irretitieritis, & subiecti eius Tyrannidi? Nonne Dominio tenebrarum magis eritis subditi? Nonne regnum peccati in vobis magis stabiliveritis? Tertio, quamvis Spiritus malus nō se vexet, ut vos teneat, nec aliud foret obstaculum, quod impediret vestram conversionem, quàm vos ipsi; attamen illa

illa reddetur non solum difficilis, sed quasi impossibilis. An non videtis, quod dum differtis vestram conversionem, vos formetis pravam plenuram, callum, & habitudinem, quod vos reddatis naturales ad vitia, & ita tincturâ imbuamini, ut illa deleri non queat? Quod si sitis Humanistæ, redeat vobis in mentem illud Poetæ vestri.

Difficile est longum subitò deponere amorem
Sensumque mali detraxerat usus
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Quod si sitis Philosophi, jam scitis definitionem habitudinis, quod nempè sit qualitas, quæ difficulter tollitur, & quæ per repetitos actus augetur. Quod si sitis medici, recordemini dicti sapientis. *Languor prolixus, gravat medicum, brevem languorem præcidit medicus.* Ecclef. 10. Quod si sitis Jurisconsulti, jam scitis, quod possessiò diuturna fundet præscriptionem, & quod totus mundus radicatus, consuetudines abolere vix possit. Quod si sitis Theologi, mente teneatis, id, quod tam sæpe audivistis in Scholis, nempe quod peccata horrendũ in modum vastentur animas, quod facultates omnes vulnerent, intellectum obscurent, voluntatem corrumpant, liberum debilitent arbitrium, concupiscentiam inflamment, partem inferiorem contra superiorem concitent. Ex quo conclusissimum est, quod quò diutius differtis conversionem, eò plura committatis peccata, & consequenter majorem cladem, & stragem in animabus vestris causetis, pœnitentiam reddatis impossibilem, aut ad minus difficilem.

Quod si sitis politici, memineritis, & advertatis, quod in omnibus documentis, quæ traditis, in omnibus resolutionibus, quas capitis, semper respiciatis experientiam velut optimam Cynosuram, & justissimam regulam actionum humanarum. Et an non experientia vobis monstrat, quod nulli sint senes, qui agant pœnitentiam, aut vitam ducant austeram, nisi in jventute sua inceperint? Nonne videtis verificari illud Spiritus Sancti dictum, *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22. v. 6. Et ut verbo finiam, quisquis sis, paulisper has rationes considera, quod si nunc tuam pravam non possis superare naturam vitiosam, quomodo tunc illam poteris debellare, dum ab altera natura fuerit roborata, puta à pravâ consuetudine? Quod si nunc nõ possis cohibere tuas passiones, dum sunt leunculi, quomodo eas refrenare possis, quando erunt leones? Quod si nunc non possis tuos pravos extirpare mores, dum sunt similes arbusculo, quomodo id poteris facere, quando erunt velut procera arbor? Quod si non possis transilire hanc exiguam difficultatem, dum est rivulus, quomodo id poteris facere quando erit fluvius vastus? Sane

Viresque acquiret eundo.

Quod si nequeas extinguere tuam concupiscentiam, quando est scintilla, quomodo id poteris, cum erit magnus ignis? Quod si eximere te nequeas laqueo tuorum peccatorum, dum sunt tenue quasi filum, quomodo id poteris, dum erunt fortis rudens? *Funibus peccatorum suorum constringitur peccator.*

PVN-

PVNCTVM TERTIVM.

Conversio dilata erit minus fructuosa. Probatur primo scripturæ, secundo Patribus, tertio comparatione, quarto rationibus, quinto exemplo Augustini.

IX. AT enim, verò ut animum obstinatum, qui nimium suæ opinioni adhæret convincamus, plura argumenta afferre oportet, quibus non indigeremus, si præ manibus haberem⁹ spiritū docilem, & flexibilē. O animæ peccatrices, concedo vobis, quod vivetis usque in extremam senectutem do vobis, quod omnes difficultates, quæ sese opponere vestræ, continget conversioni superabitis, & quod in fine vitæ vestræ acturi sitis pœnitentiam. Do id ultra vobis, quamvis valde probabile sit, quod hoc non fiet. At quid dicetis de tempore adeo pretioso, adeo caro, adeo utili, quod perditis, dum vestram conversionem differtis; obliti illius consilii, quod per sapientem vobis dat Spiritus sanctus, *vade ad formicam, o piger,* nec dedignare ab hac instrui? vide quam diligens sit hæc bestiola in corroganda annona pro hieme, & quomodo nullum momentum temporis sinat elabi. An mente tibi excidit illud dictum Salvatoris, *venit nox quando nemo potest operari,* hoc est in puncto mortis? An non recordaris illius, quod scripsit Paulus ad fideles, *Dum tempus habemus operemur bonum?* Curam habe cursus hujus vitæ, quia nunc tempus est coacervandi annonam, nunc tempus est laborandi, nunc dies est merendi.

Prov. 6. v. 6.

Ioann. 9. v. 9.

Gal. 6. v. 10

X. Omnes actiones, quas elicimus in statu gratiæ, sunt *semina æternitatis* inquit S. Bernardus, illæ per æternitatem sæculorum nobis producent glorias, honores, voluptates, delicias. Nonne maximum damnum est, dum hæc amittimus per perseverantiam in pravo statu integris mensibus, & annis? Nobilis quidam, & doctus adolescens nomine Licentius, qui vitam ducebat levem, versu heroico insignem dederat epistolam ad sanctum Augustinum, cui sanctus Pater epistola quadragesima prima sic respondit: Dum legerem tuas literas, desideravi mihi valde per aliquot horas tuam venam poeticam, ut elegia lugubri, & funesta describerem magnam jacturam, quam incurris. Deus insigni te donavit spiritu, ingenio acuto, memoriâ optimâ, thesauro scientiarum acquisitarum. O grande damnum, dum hæc omnia talenta perdis? Revera valde doleo, dum video, quod in nugis illa perdas. Quod si subtus terram reperires calicem aureum, nonne libenter eum offerres nostro Salvatori, nonne libenter eum donares Ecclesiæ, ut in servitio Dei adhiberetur? Deus te dotavit spiritu plane aureo, cur eum ipsi non offers velut acceptum sacrificium? Idem vobis dico dilectissimi Auditores. Vos estis in flore vestræ ætatis, vos naturâ præditi estis temperatissimâ, spiritu vivaci, & subtili, solido judicio, ingenio claro, voce imperiosa. Vtinam hæc omnia consecraretis Deo; Et quam non tunc reciperet gloriam? Qualia non præstaretis ei servicia? Quas animas non lucraremini? Quæ merita, & præmia vos non manerent in cælo? Et tamen hæc omnia luditis pro uno appetitu nescio quali, pro una voluptate sensuali,

ssuali, pro exiguo temporali lucro, pro uno officio, vel beneficio, quæ speratis, ob amorem unius creatuuræ, ob timorem, ne hunc, vel illum offendatis, ob omissionem firmi propositi donandi vos Deo, & ita hos thesauros divites sepelitis in vita raucida, inutili, infami, mucida, otio, & immunditiis plena.

XI. Suppositum statuamus non metaphysicum, sed quod potest evenire. Supponamus inquam, quod in expugnatione, & captione urbis hostilis, quæ præteritis annis data est direptioni, & expilationi militum, dum hi animosi per mœnia conquassata irrumperent, & manubiis, ac spoliis sese onerarent, & pro tota vita se ditarent, tuus frater, vel cognatus manserit in tentorio suo, tabacum sumpserit, vel chartis luserit, dumque exautoratus ad patriam redit, tibi dicat. Viden me salvum, & incolumem, Deo sint laudes in bello nunquam fui captus, vel sauciatus, sanus redii, si non multum sim lucratus, etiam non multum amisi. Supposito hoc inquam, dic sodes, quid ipsi te dicturum putas? Apage, abi in malam horam, meticulose, lepuscule, quomodo audes in publico comparere? Nonne te pudet, dum vides commilitones tuos lauro, & honore cinctos spoliis, & manubiis onustos, te autē ob tuam inertiam lusisse tam insignem, & bellam occasionem pro tota vita te ditandi? Fabula de te luditur, nam æque stultus, ac deses es, & peius facis. Animæ electæ, tui concives, qui Religionem intrarunt, in qua se dederūt devotioni, illæ bonis se impendunt operibus, illæ nec diem, immò nec horam elabi sinunt, quâ non per victoriam alicujus passionis, aut praxin sancti operis coronam aliquā in cælo sibi acquirant, magna solertia corrogant thesauros spirituales, cumulos gratiarum, & meritorum cælestium. Tu autem, qui tam præstans te putas possidere cor, qui in negotiis mundi adeo es sagax, & prudens, in opere salutis tuæ es adeo socors, & stupidus, ut tempus tuum perdas ludendo, insaniendo, vel ut melius dicam domos extruendo ex buxo, aurum, & argentum in scriniolis coacervando, hoc est frustilla terræ fulvæ, & albæ parum illustratæ. Quomodo ergo, cum hæc ita sint, non pateris, ut aliquis tibi obiiciat, quod inutiliter amiseris tot insignes occasiones thesauros corrogandi pro altera vita, & evadendi in magnum sanctum, quod de die in diem differas consensum præstare inspirationibus, quæ te stimulant, ut seriò te consecres Deo, quod florem ætatis tuæ otio transigas, & Deo solum reserves spumam tuæ vitæ, furfures tuæ ætatis, tempus incertum, & incommodum, senectutem in qua nil aliud poteris agere, quā tussire, aut screare, & ut melius dicam, in quâ ad movendo titiones, rosarium non poteris recitare?

XII. Deus in prisca lege meliora, saniora, robustiora animalia sibi offerri præcepit, quomodo ergo patietur eum, qui ætatē debiliorem, infirmiorem, incommodiorem, inutiliorem illi consecrat? Ille, qui primitias frugum, & fructuū terræ sibi voluit donari, ita ut sine illa donatione noluerit reliquis frugibus, aut fructibus benedicere, non velit ut homo, ei dedicet primitias suæ vitæ? An benedicet senectuti illius, qui Deum in juventute vilipendit? sciatis, & in

in mentem revoceris dictum Socratis, nempe quod vita hominis sit hereditas, & possessio Dei. Quod si villicus tuus post messem tibi advehat farraginem tu conquereris, & protestaris de injustitia, quid ergo non faceres, si tibi mera adveheret Zizania? Quid faceres si tuus vinitor loco acinorum, & boni liquoris tibi adferret vinaceas, & fæces? Tu vero acinos bonos tuæ vitæ, quæ est hereditas Dei donas mundo, Diabolo, carni, Deo vero reservas vinaceas, fæces, farraginem, paleas. Tua ætas juvenilis, & virilis, quam transmisisti in voluptatibus, & deliciis, in servitio mundi, & carnis, est flos, cremor tuæ vitæ, senectus vero, quam Deo reservas est fæx, vinacea, palea, Zizania illius. Dum vox Dei te non movet, confundat te vox Gentilis. *Non te pudet* dicam cum Philosopho morali *reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri potest, quam rerum, tunc incipere vivere, cum desinendum est? Quæ tā stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?* Senec. c. 9. Non te pudet, quod Deo des fæces, & vinacias tuæ vitæ? Non te pudet, quod mundo, & carni des florem tuæ vitæ? An non erubescis, quod exercitium virtutum differas in tempus senectutis, quod ad nil utile est? An tempus moriendi, sit tempus inchoandi bonam vitam? An tunc sit tempus parcendi vino, quando jam degeneravit in fæces, & acetum? Amnis inferni suffocavit tuam memoriam, ita ut tuæ oblivis caris fragilitatis humanæ, Dæmon tuum fascinavit intellectum, Eccur differs bene vivere, & Deo serv re usque in annum sexagesimum, ad quem tam pauci perveniunt? Eccur vis jacere fundamentum in illa postrema ætate, ad quam tam pauci pertingunt? cur vis incipere vivere in illa ætate, in qua tam pauci finiunt? *sera parsimonia in fundo est, non enim tantum minimum in imo, sed etiam pessimum residet.* Epist. 1.

XIII. Divus Augustinus fecit sicut tu, utinam & eum etiam imitareris. Narrat hic in suis confessionibus, quod ante suam conversionem instar porci jacuerit in volutabro, & cæno suorum peccatorum, & pravorum habituum, quos in magna copia cōtraxerat, dumq; ad essent variæ urgentes, & validæ rationes, quas inspirationes Divinæ ei proponebant, ut ex illo luto se subduceret, nil aliud respondere potuit, quam qūod illi, qui dum mane jacent in molli lecto, & excitantur, expecta adhuc parum, statim surgemus, adhuc parum nos sine dormire. *Non erat omnino quid resp nderem tibi, nisi verba lenta & somno lenta, modo & ecce mod, sine paululum sed sine, & modo, sed modo, & modo non habebat modum, & sine paululum ibat in longum.* lib. 8. Confess. cap. 5.

CONCLUSIO.

Rationes conglobatæ ex tribus punctis.

XIV. Vobiscum idem agitur, Auditores charissimi, vos undiquaque, & omni momento convicti estis, vos scitis pravum statum in quo degitis, vos scitis, quod ji, qui vivunt sicut vos vivi-

vivitis damnationem sibi conquirant æternam. Et hinc vestram resolvistis emendare vitam. Sed dicitis *modo, & ecce modo*, adhuc parum, adhuc hac vice, fruamur adhuc hac voluptate, statim nos convertemus, verum hoc statim nunquam advenit, & illud parum adhuc durat sex annis. *Quam diu cras* dicebat sanctus Augustinus, *quare non modo, quare non in hac hora finis turpitudinis meæ* ? Idem vobis dico.

Epist. 1. Ibid, c. 12.

Quousque dicetis cras? Cur non nunc, dum tempus habetis, cur non modo, dum tempus est vestrum, dum illud habetis in vestra potestate? Cur non modo, dum nescitis, an habituri scitis tempus futurum? Quot non videmus quotidie mori in juventute?

Quare non modo? Cur non jam, dum vestra inclinatio ad malum est debilis, & infirma, quæ tamen valde roborari potest? *Quare non modo?* quia si diutius expectes, illa inclinatio indurabitur. & fiet invincibilis: *Quare non modo*, dum fortis es, & potes tolerare austeritates pœnitentiæ, cum tamen in senectute futurus sis omnino exhaustus, & satis tibi pœnosum erit, tolerare molestias ipsius senectutis? *Quare non modo*, dum necdum patrasti tot peccata, & quæ per mediocrem potes delere pœnitentiam, cum tamen si expectes, adeo concitabis Divinam justitiam, ut solvendo non sis futurus? Nunc, dum in flore, & vigore es ætatis nunc dum vita tua fortior, virentior, & formosior est, & quam Deus acceptissimam habebit, si nunc illam ei consecres, quam tamen refutabit, si solum ei senectutem, & ultimam partem vitæ dedices, pœnitentiam age. Crede mihi, & imitare sanctum Augustinum, qui dum hisce cogitationibus agitaretur, vocem audivit sibi dicentem. *Aperi, & lege.* Cumque librum spiritualem aperiret in hæc verba incidit. *Non in comessationibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Aperi Ducem peccatorum, vel memoriale Granatensis, si illud habeas, quod si illud non habeas, eme illud, & cum aliqua attentione illud lege. Eadem verba reperies. *Non in comessationibus.* Videbis, quod requies tui cordis, consolatio tui spiritus, salus tuæ animæ non consistat in conviviis, rixis, impudicitiis, ambitionibus, æmulationibus, sed in eo, ut tuum Salvatorem ames ex toto corde, ei fideliter servias, & illi totus adhæreas. Ergo totum te ei consecra, cum Augustino laqueos, quibus constringeris, discinde, nunc, nulla interpositâ morâ firmiter propone expediendi te omnibus pravis habitibus, & affectionibus erga creaturas, & videbis, quod reipsâ solutus ab iis sis, dumque te consecraveris Deo, putabis te esse in patria nova, exoneratus pondere immenso, à crudeli liberatus tyranno, introductus in paradisum terrestrem, & cum sancto Augustino conversio dices. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

8. Conf. cap. 5.

SERMO DECIMUS TERTIVS.

Pro Dominica sexagesimæ.

Aliud cecidit supra petram, & natum aruit Lucæ 8.

EXORDIUM.

CHristus Salvator noster hodie singulariter secutus est illud consilium Pythagoræ; ne multis verbis pauca comphrehendas, sed paucis multa, nam divitias vocauit nomine spinæ, naturam verbi Dei una voce seminis, Naturam Dæmonum una voce volucris. Et ut reliqua prætercam; vultisne scire, quo nomine vocet eos, qui obstinati sunt in peccatis, nec poenitentiam modo agunt, sed eam differunt in senectutem, aut articulum mortis? Nomine lapidis; sicut enim petra non habet liberum arbitrium, non intelligit, non videt, non audit, nec elicit ullos actus vitales; ita quoque illi, qui hodie non audivnt verbum Dei, quo invitamur ad poenitentiam faciendam tempore sanitatis, sunt lapides, quia nec in morbo ultimo eliciunt act⁹ vitales, quia tunc pœnitentia non est libera, adeoque periculosa, unde ne semper lapis sis, oportet quod hodie pœnitentiam agere incipias, ut ostendit Auctor in hac concione.

Nunc annunciat Deus hominibus, ut omnes poenitentiam agant act 17.

I. Magnus est error, quod aliquis differat poenitentiam usque ad extremam senectutem, & tempus futurum. Major ab usus est illam differre, usque ad horam mortis, & finem morbi. Hic abusus adeo est communis, & perniciosus nostræ saluti, ut cogar duabus concionibus eum penitus exscindere. Hodiè eum oppugnabo auctoritate sacrarum litterarum, mente Sanctorum Patrum, & nonnullis argumentis Theologicis. Cras Deo juvante idem continuabo, adducendo rationes validas, & convincentes. Verùm ante omnia O Sancta Virgo tuam intercessionem implorare debemus. Ecclesia te frequenter nuncupat *stellam matutinam*, nunquam vero vespertinam, quia non adeo promptè subvenis iis, qui nonnisi in extremo vitæ, in hora mortis ad te confugiunt. Tu vis ut in juventute, mane, & in aurora juventutis ad te recurrant. *Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Non vis ut tunc postulemus tuum succursum, quando nobis non amplius proderit, vis ut modo dum tempus habemus, dum sanis umus, dum vires habemus, quibus possumus coperari gratiis tui filii, tuam imploremus intercessionem te salutando,

Ave Maria.

IDEA

IDEA SERMONIS

Poenitentia non est differenda in articulum mortis, vel morbum extremum.

Exordium leges humanæ sanciunt ultimam voluntatem esse liberam multò magis lex divina, atqui poenitentia in morte non est libera, ergo periculosa.

Isaia 38. v. 1. II. *DIspone domui tuæ* inquiebat Isaias ad Regem Ezechiam *quia Morieris.* Sanctitas illius, qui hæc verba protulit, & qualitas illius ad quem dicta sunt, nobis persuasum faciunt, & ad credendum nos obligant, hæc non solum, nec principaliter accipienda esse de dispositione negotiorum temporalium domus, sed de salute animæ, & statu conscientiæ. *Dispone* est terminus legis, & testeamenti. Leges civiles sapienter providerunt, nec rationabiliter in ullo contractu humano, aut actu societatis adeo perfectam libertatem requisiverunt, quam in testamento, & dispositione ultimæ voluntatis. *Nihil enim* inquit Imperator Constantin⁹ *magis debetur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt liber sit stilus, & licitum quod iterum non redit arbitrium.* Condens testamentum primo debet pollere usu rationis, mentisq; esse cōpos, & hinc Notarii signanter exprimunt quod fuerit sanus, & sensibus non orbatus, defectu hujus conditionis pupilli, qui necdum attigerunt pubertatis annos, testamentum condere nequeunt. *Quia nullum, aut parvum est eorum judicium, quibus non est permissum facere testamentum.* Secundo testator debet esse perfectè liber

Q. habeat cod de sacro sanctis Ecclesiis. ff. Praterea instit.

quoad usum liberi arbitrii, & illud testamentum declaratur esse nullum, quod aliquis condidit ex suggestione, vi, coactione, precibus importunis, metu, & aliis, quæ minuunt libertatem. Vnde testamentum nullum est, in quo æger instituit heredem medicum, aut quod condit captivus, quamdiu constitutus est in potestate sui hostis. Et hinc ad testamentum plures requiruntur testes, quam ad reliquos contractus, & actus judiciales, nam in certo casu unus solum sufficit, uti refert Glossa *jurisjurandi codice de testibus.* Juxta Salvatorem duo, aut tres testes sufficienter probant. Verum ad testamentum non requiruntur min⁹, quam septem. *Q. hac consultissima, codice, qui testamenta facere possunt vel non.* Et leges tanti faciunt hanc libertatē, ut non solū testator, sed & testes debeant esse liberi, unde qui necdum habet quatuordecim annos, mancipium, infamis & omnis is, qui faciliter potest corrumpi, nequit esse testis in testamenro. § *testes autem instit de testibus ordinandis.* Vnde nec testes esse possunt servi, vel subditi heredis § *Sed neque, instit eodem titulo.* *Matt. 14.*

Et ideo Sanctus Joannes Chrysostomus sic discurrit. Quod si leges civiles non permittant, ut disponas de minimo cubito terræ, aut exigua illa hereditate, nisi si anus, compos mentis, & perfectè liber, tibi judicandum relinquo, an lex Divina permittat, ut disponas de tua anima, salute, æternitate, legitima paradisi, dum ob morbi angustias sensibus destitutus eris? Quod si in morbo extremo te Deo consecres, & dones, ac peccatis valedicas, & renun- *Hom. Prima in actus Apost.*

cies, illa donatio, renunciatio nõ est simpliciter libera, quia est suggesta, & extorta metu mortis, & impotentia ad peccandum. Et quidem hoc probo tot testibus, quot in rigore omni postulare potes. In negotio maximi ponderis nemo potest plures exigere quam quadraginta, & illi sufficiunt, ut habet Canon *Capite: Cũ caussam extra; de testibus*. Ego autem centum adferre possum ex tribus partibus mundi. Ex Africa Sanctum Cyprianum, & Sanctum Augustinum. Ex Europa Sanctum Salvianum Episcopum Massiliensem, Sanctum Cæsarium Episcopum Arelatensem, Sanctum Eligium Episcopum Nojonensem, Sanctum Isidorum Hispalensem, Patres primi Concilii Arelatensis, qui ad minus fuerê tercenti. Ex Asia Episcopos Concilii Neo-Cæsariensis, & illum, qui æquivalet millenis Spiritum Sanctum in Sacra scriptura.

At enim verò, antequam eorum verba producam, argumentum aliquod proponam, quod est simile illi, quod formant ii, qui agunt contra Hæreticos nostri temporis, ut erroris convincantur. Ego interrogo Calvinistam, an vivens, & moriens in Ecclesia Romana possim salvari, dummodo pro possibili servem legem, & mandata Dei, nulli injuriam inferam, abstineam à fornicatione &c? Si velit respondere conformiter ad sua principia, affirmare debebit, quod si hoc nolit fateri, contradicet suis principiis, quæ tamen negare non potest, nam docent ad salutem sufficere quod habeam fidem, quod credam in Christum, & sperem mea peccata per ejus merita esse remissa. Hoc supposito, sic discurro. Hem charissime. Fidem habeo, Deo sint laudes, ego credo, & spero in Christum, ergo certus sum, quod sim salvandus, nec dubitare possum de mea religione; nam uti ego credo, & tu fateris, uti nos docemus, nec vos negatis, certus de salute sum, si faciam id, quod nostra Religio docet. Econtra nullus est ex nostris Theologis, nullus est verus Catholicus, qui non fateatur, te in Religione tua non posse saluari, qualiacunque opera facias bona. Vnde ad minimum tu non es certus, & tua Religio tibi debet esse suspecta, & es in periculo damnationis. An non ergo est maxima imprudentia, & summa stultitia dimittere certum pro incerto, infallibile pro dubio, indubitatum pro dubitato, & hoc in materia æternitatis, ubi agitur de perpetua salute, & damnatione? Eodem modo in hac materia discurro. Tu certus es de tua salute, si abstineas à peccatis mortalibus, si toto tempore tuæ vitæ vivas sanctè, piè, & catholicè. Sacra scriptura, Sancti Patres tibi certò addicunt salutem, si hoc feceris. Verum si indulgeas voluptatibus, Deum offendas, & continuò peccata patres mortalia, & dicere velis in morte, *Peccavi*, & hoc modo salvari, dimittis certum, & arripis incertum; & sacra scriptura, Patres, argumenta Theologica ostendunt clarè, nil esse incertius, fallacius. Et quidem primo ordiamur à scriptura.



PVN

PUNCTUM PRIMUM

Poenitentiam in morte esse periculosam probatur quatuor scripturæ locis.

III. PRæter textus sacræ scripturæ, quos sæpius adduxi, & plures alios, quos allegare possem, quatuor tantum adducam; duos ex novo testamento, & duos ex veteri. Et primo in medium prodeat Sanctus Job. Hic Sanctus vir loquens de eo, qui abusus est occasionibus, quas Deus illi præbuit ad faciendam poenitentiam, sic inquit. *Peccatum ejus usque ad inferos, oblivi catur ejus misericordia, conteratur quasi lignum infructuosum, dedit Deus ei locum poenitentiæ*, & ille abu itur eo in superbiam. Deus optimus tibi dat tempus, commoditatem, inspirationes, ut poeniteas, tu autem his abuteris, & dies, menses, annos integros transigis in vanitatibus, voluptatibus, deliciis, crapulis, otio, & rebus inutilibus, peccata tua ad infernum usque te ducent, Deus obliviscetur, ut tecum exerceat misericordiam, in articulo mortis videbis te spoliatū cunctis bonis operibus, tu igni traderis velut arbor infructuosa, & sterilis. Cap. 24.

IV. Secundo prodeat Ecclesiasticus dicens. *Cor durum malè habebit in novissimo, & qui amat periculum peribit in illo.* Tu es induratus, tu id valde bene scis, nemo est, qui te vel in minimo possit flectere, nemo est qui cor tuum Chalybeum queat emollire, tu ex perimento id didicisti, nam omnes inspirationes, exprobrationes, prædicationes, minæ, promissiones in te vanæ fuerunt. An post tot conciones vel in minimo à tuis vanitatibus, juramentis, & pravis moribus destitisti? In fine tuæ vitæ pessimo loco eris, videbis de te actū̄m esse, & computum tuum valde malè compositum, tu amas periculum, tu incertum præfers certo, sed tandem in periculo peribis. Eccles. 3.

Filius Deus tibi dicit in Sancto Matthæo. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Ne credas, quod ego phaleratis verbis os mihi oblini patiar, non putes, quod cæremoniis fucatis me flecti sinam, nam non omnis, qui me vocat Dominum, salvabitur. Nec quid juvat; quod in lecto mortis, des verba byssina, promissiones verbales & dicas, Deus esto mihi misericors, *Maria mater Gratiæ*, nam hæc verba non valent plusquam nihil. Vti enim ego probabiliter judico, non intrabis in Regnum cælorum; cœlo enim tantum is donatū̄r, qui fecerit. *sed qui fecerit* non dicit is qui: *faciet*, sed qui fecerit voluntatem Patris mei. Matt. 7.

Præterea idem Salvator disertè asserit. Quod si aliquis seruus absente Domino suo officio non satisfaciat, sed nequitiis, & petulantiis se totum det, si Dominus ejus redeat, & ita obdormiscentem, & non vigilantem eum reperiat, dū foras pulsabit? illicò cominuet eum fustibus, & hypocritis adjudicabit. *Dividet eum*, & partem ejus ponet cum hypocritis. *Pulsat Dominus*, inquit Sanctus Gregorius, *cum per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat.* Quod si te reperiat in virtuoso, & bono statu ô te felicem, qui copioso te præmio afficiet; verum si te reperiat in pravo statu, & in officio tuo negligentem, vanitatibus, & voluptatibus immersū, quamvis speciosis verbis te excuses, egregiè vapulabis, & ad hypocritas relegaberis, quia verba speciosa ordinariè sunt fucata, & ficta. Matt. 24. v. 28. Lucæ 12. v. 45. Hom. 13. in Evangel.

PVN-

PVNCTVM SECVNDVM,
Idem probatur ex Patribus antiquis, & recentioribus hujus sæculi.

III. SAncti Patres mirum in modum scripturæ concinunt; quia eodem spiritu animantur, & aguntur. Tertullianus in Africa invehitur in quosdam catechumenos vitiosos, qui non nisi post baptismum susceptum, sub prætextu, quod baptismus omnia peccata, tam quo ad culpam, quam quo ad pœnam deleret, in libro de pœnitentia hæc pronunciavit. *Si ab aquis tantum peccare desistimus, necessitate, non sponte innocentiam induimus.* Et sane hoc verissimum est in iis, qui non desistunt à peccatis, nisi in hora mortis, nã impossibilitas peccandi ad quam nos reducit baptismus, est tantum impossibilitas moralis fundata in prohibitione Dei, & ecclesiæ, quæ non minuit libertatem, sed eam amplius perficit, & meritoriam reddit. Mors econtra, nos collocat in statu; quo naturaliter reddimur impotentes ad agendum, & consequenter nobis aufert indifferentiam ad bene, vel male agendum, ad exercendas virtutes, vel vitia.

lib. de pœn. c. 1.

Sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis, qui proprio sanguine suam doctrinam confirmavit, sic scribit ad Antonianum. *Frater Charissime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, probibendos omninò consuimus à spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Porrò hic signanter notandum est, quod quamvis S. Cyprianus hanc epistolam eo fine scripserit, ut probaret contra Novatianos, eos qui per pœnitentiam se convertunt, esse admittendos ad misericordiam, & participationem sacramentorum; attamen perstringit eos, qui pœnitent in ultimo morbo, quia eorum pœnitentiam judicat esse falsam, fictam, & coactam. Epist. 52.

IV. Audiamus etiam S. Augustinum ex eadem provincia, *Dico in conspectu Dei timori vestro, timorem meum: qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo &c. Baptizatus violator tanti mysterii, si agat pœnitentiam ex toto corde, & solutus fuerit à ligamento, quo erat obstrictus, & bene post reconciliationem vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit, quandoque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur & hinc vadit: Fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit: Non præsumo, non vos fallo, Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus, unde securus non do securitatem, unde non sum securus, pœnitentiam dare non possum, securitatem dare non possum. Vis te dubio liberare, vis quod incertum est evadere, age pœnitentiã, dum sanus es.* Sequatur ex Europa Salvianus, quem Trithemius vocat Magistrum Episcoporum. Hic scribens toti Ecclesiæ ait. *Ille peccare non desinit, quem in extremis positum recedere à criminibus sola facit*

lib. quinquaginta homil.

facit impossibilitas, non voluntas, qui enim à malis actibus tantū in morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus. Ejusdem animi sunt Sanctus Cæsarius, Eligius, Isidorus, & alii Patres, quos non adduco ne vobis tædium generē, quia sunt quasi eadem verba cum Sancto Augustino.

V. In Asia concilium NeoCæsariense vetat ne Christianus quidam, qui in infirmitate baptismum suscepit præsbyter ordinetur. Idem videmus, & legimus apud Eusebium. Rationem porrò, quæ ad nostram rem facit, hanc concilium assignat, quod nempe fides talis non sit voluntaria, sed coacta. Et ideo fiebat ut illi, qui in in infirmitate convertebantur, & baptizabantur, si sanitati eos restitui contingeret, ad poenitentium classem redigerentur, quia magnum dubium de is habebant, num gratiam baptismalem recepissent, & ideo vocabantur *Clinici*, uti videre est in SanctoCypriano. Et quidem pœnitentia Christianiin extremo morbo judicata fuit adeo ficta, illegitima, & involūtaria, ut quodam tempore taliter poenitentibus absolutio negata fuerit, uti sanctus Cyprianus supra testatur. Tandem Ecelesia erga eos se indulgentiorem ostendit, dum iis impendit absolutionem, sed non eucharistiam. Ita expressè videmus in concilio primo Arelatensi habito sub sancto Siluestro Papa, ad quod Episcopi ex omnibus partibus convenerunt in initio quarti sæculi, ubi loqués de iis, qui postquam metu suppliciorum fidem deserverant, sic ait; *De his qui apostatant, & antequam ad ecclesiam redeant, nec quidem agere poenitentiam quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus poenitentiæ.* Successu porrò temporis ex sola misericordia, Ecclesia iis Eucharistiam concessit, ne favere videretur errori Novatianorum, uti expressè videre est in epistola trigesima, quam Innocentius primus scripsit ad Exuperium Episcopum Tholosanum. Quæsivisti a me inquit quid agendum sit cum iis, qui post baptismum tota vita luto voluptatum sensualium immersi iacuerunt, & in morbo absolutionem, & eucharistiam petierunt. Ecclesia quondam severius cum talibus egit, quam modo, quia postea iis dedit absolutionem, sed negavit communionem, verum nunc meo sensu non inconvenienter iis datur viaticum, ne favere videamur Novatianis, qui lapsis post baptismum poenitentiam negant. Nunc vides quid senserint Patres de pœnitentia finali, & tuo *peccavi* prætenso.

Cap. 23.

VI. At enim verò, si Auctores recentiores tibi magis placeant, quia ab antiquioribus illustrati fuere, en eos ex diversis ordinibus cum prædecessoribus suis concinentes. En ergo ex ordino sancti Augustini Hugonem à Sancto Victore, ex ordine Cisterciensi sanctum Bernardum, ex Dominicano Albertum magnum, & pientissimum Granatensem, ex ordine Minorum subtilem Scotum, & devotum Didacum stellam, ex congregatione oratorii Cardinalem Baronium, ex Carthusiensi familia Dionysium.

PUNCTUM TERTIUM.

Idem probatur rationibus, primo ex parte Dei, secundo ex parte nostri, tertio ex parte poenitentiæ.

VII. Rationes porrò, quibus citati Doctores probant hanc doctrinam, desumi possunt, ex parte Dei, ex parte hominis, ex parte pœnitentiæ. Porrò in antecessum sciendum, neminem posse unquam pœnitere sicut oportet, sine auxilio speciali Dei, quod Deus nulli debet, aut promisit, quinimmò, quod pluribus negat, uti experientia docet & caussam habet id iis denegandi, qui illam distulerunt in tempus incertissimum, ineptissimum, & inutilissimum totius vitæ. Nec mihi objiciatis, quod hanc gratiam in fine vitæ fecerit bono Latroni, nam dicam statim; quis vobis significavit, quod pœnitentiam eousque distulerit? Quomodo scimus inquit sanctus Bernardus, quod antea non egerit pœnitentiam? An non forte ante illum articulum se convertere potuit? Potest esse, quod interfuerit aliquot concionibus Filii Dei, quod peccatis renunciarit, quod antea baptizatus fuerit ab Apostolis, & quod ob præcedentia facinora à judicibus captus fuerit post baptismum. Et quamvis Sanctus Matthæus asserat Latrones conviciis proscidisse Salvatorem cruci affixum; attamen id non verificatur probabiliter de Latrone bono, qui alias non fuisset statim ausus perstringere blasphemias sui sodalis. Immò Sanctus Matthæus more suo, locutus est per figuram Grammatices, loquens in plurali pro singulari, uti & patet ex capite præcedente, in quo narrat Discipulos succensuisse, & perstrinxisse Sanctam Magdalenã, eò quod caput Salvatoris unguento perfuderit, cum tamen reliqui Evangelistæ hanc culpam solum affricent Judæ. *Paucissimi* inquit Bernardus *talium habent veram poenitentiam, & confitentur ex consuetudine quadam, aut ex servili timore, non ex vero zelo justitiæ, & charitatis Dei, sine qua nihil proficiendum est.*

Vel si velis dicam cum Eusebio Emysseno. *Placuit in extremo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Latro igitur veniam obtinuit, quia tunc prius forsan à Spiritu Sancto luce fidei illustratus fuit, adeoque non fuit obstinatus, nec pertinaciter restitit locutionibus Dei sicut tu facis. Et quamvis aliter esset, an prudentis sit, spem nostræ salutis fundare in quodam exemplo singulari, cui nullum in sacra Scriptura simile reperitur? *In toto canone* scripturatum inquit Bernardus *nullum alium præter hunc latronem in venies salvatum.*

Epist. 77. ad Hugonem à S. Victore.

Euseb. hom. de Latrone.

IX. Verum adhuc instatis, nil aliud exigitur, quam unum *peccavi.* Verum dicis, sed nodus in hoc consistit, ut sit sicut oportet, est autẽ incertũ valde, num tuum sit tale, quia non habes amplius vires, vigorem, & habitudinem. Dum in lecto jacueris fatali, cinctus eris ab hominibus, qui facient id, quod egerunt Filii Zebedæi, dum Christus ad eos sermonem haberet de sua morte; nam illi loquebãtur de ambitione, & primas sedes rogitabant. In morbo extremo, dum deberes agere de Deo, & de tua salute, tu tractas de negotiis mundanis, de tua successione, de testamento. Occuparis circa testamenti, aut fidei commissi in-

si institutionē, de substitutione, legatis &c, conferre debes cū medico, Chirurgo, Pharmacopola, sumere debes Sirupum, Zulapium, medicam potionem, nunc cauterium inurendum, cucurbita ponenda, consanguineis, & amicis advenientibus aures præbendæ, nunc condolentibus auditus præstandus. Et quales quæso tunc non adveniunt occupationes, & confusiones? Agendum, an tunc de testamento, medicinis, salutationibus, Sacramentis? Inter tot occupationes, quarum quælibet totum hominem requirit, verosimillimum est unam malè fieri, & sine dubio illam, cui minus afficeris, & ad quam minus inclinaris, quæ tamen primum locum obtinere deberet. Quod si nunc, dum animo, & corpore præditus es sano, integro, vivaci, tam difficulter vales resistere tentationibus, vincere tuos pravos habitus, domare tuas vitiosas inclinationes, animum vindictæ, & alias passiones extirpare, quomodo id poteris facere in supremo morbo, dum corpus erit semimortuum, anima tota languens, Spiritus excesi, & omnes vire sexhaustæ, ac amissæ?

X. Nil aliud exigitur, quam unum *Peccavi*, dumodò sit sicut oportet. Pharao dixit *Peccavi*, Saul dixit *peccavi*, sicut etiam Antiochus, & Judas, & tamē damnati sunt, quia ipsorum *peccavi* non fuit salutare. Dic sodes, quis tibi persuasit, quod tuum sit melius? Idem contigit iis, quod infelicibus Ephraitis de quibus mentionem facit liber Judicum. Hi injustum bellum indixerunt Jepta, & Galaaditis cum eo fœdere colligatis, è patria ejecti fuerunt, nec rursus ad eam reverti potuerunt nisi transfretarent Jordanem. Hostes eos expectarunt ad trajectum, & quemlibet singulatim interrogarunt, cujas es? An oriundus es ex tribu Ephraim? Nequaquam. Sum Galaatides. Dic ergo *Schibbolet*, Misellus homo, dum non posset bene pronuntiare hoc verbum, sed in eo erraret, & absorbendo intra dentes, & guttur diceret *sibolet*, & vnam syllabam transglutiret, illicò occisus fuit. Via mortis est trajectus Jordanis, quia Jordanis in Hebræo idem est, ac *Fluvius judicii*, cum à morte eamus ad judicium. Hostes nostri nos expectant ad trajectum. Justi, & peccatores dicunt *Peccavi*, fatentur quod sint peccatores, & veniam rogant, invocant misericordiam Dei, sed cum magna differentia, justi, & illi, qui illud pronuntiare asveverunt, illud bene pronuntiant, & ex intimo corde, ex fundo pietatis, ac bonæ dispositionis, quam diutinâ praxi acquisiverunt, illud proferunt. Verum, perversi, qui non asveverunt elicere actus poenitentiæ, & pietatis, dicunt, & pronunciant quidem in articulo mortis *Peccavi*; verum id non procedit ex corde, sed solum oretenus, ita ut de iis possit dici, quod de magno nobili nostri ævi quem nominare, ut ejus parcam honori, nolo. Gubernator quidam alicujus provinciæ in Gallia, qui plurimas injustitias in sua satrapia commiserat, & plurimos tyrannicè, ac innocenter oppresserat, postquam lecto fatali decumberet, habitum induit religiosum, ut in illo terræ mandari posset. Rusticus quidā misellus, qui in extremā ruinā per ejus oppressiones erat adduct⁹, dū videret eū hoc habitu indutū ad tumulum efferri, dixit: Francisce, Francisce, o quā egregiam

Cap 12. v. 1

Q 2

giam larvam induis! vadis ad patriam, in quâ te bene cognoscent. Tu insignem larvam induisti, per tuum egregium *Peccavi*, per tuas lacrymas, & insignia verba. Tuum *Peccavi*, est *Peccavi* Judæ, tuæ lacrymæ crocodili, tua pœnitentia est pœnitentia Pharaonis, vana, frivola; ficta, & simulata.

CONCLUSIO.

Per recapitulationem.

Iob. 21. v. 3. Apoc. 2. v. 21.

XI. ERgo crede mihi, nec patere ut de te verificentur illa verba Job. *Dedit ei Deus locū pœnitētiæ, & ille eo abutitur*, & illa verba Apocalypsis. *Dedit ei tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*, Deus tot diebus, mensibus, annis, qui sensim elabuntur, tibi concedit spatium pœnitendi, tibi dat locum in quadam civitate, parochia, domo, in qua nihil exigitur ad tam sanctum opus, ille tibi dedit prototypō quod imiteris, nempe tot sanctas animas, quæ pœnitentiam egerunt. Deus tibi dat commoditatem, dum ad manum habes tot confessarios, qui sunt in urbe, tot sacramenta, quæ recipere potes, tot indulgentias, quas potes lucrari. Ille tibi dat thesaurum, quem acquisivit per suam passionem. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ille te admonet, ille tibi consulit per tot Prędicatores, qui inculcant tibi, age pœnitentiam, ille tibi præcipit per sanctum Lucam, *Nisi egeritis pœnitentiam omnes peribitis*, ille te docet per suum præcursorem, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Quod si pœnitentiam differas usque ad senectutem, tu abuteris tempore pœnitentiæ, tu eris arbor infructuosa, & cor induratum, tu non facis voluntatem Patris, sed solum dicis, Domine, Domine. Tu obrueris à tuo Domino, dum fores pulsabit, nec dignos fructus pœnitentiæ egisse diceris. Considera parumper, an non juxta sacras scripturas, sanctos ecclesiæ Patres, Theologos, tuum *peccavi* prætensum, sit verum figmentum, & fictio? Admirare igitur tuam stupiditatem, & stoliditatem ineffabilem. Sancti Patres antiqui, quos in secundo puncto allegavi, apprimè callent sacras scripturas, illas legerunt, relegerunt, illis continuò diu, noctuque incubuerunt, & si quis unquam eas intellexit, illi earum intellectum penetrarunt, illi edocti fuerunt à Deo, immediatè instructi ab Apostolis, eorumque successoribus, illi proprium non quæsierunt lucrum, illi vixerunt eo ævo, quo juxta ipsummet Calvinum Ecclesia fuit in sua puritate, tanquam vicinior suæ origini. Nunc tibi considerandum relinquo, an prudenter facias, dum pœnitentiam adeo protrahis, quam tam magni Sancti, utpote serotinā, inutilem, & vanam censuerunt, quod processum tuæ salutis instituas eo modo procedendi, quem boni Advocati disertè contestantur nihil valere; quod medicinam tuæ animæ porrigas per potionem incommodam, quam tot expertissimi medici judicant nocivam, quod iter versus cælum prosequaris per viam incertam, quam tot sapientes Doctores tibi dissuadent, & prohibent. An velles redire domum per viam, in qua è centum personis octuaginta fregerunt collum? Quomodo ergo audes concedere versus cælum per viam, in qua nonaginta perierunt, & damnati sunt? *Nulla satis securitas, ubi periclitatur æternitas.* Profectò in negotio tanti momenti

suffi-

sufficientem certitudinem habere non possumus, ubi agitur de salute æterna, non possumus satis accurati esse, hoc considerate, & ite in pace.

SERMO DECIMUS QUARTUS

Pro Dominica Quinquagesimæ.

Domine ut videam Lucæ 18.

EXORDIUM.

INter alias plagas, quibus Deus punivit Ægyptum, fuerunt tenebræ, adeo densæ, ut palpari possent, & nemo videret fratrem suum, quæ tenebræ durarunt per tres dies, & per tres noctes. Hæ tenebræ denotabant crudelitatem Pharaonis, quâ tot plagas expertus, ad Deum se convertere nolint, & Israelitas dimittere. Non aberrant multi Concionatores, qui hos tres dies Bacchanaliorum, dicunt esse tenebris crassissimis involutos, dum homines ita vivunt, quasi nil scirent de morte, judicio, & inferno. Nam Jericho lunam significat, quâ non consideramus tempus hujus vitæ esse tempus, quo pœnitentiam agere debemus, nos autem illam in extremam senectutem, & mortem differimus. Nonne hæc est magna cæcitas? Quini immò rogemus ergo Deum, ut nobis oculos aperire dignetur, ut videre possimus illam pœnitentiam, eo usque esse incertam, difficiliorem, involuntariam, ut auctor hac concione ostendit.

Quærite Dominum dum inveniri potest Isaiæ 55.

I. Heri consideravimus, quod verus modus pœnitentiam agendi sit tempus præsens, & sanitatis, quodque res sit valde nociva nostræ saluti, negotium tanti momenti ad extremum differre morbum. Hanc veritatem probavi sacra scripturâ, sanctis Patribus, & argumentis Theologicis. Et quia tempus non permisit, ut tertiam probationem fusius deducerem, ideo id hodie à me præstandum, & vobis ostendendum, quod si morbus extremus (notate quod non dicam mors subitanea) vos obruat, antequam peccatis vestris renuncietis, incursuri sitis manifestum discrimen vestræ salutis, quod tribus rationibus efficacibus probo. Primâ, quod pœnitentia, quam facere prætenditis in hora mortis sit incerta, secunda quod sit difficilior, tertia quod sit involuntaria, & consequenter infructuosa. O sanctissima Virgo, verum quidem est, quod sæpius rogemus quatenus digneris esse nostra advocata apud Deum in extremo morbo, Ecclesia nobis instillat quotidie preces, quibus tuum subsidium poscimus in hora mortis, sed & nos rogare, & illud subsidium pro tempore sanitatis ante

rogare, & postulare monet & suadet ut dicamus, *ora pro nobis peccatoribus nunc*, id est jam, in tempore opportuno, idque ut vitam ducamus tam sanctam, virtuosam, Christianam, ut preces tuæ, quas pro nobis fundes in hora mortis, nobis non fiant inutiles. Admitte quæso in hunc finem salutationem, quam Reparator veræ vitæ, disposuit ut in tuis præcordiis reciperes AVE MARIA.

IDEA SERMONIS

Poenitentia non est differenda usque ad extremum morbum.

EXORDIUM.

Qui differt conversionem in mortem, non poterit dici virtuosus ob tria.

Psal. 88. II. GLoria *virtutis eorum tu es* cantabat Psaltes. Subtiliter hic observat devotus sanctus Bernardus, Davidem non dicere, mi Deus tu es gloria tuorum sanctorum, sed tu es gloria virtutis eorum; & hoc ideo, quia datur talis connexio necessaria, & relatio essentialis inter virtutem, & gloriam, qualis inter meritum, & præmium, laborem, & salarium, prælium, & coronam; hoc est; sicuti præmium non datur ulli, nisi id prius promeritus fuerit, sicut non datur salarium nisi ei qui laboravit, sicut palma, & lauro non cingitur nisi is, qui generosè certavit, ita gloria, & felicitas cælestis non datur nisi virtuosis. Theologia porrò moralis, sicut & Aristoteles docet tria requiri adhoc, ut possimus coram Deo, & viris sapientibus virtuosi dici. Primò, ut quis virtuosus censeatur, debet practicasse virtutem, secundo debet illam practicasse virtuosè, tertiò longo tempore. De omnibus, virtutibus dicendum est id, quod Sanctus Gregorius dixit de charitate, quæ est anima, & forma omnium virtutum. *Si non operatur, nec est.* Virtutes sunt ornamentum, & perfectio animæ; perfectio autem cujuscunque rei, consistit in sua operatione, quod adeo verum est, ut Deus qui est infinitè perfectus, & ipsamet perfectio, nequeat componi ex actu, & potentia, sed sit merus, & purus actus infinitus, subsistens, & personalis. Secundò, ut aliquis dici queat virtuosus, exigitur ut virtutes virtuosè practicarit, hoc est ex bonâ, & sincerâ voluntate, liberè, ex bono fine, cum reliquis circumstantiis necessariis; quia *Bonum ex integra caussa, malum ex quolibet defectu.* Tertio, longo tempore debent exerceri virtutes, & earum acquiri habitus; nam sicut una hirundo non facit ver, ita inquit Aristoteles, una actio virtuosa, non efficit hominem virtuosum. Ille, qui prius renunciat peccatis in ultimo morbo, non potest dici practicasse virtutes; Quis enim audeat dicere, ut nil dicam de cogitatione, quod ille verbi gratia sit præditus virtute castitatis, qui toto tempore vitæ sese volutavit in cœno libidinis? Quod si videatur habere aliquam aliam virtutem, illa est tantum apparens, informis, naturalis; cum omnes virtutes sint connexæ, adeoque is qui perdit unam, perdat omnes, juxta eundem Philosophum. Ex quo conficitur, quod is, qui in morbo aliquam actionem virtuosam elicit, eam non faciat virtuosè, quia illam non elicit ex bona intentione, vel fine, hoc est ex amore Dei, vel motivo virtutis,

tis, sed ex amore proprio, & metu pœnarum, uti statim videbimus. Et dato, quod eliciat aliquod opus virtuosè, & ex bono motivo, attamen non potest illud practicare longo tempore, nec acquirere ejus habitudinem, quia amittit suam vitam. *Venit nox, in qua nemo potest operari.*

At enim verò, videor mihi audire, quod dicas, ille accipiet virtutes infusas, illas recipiet in instanti cum gratia sanctificante, quæ cum habitibus supernaturalibus connexa est, Deus eas ipsi infundet in justificatione. Sed, siste, quæso. Quis tibi hoc dixit? Non poterit recipere has virtutes nisi justificetur, nequit autẽ justificari, nisi prius sit conversus, nequit autem converti sine speciali auxilio Dei. Tu dicis, quod se convertet, at ego probabiliter hoc nego, nec ego, nec tu debemus hoc credere, nec aliquis hoc potest melius scire, quam ipse.

PVNCTVM PRIMVM.

Conversio dilata in mortem est incerta, probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertiò ratione, quarto historiis.

III. Legite quæso, foliatim tota Biblia, vetus, & novum testamentum, & dico, quod nec unicum textum inventuri sitis, in quo Deus promittat, quod vos conversurus sit in articulo mortis; quin potius, quod in vestris peccatis hac vita defungemini. Immò, clarius sole vobis monstraturus sum, quod minetur se vobis gratiam ad conversionem requisitam negaturum. Filius Dei, qui est sapientia æterna nobis dicit. *Vocavi, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Quod sæpe vos vocaverit scitis; & quidem adhuc quotidie vos vocat per vocem Concionatorum, per correctiones tui Patris, objurgationes tuç uxoris, per suas inspirationes. Et non rarò hæc tibi conscientia tua in aurem loquitur. Tu es in malo statu, exime te tuis vitiis, si defungaris in hoc statu, sine alio processu damnaberis. Deus est, qui te vocat, tu autem surdas ei præbes aures, tu ejus vocationi resistis. Tu tibi imaginaris, quod lecto affixus proferes unũ salutare, *Peccavi*, quod elicies actũ pœnitentiæ, confiteberis, recipies sacramenta, & sic tis salvand⁹. Sed scias, quod pœnitere non possis sine gratia, & auxilio speciali Dei. Ita docet nostra fides, Concilia, & liber de fide ad Petrum, in quo propositiones singulę nil aliud sunt quam oracula. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, & gratuitâ miseratione converterit.* Viden, an tibi hoc auxilium daturus sit, cum dicat, quod in morte tuâ te sit irrisurus. *In interitu vestro ridebo.* Illi, qui intelligunt propriam significationem verborum, quę sunt instituta ad significandam passionem, illi norunt emphasim hujus verbi, *Ridebo.* Ridebo ergo nil aliud in proposito denotat, quam iram, vindictam, punitionem. Hinc Virgilius depingens iratum Mesentium, qui jam jugulum sui hostis acinace petebat, ait.

Ad quem subridens mixta Mesentius irâ

Et Thydeus apud Statium.

— *Et formidabile ridens.*

Et Mars apud Claudianum.

— *Subridens crudele Pater.*

IV. Et hæc est caussa, cur sanctus Gregorius

Proverb. 1.

Fulgent lib de fide ad Petrum c. 31. lib. 10 Ælian. Stratius. lib. 8 Claudian. 2. Eutrop.

gorius dicat. Hac animadversione punitur peccator, ut qui oblitus est Dei in suâ vitâ, sui ipsius obliviscatur in hora mortis, & ita pro eo, quod convertatur, Deus permittit ut pereat. Et sanè justissima, & æquissima est hæc pœna. Dic enim sodes, an vel minimam umbram apparentiæ habeat, quod Deus hanc gratiam suo infensissimo hosti concessurus sit? Dic quæso, quis tuo sensu unquam maximus fuit Dei inimicus? An forsan Judas, an Mahomet, an Nero. Nequaquam. Hoc tuum peccavi capitalissimus hostis est Dei. Nullus est veneficus, Turca, Tyrannus, Antichristus, Dæmon, qui tantam stragem edidit in Ecclesia, qui in tot peccata Christianos induxit, quam hoc abominandum, & detestabile *Peccavi.* Hoc peccavi est complex, receptor, fautor, solicitator, promotor omnium peccatorum. Hoc *peccavi* incitat, stimulat illos ad offendendum Deū, hoc peccavi illis aufert timorem, & omnia obstacula. Quod si non confiderent in hoc asilo, sanè caverent peccata, adeo enim se amant, ut nollent hoc modo damnari.

Vnum ex præcipuis, & pretiosioribus donis, quod Deus potest largiri animæ est, si ei donet veram pœnitentiam in articulo mortis, perseverantia finalis est arrha, & pignus certum gloriæ cælestis. Est munimentum paradisi, & dispositio ad beatitudinem. Quomodo ergo tu putes, & censeas, quod Deus hoc donum largiturus sit suo infensissimo hosti, huic maledicto, & detestando *Peccavi*? Nulla hujus rei est apparentia; & experientia planè contrarium monstrat. Nos videmus quotidie, quod hi libertini, qui tam temerè poenitentiam procrastinant, etiam in puncto mortis, in negotio salutis, sint æque negligentes, æque passionati, æque bonis terrenis affixi, æque in suis pravis moribus indurati, ac fuerunt, dum essent sani. Vultus hujusce rei exempla?

IV. Proferam sacra, prophana, antiqua, moderna ex omni genere. Abimelech, uti legimus in libris Judicum ambitiosissimus erat, & tempore vitæ Dei obliviscens, Deus itaque justo judicio permisit ut, â vanitate superaretur, & suipsius oblivisceretur in morte. Ille obsidione premebat urbem Thebes, dumque eam expugnare vellet, femina quædam e mœnibus lapide magno ejus caput petiit, eumque lethaliter sauciavit. An putatis, quod in hoc statu de Deo, & propria salute cogitarit? Ille armigerum suum advocavit, eique dixit, subitò gladio cor meum transfige, ne cum magno dedecore à femina occisus esse dicar. Saul eodem modo occubuit, uti sacra scriptura testatur. An in illo articulo tanti momenti, in quo neglexit petere veniam à Deo, cogitavit, & solicitus fuit, ut disponeret de ratione, quam redditurus erat? Ille nil aliud mente voluit, quam fastum, & vanitatem. Julianus Apostata, qui tota vita juratus hostis fuerat Filii Dei, dum fulminea cælo se ictum videret, & ultricem Dei manum, quæ potentissimè eum in terram prostraverat, cognosceret, pro eo, quod de se solicitus esse deberet, sanguinem proprium in manu accepit, eumque versus cælum projecit, has voces audacter, & temerè evomens *Vicisti Galilae.* Ludovicus Vndecimus Galliarum Rex, sicut sanus, & in vita supra

Cap. 9.

Matt. *ejus v* *lib. 1c* *10.*

pra modum vitæ præsenti affixus erat, ita & infirmus ei tenaciter adhæsit. Sanctum Franciscum de Paula expresse ex Italia Taurinum advocavit, sperans miraculosè ab eo se sanandum. Dum pro eo preces funderentur, in quibus à Deo flagitabant sanitatem animæ, & corporis Regis, ille mentionem animæ injici vetuit, allegans, una vice tanta non esse poscenda.

Matthæi in ejus vita lib. 10. cap. 10.

V. Narrat eminentissimus Cardinalis Petrus Damiani quendam perversum se Dæmoni devovisse, ut suis votis, & intento frueretur, quia tamen fidem omnem non abiecerat, hanc conditionem adiecit, ut triduo ante mortem suam Dæmon exitum sibi prænuntiare teneretur, sperans illo tempore se posse pronuntiare illud *Peccavi*, & de negotiis animæ disponere. Sathan quantumvis mendax, hac tamen vice fidem datam servavit, & ad eum accedens dixit. Audi, post tres dies morieris, & jam me fide data eximo. In morbum incidit, advocatur Confessarius, qui postquam advenit, reperit eum somno oppressum, quidam eum rogavit, Reverende Pater, ne gravetur post horulam redire, quia infirmus paulisper quiescit. Vix domo excesserat, & revocatur, Pater jam euigilavit, quod si lubet intrare, potest. Quid factum? Quod si cum eo ageret de negotio salutis, dormiebat velut glis in hieme, quod si sermo institueretur de negotiis mundanis, vigilabat instar Argi. Tandem dum velut alter Endimion dormiret sine sacramétis, & pœnitentia viã universæ carnis est ingressus.

Præterea in vita sancti Caroli Borromæi legimus, quendam in Archidiœcesi Mediolanensi, qui totum calicibus epotandis se dederat, testamento cavisse, ut animam agenti subinde vinum præstantissimum cochleari ori ejus instillarent. Et ne procul abeamus, nostro tempore fuit quædam femina Lemovicæ, quæ dum scalam suspendenda adscenderet lictori succensuit, quod ejus collare paulisper corrugasset. Præterea, ego quandam conspexi, quæ dum morti addicta esset, & sententiæ executio protraheretur, eò quod uterum ferret, postquam jam peperisset, singulis diebus veneris, quibus se morti dandam putabat, sese poliebat, & ornabat, ut ita compta in publicum prodiret. *Hac animadversione punitur peccator, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivendo oblitus est Dei.*

In vita Gallicè scripta lib. 8. c. 10.

PUNCTUM SECUNDUM.

Conversio tunc erit difficilior,

primo ex parte Dæmonis, secundo ex parte nostri.

V. Quod si sicut vidimus in illo articulo desint auxilia Dei, sane non aberunt hostilitates tuorum inimicorum, sed illæ augebuntur. *Inimicus eris calcaneo ejus; Ipsi calcaneum meum observabunt.* Spiritus malignus insidiatur calcaneo nostro, hoc est in hora nostræ mortis, quæ est finis vitæ nostræ, sicut est calcaneus infima pars corporis, dum advenit ad lectum, in quo jacet infirmus, ipse omnes nervos intendit, omnes confœderatos adhibet, mille stratagemata invenit, omnes arietes admovet, ut nos illo tempore prosternat. Apocalypsis de fine mundi hanc monitionem nobis dat. *Væ terræ, & mari, quia descendit Diabolus habens magnam iram, sciens, quia tempus breve est.* Idem potest dici de fine microcosmi, qui est homo, & non

Gen. 3. 15. Psal 55. v. 7.

Apoc. 12.

& non ex parte possum⁹ ejus hostē comparare opifici,eò quod vocetur Operator iniquitatis. Pannum dedisti Sartori tribus septimanis ante Nativitatem Domini,ut vestem tibi conficiat,qua indui queas ipso festo. Primis quindecim diebus pannum tuum reconditum servat in arca, & aliis se dat operibus, & forsan crapulæ, & potationi! quatuor, vel quinque diebus ante festum diligens est in conficienda tua veste,nec solum laborat ipse,sed & alios conducit famulos, non solum impendit diem,sed & partem noctis, immò & festum sancti Thomæ, & forsan ipsum diem Dominicum. Quod si ab eo quæras,cur modo sit tam sedulus in conficiendo opere, quod antea adeo neglexit? Respondebit, quod quidem, antea putarit sibi sufficiens superesse tempus, nunc autem se clarè videre,quod tempus deficiat, & solum superesse tres, vel quatuor dies, & nisi opus accelerem, amittam eos, qui meam frequentant officinam, & laborem mihi dant. Quod si nunc tibi sit difficile elidere in,sultus Diaboli, sanè in hora mortis id erit multò difficilius; quod si nunc unâ te aggrediatur tentatione, tunc te aggredietur duodecim. Dum sanus es parum curas an in campo consentias ejus suggestionibus malignis, quia quamvis non consentias hodie, tamen sperat quod consensurus sis cras, vel si non hac septimanâ, sequenti, vel alia. Verum dum cernit, quod non nisi tres, vel quatuor dies vitæ tuæ supersint, quod ex dispositione tui corporis optimè cognoscit, tunc omnes suas vires exerit, omnia tentat, & maximis furiis te aggreditur, ille suos congregat socios, ille omnem intellectum applicat, & omnia adhibet media,ut te perdat, quia debet lucrari aut te amittere. Ille ausus fuit accedere ad Sanctum Martinum, Odilionem Abbatem Cluniacensem, Eusebium Episcopum Cremonensem, & alios Sanctos, quos à se subjugandos sperabat. Sanctus Elzearius comes Arianus in Provincia, perpetuam servavit virginitatem cum sanctâ Delphina conjuge sua, & tamen dum animam ageret,exclamabat, mi optime Deus, inimicus meus quam non est fortis? Et paulo post, Heu me! Totum me committo Divinæ voluntati. Et tandem dixit Io triumphe, Deo sint laudes, vici. Quod si itaque Dæmon eos fuerit ausus aggredi, quos nunquam sanos debellare potvit, & qui nunquam ejus suggestionibus consenserant, quomodo non invadet illos, quos toties superavit, qui toties iverunt in ejus partes, qui tota vita ejus servi, & mancipia fuerunt.

VI. At enim verò supponamus quod te non sit tentaturus,quod te in quiete dimittet, quod tua conversio tunc non sit futura impossibilis, vel difficilis;attamen dico, & urgeo, quod te difficulter convertes. Quomodo gignitur vera pœnitentia in nostro corde? Per maturam considerationem, per vivam apprehensionem motivorum, quæ in nobis possint producere amorem Dei, & odium peccati. Pœnitentia nascitur, dum attentè ruminamus excellentiam infiniti Dei, ejus incomprehensibilem bonitatem,beneficia in æstimabilia,quæ ab illo recepimus,malitiam in qua consistit

sistit offensa Dei. Hæc seriò tunc considerare vix poteritis. Vos scitis, quod nil vos magis retrahat, & impediat à seria applicatione intellectus ad contemplandum objectum spirituale, & speculativum, quam fortis passio, aut magnus dolor corporis. Quod si viva aliqua passio cor vestrum occuparit, illa adeo illud sibi subjicit, subjugat, illique imperat, ac dominatur, tantaque violentia regit, ut aliud cogitare non possit, Græcum est proverbium apud Poetam. ὅπου τις ἄλγει κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει.

Quod si aliqua tibi sit illata injuria, si litem perdideris, causâ cecideris, si pater, vel proles tibi sit mortua, spatio sex, vel plurium dierum vix aliquid attentè orare potes; & animus tuus nil aliud cogitat, aut considerat quam hanc tuam afflictionem. Quod si doleas dentibus, si labores podagra, aut calculo, in nullo alio te occupare potes, quam in tuis doloribus. Quando ergo morbo affectus jacebis extremo, tunc jactura bonorum terrenorum, quam facis in morte, separatio ab amicis tibi dilectissimis, tristitia, qua doles, quod tanto labore bona corrogaris, quæ modo debes deserere, præsentia mortis, honor sepulchri, timor Divini judicii, simptomata febris, dolor morbi, turbata phantasia occupabunt tuos Spiritus, tuam animam, tunc adeo vioenter, & tyrannicè illam subjugabunt ut nec de Deo, nec de tua salute cogitare queas. Quocunque oculos conjicias, angustiæ tibi proponentur: si oculos conjicias in vitam præteritam, videbis tot annos sinè fructu, immò in peccatis transmissos, tot occasiones benefaciendi neglectas, tot inspirationes Dei à te contemptas, tot sacramenta irreverenter suscepta, videbis te debere deserere hunc mundum, tot dilectos amicos, proles.

PVNCTVM TERTIVM.

Poenitentia tunc erit involuntaria probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio rationibus ex diversis scientiis.

VIII. VErum enimuerò audio nonneminem replicantem. Reverende Pater, contrarium ego vidi, conspexi quendam adolescentem Dei contemptorem, parentibus immorigerum, arrogantem, contentiosum, impudicum, popinarum direptorem, depetulantem, in ecclesiis mille subjectum vitiis, sanctâ, Deo sint laudes, obivisse morte. Ille non expectavit ultimum articulum, sed primâ, aut secunda die advocavit Confessarium, communicavit, extremam accepit unctionem, Legata fecit pia, ille lacrymantibus oculis à Deo, & parentibus veniam petiit, ille sanctissimè protestatus est, quod si contingeret eum sanitati restitui, longè aliam esset institurus vitam, ille astantibus lachrymas excussit, ille devotissimè usque ad mortem Crucifixo oscula infixit, ille devotissimas fudit preces, ita ut Religiosi, quantumvis viri essent pientissimi contestati sint, quod ex animo optarent talem subire mortem. Ille pravam quidem egit vitam, sed sancta defunctus est morte. Fateor quod quidem bellam habuerit mortem, & tamē ex hoc non sequitur, quod bonam, quia inter pulchram, & bonam mortem tanta est differentia, quanta est inter

pulchrum, & bonum tempus. Neminem in specie judicare debemus. Deus æque in ordine gratiæ, ac naturæ miracula potest patrare; interim nemo me potest certum reddere, quod aliquis bene obierit, nisi prius sanctè, & piè vixerit. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus Mors peccatorū pessima.* Psal. 115. Diabolus est pulchrior te, quod tamen non credis. Et verissimum est, quod ipse hæc verba speciosa instillet ori suorum libertinorum, & hoc ideo, quia id valde promovet ejus perversos fines, ut nempe sodales moribundi, & illi, qui assistunt ejus morti, intra se dicant. O rem prælustrem! valde delector hoc spectaculo. Vide, quæso! meum soccium, quomodo quamtumvis fuerit adeo vitiosus, mortem Habeat adeo sanctam, & bonam, ego vestigiis ejus insistam, ego habenas sensibus laxabo, ego deliciis indulgebo, pergræcabor, & cum infirmus fuero, resipiam, & dicam *Peccavi*, ego recipiam Sacramenta, & morte defungar adeo pulchra, sicut ille· Dæmon hæc verba eorum ori, & animo quidem ingerit, sed non immittit dispositiones in cor, & Deus, qui vult cor, & fundum animæ scrutatur, has fucatas cœremonias in vili habet.

IX. Matthæi decimo sexto capite Petrus fidem confitetur dicens Christo, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, & hæc confessio adeo grata fuit Salvatori, ut pro præmio canonizatus, vel ad minus beatificatus fuerit ante suam mortem. *Beatus es Simon Bariona*, claves ei cæli dedit, instituit eum suum Vicarium, & caput in terra. Econtra legimus Marci primo, & Lucæ quarto capite, quod Dæmones, qui corpus cujusdam insidebant, similem ediderint professionem, verum Christus loco laudis, & præmii acriter eos excepit, & silere eos jussit. *Increpavit eos, ob mutesce.* Vnde proficiscitur hæc differentia? Eccur confessio Petri est Christo adeo grata, non vero confessio Dæmonum? Respondet Sanctus Augustinus. Petrum edidisse illam confessionem fidei ex amore, & devotione, Dæmonem vero ex timore servili, quia timebat ne cruciandus esset per exorcismos Filii Dei, & ejiciendus è corpore, quod insederat.

X. *Venisti ante tempus torquere nos. Petrus laudatur, Dæmon compescitur, una vox facta diversa, unde separantur ista duæ confessiones, laudatur amor, damnatur timor.* Equidem differentia est inter animas electas, & reprobas in articulo mortis. Ambæ pronuntiant illa speciosa verba, quinimmò sæpe reprobi verba plura & quidem devotiora recitant, quam electi, & tamen Deus in acceptis habet verbo animarum electarum, eo quod illa recitent & devotione, & pietate, nec curat animarum mundanarum preces, eò quod illas promant ex proprio amore, ex timore, ne ejiciantur ex corpore, & crucientur in inferno. Vultisne scire uno verbo, quid debeamus cogitare, & dicere in hac materia? Aug. serm. 3. de verbis Apost. c. p. 9.

X. Audite Sanctum Augustinum, & Salvianum, qui id dicunt. Quod si prius incipias desistere à peccatis in articulo mortis, tunc *peccata te demiserunt, non tu illa*. Quando decumbis in lecto mor-

mortis, dicis confessario, mi Pater peccavi eundo ad prostibula, choreas, popinas, ego promitto me deinceps ad illa loca non iturum. Ita est, charissime, profectò non ibis amplius ad illa, quia impedieris, non exibis amplius ex hac domo, donec porteris ad sepulchrum. Quomodo possis ire ad choreas, & prostibula? Tu non deseris voluptates, sed hæ deserant te. Tu dicis Reverende Pater, ego me non amplius, inebriabo, ego id credo, nam quomodo te inebries, cum nil aliud tibi porrigetur, quam pauxillum fontanæ & coctæ ex hordeo. Tu non deseris ebrietatem, sed ebrietas deserit te. Tu curabis advocari tuum consanguineum, quem tam diutino odio es prosecutus. Amantissime cognate, vehementer doleo illa, & illa esse facta, veniam rogo, tuus servus sum. Et ut veritatem dicam, hoc aliquid est, & plus valet, quam nihil. Et tamen forsan hoc ideo agis, ne dicatur de te, quod sis mortuus velut Turca, aut quia non potes amplius male agere, aut ex alio motivo. Deserenda sunt peccata, antequam illa te deserant, vitanda sunt tunc, quando non potes amplius illa committere, alias non derelinquis illa liberè, sed coactè.

X. Quod si sis Theologus, revoca in mentem illam definitionem, quam tam frequenter ore versas. *Libertas est potentia*, quæ positis omnibus *ad agendum requisitis potest agere, & non agere*. Dum autem jacebis in lecto mortis, tu non es amplius in hoc æquilibro, in hac indifferentia, & potestate, quia nequis amplius te dare voluptatibus, & levitatibus mundanis. Quod si sis Canonista, memineris illorum verborum, quæ legisti in Decreto. *Nullus expectet quando peccare non potest, arbitrii enim quærat libertatem, ut debere possit commissa, non necessitatem; Qui itaque à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi necessitate condemnat.* Quod si sis Jurisconsultus, in mentem redeat illa lex, quæ est regula trigesima in lege, vel digesto. *Ejus est nolle, qui potest & velle.* Et id, quod ad idem propositum dicit Seneca, *vis scire utrum velim, fac ut ego possim nolle.* Quod si aliquis Rusticus Bardus diceret Regi, Serenissime, ne me nomines Episcopum, quia ego nolo Episcopus esse, nonne omnes eum irriderent, & dicerent, non vult esse Episcopus, quia non potest, non est ex ligno, quo Episcopi fiunt. Verum, si Abbas aliquis, qui est ocellus Regis, refutaret Episcopatũ, quilibet assereret quod eũ nollet. Dum affixus jacebis lecto mortis, dices, ego nolo deinceps repetere vindictam, certare in duello, opprimere pauperes, id credo, quia non amplius potes.

Seneca Philoph. lib. 2. de Benef. c. 10.

Quod si sis Logicus, reminiscere maximæ: *conclusio sequitur naturam præmissarum.* Hora mortis est conclusio vitæ, adeoque est ejusdem naturæ cum illa. Quod si sis Physicus, memineris effectũ esse ejusdem naturæ & conditionis cum causa, conversio quam facis in articulo mortis est effectus timoris, quo mortem times; hic timor non est omninò voluntarius, nam aliter velles, ex quo consequitur, quod non planè liberè nec ex bona voluntate poeniteas.

CONCLUSIO.

XI. Vtinam audias, & obedias hisce verbis Sancti Pauli. Quot verba, tot viva puncta, & efficacia argumenta. *Ecce.* Dum tibi offertur occasio, & opportunitas agendi poenitentiam eam arripere debes, si sapis, in occipitio est calva, unde si eam elabi sinas, eam recipere non potes. *Nunc*, Tempus præsens pro te est, illud est certum, est magis commodum. Tempus futurum à te non dependet; est incertum, nec est in tua dispositione, & erit magis incommodum.

Tempus. Nunc tempus est eliciendi actum contritionis sicut oportet, Tempus est artifex peritus magnorum operum. Opus magni momenti, nonnisi magno tempore, aut per peritum magistrum potest perfici. Nullum est opus grandius, majoris momenti, difficilius, quam ut quis bene se convertat, & ex peccatore evadat Sanctus. Cum nunquam te bene converteris, quomodo id possis facere spatio duorum, vel trium dierum, ne dicam horarum, quibus adhuc vives? Dum prima vice aliquid facimus, non facimus illud tā bene, quia necdum habem⁹ praxin. Quando primâ vice cantas non cantas tam bene, dum primâ vice scribis, non scribis tam bene. Actus contritionis est adeo difficilis, & heroicus, ut ipsi perfectissimi Religiosi post plurium dierum orationem, & meditationem eam obtinere vix queant. Quomodo ergo tu tam exiguo tempore eam possis elicere, dum non habes praxin eam eliciendi? Nunquam eam ante hac elicuisti, erunt primæ vices qui bus eam elicies, adeoque haud bene eam elicies, & tamen erunt etiam ultimæ vices, a quibus dependet tua æternitas. Nunc occasionem habes, ut in te redeas, Deum roges, librum legas spiritualem, gemas, & plores ante Deum. Tunc stipabunt te homines, qui nil aliud agent, quam quomodo te recreent, vel qui te ad iram concitabunt ob negotia domestica, qui in cubili tibi molesti erunt, quantum poterunt.

Tempus. Nunc tempus est bonam instituendi confessionem. Potes habere Granatensem, vel alium librum, qui sub oculos tibi ponat tua peccata, seriò examina tuam conscientiam, exactè confitere, & pœnitentiam imple impositam. Tunc non habebis animum, vires, & commoditatem id faciendi.

Acceptabile. Conversio tua non solum dependet à te, sed etiam a gratia Dei. Illam tibi vult dare, quando ipsi magis placet. *Ait enim tempore accepto*, vel juxta textum Isaiæ. *Tempore Placito exaudivi te.* Quod si eam modo abjicias, tuo damno id tunc experieris. *Non est volentis*, te decipies, *neque currentis, sed miserentis Dei.* Tu Dei misericordiam implorabis, & forsan illam tibi non præstabit.

Ecce nunc dies salutis. Venit nox in qua nemo potest operari. Supponamus advocatum quendam litem maximi momenti præmanibus habere, ita ut agatur de omnibus bonis & quod lis illa debeat decerni prima die quadragesimæ. Quod si ille diebus antecedentibus non studeat, sed totum se effundat in luxus, & crapulas, & tunc prius aucto-

auctores evoluat, & argumenta in charta ponat, quando est semiebrius, aut somnolentus, nempe sub noctem ultimò die Bacchanaliorum, quid diceres, quid cogitares? Nonne diceres eum mente captum? Tu quamvis idem facias, tamen vis sapiens haberi, & prudens, ac judiciosus, qualis etiam es in negotiis mundi. Litem habes, quæ disceptatur coram tribunali Divino, non agitur in ea de una domo, agro, censu, sed de Regno, & quidem Regno cœlesti, & æterno. Ille processus decerni debet in hora mortis, sine ulla appellatione, interlocutione, revocatione. Quomodo ergo præparationem, & bonam confessionem differs in illud punctum, in quo brevitate temporis eris oppressus, morbo infestatus, visitationibus molestatus, somno gravatus, catharris obrutus, in illud punctum inquam, in quo judicium erit turbatum à metu mortis, imaginatio alterata à vaporibus febris, apprehensio læsa à præsentia mortis, corpus debilitatum, & prostratum à convulsionibus, lingua ab ardoribus febris stupefacta. Quod si sapis, nunc age pœnitentiam, dum illam magis seriò, faciliter, fructuosè facere potes. Nunc illam age, dum Deus hoc desiderat, & tibi occasionem præbet. Nunc dum Dæmon tentationibus adeo sævis te nō exagitat, nunc dum passiones tuæ necdum adeo despoticè dominantur; nunc dum potes deserere peccata, antequam ipsa te deserant, nunc dum animo es præditus vivaci, nunc cum Deus tibi aperit omnes portas misericordiæ, ut tibi quandoque aperiat januas gloriæ Amen

SERMO DECIMVS QVINTVS.

Pro Dominica prima quadragesimæ.

Ductus est Iesus in desertum à Spiritu Matt. 4.

EXORDIUM.

CVm Ecclesia nil instituat sine singulari instinctu Spiritus Sancti, mysterium non exiguum in hoc latere debet, quod hac Dominicâ prælegat nobis Evangelium, in quo recensetur, quod Christus ductus fuit à Spiritu nempe bono, uti communiter Doctores intelligunt, ut tentaretur, & pugnaret cum Diabolo. Mysterium porrò intelligemus, si videamus, quando iverit in desertum, & quare quadraginta diebus jejunarit. Vti colligimus ex sancto Marco capite primo, & D. Matthæo in hoc capite, statim post baptismum in desertū ductus est, ut nimirū doceret per baptismum Christianos vocari ad continuam pœnitentiam, & pugnam contra seipsum: jejunavit etiam quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quia juxta Divum Gregorium, juxta Albinum in Gen apud Fabrum, quadragenarius numerus tribulationem poenitentiæ ostendit, hoc est totam vitam Christianam esse poenitentiam significat,

& hinc jejunavit quadraginta diebus Moyses, Elias, & Christus tanquam tribus temporibus necessaria, nam pœnitentia est necessaria in lege naturæ, scripta, & nova, immò tota nostra vita, ut Auctor hac concione ostendit.

Pœnitentiam agite Matt. 3.

I. Quando sacra scriptura nos docet pœnitentiam, quæ agitur in morbo extremo, aut supremâ senectute communiter esse fallacem, fictam, & parvæ æstimationis apud Deum, illa loquitur de illa solum pœnitentia, quæ tempore tam tardo, incommodo, inepto agitur, nam pœnitentia, quæ agitur tempore congruo, & quæ non desinit nisi in instanti mortis, illa est valde laudabilis, salutaris, & grata Deo. Et sane in veritate dicere possumus, quod pœnitentia veri Christiani toto tempore vitæ durare debeat. Id probabo hoc discursu ex sacra scriptura, Patribus, Conciliis Ecclesiæ, rationibus efficacibus, comparationibus, & exemplis sanctorum. O sacratissima Virgo, tua pœnitentia excellentissima, & maximè admirāda fuit. Tuus sponsus in sacris canticis comparat te Lilio, *sicut Lilium inter spinas.* Lilium non solet plantari in medio spinarum, & creatura rationalis in statu felici perfectæ innocentiæ, non obligatur ad spinam pœnitentiæ. Et quamvis tua vita fuerit purissima, sanctissima, innocentissima, attamen ut imitareris tuum Filium, cujus vita nil aliud fuit, quam textura, & continua praxis pœnitentiæ, ideo pœnitentiam egisti. Merito nobis dicis: *Imitatores mei estote, sicut ego Filii mei*, hoc desideramus per auxilium gratiæ ejus, quam suppliciter imploramus, dum te salutamus dicendo, Ave Maria.

IDEA SERMONIS

Poenitentia hominis Christiani debet durare toto tempore vitæ.

PVNCTVM VNICVM

Probatur hoc primo scripturâ, secundò Patribus, tertiò Concilio, quartò rationibus satisfactionis pro peccatis primi parentis, Avorum nostrorum, concivium, imitationis Christi, Præservationis, quintò comparationibus, sextò exemplis.

II. Ex illo prælustri, & Mysterioso ostento, quod recenset Propheta Ezechiel capite nono suarum Divinarum revelationum, evidenter cognoscimus pretium inæstimabile pœnitentiæ, & magnam fiduciam, quam nobis hæc virtus conferet, quando præsentabimur coram tribunali tremendo Dei. Recenset igitur hic Vates, quod viderit sex Angelos in forma, & specie humana, qui manibus gestabant instrumenta mortis hoc est acinacem. In medio horum vidit quoque alium Angelum in specie humanâ, alba indutum candida instar Sacerdotis, è cujus cingulo pendebat atramentarium, vel ut volunt Septuaginta cingulum ex saphiris. Eodem tempore Divinam conspexit majestatem, quæ surgens è propitiatorio, accessit ad januam templi, vocatoque Angelo, qui habitu indutus erat Sacerdotali hæc mandavit. Percurre urbem Jerusalem, frontique gementium, & plorantium signum Tav inure. Insuper aliis sex Angelis præcepit, ut per totam discurrerent

9. v. 2.

rent urbem, ac sine misericordia ulla, vel respectu quoscunque obvios juvenes, senes, virgines, uxoratas, magnos, parvos discerperent, & internecione delerent, nec ulli omninò parcerent, inciperent hanc executionem à sanctuario, nullique signato signo Tau in fronte nocerent. Hæc visio nobis innuit mandatum, quod Deus dabit Angelis, ut reprobi castigentur supremo judicii die. Ille e loco suæ quietis, e propitiatorio surrexit, ut hoc mandatum daret, ad significandum inquit Theodoretus, hoc mandatum non futurum hominibus propitium, & favorabile, sed crudele, & truculentum. In eundem finem deservit locum suæ quietis, quia centrum Dei; & locus ipsi quasi naturalis, est benefacere creaturis, quamvis ad hoc moveatur à seipso, & sua bonitate naturali. Verù, dum punire vult, egreditur quasi extra seipsum, & è loco suæ quietis, & alienum locum mutuatur ob iniquitates nostras excessivas. Hinc Tertullianus. *Quod sit misericors hoc habet de suo, quod sit justus, hoc habet de nostro.*

Sex amandavit Angelos, qui exequerentur justitiam Jerosolymis, unum verò tantum misit, qui charactere prædestinatos signaret, ut denotetur, quod numer⁹ reproborum sexcies excedat in Ecclesia numerum Prædestinatorum. Hic Angelus habitu indutus fuit sacerdotali, quia repræsentat Salvatorem, magni Consilii Angelum, sacerdotem æternum, & grandem Pontificem nostrarum animarum. Præterea cinctus fuit cingulo ex Saphiro. Naturalistæ perhibent, Saphirum digito gestatum habere hanc virtutem occultam, & incantationem naturalem, ut sibi devinciat corda appropinquantium. Assertor itaque noster cinctus est cingulo ex Saphiro, hoc est præditus est motivo, objecto, & subjecto amoris, ita ut quicunque ex quacunque parte ad eum accesserint, motiva eum amandi reperiant, & maximè animæ pœnitentes, quæ nullum aliud habent remedium, & restaurationem salutis, quam merita Salvatoris. Signum *Tav*, quo cujusque frons notatur, est signum Crucis; nam ut asserunt Origenes, Tertullianus, & alii Patres, ante Esdram Tav Hebræorum efformatum fuit in forma crucis, quodque in odium crucis summi sacerdotes mutarint figuram. Justitia Dei sæviet in omnes homines incipiendo ab Ecclesiasticis, qui sunt in sanctuario, exceptis prædestinatis, quos Filius Dei notavit signo crucis, id est quibus merita suæ mortis, & passionis applicuit. Porrò soli gementes, & lugentes hac tessera signantur, ut significetur, quod omnes prædestinati cujuscunque ætatis, sexus, conditionis, etiam ipsi quantumvis innocentissimi, sint in statu gemitus, & luctus. Non dicit, quod gemuerint, & plorarint, sed quod gemant, & plorent; nam prædestinati continuò vivunt in tristitia, & spiritu pœnitentiæ. Quod si innocentes gemant, multò magis debent gemere peccatores, si in extremo Dei judicio velint evadere iram, & vindictam Dei. Hæc est differentia, quam sancti semper statuerunt inter veram, & falsam pœnitentiam, inter pœnitentiam reproborum, & prædestinatorum, quod pœnitentia illorum sit diurna, transitoria, parum durans, horum verò sit continua, constans, perseverans usque ad mortem, quodque duret tam diu quan-

quantum est possibile, & hoc quia considerans se offendisse bonitatē, & majestatem infinitam.

III. Auctor libri intitulati de verâ, & falsa poenitentia insigniter dicit. *Verus poenitens omnes fructus suæ poenitentiæ parvos habeat nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino antequam peccavit, erubescat, dolorem cum vita finiat; nam Apostolus peccata per peccatum remissa continuè plorat, nobis etiā quid, præter plorare, restat?*

Tom. 4. operum S. Augustin. Sanctus præterea Ambrosius scribens ad quandam virginem lapsam nomine Susannam illi iniungit, ut tota vita poenitentiam faciat, & inter alia ei præscribit, ut quotidie recitet psalmum miserere non obiter, sed plorando, gemendo, suspirando.

At enim verò cum ipsimet innocentes debeant continuò vivere, in quodam Spiritu poenitentiæ, quomodo ad hoc non sint obligati peccatores? Id tradit oraculum veritatis Ecclesia nempe congregata. Hanc ergò veritatem docet, & tradit concilium Tridentinum declarans vitam Christianam non debere tantum abstinentiam esse à vindicta, homicidio, blasphemiis, sed addit, *Christiana vita perpetua poenitentia esse debet.*

Trid. sess. 14. initio de extrem. unct.

IV. Porrò argumenta quæ sacrosanctum concilium hic, & alibi affert ad hanc veritatem stabiliendam nobis ansam præbent dicendi Christianum tota vita debere vivere in Spiritu doloris, & gemitus interioris, aut ob satisfactionem, aut ob imitationem, aut ob præcautionem, aut ob tres rationes simul.

Primò itaque vita Christiana debet esse continua poenitentia, ut satisfaciamus justitiæ Divinæ. Primus peccator qui in mundo vixit, fuit Adam. Deus ejus peccatum ipsi condonavit, quia non peccavit per malitiam, sed ne contristaret suam uxorem. Ast non dixit ipsi, en restituo te gratiæ, redi ad paradisum terrestrem, ego te rursus remitto in possessione privilegiorum, quæ habuisti in deliciis recreationum, & voluptatibus innocentiæ, quibus antea fruebaris. Sed illi dixit, tu vitam duces laboriosam, & poenosam, si velis vesci pane, debebis sudando colere terram, illa verò erit adeo sterilis, & ingrata tuis laboribus, ut videntur esse proscissa à maledictione. Tu mille miseriis, afflictionibus, poenalitaribus eris subjectus; & hoc non per duos, tres annos, neque per ducentos, quinqentos, vel septingentos, sed per totam tuam vitam, quæ numerabit nongentos tringinta annos, *Donec revertaris in terram*, & hoc ob unicum solum peccatum, ob esum unius pomi vetiti. Quomodo ergò nos, qui commisimus duodecim, viginti, centum enormia, atrocia, gravissima peccata post duos, vel tres annos poenitentia revertimur ad recreationes, & voluptates ordinandas? Nos hanc vallem lacrymarum in sedem deliciarum, hoc exilium in paradisum terrestrem mutare volumus. Et sanè meritò dixi locum exilii, nam quantumvis nullum personale commisissemus peccatum, attamen adhuc quotidie dicere deberemus. *Exules Filii Evæ.* Nos sumus in peccatis nati peccatores ex natura progenies Evæ peccatricis; Filii Adam prævarricatores, ejus culpæ complices. Sententia contra eum pronunciata *Morte morieris*, in nos quoque lata est. Lingua Dei emphatica est, & significat omne id, quodcunque significari potest

& quolibet verbo significat id, quod intellectus humanus, aut Angelicus naturaliter intelligere potest. *Morte morieris.* Hæc verba intelliguntur, quod quocunque genere mortis erat moriturus, morte nempe spirituali, æternâ, civili, corporali, Mors spiritualis consistit in privatione gratiæ Dei, mors æterna est privatio ejus gloriæ, & visionis, mors civilis juxta leges humanas est proscriptio extra patriam, & privatio commoditatum, quibus in Patria fruimur. Porrò hæc mors juxta legem divinam est privatio dominii in omnes creaturas; Mors corporalis est privatio vitæ corporis. Ob peccatum originale, nos omnes damnati sumus ad has quatuor mortes, ad has quatuor privationes. Theologi duas priores privationes vocant poenas peccati, duas posteriores poenalitates, At enim sapienter hic advertere debemus, & totâ nostrâ vitâ in mente retinere, quod non solum quamdiu nos fuimus in hoc mundo, sed & quamdiu fuerunt sæcula præterita, nunquam Salvator applicaverit sua merita, & redemptionem passionis, ut nos liberaret à poenalitatibus mortis civilis, & corporalis, sed solum ut nos eriperet poenis mortis Spiritualis, & obligationibus, quibus incurrere debebamus mortem æternam. Hæc est doctrina sancti Thomæ, qui hoc variis probat argumētis, quæ videri possūt tertia parte. *3. p. quæst. 99. art. 3.*

In principio mundi, in statu innocentiæ, & justitiæ originalis, Deus nobis donaverat dominium, & imperium in omnes creaturas, ita ut iis uti potuerimus pro nostro libitu, easq; usurpare in omnem usum, verum per peccatū primi parentis amisimus hoc dominium; cū minima pœna, quæ potest decerni contra subditum, qui commisit rebelliōē, vel crimen læsæ majestatis contra principē sit confiscatio bonorum. At enim verò, si loquamur quid in hac materia fecerit Filius Dei, fateri debemus, quod pro eo quod nos damnari debeamus, ille à suo Patre obtinuerit, & promeritus sit tempus hujus vitæ, ut nimirum pœniteremus, & Divinæ justitiæ satisfaceremus. Attamen, quamvis hoc nobis beneficiū, & gratiam hanc præstiterit, tamen nos non reposuit in absoluto illo dominio, & potestate, ut uti possimus creaturis pro nostro libitu, & dispositione. At quia non possumus diu subsistere, & conservari in hac vita, sine usu plurium creaturarum, ille per indulgentiam, & meram misericordiam nobis usum earum concedit. *Omne quod mouetur, & vivit, erit vobis in cibum.* Notate tò *cibum*, & non *delitias.* *Gen. 3. v. 9*

Porrò, hinc in optima consequitur consequentia, quod & centies per annū in pulpito inculcandum foret, nempe magnum esse errorem in fide credere, quod habeas jus utendi creatura, vel minima ob merā voluptatē absque ulla necessitate, ita ut nulli injuriā inferas. Scias, quod nullū habeas jus utendi creaturis, nisi quantum necessariæ sunt, ad conservationem frugalem, & honestam tuæ vitæ, & status, ac condicionis in qua Deus te posuit: Quod si utaris aliqua creatura non necessaria tuæ conservationi, violas decretum Dei in te latum, & usurpas creaturas iniquè.

V. Imò non habemus tantum parentē reū sed & descendimus ab aliis plurimis peccatoribus ab avis &c. at, qui Deum offenderunt. Quod si poenitēdo irā Dei non placemus, quâ meritò nobis eorum

posteris infensus est ob eorum scelera, nos erimus objectum suæ vindictæ, quia Deus disertè pronuntiat in scriptura; quod vindicet peccata parentum in prolibus usque ad tertiam, & quartam generationem. Porrò maximum supplicium, quo anima affici potest est, si Deus ei subtrahat, & minuat gratias auxiliares, & succursus particulares, qui obstitissent, ne laberetur. Quando permittit, quod anima peccet, & de peccato in peccatum ruat, tunc scriptura illã permissionem vocat vindictam Dei, hoc est magnam vindictam, uti *cedros Dei, montes Dei,* vocamus magnos. Immò quandoque ob peccata antenatorum hanc vindictam in filiis, & nepotibus exercet. Hinc videmus, quod Judæos tanto tẽpore sinat degere in excœcatione Spiritꝰ, & obduratione cordis in pœnam enormis parricidii, quod eorum majores patrarunt, occidendo nostrum Salvatorem. Et ideo summè necessarium est, ut continuò agamus pœnitentiam, ut satisfaciamus justitiæ Divinæ, & effugiamus supplicia, quibus obrui possumus ob peccata majorum; nam sicut peccatum offendit Deum, sic pœnitentia illum placat, ejus Spiritum transquillat, illa ejus iram sedat, illa impetrat ejus misericordiam, & avertit flagella, quæ nostris reis cervicibus incumbunt. *Iratus es, & peccavimus. Mea est ultio ut labatur pes eorum. Propter peccata parentum* inquit Lessius *sæpe hujusmodi poenis Deus afficit posteros, vel minora iis auxilia gratiæ largiendo, vel variis tentationibus exponi sinendo.*

Isaiæ 64. v. 5, Deut. 12. l. 35. de perfectim. Divin. e. is inmedio

Vi At enim verò, supponamus quod perfectè satis fecerimus pro nostris peccatis, & sceleribus nostrorum majorum, an non satis est, quod sciamus Deum esse offensum huic mundo, ad hoc ut nos contineat in gemitu, dolore, & Spiritu pœnitentiæ? An illam prolem diceremus esse bonæ indolis, quæ dum sciret suum parentem pessimè habere, illa nihilominus pergræcaretur, scortaretur, & deliciis difflueret? An non diceremus nullo eam affectu, & amore ferri erga parentem? Nos scimus, quod ubique Deus lædatur, quod injuriis undiquaque à Paganis, Judæis, Acatholicis, & malis Catholicis afficiatur, quod in aulis, palatiis, foris, nundinis, officinis mercatorum, cancellariis, domibus privatis offendatur, quomodo ergo nos possimus gaudere & cor nostrum in gaudiis, & voluptatibus mundanis dilatare? An non meritò debeamus imitari Loth? Sanctus Petrus eum perhibet fuisse justum, & Sanctum oculis, & auribus, eò quod dum videret, & audiret nefanda scelera Sodomitarum, animam suam afflixerit, & tormentait, corque ejus cruciatum fuerit, quia videbat Deum offendi. *Aspectu, & auditu justus erat habitus apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* An ignoramus, quod juxta ipsas leges civiles, dum quidam Pater familias in suâ domo occiditur, omnes domestici nisi se affligant, posse in suspicionem trahi, ac si necem patrassent? *1. Pet. 2.*

VII. Et dato, quod non essemus peccatores, quod non essemus geniti, nec descendentes, nec concives peccatorũ; attamen quia sumus Filii, & membra Filii Dei, qui totâ vita pœnitentiam egit, & qui nos expressè hisce formalibus alloquitur; *Qui vult venire post me, abneget* *1. Pet. 2.*

neget semetipsũ, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. Non dicit, qui vult esse perfectus, vel qui beatissimus vult esse in cælo, qui magnus vult esse Sanctus in paradiso, qui aureolas, & coronas particulares desiderat, sed qui vult salvari; nam ut quis salvetur debet Salvatorem sequi. Sanctus porrò Lucas observat quod *dicebat ad omnes*, dum diceret, quod debeat ille, qui vult Christum sequi non solum renunciare peccatis, Diabolo, mundo sed sibi ipsi, suis humoribus, & inclinationibus vitiosis, passionibus, carni, & sensualitati, ac quotidie suã crucẽ portare. Sanctus insuper Paulus ad Galatas sic scribit: *Qui autem Christi sunt, carnem crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Non dicit Sacerdotes, Anachoretæ, Religiosi, sed qui sunt Christi. An aliquis queat salvari, qui non est Christi? Illi, qui ejus sunt, crucifixerunt carnem, vitia, & concupiscentias. Non dicit crucifigunt, vel crucifigent, sed qui crucifixerunt carnem, quia praxis pœnitentiæ, est alphabetum eorum, qui sequuntur Christum, prima vita vitæ Christianæ, primus gradus scalæ, quæ ducit ad cælum.

Matt. 10. v. 24.

Luca 9. v. 23.

Gal. 5. v. 24.

VIII. Doctor porrò Angelicus hujus veritatis hanc affert rationẽ; quando quidem non possimus placere Deo, nec nostræ actiones, aut satisfactiones esse meritoriæ, nec ipsi acceptabiles, nisi eatenus, quatenus sumus uniti nostro Servatori, ac insiti, & incorporati homini Deo, ei autem non possimus uniri, nec inseri nisi per pœnitentiam, ideo illa continuò agenda est. Quod illustri illustro similitudine; Sicut enim ad hoc ut trunco alicujus arboris inseratur aliquis ramus, necesse est ut prius ramus inserendus culelli subeat experimentum, & illo inspicetur, & ab arbore, quæ eum produxit, debet separari, & rescindi, truncus verò cultello aperiri, & aptari, ita ut ramus nil habeat vitæ, substantiæ, fecunditatis nisi in trunco, cui est insitus; ita similiter ut nos uniamur, & inseramur nostro Salvatori, ferro, clavis, spinis, cruce, asperitatibus pœnitentiæ inspicari debemus, & consequenter, ut ei inseramur, nos debemus inspicari mortificationibus, & pœnitentiis, & rescindi, & separari à via sensuali, & carnali, quam à veteri, & ex naturâ corrupto homine accepimus.

3. P. q. 69. art. 3.

IX. Vlterius, viri justi, quantumvis Sancti, innocentes, & perfecti sint, attamen considerant se esse homines, hoc est fragiles, infirmos, & peccatis subjectos. Hinc Sanctus Paulus: *Qui existimat se stare, videat ne cadat;* Quamdiu enim in hac vita sumus, habem⁹ nobiscum concupiscentiam, quam Sanctus Paulus appellat peccatum, quia nil aliud est, quam proles, & abortus peccati, titio, fax, illicium, esca, dux continuò nos inclinans, & pellens in peccata quæcunque, & trahens nos in lapsum, nisi per pœnitentiam refrenetur, et cohibeatur.

X. Imaginemini vobis quod in quadam urbe in confinibus Regni sita, sit quidam civis seditiosus, tumultuosus, turbator, qui Regi suo aversus, & infensus sit, qui propendeat in rebellionem, ac amicos, & consanguineos ejusdem secũ genii habeat, & jam cum hoste colludere inceperit, si arcis præfectus fidelis suo Regi sit, ille vigilabit, eum humiliabit, puniet, in vincula conjiciet, & hoc ideò, ne quid contra Regiam maje-

ſtatem moliri poſſit. *Caro*, inquit Apoſtolus, *concupiſcit adverſus Spiritum*, contra legem Dei nunquam nõ aliquid molitur, colludit cum mundo, & Diabolo hoſtibus noſtri Salvatoris, fœdere cum eo colligati ſunt ſenſus, imaginatio, concupiſcentia, paſſiones, niſi vigilemus, & ſedulò excubemus, niſi contra noſtros appetitus decertemus, niſi per opera poenitentiæ eam compeſcamus, & affligamus, contra majeſtatem Divinam proditiones, & rebelliones terribiles concitabit. Invenimus nobiles, & equites adeo proclives, & propenſos ad vindictam, ut dum duellum inituri ſunt, ad hoc ut ſeſe obligent ne fugere, aut ſubtrahere ſeſe poſſint pugionibus ſeſe aggredi intra dolium paratiſſint. Et quidem in hoc caſu quilibet poteſt dicere, nequaquam hic actus eſt temeritas, quia vel ferire vel mori oportet, quia niſi ferias, neceſſariò tibi moriendũ eſt.

Eodem modo agitur cum animâ noſtrâ, illa habet hoſtem ſibi fataliter infenſum, non in confinibus, ac portis, ſed intra domeſticos parietes, intra ſeipſam, habet hoſtem, qui eſt pars ſui eſſe, pars inferior, ſenſualitas, concupiſcentia, quæ continuò ipſi movet bellum, quæ certo certius eam feriet, niſi ab anima compeſcatur, & mortificetur, *ſi ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quod ſi demulceas tuam carnem, ſi ejus inclinationibus, & deſideriis concupiſcentiæ condeſcendas, illa te occidet, ſi vero eam compeſcas, & mortifices, Spiritus robuſtior erit, & vitam habebit æternam.

Rom. 3.

XI. Exemplis claris hoc comprobemus. Salomon in initio ſanctiſſimus, & innocentiſſimus fuit; Rex omnium Regum, qui ante ipſum fuerunt, ſapientiſſimus. Ille totus fuit humilis, & ex humilitate dixit. *Ego ſum puer parvulus ignorans egreſſum, & introitum meum.* Devotiſſimus fuit, & Deum vehementiſſimè amavit, ille, *Dilexit Salomon Dominum ex totis præcordiis.* Ille à bonis terrenis, & gloria, mundi omninò ſabhorrvit, ille in ſuis precibus exauditus laudavit Dominum. Ille non ſegniter, & ex medio corde à Deo poſtulavit continentiam, ſed ex tota anima, & voluntate. Uſque habenas omninò ſenſibus laxaret, ille curioſitate ductus fuit omnia ſciendi. Ille guſtare voluit dulcedinem delitiarum, & voluptatum licitarum. Verum quid contigit? Infeliciter cecidit, & velut porcus in volutabro delectationum carnalium ſeſe volutavit, ille idola concubinarum adoravit, ille nobis dubium ingeſſit an ſit ſalvatus, vel damnatus.

3. Regum. 3. v. 7. Ibid. v. 3. & cap. 8. v. 23.

Econtra Sancti, qui perpetuam egerunt pœnitentiam non ſolum in ſe innocentiam conſervarunt, ſed & eam in aliis, & quidem infinitis procurarunt. Conſtat id in ſancto Joanne Baptiſta, Baſilio, Benedicto, Brunone, Bernardo, Romualdo, Norberto, Dominico, Stephano Grandmontano, Dominico, Franciſco Aſſiſiate, & Franciſco de Paula, Sancta Tereſia, & aliis Patriarchis Religionum.

CONCLUSIO.

Confirmans prædicta primo ſcripturâ, ſecundo Patribus, tertio exemplis.

XII. VErum enimverò, eccur vexo

me in tot probationibus afferendis in confirmationem hujus veritatis, cum ipsemet Salvator tam claré, & disertè hoc asserverit? Ille, dum doceret duas esse vias, quæ ducunt ad alteram vitam inquit. *Lata porta, et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam,* Hunc locum ita explicat Sanctus Augustinus. *Audiat ergò qui sapit, & qui seriò animam suam salvare satagit, Hæc est vox æternæ sapientiæ, contendite intrare.* Prima via est via immodesta, mundana, dissoluta, delitiosa, secunda via est via modesta austera, mortificata, poenitens; *Arcta, quæ arctat cupiditates* inquit Sanctus Augustinus. Dic ergò sodes, ubi est via media, quæ nec est bona, vel mala. An forsan via illa, quæ calcatur in deliciis, ludis, comoediis, societatibus mundanis, visitationibus superfluis, choreis, conviviis, epulis & aliis recreationibus, quas mundus judicat esse licitas, ac honestas, sub prætextu quod pereas nemini injuria irrogetur? Nequaquam, quomodo enim possent esse recreationes honestæ, cum Job dicat, *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt?* Quomodo sint recreationes honestæ, cum dicat Michæas, *Væ qui cogitatis inutile & operamini malum in cubilibus vestris.* Quomodo sint recreationes licitæ, cum Ezechiel otiositatem numeret inter peccata Sodomæ omnium urbium nequissimæ, & Christus asserat nos de omni verbo otioso in die judicii esse rationem reddituros, & sanctus Matthæus recenset servum inutilem fuisse projectum in tenebras exteriores ubi est fletus, & stridor dentium? Quomodo sint recreationes honestæ illæ quæ sunt vanæ, & inutiles, dum nos disponunt, & ducunt ad crimina, & abusus abominabiles? Quomodo illæ visitationes, lucrationes indulgentiarum, peregrinationes tempore æstatis ad Dedicationes, Nundinas, Patrocinia sint licitæ, & honestæ, dum non solum sunt inutiles, & indifferentes, supposito, quod fiant ad meram recreationem; sed etiam sint periculosæ, utpote trahentes post se plura peccata, ebrietates, rixas, contentiones, pugnas, lascivias, & alia id generis plura peccata, ut experientia ipsa demonstrat?

Iob. 21. v. 13.
Cap. 2. v. 1.
16. v. 99.
Matt. 11. v. 36.

Ego nullum alium, quam vos ipsos in testes volo; Consulite paulisper vestras conscientias, & videbitis, quod ille insignis prætextus liciti, quod habetis exterius, nullatenus sit interius, quandoquidem in fundo navis etiam sordes sint, scitis quod in occasionibus, & tentationibus lasciviæ, vindictæ, injustitiæ turpiter, & faciliter succumbatis. Econtra experientia docet, quod illi, qui ducunt vitam solitariam, poenitentem, mortificatam integros menses, annos, immò totam vitam sine peccato mortali transmittant.

XIII. Videmus insuper in Historiis Ecclesiasticis, quod non solum Patriarchæ ordinum Religiosorum, sed & sancti Apostoli, eorumque Discipuli, sicut & primi Christiani vitam duxerint austeram, & poenitentem. Sanctus Paulus dixit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, neforte reprobus efficiar.*

efficior. Sanctus Timotheus ejus Discipulus, quamvis sciret suam vitam, & sanitatem esse necessariam Ecclesiæ, tamen non obstante debilitate stomachi aquam solum bibit, sancta Martha vino, carne, ovis, piscibus abstinuit, & quotidie jejunavit. Sanctus Aurelianus Divi Martialis Discipulus, & in Episcopatu Lemovicensi successor, quadraginta annos in sola fontana, & cerere combussit. Sanctus Polyparcus Discipulus sancti Joannis Evangelistæ communiter vestitus dormiit, nam ut in actis Martyrii legimus, dum in ignem esset proiiciendus, vestibus se nudavit, calceos exuit, quod longo tempore non fecerat. Sancta Blandina Lugduni Paganis, qui Christianis hanc calumniam affricabant, quod in conventibus publicis carnem devorarent pueri, occurrit dicens, quomodo vesceremur carne humanâ, cum nec carnes gustemus animalium?

Ex his consequitur, & patet, quod sancti Apostoli spiritum pœnitentiæ à Filio Dei hereditarint, eumque in posteros transmiserint. Sanctus Martinus, dum cum supremo morbo confli-ctaretur, cilicio tectus super cineres cubabat, dumq; eum rogarent, ut parũ paleæ admitteret, respondit, Christianum vivere, & mori in pœnitentia debere.

Idem egit sanctus Amabilis Episcopus Lugdunensis, & sanctus Abbas Monasterii, sancti Romerici Amatus. Tu omnes hos sanctos laudas, & colis, eosque deprædicas velut prudentes, & beatos, ergo *Imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Quod si sapis, eos imitare, si eos velis colore honore sincero, & cordiali, eos imiteris. Imitare eos, si velis eorũ intercessionis fieri particeps. Imitare eos, si velis participare de eorum meritis. Imitare eos, si in gloria eorum velis fieri consors Amen.

SERMO DECIMUS SEXTUS

Pro Dominica secunda Quadragesimæ.

Bonum est hic nos esse Matt. 17.

EXORDIUM.

NOn est dubium Auditores, quin Sanctus *Petrus*, jam antea à Christo multa audiverit de cælesti beatitudine, & magnitudire præmii cœlestis, quam post hanc vitam sumus obtenturi, nullum inquam de hoc est dubium; cum enim homines vix aliquid aliud agere soleant, nisi moveantur à mercede, & præmio, Petrus non reliquisset sua quantumvis exilia, nisi sperasset à Christo magnum præmium, quod ipse ei promiserat, dum illum ad Apostolatum vocavit. Optime, hoc firmiter credo, & mihi persuadeo ex modo

hoc

homine agendo. Sed hinc oritur difficultas, quomodo ergo Petrus nunquam antea dicebat bonum esse adhærere Christo, & cum eo esse, cum illi tantum præmium propositum esset? Meo judicio, gaudia cæli non æstimavit, nec ille satis agnovit, quia si illa agnovisset, nil illi difficile redditum fuisset, in sequela Christi, suo modo ergo cæcus fuit. Sed prô dolor hodiè plures tales cæci sunt, quia si non essemus tales, non ita essemus incurii in negotio nostræ salutis. Hodiè ergo ostendam cum Auctore, unde ista cæcitas procedat, quæque ejus caussa sit. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit Iustos. Psal. 145. v. 8.*

I. POstquam jam vidimus necessitatem virtutis pœnitentiæ, ejus essentiam, qualitates, materiam circa quã, tempus, quo fieri debet, quamdiu debeat durare, & quod nostra salus pereat, & periclitetur, si eam non faciamus, nunc obstacula cõsideranda sunt, quæ ab illa nos possunt retrahere, & impedire. Primum itaque impedimentum est cæcitas cordis, nam Vates Regalis dicit, quod postquam tenebræ in anima peccatrice fuerunt diffusæ, omnia fundamenta terræ fuerint commota, absque eo, quod vel in minimo quareretur, & labefactaretur. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ.* Itaque primo caussas hujus cæcitatis indagabimus, secundo remedia ad eam tollendam. Porrò ô sacratissima Virgo, unum ex magis efficacibus remediis ad hanc cæcitatem pellendam, est tua invocatio. Ecclesia in suis precibus te vocat januam lucis. *Tu Regis alti janua, & aula lucis fulgida.* Etiam nos possumus dicere, quod sicut Pater æternus à sancto Jacobo vocatur Pater luminum, ita tu non incongruè mater luminum nuncupari possis; nam tu in mundo lumen æternum, & increatum Jesum Christum, nostrum Redemptorem diffudisti, & quando per tuam intercessionem lucem Sancti Spiritus iis communicas, qui ipsam devotè flagitant. Nos eum ex toto corde rogamus, te cum Angelo salutando *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS

Primum impedimentum pœnitentiæ est cæcitas cordis.

EXORDIUM.

In ordine naturæ nihil nobilius intellectu nihil miserius ejus cæcitate.

II. OMnium creaturarum visibilium, quas cunctipotens manus Dei e nihilo extraxit, admirandissimus est homo. Inter duas partes, quæ sunt in homine, excellentissima est anima, inter omnes facultates animæ principalior, nobilior, & Spiritualior est intellectus. Hæc facultas idem est in anima, quod oculus in corpore, quod judices in republica, quod sol in hoc mundo. Hac potentiâ metimur altitudinem cæli, profunditatem maris, profunditatem terræ. Per eam cognoscimus motus astrorum, per eam gubernamus elementa, detegimus proprietates plantarum, domamus animalia, & omnes creaturas nobis subjugamus & in monarchia hujus universi sceptro, & corona potimur. Intelle-

ctus est Pater scientiarum, inventor artium, primum mobile, magister Regius, & principalis regula actionum humanarum. Et quod magis in ejus laudem cedit, intellectus est prima porta per quam Deus in cor nostrum intrat, intellectus est thronus Fidei, templum Prophetiæ, Sanctuarium beatitudinis, nam juxta doctrinam Divi Thomæ, beatitudo essentialiter, & formaliter in visione consistit *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te; Videbimus cum sicuti est, satiabor cum apparuerit gloria tua.* Proprium porrò intellectui est has actiones adeo nobiles, excellentes, eminentes, supernaturales, & Divinas elicere.

Ioann. 17. v. 1. Ioann 3. v. 2. Psal. 16. v. 15.

Non nescio, quod voluntas sit Regina in hoc microcosmo, sed etiam scio, quod intellectus sit ejus minister à statu, ejus Consiliarius, clavis Senatus ejus, vel ut melius dicam, ejus consiliarius unicus; quia tam exactè, & cum tanta differentia promit sua consilia, ut si aliquis rem bene examinet, visurus sit, quod voluntas nil amet, nil velit, nil amplectatur, nil agat, nisi intellectus illud prius proposuerit, prudenter, verè, vel falsè, quia *Nihil volitum, quin præcognitum.* Intellectus itaque longè superat voluntatem, nam voluntas ut illo fruatur, quod amat, exit extra seipsam, & centrum suum; nam voluntas venatur suum objectum, illa se prostituit, & seipsam deserit, illa per affectũ se vnit & colligat cum objecto, illa se in illud transformat, & se ei assimilat, & ut verbo dicam, ej⁹ servitio se subjicit ejusque mancipium se facit. *Terrã diligis* inquit Augustinus *Terra es.* Et Oseas: *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ amaverunt.*

Osea. 2. v. 10.

Intellectus e contra trahit ad se, & in sinu suo collocat objectum. Quod si objectum sit materiale, ille illud nudat omni massâ coporali, ille illud mundat, polit, nobilitat, ac Spirituale, & in corruptibile reddit. Verissimum itaque est illud effatum Philosophorum. *Optimi corruptio pessima*, hoc est eò magis privationem esse pejorem, quò ejus bonum oopositum quo privat, est excellentius. Nec hic silentio involui debet, quod malum sit sumoperè deplorandum, dum tam nobilis potentia offuscatur, si hic oculus excæcetur, si hic judex corrumpatur, si hic sol tenebris involuatur, si hic consiliarius pervertatur, si hoc primum mobile confundatur, summè inquam lugendum est, quando homo labitur in cæcitatem Spiritualem. Vt tantum damnum effugiamus, ante omnia caussæ hujus cæcitatis con siderandæ sunt, & dein remedia, quæ eam pellant.

PUNCTUM PRIMUM

Caussæ cæcitatis mentis Prima est vindicta Dei, quod probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio ratione, quarto exemplo Achab decepti, Secunda caussa est malitia Diaboli, à quo excæcamur sicut Sedechias. Tertia caussa est aliqua passio.

III. PRima ergo causa hujus cæcitatis Spiritualis est vindicta Dei, quæ ut puniat aliquam latentem superbiam, aut aliquod peccatum præcedens, ex profundo, & incomprehensibili, quãvis justo, & adorando judicio permittit, ut cadamus in hoc funestum malum. Moyses populo Hebræo minabatur, quid

quid nisi servaret jussiones Dei, in cæcitatem esset lapsurus. *Percutiet te Dominus cæcitate.* Nec hæc intelligenda sunt de cæcitate corporali, quia illâ nunquã sunt percussi, sed de cæcitate Spirituali, in quam sæpe sunt prolapsi. Eodem modo intelligendus est Deus loquens per Isaiam: *Excæca cor populi hujus, & oculos ejus claude, ne forte videant oculis suis, & convertatur, & sanem eum.* Similiter Divus Paulus assignans caussam, cur aliqui in fine mundi seducendi sint, inquit: *Eò quod charitatis veritatem non receperint, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio erroris.*

Isaia. 6. v. 10.

2. Thess. 2. v. 10.

IV. Hoc dum consideraret Sanctus Augustinus in suis confessionibus inclamavit: ô Deus gloriæ, & majestatis, tua admiranda sunt, & secreta. *Quam tu secretus, & habitans in excelsis in silentio Deus solus magnus lege infatigabili, spargens poenales cæcitates super illicitas cupiditates.* Similiter Sanctus Gregori⁹, qui semper ad vestigia sancti Augustini attendit infit: *Pastorum sæpe imperitia meritis congruit subditorum, qui quamvis lumen scientiæ culpâ suâ exigente non habeant, districto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiã hi etiã, qui sequuntur offendant.*

Lib. 1. Confess. c. 10.

Part. 1. Pastor. c. 1.

V. Et quidem Sanctus Augustinus hanc addit causam: Nil æquius, & conformius rationi est, quam servo auferre instrumentum ei datum, dum eo non utitur. Magister parabolarum, qui talenta suis servis dederat, ut iis negotiarentur, dum unum vidit eo nil lucrari, illud ab eo auferri mandavit. Quod si filii tui, pædagogus, vel minister culinarius tibi diceret, Domine in hieme quotidie mane circa horã quintam ego filio tuo lumen adfero, ut surgat, & studeat, sed scias velim, quod non studeat, sed usque ad septimam in lecto maneat, & candelam in mensa inutiliter consumi permittat; an non esset ei dicturus, cavesis, ne ei deinceps lumen feras? *Lucerna pedibus meis verbum tuum* dicebat David. Jam sunt duo, tres, quatuor, vel quinq; anni, quib⁹ Deus ad te ablegavit prædicatores, qui tibi obligationem tuam sub oculos ponant, qui tibi monstrẽt viam cæli, qui tibi verbum Dei annunciẽt, qui tibi dissuadeant vanitates, otiositates, nugas, jacturam temporis, sed frustra. Nec minimum moves digitũ, ut audita ad praxin redigas. Dicis, quod quamvis bene prædicarint, te tamen nec plus, vel minus facturum. Sed quid fiet? Brevi morbus diutinus, aut negotium aliquod urgens, te impediet, ne concionem audire possis: Deus ad te mittet prædicatores, qui aures tũas verbis eleganter compositis mulcebunt, qui flosculis Rhetoricis declamabunt, qui te ducent ad viam largam, viam, quam Salvator vocat viam perditionis.

Jam sunt quinque, vel sex anni, quibus tua mater, tua uxor servit tibi velut fax, & candela, quibus tibi per instructiones, & bonum exemplum monstravit viam cæli, verum tu nec hilo profecisti, tu eas irrisisti, immò & injuriis proscidisti. At audi parumper, erit intra paucos dies, cum Deus tibi subtrahet hanc facem, *Movebo candelabrum tuum de loco suo*, morientur, nec erit, qui te coercebit, & ita e præcipitio in præcipitium rues.

VI. Sacra scriptura hujusce rei illustre nobis adducit exemplum. Josaphat, Rex Judææ, & Achab Rex Israel junctis viribus decreverant urbem

3. Regum. 18. 22.

Ramorh Galaad obsidere, & expugnare, verum Josaphat, qui Devotus erat Princeps, nil Deo inconsulto aggrediendum conveniens esse judicabat; Cui Achab Rex impius respondit. Placet tuum consilium, & hunc in finem quadringentos falsos Prophetas, qui ei in cultu sui falsi Dei Baal serviebant in campo congregavit. Hi Pseudovates, cum essent adulatores, & viderent Regem summoperè propendere ad hanc expeditionem, et eventum prosperum, & urbem infallibiliter expugnandam prædixerunt. Josaphat, qui eorum genium agnoscebat, & apprimè sciebat, quod non loquerentur Deo docente, & inspirante, clamabat, & rogabat, an non alii Prophetæ adessent. Achab respondit, quidem adesse Prophetam Michæam, ast eum ad se pejꝰ angue, & morte haberi, eo quod nil prosperi unquam sibi prædixisset, omniaque ejus vaticinia nonnisi funesta, & adversa prænuntient. Hoc tamen non obstante, Michæam ad se vocari jussit.

Nuntius, qui Michæam ad Regem ducebat, hæc ei in via dixit. Reliqui Vates nonnisi secunda, & prospera, suæ majestati prænvntiant, ego tibi suadeo, ut idem facias. Michæas breviter ei respondit, nemini palpum obtrudere queo, ego Regi nil aliud prædicam, quam quod bonus Deus ori meo instillabit. Michæas, mox ut in Regiam advenit, cœpit ironicè discurrere ad Achab, & perstringendo ejus errorem, quo sibi grata, & placentia volebat prædici, sic fari incepit: Potentissime Princeps, abi in bonam horam, & obsidione cinge Ramoth Galaad, nam eam certò certius expugnabis. Achab, qui suspicabatur Michæam per ironiam loqui, ad eum dixit, cave sis, ne mihi imponas, edic ut res est. Propheta hæc verba excipiens, respōdit: Reliqui Vates prospera, & placentia annunciant, ego autem suæ majestati intimo, quod occumbet in obsidione, quod que ejus exercitus sit profligandus. Achab illicò se convertit ad Josaphat, eique dixit, quæso te, nunc paulisper vide, nonne bene dixi, hunc insignem Divinatorem nonnisi sinistra, & funesta prædicere?

His auditis, Propheta hæc verba excipiens, audacius, & liberius quam unquam ante, loqui incepit. Serenissime Rex, placeat aure attentâ solummodò excipere visionem, quam vidi, sive fidem meis dictis adhibeas, sive non, parum curo. Id solum scio, quod quidquid dixero verum sit, uti exitus reipsâ comprobabit. Ego Deum conspexi Divino insidere solio magnâ catervâ Spirituū Angelicorum, tam bonorum, quam malorum cinctum; quibus dixit, Ecquis vestrum est, qui decipere se posse putat Regem Achab? Et statim quidam Spiritus malignus in medium prodiit, & dixit, ego egregiè eum circumveniam, dummodo tu mihi hoc permittas. Sed quomodo hoc facies? *Ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Vade, & fac meliori modo, quo potes.

Et sane eventus docuit eum verum dixisse. Pseudovates prædixerant victoriam à parte Achab futuram, sed ille cecidit, ejusque exercitus deletus est, uti Michæas prædixerat. Et cur quæso Deus permisit hunc miserum Regem adeo turpiter decipi? Primò id fecit in poenam sceleris, quod injustè, & tyranni-

cè

cè pauperem oppressit Naboth. Secundo id permisit, quia sic ipse voluit, nam byssinis verbis mulceri voluit, Pseudo prophetas, qui ei palpum obducebant suaviabatur, & Michæam, qui ei vera annuntiabat malè habuit. Tu idem, ac ipse miser agis. Probus quidam confessarius te à peccatis abstinere vellet, ideo absolutionem tibi negat, quousque videat aliqualiter emendatum, sed quomodo tu eum habes? Est scrupulosus, est caput hetroclitum, Spiritus tetricus, & homo melancholicus, non amplius me habebit, vulpes sit necesse est, si me rursus accipiat, jussit ut redirem in pentecostè, eique rationem meæ emendationis darem, quod me expectabit. Quod si ille me non absolvit, alius mihi absolutionem impertietur. Et ita vadis ad alium, qui est ignorans, & propriò lucro inhians, adis alium, qui gloriam suam in eo collocat, quod videat pœnitentes byssinis, & holosericis vestitos sibi adstratos. Ad confessarium inquam, quem placas munusculis, aut cui sacra das legenda. Ille tibi dicit, Hem, Hem, ille bonus Pater est paulisper severior, ille non satis considerat fragilitatem humanam, & quod in sæculo vitam non possis ducere religiosam, ille non penetrat, quod malam non habeas intentionem, communica singulis mensibus, quindenis, septimanis, ut tibi absolutionem impendat, & hoc quamvis ludas usque ad mediam noctē, & mane non surgas ante nonam, & domi tuæ sis quædam Megæra, aut una ex furiis infernalibus.

Sed quid succedet? Dum justo judicio Dei ærumnis conficieris, tempus erit dicendi, heu me, delusum sum, Spiritus erroris, & mendacii fuit in corde, & lingua illius confessarii indulgentis. Eccur Deus permisit ut ita miserè, & infeliciter fuerim deceptus? Scisne cur? Ego id edisseram, primo ut puniret quoddam scelus enorme ante hac commissum, secundo permisit te decipi, quia tu ita voluisti, quia tu ipse cæcitatem hanc ultrò quæsivisti, ne videres deformitatem tuorum vitiorum, quæ approbare non potuisses, nisi aliquo fucato prætextu contecta fuissent. Tu amasti, & magni fecisti eos, qui tuis passionibus colluserunt.

VII. Hæc ipsamet historia Achab nos docet, quod secunda caussa hujus cæcitatis sit Sathan, qui gaudet si Deo permittente possit nostrum intellectum excæcare, quia hoc modo melius nos subjicit suæ discretioni, velut melius dicam indispositioni. Hunc in finem inquit Sanctus Gregorius eodem modo se habet nobiscum, sicut se habuit Rex Chaldæorum cum Rege Judææ. Nabuchodonosor, postquam urbem Jerusalem expugnasset, & expilasset, Regem Sedechiam in vincula abstraxit, prolesque Regias eo, spectante occidit, oculos ei eruit, & captivum in Babyloniam abduxit; & velut belluam catenis constrinxit. Hæc funesta, & rara tragoedia, quotidie nostro ævo exhibetur. Sedechias in Hebræo nil aliud est, quam justus, & virtuosus; per consensum in peccatum mortale, quem à te extorsit te abstraxit in duram captivitatem, ille omnia tua bona opera occidit, omnia tua merita præcedentia extinxit, ille catenis affectus inordinati erga aliquam miseram creaturam, ille tibi ademit judicium intellectus, ille te captivum detinet

7. Moral. c 16. 4. Reg. 25.

tinet in Babylone, in vita quadam plena confusione, deordinatione; *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Ita est, *Sedechias* interpretatur, *justus Domini.* In id præcipuè incumbit, ut justos cæcitate percutiat. Ille optimè scit, quod justi non faciant sicut bestiæ stolidiores, & inconsideratiores, quæ ultrò involant in laqueos apertè iis structos, sed scit, quod sint velut aves, quibus spectantibus quis frustra jacit rete juxta illud, *Frustra jacitur rete ante oculos Pennatorum.* Navarchus mediocriter expertus solicitè evitat scopulos patentes, & visibiles; verum Nauclerus probus, & sapiens, etiam scopulos latentes in mari evitare conatur. Anima, quæ in bono radicata est, studebit actiones certò pravas, & illicitas fugere, & ideo illi struit laqueos clanculum, hamum illi occultat, illam aggreditur non apertè, sed ex insidiis, & per stratagemata. Et hoc est, quod ego principaliter circa me, & vos timeo. Scio quippè Auditores, illud Sancti Leonis esse verum, *Plus est periculi in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto.* Ego non mihi persuasum facio, quod patretis actiones manifestè illicitas, & pravas, quia nimis bonam existimationem de vobis habeo, sed dico cum Davide; *Delicta quis intelligit, intus legit?* Ego credo, & scio, quod fundum cordis, vel hominis nemo possit penetrare, nisi solus Deus. Et hinc peccata interiora, audacia occulta, præsumptio de nobis ipsis, fiducia in nostris virtutibus prætensis, pertinacia in nostris opinionibus, & sententiis, nimia adhæsio ad nostrum lucrum, & bona terrena, adoratio prolium, Idololatria honorum mundi, quod non ametis, nec quæratis nisi vos ipsos, vestros conceptus, desideria, actiones, quod non ametis Deum, nec nil faciatis, ut illum nemini, quod ad proprium commodum sitis propensissimi, & Zelantissimi, in lucro, in negotio autem Dei sitis insensibiles, & frigidi velut glacies, hæc omnia inquã meo sensu sunt laquei, & retia, quæ nobis clanculum struit, ut animas devotiores perdat. *Narraverunt ut absonderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?* *Psal.*

VIII. Verum enim verò, magis immediata, & usitata causa cæcitatis cordis, est inordinatio voluntatis, aliqua passio, quæ in illa regnat, amor proprius, proprii judicii pertinacia, aut affectus erga aliquam creaturam. Verum quidem est, quod intellectus ducat, & dirigat voluntatem, quod præferat ei facem, quæ præluceat, & monstret viam, quò sit eundum; interim etiam est domicella, & ancilla, quæ apprimè perspectum habet genium, & humores suæ Dominæ, quæ conatur ei gratificari, quæ facem deflectit, & avertit a locis, quæ aversatur, quæ eam detinet, quæ facem præbet in locis, quæ amat, & quibus afficitur.

Experientia hoc vobis clarè demonstrat; dum enim litem habetis, vel aliquam actionem, ut justificetis vestram caussam, argumenta turmatim sese vobis offerunt, vestrum jus vobis clarius sole in meridie videtur, cum tamen adversa pars clarè putet, quod erretis, & quod minus jus habeatis, quam aliquis possit sibi imaginari. Hoc totum provenit ex aliqua passione inordinatâ, quæ nos majori ebrietate mergit, quam præstantissimum vinum totius mundi; illa nostrum intellectum tenebris involuit, illa

illa facit ut falsum lumen pro clarâ luce apphrehendamus. De quolibet amore inordinato id dici potest, quod finxerunt fabulâ gratiosâ prisci de amore impudico. Narrant illi Cupidinem non fuisse cæcum à nativitate, nec ab infantia; Sed dum quadam die ineptiret, & nugaretur apud Dominam stultitiam, hæcque illum sæpius abigeret, dum ille non desisteret, sed ineptire pergeret, ut hæc ejus importunitatem excuteret, adeo validam inflixit, ut oculos illi excusserit. Cupido litem ei intentavit, & damnum sibi resarciri petiit. Judices tandem in eam iverunt sententiam, ut stultitia Cupidinem duceret quocunque iret, & ita semper eum præcederet.

PVNCTVM SECVNDVM.

Remedia contra cæcitatem.

Primum præservativum est credere, quod Deus non excuset culpas per cæcitatem commissas secundum, idque curativum est tollere causas, & primo quidem orando Deum, & poenitendo, secundo subjiciendo se directori, tertiò diffidendo de nostris affectibus.

IX. VT arceamus tantum malum, ne nos invadat, considerare, & scire oportet, quod peccata, quæ committimus ex hac cæcitate, non maneant impunita, & ideo dum cecidimus, ut poenas evadamus, oportet causas tollere. Et quidem certum est, quod Deus non condonet nobis peccata ex cæcitate cordis commissa, & hoc saltem, quando est voluntaria in se, vel sua caussa, & hæc vocatur à Theologis ignorantia crassa, vincibilis, culpabilis, quæ diversis modis contrahitur. Et primo quidem, dum te ingeris in aliquod munus, vel officium, cujus non est capax, verbi gratia, dum pastoratum acceptas nesciens prædicare, vel catechirale, dum audis confessiones, antequam studueris Theologiæ morali, dum officium acceptas iudicis, medici, Chirurgi, antequam operam dederis arti, vel scientiæ, quæ requiritur, ad hoc, ut illa officia bene exerceantur, idque sub prætextu, quod officio accepto studebis, & te habilem reddes, sed postquam infernum, & coemiteria repleveris.

Secundo modo hoc fit, dum non flagitas à Deo lumen, & auxilium, ut tuum munus ritè obire possis, dum non legis libros adhoc necessarios, aut scripturam, & Sanctos Patres, qui docent, quomodo animæ gubernandæ sint, vel si loco librorum sacrorum, vel eorum, qui agunt de legibus, medicina, Chirurgia legas fabulas, aut alios libros inutiles.

Tertio id evenit, quando nimium tibi ipsi fidis, quando neminem consulis, quando te satis doctum iudicas, & prudentẽ, quod omnia solus possis facere, cũ tamen tuus intellectus sit offuscatus, tua prudentia sit stultitia, & ut te regas porcus sis. Quod si aliquem consulas, non sequeris eũ, qui tibi dicit veritatẽ, sed eum, qui tibi adulatur, quique tibi blanditur, qui tuo genio sese accommodat, qui tuæ inclinationi sese accom̃odat verbo, conscientiam ad libitum fingis.

Visne quæso videre, quomodo tua peccata, quæ com̃ittis ex hac cæcitate apud Deum non excusentur? An credas, quod Gentiles, qui occiderunt Apostolos, Tyrannos, qui persecuti sunt Ecclesiam, & Martyres necarunt, non peccarint, nec sint puniti, aut damnati? Non id putem. Nihilosecius, putarũt se bene agere, & æstimarunt, quod Deo rem gratã facerẽt.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Dum Sanctus Paulus, & Barnabas prædicarent Antiochiæ, Judices *concitaverunt mulieres religiosas, & devotas*, quæ insurexerunt contra Apostolos, & tantam contra eos commoverunt persecutionem, ut inde abire debuerint. Non id fecerunt ex impietate, quia fuerunt devotæ, nec ob odium castitatis, quam Apostoli prædicabant, quia erant honestæ. Bono zelo actæ id fecerunt, & tamen sunt damnatæ, sed quomodo damnatæ? An magis damnatæ, quam Sodomitæ, & Gomorrhæi? Quinimmò, cum honestate sua apparente, cum devotione superba, magis damnatæ sunt, quam Sodomitæ, qui enormia peccata contra castitatem commiserunt. Sed unde hoc scimus? Scriptura, quæ mentiri nequit, id testatur loco citato, versu quinquagesimo primo.

Ioan. 16. Act. 13. v. 50.

Sancti inde discesserunt, & sicut Christus variis locis iis mandarat, contra illas pulverem pedis excusserunt. Iisdem locis seriò affirmat, quod illi, quibus talia fiunt, severiꝰ puniendi sint in judicio, quam Sodomitæ, & Gomorrhæi. Hinc videt, quod non sufficiat esse castum, & devotum, virtuosum exterius, & coram hominibus. An non jam vides quomodo zelus indiscretus, & passionatus indiscretus sit? Viden nunc quomodo cæcitas, quæ nobis videtur excusabilis, quandoque caussa sit plurium, & quidem maximorum peccatorum; & quod pejus est, facit, ut diu in illis hæreamus, & persistamus? Illa, quæ judicas esse peccata, confitere, & si quandoque Confessarius tuus tel anstuam salutem, te reprehendat, & si sæpius patiaris recidivam, tibi deneget absolutionem, aut illam differat, gratanter admitte hanc denegationem, & stude, ut te emendes.

Matt 10. v 4. Marci 6. v. 1. Luca 9. v. 5.

Verum actiones, quas non putas esse peccaminosas, quamvis frequenter tales reipsâ sint, tu non detestaris, non confiteris, non emendas, nisi confessarius tuus te interroget, nisi concionator illas clarè perstringat, si inquam hoc non fiat, non credis, quod sint peccaminosæ, quin potius censes ejus dicta esse exaggerationes hyperbolicas, scrupulos, nimios rigores, & severitates.

Vt ergo malum adeo perniciosum emendetur, & caveatur, oportet illas tres causas uti diximus tollere, justitiam nempe Dei, tentationem Diaboli, & aliquam passionem inordinatam. Contra primam efficaces sunt preces, contra secundam petitio consilii, & instructionis, contra tertium depositio judicii, & existimationis propriæ. Humilia te itaque coram Deo, agnosce tuam extremam indigentiam, agnosce tuam cæcitatem; sæpius tibi, & tuis directoribus flagita Sanctum Spiritum, roga ut tibi mittat confessarium, qui tibi dicat veritatem, qui tuas pravas habitudines non foviat. Poscet ut te ducat ad concionatorem, qui tibi non blandiatur, qui prædicet purum verbum Dei, & non ornatos conceptus Philosophorum humanorum. Roga ut in manus tuas det, & gustare te faciat illos libros, qui solidè doceant te vivere iuxta Sanctum Evangelium. Roga tibi aperiat intellectum, ut recipere, & apprehendere possis veritates, quæ docentur. Sæpius ad ipsum exclama; *Illumina tenebras meas, Domine ut videam.*

am. Cumque Deus placatus fuerit, nec causam habeat tibi suum lumen subtrahendi, stude ut satisfacias Divinæ iustitiæ ob peccata tua præterita per quascunque poenitentias interiores, & exteriores tibi possibiles.

Et quia revelatum fuit cuidam Episcopo, Deũ docere t homines per homines, elige hominem prudentem, doctem, pium, qui proprium non quærat lucrum, huic quandoque, quolibet medio anno redde rationem tui status, tuarum dispositionum interiorum, & actionum exteriorum: Reverende Pater, ita me gero domi, ita administro meum officium, talibus occupationibus fallo tempus, cum meo villico taliter rationem ineo, non habui proles, nec unquam forsan habebo, Laus Deo jam dotatæ sunt, & in bono matrimonio collocatæ, tot habeo reditus, tantum erogo in pauperes. Quæso te, ne me palpes, liberè dic, an vitam ducam Christianam, an ita vivendo queam salvari. 3. Regum 3.

VIII. Sacra scriptura observat, quod mox ut Salomon post mortem sui Patris sceptro fuerit dotatus, Deus illi apparverit, & dixerit: postula quod vis, & illud tibi dabo. Ille verò non petiit honores mundi, opes terrenas, sed solum sapientiam, porrò hæ preces adeo Deo placuerunt, ut non solum petita, sed & alia multa ei concesserit, nempe omnia illa bona temporalia, quæ aliquod cor humanum desiderare potest. Verum, visne scire, quibus terminis sapientiam flagitarit? *Dabis ergo* servo tuo cor docile, quod se sinat flecti, quod non sit nimis pertinax, quod flagitet, & sequatur consilia aliorum. *Deceptori* inquit *Bernardus dat manum, qui dare dissimulat præceptori.* Dumque aliorum sequitur monitiones, & instructiones, inquit Bernardus de se, quod sit magis aptus ad gubernandos centenos Religiosos, quã seipsum. Verum memineris, quod judices Ecclesiastici æque sint homines, ac Sæculares, quia quandoque possunt respectum habere humanum, & spectando lucrum proprium aliis adulari. Serm. 13. in Cant. Epist. 83. ad Augerium.

Quod si aliquis confessarius nimis abjectus, levis, timens, ne te offendat; illa tibi permittat, quæ Deo, & Ecclesiæ sunt contraria; Quod si concionator aliquis, ut laudem, & applausum ferat mundi, conscientiam tuam laxet, tibi aperiat viam latam, & spatiosam, quæ juxta Filium Dei est via perditionis, & hoc ut dicatur de ipso, en egregium virum, ille non condemnat mundum, ille nostras delicias non disuadet ex consideratione judicii extremi, & metu gehennæ, tu coram Deo non eris justificatus, nam Deus inquit per Ezechielem. *Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Confessarius in sede confessionali, concionator in pulpito, sunt excubitores, qui Christianos ea docere, & monere debent, quæ sunt cõtraria eorum saluti. Quod si ergo confessarius indulgens Choreas, temporis transmissionem in ludis, luxibus, & superfluis vestibus, suppellectile, conviviis, collatione serotina, illicitis fabulis, dolosis circumuentionibus; si speculator | inquam, vos non admonuerit, & ideo vindicta Dei vos obrue- Matt. 5. v. 13. Ezech. 33. v. 2.

obruerit, Deus rationem de vestris animabus ab eo exiget, nec tamen ideo vos à damnatione immunes eritis, quia non tantum dicit, ego illas animas requiram à speculatore, sed et addit, quod peccator morietur in sua iniquitate.

Ille adulator interessatus non est doctior Sancto Paulo, non est spiritualior Angelo cælesti, & tamen Paulus scribit ad Galatas: *Si aliquid etiã ego, qui sum Apostolus, aut Angelus cæli aliquid prædicaret, quod est contrarium Evangelio, nolite id credere, sed eum diris devovete.* Ego à potiori id vobis dicere possum, dum me consuletis domi meæ, vel vestræ, & ego vobis aliquid contrarium dixero Evangelio, aut iis, quæ hic prædico, ne mihi credatis, quia hic sum audax instar leonis, ibi autem forsitan possem esse timidus instar Thersitis, hic loquor in generali, nec ullum perstringo in particulari, ibi autem ex metu, ne aliquem offendam particularem, forsan obmutescerem. Veritas Evangelica est: *Omnis qui se humiliaverit exaltabitur,* quod non solũ latrones, sed & avari excludentur à Regno cælorũ quod *omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur , & in ignem mittetur* quod ille, qui vult esse amicus mundi, sit futurus inimicus Dei. Quod si aliquis vobis dicat, ambitiosos, avaros, acidiosos, mundanos, non humiliandos, excludendos à cælo, in ignem mittendos, futuros inimicos Dei, ne illi credite.

Gal. 1. v. 8.

Lucæ 18. 1. Cor. 6. Matt. 7. Iacob. 14.

Optimè dicit Tertullianus, animam fidelem navigare in hoc mundo, velut in mari fluctuoso inter mille scopulos, brevia, & vada, illam pelli à vento Spiritus Sancti, quod si sibi non fidat, evitabit pericula, si in continuo fuerit timore, secura erit: *Inter scopulos, & vada velificata Dei Spiritu fides navigat, tuta est si cauta, secura, si attonita.* Nolite ergo fidere vobis, vestris opinionibus, conceptibus, judiciis, inclinationibus. Ante omnia ne fidatis vestris desideriis, & amoribus, quantumvis sint belli, & speciosi, dummodò sint intensi, & passionati. Duo solum sunt desideria, quæ nequeunt trahi in suspicionem, nec possunt esse satis intensa, desiderium nempe se bene humiliandi, & amandi Deum, reliqua omnia sunt nociva, iis non fide, sed continuò time. Sapiens dicit, *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et David. Mi Deus *Ab occultis meis munda me.*

De idolatria capultim.

Præterea Sanctus Augustinus adeo fuit humilis, ut semper timeret se habere aliquam superbiam latentem; & ideo gemens, & rivos lacrymarum spargens ad Deum dicebat. *Multum vereor occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non, tu nosti de hac re : Ad te gemitus cordis mei, & flumina oculorum meorum, multum vereor occulta mea.* Ego mi bone Deus hoc potiori jure dicere possum, valde timeo ob fundum cordis mei, forsan totus putridus, & sordipus est. O mi Deus, potest esse, quod ante te nil aliud sim, quã meræ sordes, quam quidam bufo, totus turgidus veneno superbiæ, amoris proprii, & propriæ philautiæ. Ego magis cæcus sum in corde, quam fuerit natus cæcus in corpore. Ego nil aliud sum, quam caligo, debilitas, stultitia, ignorantia, sed in te spero, tu es verum lumen, & lux mundi, sol justitiæ, Angelus magni consilii, scientia æterna, sapientia increata. Tu sis me-

Lib. 10. Confess. Cap. 37.

um lumen, mea sapientia, mea doctrina. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua Amen.*

SERMO DECIMUS SEPTIMUS

Pro Dominica tertia Quadragesimæ.

Tunc vadit, & assumit alios Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi Lucæ 11.

EXORDIUM.

MIrum videri potest, unde tanta Dæmonis sit potestas, ut hominem subintret, & ab eo expulsus iterum redeat fortior, quam ante, cum septem aliis Spiritibus se nequioribus, & ingressus habitet in eo. In qua potestate hoc facit Dæmon? Quis illi hanc dedit? Cur non alligatur in suis carceribus, ut ad homines egredi nequeat? Si egredi ei permittatur, cur non vetatur, ei, ut in homines intret? Aut cur saltem non arcetur à Christianis? Plures caussas hujus assignant Sancti Patres. Ego puto Deum id facere in vindictam peccatorum; cum enim peccatores non agnoscant quantum malum sit peccatum, quanta damna inferat, & tam faciliter in ea relabantur; ideò permittit Dæmonem in eos intrare, ut obdurentur sicut in hac concione Auctor ostendit.

Hodiè si vocem Domini audieritis; nolite obdurare corda vestra. Psal. 94.

I. Tanta intercedit necessitas, tanta amicitia, fœdus, Sympathia inter nostrum intellectum, & voluntatem, ut si contingat intellectum esse tenebris involutum, nec supremum cognoscere Deum, voluntas non propendeat in conversionem ad eum, neque ut eum possideat; quia *Ignoti nulla cupido.* Quando semel anima cæcitate cordis est percussa, infallibiliter labitur in duritiem cordis. Et hoc est secundum impedimentum, quod sese opponit nostræ conversioni, & operi poenitentiæ. Igitur considerare debemus symptomata, & qualitates tanti mali, ut illud evitare possemus. Nil est, quod melius emollit tumoré corporis, quam oleum, nil est quod melius emolliat duritiem cordis, quam invocatio tui sanctissimi nominis ô Virgo sacratissima. *Oleum effusum nomen tuum.* Per tuum Sanctum servum Casimirum, tu nobis hoc salutare tradis monitum.

Ipsam cole ut de mole
Criminum te liberet
Hanc appella ne procella
Vitiorum superet.

Insistens huic sacro concilio nos te honoramus, nos te imploramus, nos te salutamus, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS

Secundum impedimentum poenitentiæ, est obduratio.

EXORDIUM.

Zacharias visione amphoræ, quæ portata est in sennaar, exprimis quinque gradus, quibus pervenitur ad duritiem cordis, primus est derelictio à Deo, cū post completum cumulum peccatorum deserit animam quod probatur primo scripturâ, secundo Patribus, tertiò exemplis, secundus gradus est insensibilitas ad damna spiritualia, ad temporalia; Tertius gradus est assiduitas peccandi, imprudentia, stabilitas in malo.

III. PRopheta Zacharias in suis Divinis revelationibus nobis illustre proponit emblema, in quo, velut in tabula vivis coloribus exactè depingit, quid quid in hac materia duritiei, & obstinationis dici potest. Ille recenset sibi ab Angelo ostensam amphoram, in quam projecta fuit quædam femina vocata impietas, quæ postea obturata fuit massâ quadam plumbeâ. Eodem porrò tempore narrata se conspectas duas alias feminas alatas, & pennatas more Mediolanensium, quæ arripuerunt hanc amphoram, eamque in aera elevarunt, & in Sennaar, quæ sita est in Babylone deportarunt, & in basi nunquam inde absportandam collocarunt. *Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide, & ecce amphora egrediens & ecce talentum plumbi portabatur; & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit, hac est impietas &c.* Hæc visio in terra ostensa est, & tamen Angelus dixit ad Zachariam: *Leva oculos tuos*, ut doceret malum obstinationis provenire à Dei permissione, & esse poenam cælestem, poenam severiorem formidabiliorem, atrociorem, quam Deus possit fulminare contra unam animam peccatricem. Propheta idem aliam habuit visionem. Conspexit ille falcem decidentem e cælo, nam ubi textus Latinus legit *Erat volumen volans* septuaginta Interpretes, & post eos Sanctus Chrysostomus vertunt. *Erat falx volans* καὶ ἰδοὺ δρεπάνου πετώμενου.

Zach. V. 1

Angelus porrò dixit ad Vatem, hac falce designari bella, famem, morbos, & alia flagella, quibus maledictio Dei quãdoque plectit familias, respublicas ob periuria, latrocinia, & alia crimina ab iis patrata. Post has minas poenarum temporalium addidit Propheta visionem, quæ exprimit indurationem adhoc ut ejus minæ magis augeantur, & ad summam perfectionem reducantur, nam reipsâ indurati o incomparabiliter est atrocius supplicium, quam omnes afflictiones temporales, est quippe arx inferni, urbs reprobationis finalis, & ultima dispositio ad damnationē æternā.

Vnico lapsu nemo in abyssum labitur adeo profundam, sed successivè per diversos gradus. *Extrema primo nemo tentavit.* Bonum est eos arripere, ut eos addiscamus. Quinque porrò sunt principaliores in circumstantiis ostenti à Zacharia visi expressæ. Primus est derelictio à Deo, nam in poenam, quod fuerimus negligentes in ejus servitio, restiterimus ejus inspirationib⁹, ingrati fuerimus ejus beneficiis, judicio occulto, & abscondito, quamvis venerando, & justo, animas nostras deserit, favores suos

extraordinarios, protectionem, & assistentiam particularem illis subtrahit, & permittit ut peccator demergatur usque ad fundum, centrum, & abyssum sui cordis quod bene designatur per amphoram ab ejus fragilitate confectam. *Hæc est impietas, & projecit eam in medio amphoræ.* Loco amphoræ Hebræus textus legit *Epha, seu Ephi,* quod nil aliud est, quam *mensura aridorum,* quâ ordinariè in nundinis mensuramus arida, frumentum, triticum, & alia grana.

IV. Cor hominis designatur per hanc amphoram est quædam mensura, & ex hoc addiscimus veritatem valde necessariam, & dignam, quam bene intelligamus, quia bene intellecta, nobis serviet instar froeni quod nos cohibebit ab offendendo Deo, dummodo parvum desiderium habeatis vestræ salutis. Concede mi Deus hanc mihi gratiam, ut lingua mea sit scalprum chalybeum, vel adamantinum, ut hæc veritas in corde meorum Auditorum tam profundè insculpatur, ut nunquam erui possit. Thesaurus, & ærarium gratiarum Dei non potest quidem exhauriri, attamen illas largitur computando, & calculando. Patientia eius quidem est infinita, sed tamen eam non exercet infinitè, ipsius misericordia est quidem immensa, sed tamen eam exhibet in mensura.

Intelligite bene verba mea, nec illa invertite, aut depravare. Non dixi, quod sint aliqua peccata adeo enormia, gravia abominãda, desperata, quæ sint irremissibilia. Est quippe articulus fidei, quod veniam omniũ peccatorũ quantumvis sint enormia, gravia, excessiva, & multa, obtinere possitis, dummodo poeniteamini sicut oportet, & ex corde veniam rogetis, Sed dico quod sit certus numerus peccatorum in aliquibus major, in aliquibus minor, in aliquibus valde parvus, post quæ Deus tibi non dat amplius vires, & gratiam rogandi veniam, immò permittit, ut desperatus te prostituas in peccata, & inseparabiliter te iis immergas. Deus in suis decretis æternis dixit. Talis poenitentiam viginti annis illius tringinta, hujus decem expectabo; si intra hoc tempus non se convertat, si ultimum momentum hujus temporis elabi sinat, nunquam poenitebit, sed ad me eum evocabo. Illi quinquaginta peccata condonare volo, alteri centũ, porrò quod Deus condonare decreverit, nos non scimus; Deus hoc scit, qui & novit an si unum, præfixo numero addas, veniã sis obtenturus, an dãnandus sis, voluntariè quidem, sed infallibiliter.

Sanctus Spiritus dixit apud Ecclesiasticum. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas miseratio* Domini *magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Cave ne dicas, misericordia Dei magna est, & major quam sit quilibet numerus meorum peccatorum. Quomodo hoc possit subsistere? Nonne misericordia Dei est immensa, & infinita? Quod si talis, cur nos hoc non dicemus? David id dixit, *misericordia tua magna est,* cur nobis non sit fas loqui sicut ipse? Ille, nempe Spiritus Sanctus appositissimè loquitur, & bene scit quid dicat, non enim inquit, cave sis ne dicas misericordia Dei est magna, sed miseratio ejus magna est. Hæc duo differunt; quia miseratio est effectus misericordiæ. Attributa qui

Eccles. 5.

Psalm. 65.

quidem Dei sunt infinita, sed eorum effectus sunt finiti. Perfectiones Divinæ quidem sunt interminabiles, quia sunt in Deo, quidquid autem in Deo est, est infinitum; verum effectus harum perfectionum sunt terminabiles, & finiti, quia sunt in creaturis, quidquid autem est in creaturis est finitum, & limitatum.

V. Misericordia Dei maxima est, & major, quam possimus imaginari, & concipere, est immensa, & infinita, verum effectus misericordiæ puta miserationes, remissiones peccatorum, gratiæ, quas confert peccatoribus non sunt infinitæ, & innumerabiles. Et quidem sapiens hoc illustri probat ratione, dum dicit. *Misericordia enim & ira ab illo citò proximant.* Non solum est misericors, sed etiam est justus, & in ipso hæ duæ perfectiones non sunt sibi contrariæ, nec in Deo misericordia est opposita justitiæ, cum sint omnino eadem res, & utraque sit infinita. At enim verò, dum eas erga nos, vel nobiscum ad effectum reducit, habent effectus contrarios, & effectus unius impedit, ne effectus alterius possint esse infiniti in numero. Misericors est, nam ideo expectat usque ad certum tempus, & nobis aliqua peccata condonat; Sed & etiam est justus, & justitia debet habere suum cursum, & ideo non expectat semper, quousque convertamur, nec in qvolibet numero peccata ignoscit.

Et hinc consilium Sapientis est valde salutare: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et quamvis per Dei revelationem scires, quod Deus tibi remisisset tua peccata, tam quoad culpam, quam quo ad pœnam; attamen hos malvos effectus nunquam e memoria tua pelle, nec omittas, quin eos æstimes, & apprehendas. At enim vero, jam tinniunt mihi aures, quasi dicas. Et quales amabò malos effectus possit habere unum peccatum integrè condonatum? An ergo Deus unum crimen bis puniat? Quin immò; sed hac ratione, quod si committas nova peccata, antea commissa, & condonata, adduntur in libro rationum, ut compleatur numerus determinatus, & præfixus, ultra quem Deus decrevit nullum condonare amplius peccatum, sed te in statu disgratiæ ex hac vita evocare. *De propitato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.*

VI Sanctus Augustinus, vel Auctor libri de vita Christiana, qui habetur inter ejus opera, disertè tradit hanc veritatem. *Esse certum* peccatorum numerum, *atque mensuram Dei ipsius testimonio comprobatur, & quod unusquisque celerius, vel tardius prout peccatorum suorum modum expleverit judicetur evidentissimè demonstratur.* Et Paulò infra: *Vnde manifestissimè docemur singulos tam diu ut convertantur sustineri, quamdiu delictorum suorum cumulum non habuerint consummatum.*

Deus expresse apud Amos testatur quod si incolæ urbis Damasci, Gazæ, Tyri commissuri sint sex peccata, quod eorum mensura futura sit completa, si vero septimum sint addituri, quod non sit eos conversurus. Præterea Israelitæ in deserto, quando decies erant rebellaturi contra Deum, impleturi erant suum cumulum, & ideo post rebellionem decimam, eos arcuit ab ingressu in terram promissionis Et primo libro Regum Saul

Cap. 4. Tom. 9. Operum Augustini Cap. 9.

Cap. 35.

Saul postquam quinquaginta duos annos in innocentia, & quinquaginta in vita privata, & specialiter duos in Regimine transegisset, binis vicibus Deo inobediens fuit, & postea reprobatus, totum se dedit sceleribus, injustè persecutus est David, & suicidium commisit. At quod me magis torquet, & cor meum transfodit est, quod videam Angelos non habuisse nisi unam, vel duas gratias, unum, vel alterum momentum ad lucrandum cælum. Primum peccatum ab iis patratum mensuram complevit iis præfixam. Deus in suis ideis decreverat, quod si Angelus unicũ tantum patret peccâtum, illud ipsi non condonabo. Præterea in suis decretis resolvit. Quod si ille, & ille Parisiis patret tot peccata, triginta, quadraginta, centum, nos nescimus numerum (ille solus eum scit, eumque determinavit) ego eum non convertam. Quamvis David non patrasset nisi tria, vel quatuor peccata, & poenitentiam egisset, ut funestis se suppliciis subtraheret, sæpius ad Deum clamavit. *Ne dere linquas me, ne que despecias me*, sciebat, quippe, duo, vel tria peccata sufficere, ut Deus nos deserat, sinatque nos damnari.

VII. Ex hac desertione producitur egregiè secundus gradus, puta insensibilitas, insigniter expressa per massam illam plumbeam, quæ os illius amphoræ obturavit: nam nostrum cor per illam insensibilitatem adeo obfirmatur ut nec minimum bonum possit admittere, & nil per illud penetrarè posit. Videtur esse occlusum massâ plumbea. Plumbum omnium metallorum est vilissimum. Quandoquidem non resonet, nec minimum edat sonum si pulsetur, est Symbolum stupiditatis, quæ nos reddit insensibiles ad omnes jacturas temporales & Spirituales, quas incurrimus per peccatum, & ad omnes casus hujus vitæ, qui nos deberent cogere, ut intraremus nos ipsos, & con- *Cap. 5.*
verteremus ad Deum.

Propheta Abdias plangit: *Si fures introissent ad te, si latrones, quomodo conticuisses?* Quod si fur quidam inciperet domi tuæ perfringere scriniola, tuum auferre argentum, aut suppellectilem, an videns hoc, & intelligens, nec verbulo mussitares? An plumbum esses, quod nullum edit sonum? An non furem increpares? An timeres, ne eum scandalisares? Nequam, & Nebulo iste vult per suas nequitias tuo te exuere honore, gratia spoliare Dei, & tua salute. Si quis tibi dicat, dicas id tuo Patri, querere id apud tuam matrem, vel instructricem, quid dicis? Non audeo, quia vereor ne scandalisetur, nec domo pellatur, cum tamen eum accusare deberes, ut e domo pelleretur, sicut clamamus, dum furem notamus, ut e domo abeat, & fugiat. An pauxillum argenti sit pretiosius gratia Dei, quæ constat pretioso sanguine Salvatoris? An exiguum lignum, vel suppellex parui momenti, plus æstimari debeat, quam tuus honor, & salus? *Si vindeminatores introissent ad te, nunquid saltem racemum relinquissent tibi?* Addit idem Propheta. Quod si petulantes quidam juvenes, intrarent tuam vineam, eamque uvis viduarent, tu revera id ægrè ferres, cum tamen plures hic, & ibi racemos relinquerent. Ille trifur per peccatum nudat vineam tuæ animæ, ille in te destruit dona Spiritus Sancti, virtutes

tutes infusas, habitus supernaturales, ille nec unicum fructum, nec unicum racemum meritorum præcedentium tibi relinquit, & tamen tu insensibilis es ad hanc iacturam. Quomodo hoc?

Hom in Epist. ad Rom. VIII. Sanctus Joannes Chrisostomus te comparat servo alicujus comoedii videbis in theatro famulum alicujus circulatoris, ceu Schænobatis, vel cybeπstis. Hic mille scommatibus, sarcasmis, & indignitatibus lacessitur, Herus ejus illum vexat mille nugis, mille cum eo facit ludos, ille alapas ei impingit, pugnis eum onerat, millenos jubet eum proferre jocos, millenas jubet eum peragere ineptias; spectantes eum irrident, ille vero nec in minimo movetur quin potius ridet, prandium lautum post commoediam omnia illi lenia reddit. Tu huic stolido similis es. Postquam ille impudicus tuum cor subjugavit, tu ad omnia insensibilis es. *Verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi.* *Proverb. 23. cap. 35.* Tu insensibilis es ad jacturam temporis, ad jacturam libertatis, ad jacturam tuæ pecuniæ. Quodsi sanus, & non impeditus, unico parvo festo omittas vesperas, statim scrupulum moves, & doles, quod si unico die dominico priveris communione, toto die gemis. Ille nequam in caussa est, ut omittas vesperas, summum sacrum, communionem per unum, duos, vel tres integros menses, & tamen non doles? Tu adeo amas tuam libertatem, ut nullius jussiones feras, & omnibus præferri velis. At ille ludos tibi facit, ille jubet ut ad ejus venias domum, ut ad tuam debito tempore non redeas, vicini digito te notant, in mille actiones pravas, infames, detestabiles contra tuam inclinationem te præcipitat, & tu ad hanc servitutem insensibilis es. Tu adeo es avarus, & tenacissimus erga pauperes, illi tamen donas munera, illi mutuas das pecunias nunquam reddendas, illi das vinum, & alia quæ suffuraris tuo hero; & restituere teneris, & ad hæc omnia damna insensibilis es. *Traxerunt me, & non sensi.* Tu omnes afflictiones, quas tibi Deus immisit, ut te excitaret, ac à malo retraheret probasti. Tulitem amisisti, tu tributis oneraris, tuus maritus, vel filius moritur, stigmate notaris, & honore tuo exveris, continuis agitaris morbis, nec tamen converteris. *Verberaverunt me, & non dolui.* Non sentis mala, quibus involueris, nec ea quæ facis, in consuetudinem peccandi ocyus curris, & decidis in tertium gradum, qui est assiduitas peccandi. *Psal. 80. v. 13.*

IX. Duæ feminæ quæ habebant alas Mediolanenses, & quæ hanc amphoram portabant, significant concupiscentiam, & consuetudinem, quæ cor induratum tanta celeritate propellunte peccato in peccatum, ac si alas Mediolanenses haberet. *Demisit eos secundum desiderium cordis eorum, ibunt.* Præcipitanter, & celeriter currunt in malum. Ad hoc multum confert Dæmon, qui illud pellit, & prava desideria, ac habitus vitiosi, qui suis flatibus infectis in puppim feriunt Spiritus in alis earum.

Reprobi sunt in via perditionis, sicut electi sunt in via, quæ tendit ad cælum. Divus Paulus, Heros animarum electarum ait. *Ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ priora sunt extendens meipsum ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei,* Idem

dem agunt prædestinati, illi in via cæli non fatigantur, in bonis operibus non satiantur, ab operibus bonis nunquam desistunt; illi operationum bonarum ante acta obliviscuntur, & ac si quotidie inciperent, sese extendunt, pergunt, & incessanter properant, & continuò ad novas virtutes anhelant, & aspirant. Mane exercent aliquam piam actionem, sub refectione mortificationis actum practicant, post prandium opus aliquod misericordiæ. Hodie jejunant, cras portant cilicium, perendie visitant Xenodochia. *Ibunt in adjuventatiobus suis*, & apularum præcedentium obliviscuntur, aceruum immensum commissorum nunquam in mentem revocant, non ponderant thesaurum, & massam poenarum promeritarum, gutture sitibundo, & corde famelico novas semper appetunt prædas, nocte unam impuritatem, mane unam insolentiam, in Ecclesia prandendo unam intemperantiam, post prandium inter ludendum unum periurium, hodie unam ebrietatem, cras unam blasphemiam, perendinâ die unam detractionem; *Ibunt, ibunt.*

Phil. 3. v. 13.

Psal. 84. v. 13.

Cap. 7. Id proverbiis Spiritus Sanctus nobis depingit tentationem sub figura meretricis, quæ quendam adolescentem seducere, & in peccatum pellicere vult. *Blanditiis* inquit *labiorum protraxit illum, sequitur eam quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur*, & periculum salutis incurrat. Dum primâ vice quispiam tibi loqueretur de lapsu in peccatum, quem non sensisti horrorem, abominationem? Antequam caderes primâ, vel secundâ vice qualiter non restitisti, quomodo solicitatorem, & tentatorem non abegisti, & repulisti? Qualem non habuisti repugnantiam, timorem, odium, apprehensionem, aversionem, turbationem. Tu tarde rependo, pedetentim, involuntariè juisti, sicut bos, qui trahitur ad macellum, ac si tractus fuisses ad supplicium. Postquam vero lapsus fuisti, quos non expertus es angores, cruciat⁹, poenitudines, remorsus conscientiæ, punctūras, & cæsiones sinderesis? Nunquam quietè dormire potuisti, tempestivè, & improvisò evigilasti, nullam per diem habuisti pacatam horam, nullum gustat bolum, qui tibi saperet, putasti, quod à toto mundo digito notareris. Verum postea ivisti *quasi agnus lasciviens.* Currendo, properando, saltando, sine renitentia, voluntariè, velut agnus, qui deorsum volat, ut volatu celerrimo prædâ potiatur; promptè & non solum absque ulla repugnantia, sed lætanter, & cum dabilo. Et nunc vides alas mediolanenses, quæ movet amphoram cordis humani. Verum enim verò, quid hoc sibi vult, quod Propheta dicat amphoram fuisse elevatam inter cælum, & terram?

XI. Quartus gradus est impudentia, & audacia, quâ coram cælo, & terra, coram Angelis, & hominibus peccata committis. Hoc tibi objicit Jeremias. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Non habes amplius colorem virtutum, Sanctus pudor non amplius tingit tuas genas, tu exuisti omnem verecundiam. Quod si antehac unus e sodalibus tuis minimam actionem inverecundam fecisset, quam tu modo facis, tu illi dixisses, valde tur-

Ierem. 3. v. 9.

bor, & affligor, si illius loco essem, morerer præ pudore, cum tantus sis helluo falsi honoris, quomodo veram gloriam comparat stramini quod sub equis sternitur? Irridet te ille nequam dum ejus, & dixit. *Proh impudentem, nemo stultior illo est.* Ille tuas insolentias narrat sociis, in discursum illas trahunt, earum narratione sese oblectant; digito per urbem te notant, fabula es, omnium ora volas, & objectum es cujuscunquè discursus *O Impudentiam! Noluisti erubescere.*

Psal. 72. *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Non solum tegunt vitia in corde, sed & illa pandunt, non solum clam peccant, sed & in publico; in concione, sub summo sacro, in choro coram venerabili sacramento, coram omni populo, aspectus eiaculantur impuros, oculis velut accipitres venantur innocentes columbas, capite annuunt, accedunt, & retrocedunt, ut sua prava desideria testentur, de illo gloriantur, de quo deberent erubescere. Non solum sunt contenti monopoliis secretis, usuris palliatis, injustitiis coopertis, oppressiones committunt manifestas, furta exercent publica, Latrocinia aperta, rebelliones patentes. Nec minimum curant, si viduas opprimant, rusticos perdant, hæreditates orphanorum invadant, de eo gloriãtur, ob quod se deberent humiliare, jactant se ob peccata commissa, & ampullantur ob ea, quæ non fecerunt. *Lætanter cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Proverb. 2. v. 39.

XII. Tandem hæc amphora est deportata in Babylonem, & ad terram Sennaar, & ibidem est collocata super basim, & fulcrum nunquam inde amovenda; & per hoc denotatur obstinatio, & perseverantia in peccatis, quæ est quintus gradus. Anima itaque portatur in Babylonem, quod idem est ac confusio, quia sese radicavit, & mersit in vita planè inordinatâ. De portata est in terram sennaar, quod idem est, ac foetor, quia adeo se immersit pudori, & sordibus actionum immundarum, & infamium, ut nullam graveolentiam amplius sentiat.

Sennaar præterea significat *excussionem dentium*, Dentes ad id sunt, ut distinctè, & articulatim possimus loqui. Non loquimur clarè in confessione, peccata mediâ tantum ex parte confitemur, peccata palliamus; fluo illinimus, & ambagibus sinuosa reddimus, Sacramẽtum reddimus nullum, & confessiones instituimus invalidas, radicamus, & firmamus nos taliter in statu peccati, ut obstinati reddamur.

CONCLUSIO.

Per eximium locum Bernardi ad Eugenium, & recapitulationem.

XIII. Sanctus, mellifluusque Doctor hujusque dicta tam insigniter explicam, ut iis qui desiderat præcisum compendium mei discursus solum ejus legere textum debeat. Hic Sanctus Doctor non adulatur, & sine respectu personarum toti mundo veritatem dixit. Igitur scribens ad Eugenium Papam, qui in Abbatia Claræ vallensi ejus subditus fuerat, eique volens suadere, ut se occupationibus magnis pontificatus subtraheret, quæ ejus orationem, & alia

alia exercitia Spiritualia poterant impedire, sic inquiebat. Apprimè scio, quod cum recenter e solitutidine prodieris monasterii, fugias, & horreas has occupationes, & gemas ob negotia ingruentiâ; sed, *Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est; nil tam fixum animo, quod neglectu, & tempore non obsolescat, vulneri vetusto, & neglecto callus obducitur, & eò insanabile, quo insensibile fit.* Non inquam fidas proposito, quo fugis societates humanas, conversationes familiares, & amicitias damnosas, quæ sensim evanescent. Idem vobis dico. Non nescio, quod hæ libertates, & familiaritates tibi displiceant, quia tibi videntur esse spinæ, in quibus cubas. Verum cave sis, ne nimium fidas, quia hæ bonæ dispositiones animi paulatim evanescent, & nil est adeo animo fixum, quod cum tempore non dispereat, & consuetudo omnia obfirmat. *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas judicabis, non adeo grave, paulo post & leve senties, paulò post nec senties, paulò post nec delectabit, ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in aversionem &c.* Verum enim iis, qui nunquam biberunt vinum in principio illud videtur amarum, & paulò post parumper iis videtur de amaritudine amisisse, & tandem iis id videtur dulcissimum, adeo ut illud absorbeant, & sese illo ingurgitent, ita fit quoque in proposito.

An negare possis, quod hoc ita fiat? An non ita tecum factum sit? Quod si aliquis antea suasisset actiones, & opera, quæ modo facis, tu animo concidisses, & magnum horrorem concepisses, potius dixisses, quod cor, & tua viscera interiora increpuissent, quam quod in eas consensisses; Sed sensim tuum cor expugnatum est, tu deditionem tui fecisti, nescio, quomodo id solum puto, quod quasi coactè parumper complacendo. At enim tertia, vel quartâ vice non credidisti hanc actionem adeo esse malam, quia tibi videtur levis, cum sine repugnantia illam elicueris. Sed tandem reipsa cum delectatione, & gaudio in illam festinas. Et hoc modo insansibiliter quis fertur in statum obstinatum, & induratum. Quod si quæras à me, subdit Sanctus Bernardus, quale sit cor induratum, Beatissime Pater, liceat mihi id edicere, quod si hoc mihi permiseris, ego id quidem dicam parum audactius, sed tamen unum verbum & quidem verissimè proferam, quod te non nihil posfit offendere, dicam nempe, quod tuum cor sit induratum. An sit cor tuum? Immò, sed unde hoc sciam? Exinde si ad ejus solam nominationem non tremas, & expauescas, tam horrendum enim est malum, ut audienti pavorem incutiat. Cor induratum est cor peccatoris, quod seipsum non horret, immò nec sentit, quia sopitum jacet lethargo, aut tactum apoplexiâ spirituali, ita ut non solum periculosissimè ægrotet, sed etiam suum morbum non sentiat. *Nec pergas quærere, quid sit cor durum, si non expavisti tuum. Hoc est solum est cor durum, quod seipsum non exhorret, quia nec sentit. Interroga Pharaonem, nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi forte quem Deus misertus abstulit ab eo juxta Prophetam, cor lapideum, & dedit carneum. Quid ergo est cor durum?* Quales sunt ejus proprietates, & qualitates? *Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec*

 mo-

movetur precibus, minis non cedit flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteriorum obliviscens, præsentia negligens, futura non prævidens. Ipsum est cui præteritorum præter solas injurias, nil omnino non præterit præsentium, nil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum prospectio, seu præparatio est. Et ut brevius dicam, & horribilis mali mala complectar ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Nunc adsitis. Et quæso dicitote, an non vestrum cor est hujusmodi qualitatibus præditum, & hisce signatum cuneis? Et quis hoc in dubium trahat? Vos nullo concutimini horrore, vos nec minimum sentitis, nec minimum apphrehenditis. Paulisper vestras intrate conscientias, vestram examinate vitam, & videbitis, quod si Sanctus *Bernardus* ad huc degeret in mundo, ut cor depingat induratum, eum non opus habiturum longâ descriptione, sed eum solum dicturum, cor induratum est tale, & illius, cor induratum est illius Mogoni, illius Francofurtensis. Et quomodo possit fieri, quod postquam commisisti duo, tria, quatuor peccata mortalia, nec minimam elicias contritionem? Quomodo nullum sentis dolorem? Quomodo tam libere dormis, ludis, edis, bibis, ac si nihil fecisses? Nunquam devotione resolveris: Transit Pascha, festum omnium Sanctorum, Nativitas Domini, indulgentiæ, preces quadraginta horarum, ita ut de iis cogites, nec confitearis, preces tuorum consanguineorum, tuæ Matris, Patris, amicorum, quæ pro te funduntur, ut te emendes, & à tua vita dissoluta desistas nec in minimo te movent. Conciones de judicio, miner de morte æterna, nec per hilum te terrefaciant, afflictiones, quibus Deus te premit, te nihilo movent, tu es in gratus Divinis beneficiis, donis tuorum parentum, nec per capillum æstimas consilia salutaria tuorum amicorum, tu temerarie judicas, & actiones tui proximi trahis in censurâ, quæ tamen in partem meliorem interpretari possent. Tu in verbis, & operibus impudentissimus es, nullum curans periculum quamvis proximum, & evidentissimum. Tu mari te committis, tu tecta scandis, ut illa reficias, tu longa facis itinera, tu inis duellum, tu rixaris in popina, tu te ponis in periculo, ut in statu peccati mortalis occidaris, ate infernus vix distat, & nil intermediat nisi cuspis unius pugionis, lapsus in latrones in tali itinere, casus ex alio tecto, tempestas, vel casus in Pyratas, quæ te inferno trahent Æternaliter miser eris, quomodo ergo modo non tremis? Quam non es audax, quã non es præsumptuosus? *Impavidum ad pericula, inhumanum ad humana.* Nec in minimo compateris pauperibus, viscera habes tigris, miseriæ alienæ nil te movent, vino, cibo deliciis te infarcis, cum tamen tot famelici ex tuis superfluis uti possint. Adeo inhumanus & fusi non esses homo.

Temerarium ad Divina. Tu scripturam prophanas, eaque abuteris, & transfers ad fabulas nugivendulorum, tu devotionem servorum Dei usurpas in tuis verbis obscoenis, tu Religiosos, & religiosas traducis in tuis mendaciis, tu vir-

tu virgines Christianas polluis per tuos aspectus, & desideria impudica, Ecclesias violas per tuas irreverentias, Sacramenta per tua sacrilegia, nomen Dei per tuas blasphemias. Tu communicas, & accedis ad altare, & tremenda mysteria, tu celebras in malo statu, odium fovens, & adulterium animo proponens ô Temeritatem! *Temerarium ad Divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non prævidens.* Tu oblivioni tradis peccata tua præterita, tu nullum opus satisfactorium, ac si nil deberes justitiæ Divinæ.

Tu elabi sinis insignes occasiones, quas tibi præsentat, ut agas poenitentiam, tu non prævides strictam rationem, quam redditurus es, mortem certam, horam incertam. Verbo, nec Deum, nec homines curas. Injustitiam Dei non apphrehendis, judicia, verba, dicteria hominum non æstimas, & ea quomodo dico non plus te concernunt, quam si loquerer lapidi, hi conceptus, hæc argumenta Spiritum tuum non penetrant, tot efficaces rationes, quæ sufficiunt ad durissima corda emolliendа circa te nil possunt, quin potius in tuis vitiis perireduis. Pessimum est hoc signum, & habes, quod postremum, & finale tuum peccatum jam sit commissum, quod mensura tua jam sit impleta, quod e numero reproborum sis. Quod si necdum sis in hoc statu, si aliqua adhuc in te sit bona voluntas, sequere consilium Spiritus Sancti.

XIV. *Tibi peccasti, non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Quod si ex fragilitate humana aliquod commiseris peccatum, ne fias obstinatus, nec resolvas quod velis manere in illo statu per integras septimanas, vel menses, ne dicatur ad de te, quod dicebatur de Filiis Jacob; *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Obstinatio in peccatis est vigilia damnationis. *Non adjicias* impudentiam, & temeritatem, nec glorieris de tuis peccatis, humilia te, & erubesce, capite incede depresso, cor confige dolore, & amaritudine, ne de te dici possit. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate, propterea* Deus *destruet te.* Deus confudit humiliat, conculcat, & annihilat superbos, & maxima superbia, pessima arrogantia est gloriari de peccatis. Si Deum offendisti ex fragilitate per tuam carnem, placa eum humilitando tuum Spiritum.

Non adjicias peccata per assiduitatem peccandi, ne dum vulnus tuum callo obducitur, per consuetudinem fiat incurabile. *Vulneri vetusto, & neglecto callum obducitur.*

Non adjicias insensibilitatem, sed apphrehende jacturam, quam fecisti certò scias nullum esse gravius malum offensâ Dei, & melius tibi fuisset frangere crus, vel brachium quam peccare.

Non abjicias iterum, nec unicum peccatum, quia si iterum pecces, & cadas, forsan hic casus tuæ damnationi principium dabit & salutem vacillare faciet & potest esse, quod ob ultimum tuum peccatum Deus te indurare permiserit; & quod primum quod committes tuam complebit mensuram. *Sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Sed Deum roga, ut si ob peccata tua commissa resolverit te deserere; hæc resolutio non sit captio, sed sententiam, quæ faciat

 ut mu-

ut mutes, tuam vitam, adhoc ut ille suam sententiam mutet. *Novit Dominus*, inquit Ambrosius, *mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Rogat ut condonet præterita, ut præservet à futuris, ut hic det tibi suam gratiam, & in futuro gloriam Amen.

SERMO DECIMUS OCTAVUS

Pro Dominica quarta Quadragesimæ.

De poenitentia quatenus est Sacramentum.

Abiit Iesus transmare Galilææ, quod est Tyberiadis Lucæ 6.

EXORDIUM.

CErtissimũ omnino est, quod omnis Christi actio, sit nostra instructio, Hinc Evangelista notat quod sub levarit oculos, ita ut in Evangelio scire possumus, quoties oculos sublevarit. Quod cum ita sit, etiam putare non debemus, quod Christus antequam tot millia in deserto pasceret pri⁹ mare Tyberiadis transfretarit, quia per illum pastum, ceu refectionem intelligitur sacra Eucharistia, per illam verò transfretationem significatur confessio. Ecclesia ergò hodie illud Evangelium nobis proponit, in quo Christus prius transfretasse dicitur mare Tyberiadis, antequam populum, ceu turbam in deserto cibaret, ac pasceret, ut dum brevi instat communio paschatis, nos doceamur prius nobis esse transfretandum mare poenitentiæ, quam attendamus ad communionem paschalem, & pastum in deserto. Vt ergò ritè hoc mare transfretare possimus, ostendam hodie cum Auctore, quænam sint partes Sacramenti confessionis. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis Ioann. 20.*

I. HVcusque egimus de poenitentia, quatenus est virtus; hæc virtus porrò adeo Deo est grata, ut eam instituerit esse materiam Sacramenti poenitentiæ, adhoc ut certò, & infallibiliter suam gratiam nobis daret. Hoc Sacramentum componitur ex tribus partibus, uti scitis, nempe contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis. Hodie simul, & in communi de his omnibus partibus agemus; sequentibus porrò diebus Deo adjuvante de qualibet tractabimus in particulari. O sacertima Virgo, quando Ecclesia in suis publicis precibus te vocat refugium peccatorum illa in veritate intelligenda est de omnibus peccatoribus, at enim

enim particulariter te invocat pro peccatoribus poenitentibus quò volunt converti, & velut tui amici tibi dicunt. *Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconsilia, tuo Filio nos commenda tuo Filio nos repræsenta*; velut pauperculos servos, qui ad tuos pedes prostrati tibi cum Angelo dicunt: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Hoc Sacramentum meritò habet nos partes, & circa singulas tria monita dantur.

II. T*Res sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum, Spiritus Sanctus.* Peccatum offendit tres Divinas Personas, Pattem, Filium, & *Spiritum Sanctum*, nam audacter, & irreverenter contemnit totam Sanctissimam, justissimam, adorandam, & amabilem veritatem. Impugnat earum tres principales, & celebriores perfectiones. Est debilitas contra potentiam *Patris*, ignorantia contra sapientiam Filii, malitia contra bonitatem Spiritus Sancti. Est ingratitudo cõtra naturalis, & monstruosa contra beneficia inæstimabilia omnium Divinarum personarum, contra creationem, Redemptionem, satisfactionem. Peccatum malè impendit, & prophanat tria dona Dei, animã, corpus, & bona exteriora. Tres nos solicitant inimici, Diabolus, mundus, caro. Nos cadimus per tres gradus, per suggestonem, delectationem, consensum, tribus peccatum perficitur modis, cogitatione, verbo, opere. Nos allicimur per prætensionem trium escarum, honoris, lucri, & voluptatis.

Peccatum patratur contra tria objecta, puta Deum, proximum, nos ipsos. Consumit, & perdit tres potentias nostræ animæ. Offuscat intellectum, maculat memoriam, pervertit voluntatem. Tribus bonis nos spoliat, Spiritualibus, temporalibus, æternis. In nos, & Rempublicam trahit tria flagella Dei, pestem, famem, & bellum. Merito igitur deletur per tres actus, per contritionem cordis, per confessionem oris, per satisfactionem operis. Hi tres actus sunt tres lanceæ, quibus crudelis parricida transfodiendus, & occidendus est, uti dicebat Joab ad Absalom. Sunt tria asyla, ad quod velut urbes refugii debent confugere omnes homicidæ, & rei, sunt tres dies, quos impendere debemus, antequam Deo cum Moyse sacrificemus; & antequam comedamus panes Benedictos, & multiplicatos per Filium Dei cum populo, qui eum in deserto sequebatur; antequam cum exploratoribus Israelitarum exscindamus Jericho, antequam cum generosa Judith Holophernem occidamus,

2. Regum. 18. Deut. 4. Exod. Matt. 5. Marci 8 Iosue 2. Iudith. 11. 1. Ioann. 1. v. 8.

Hi tres actus juxta Divinũ Joannis testimonium dant veræ conversionis. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* Spiritus amaræ Compunctionis, aqua confessionis dolorosæ, sanguis laboriosæ Satisfactionis. Verbo; sunt tres principales partes poenitentiæ toties repetitæ, & malè practicatæ. Tria porrò monita circa quamcunque ego vobis dare decrevi, & ut melius dicenda capiatis, ego non adducam quæstiones, quasmovens

vent Theologi hujus ævi, solum ea proponam, quæ ab omnibus Doctoribus sine ulla controversia recipiuntur, & admittuntur, & quæ clarè ex scriptura, & conciliis deducuntur.

PUNCTUM PRIMUM

Monita de contritione, primum est de necessitate medii, ut probatur primo scriptura, secundo conciliis, tertio ratione, quarto intructione secundo debet esse supernaturalis. Tertio sola attritione sine absolutione non justificat.

IV. PRimo itaque indubitatum, & certum est, quod poenitentia post peccatum sit absolute necessaria ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam Dei. Sine illa nulla est spes salutis. Illa confessio, satisfactio, quam facis, illa absolutio quæ tibi datur, indulgentia quas lucraris, Sacramenta, quæ suscipis, nil tibi prosunt, si reipsâ, & in effectu careas hac poenitentiâ, esto hoc fiat sine culpa, & tu putes te contritionem habere. Absolutio sine illa est inefficax, & non minus eam præ requirit, quam baptismus. nam adultus, qui est in peccato mortali, ut fructuose recipiat baptismum, debet elicere actum contritionis, ut ex scriptura constat. Postquam Sanctus Petrus efficacem habuisset concionem, & Auditores ejus valde fuissent compuncti, interrogarunt, quid eos agere oporteret, ut veniam peccatorum reciperent, qui respondit, quod poenitere deberent, & suscipere baptismum. Similiter Filius Dei apud Divum Marcum invitans populum ad fidem, & baptismum dixit, poenitemini, & credite Evangelio. Concilium insuper Tridentinum postquam definivisset poenitentiam; addit, *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

Act. 2. & 3 Marci 1.

Et hoc adeo verum est, ut Theologi concludant, quod Martyr, aut is, qui pro fide Christi suum sanguinem fundit, si sit in statu peccati mortalis obligetur elicere actum formalem, & explicitum contritionis, & defectu ejus Martyrium inane futurum. Vnde à fortiori consequitur, quod actus formalis contritionis sit absolutè necessarius, quando quis vult absolui, eò quod concilia definiant actus pœnitentis, quorum primus, & quidem principalior, & magis essentialis est contritio, esse materiam hujus Sacramenti, nec enim compositum fieri nequit sine materia, & forma.

Sess. 14. Cap. 4.

V. Nec aliquis ædificium extruere potest sine lapidibus, & lignis, nisi quis ligna, & lapides habeat, unde nec Sacramentum poenitentiæ stare potest, sine contritione, cum contritio sit materia; unde consequitur eos graviter peccare, qui confitentur ex consuetudine, absque eo quod actum contritionis eliciant, & hoc esto solum confiteantur peccata venialia. An non graviter is peccaret, qui baptizaret in vino, aut administraret Sacramentum Extremæ unctionis in cerevisia? Quis hoc trahat in dubium? Et quænam est hujus rei caussa? Quia Sacramentum redderet nullum, & invalidum, cum non adhiberet debitam materiam, eo quod materia baptismi sit aqua, & non vinum,

Suarez tom. 3. in 3 partem disp. 19. Sect. 1. & tom. 4. disp. 9. Sect. 7.

materia extremæ unctionis oleum, & non cereviſia. Vnde & is, qui confitetur, & abſolutionem recipit ſine contritione, quamvis integrè confiteatur, & ſola peccata venialia, graviter peccat, quia redderet Sacramentum mutilum, inane, & nullum. Porrò advertere debes, contritionem hanc ut ſit valida debere præcedere abſolutionem.

Bene me intelligas, quia ſi poſt abſolutionem prius vivaciſſimum eliceres dolorem, & contritionem, hæc contritio quidem futura eſſet bona, utilis, ſalutaris, ſed nil faceret ad Sacramentum, quod recepiſti, quia ſi non elicias contritionem ante abſolutionem, vel in illo inſtanti, quo datur abſolutio; hæc eſt nulla, nec juſtificationem obtines. Ego non dico paulo ante abſolutionem, ſed ſimpliciter ante abſolutionem, quia non eſt neceſſe, quod eliciatur immediate ante abſolutionem, ſatis eſt ſi eliciatur poſtquam peccaſti: Immò ſi uno, vel altero die inſtituas examen ante confeſſionem, & doleas quod Deum offenderis, confeſſio erit bona, quamvis confitendo nullum actualiter eliceres dolorem, vel contritionem; ſed ſolum tua peccata fatereris.

VI. Secundo docet Sanctum Concilium contritionem imperfectam, quam vocamus attritionem debere eſſe ſupernaturalem, adhoc ut nos reddat capaces abſolutionis, & hinc debet eſſe *Donum Dei, ac Spiritus Sancti impulſus, non quidem inhabitantis, ſed moventis.* Et hic praxis obſervanda eſt maximi momenti, & quidem contraria ei, quam tu practicas. Tu maximam, & omnem vim ponis in inſtituendo examine conſcientiæ, & revocandis peccatis in memoriam, bonum quidem hoc eſt, & neceſſarium, ſed non eſt id, quod maximè exigitur, quia ſi non ſit omnino exactum, aliquis ſolers confeſſarius, qui agnoſcit ſuam obligationem, poteſt te interrogando, & examinando, illum defectum ſupplere. At ſi non habeas contritionem, nec ullus Doctor Theologiæ, nec ullus pater Spiritualis tibi illam dare poſſunt; quia hoc donum à ſolo Deo venit, & multum temporis, induſtriæ, affectus, fervoris impendendum eſt, ut illud flagitemus.

VII. Tertio idem Concilium eodem, capite hæc tradit. *Attritio* non obſtante, quod ſit Donum Dei, & motio Spiritus Sancti *Sine Sacramento pœnitentia per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequit.* Quod ſi te obruat articulus mortis, & ſis in ſtatu peccati mortalis, benefacis, quod advoces confeſſarium, quod adhibeas omnem diligentiam, ut attritionem elicias, attamen ſi illam reipsâ non habeas, nec abſolvaris, & ita moriaris, damnaberis, nec hoc in dubium poteſt trahi, cum ſit articulus fidei, & res certa apud Theologos.

At enim verò, dices, Deus neminem obligat ad impoſſibile, quomodo ergo poſſim damnari defectu abſolutionis, quandoquidem illa non ſit in mea poteſtate, & ego totum fecerim, quod potui? Ego autem reſpondeo, te non damnari ob aliquod peccatum, quod commiſiſti privando te abſolutione, quia in hoc non deliquiſti, ſed damnaberis ob peccata præterita, quæ ob omiſſionem remedii neceſſarii, quale eſt

contritio perfecta, vel imperfecta cum Sacramento tibi condonata non sunt. Nec id tibi mirum videatur, cum certum sit infantes, qui defunguntur sine baptismo, absque eorum, vel parentum, aut alterius cujuscunque culpâ non salvari, idque ob peccatum originale, quod solum per baptismum deletur. Et hanc doctrinam non solum tradit Concilium Tridentinum, Et Ecclesia moderna, sed & ita crediderunt fideles in primitiva Ecclesia; nam dum quidam bonus Episcopus nomine Honoratus, residentiam suam deserere vellet, ut difficultates obsidionis effugeret, & carcerem, quem ei obsessores minati erant, & in hunc finem consuluisset Sanctum Augustinum, num tutâ conscientia id facere posset, Sanctus illi respondit, hac re abstineret, hanc rationem inter alias addens. *Si ministri desunt, quale exitium sequitur eos, qui de isto saeculo non regenerati exierunt, vel ligati? Qualis luctus eorum, qui eos in aeterna vita requie non habebunt?* Vbi notandum, Sanctum Augustinum dicere, *qualis luctus fidelium?* Ita ut non solum ita ipse crediderit, sed & omnes Catholici. Ex quo liquet, quod si sola attritio extra Sacramentum nos posset justificare, Christiani illius temporis non fuissent anxii, ne fideles mori contingeret sine absolutione, & sancti Augustini argumentum fuisset frivolum, & vanum; quia Episcopus illi respondere potuisset. Illi, qui moriuntur sine attritione vel erunt absoluti, vel non? si non, omnes absolutiones iis nil proderunt, si sic, salvabuntur. Nemo tamen fuit, qui taliter responderet, quia in Ecclesia tunc indubitatum fuit, attritionem extra Sacramentum non justificare. Interim Deo dante cras fusius de hac prima parte Sacramenti agemus. Nunc pergamus ad secundam.

Epist. 180.

PVNCTVM SECVNDVM.

Monita de confessione. Primum confitenda peccata interiora. Secundum peccata omissionis, tertium aliena.

VII. QVo ad secundam partem Sacramenti poenitentiae, omissis pluribus, quae alias proponemus, tria vos monere volo. Primum, ut operam detis, ad hoc ut confiteamini peccata interiora, inclinationes vestri cordis, secreta voluntatis, & affectus vitiosos, nam Deus intuetur fundum animae, & arcana cordis. *Pater tuus videt in abscondito.* Et sanctus Gregorius, *Deus pensat corda, non opera*; & hoc ideo, quia ubi peccata exteriora sunt pauca, interiora sunt multa. Tu ter, vel quater, immò saepius vendidisti tuas merces ultra pretium summum, vel vendidisti veteres, adulteratas, falsas pro novis, veris, & legitimis. Verum, dic paulisper, nonne habuisti voluntatem id faciendi, quoties venirent emptores simplices, & rudes? Tu tria, vel quatuor patrasti peccata exteriora, sed interna in magno numero. Vlterius interna voluntas quandoque facit, ut id quod ex se est peccatum veniale; fiat mortale. Ita verbi gratia furtum trium, vel quatuor obolorum fit peccatum grave, si adsit voluntas auferendi gravem qualitatem, si adesset; aut nisi timetes deprehendi, rursus voluntas interior facit, ut id, quod est actus virtuo-

Matt. 6.

virtuosus fiat peccatum veniale, ut si quis frequenter Ecclesiam ob vanam gloriam, si quis sit modestus in templo ut quis laudetur à superiore, dare largam eleemosynam alicui puellæ, ut quis ejus possit frui amplexibus. Iterum, ob eandem caussam opus meritorium potest fieri peccatum mortale; Sic enim largiri eleemosynam pauperi puellæ, viduam juvare in lite, ejus agere negotium, Sunt ex se actus misericordiæ, at si ob finem eliciantur graviter pravum, fiunt peccata mortalia. Dic ergo cum Davide. *Ab occultis meis munda me Domine.* Dic cum sancto Augustino *multum vereor occulta mea.*

VIII. Cave sis rursum, ne omittas peccata omissionis. Tu id non credis, sed tamen verum est, quod hoc genus peccati maximè tuam salutem impediat. Et quidem David vocat hæc peccata, negotiationem nocturnam Principis tenebrarum. Hæc sunt ejus lucrum, quæstus, & nundinatio lucrativa, & quidem primò, quia hoc modo illos lucratur, qui nulla alia habent peccata, secundo, quia sic allicit ad committenda plura peccata, tertiò, quia sic inducit, ut cæco modo usque in finem in iis perseverent. *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris.* Vis hoc videre in exemplo? Ille inquit; Viden paulisper quendam Ecclesiasticum, qui devotè recitat suas horas, qui quotidie celebrat, qui pravas execratur foeditates, quid efficiam, si eum pellicere velim in peccatum indevotionis, luxuriæ, ingluviei? Ille diu me fatigabit, ergo illi subministrabo campum in quo possit decerpere palmas, & lauros, tandem eum capere debeo, ego ad eum ablegabo Principem, qui eum eliget in suum confessarium, unum Præsidentem, Consiliarium, qui ei confitebuntur, ille omittet eos interrogare, rephrehendere, ille non denegabit eis absolutionem ob injustitias, vanitates, levitates, & iniqua facinora, quæ committunt, ille in omnibus iis condescendet. Hoc mihi inquit satis est, nil aliud volo, ad hoc ut eum perdam.

Psal. 30.

Viden Gubernatorem illius Vrbis, Prætorem, illum Consulem, illum Regentem, qui ex naturâ sua propendet in bonitatem, justitiam, & æquitatem. Quod si illum velim allicere ad quandam actionem pravam, ille cum horrore eam repudiabit, ego ei adulari debeo eumque laudare ob bonam famam, quã habet ob suam probitatem, & prudentiam naturalem, dum non est lusor, jurator, blasphemator, rixator, nulli injuriam irrogans, in id esse debeo, ut suæ obligationi in communitate, & familia sibi commissa non faciat satis, ne inhibeat Choreas, ludos alearum, comoedias, vectiones curruum, officinarum reserationem diebus festivis, ludos, & potationes tempore officii Divini, sicut deberet facere, si haberet zelum. Viden paulisper illam bonam viduam, mei juris esse debet, quomodo ergo eam tentabo? An lascivia, luxu vestium, denudatione mamillarum? Illa non inclinatur, nec propendet in detractiones, in murmurationes, est surdastra, hinc in id incumbere debeo, ne eleemosynas eroget, ne per opera misericordiæ peccata juventutis suæ redimat, ut solum aliquid jusculi donet pauperibus, vel aliquot obolos ad portam, & quia nullas proles habet, ut ex insatiabili ava-

ritia medietatem, vel tres partes census annui in bursa reponat.

Et quidem magnus est error, quod credamus has omissiones non esse peccaminosas, cum tamen nulla sit peccati species, quæ post se tot trahat peccata, quam peccata omissionis. Tu posses solvere creditoribus, mercatoribus, qui creditò tibi merces vendiderunt, tu posses satisfacere famulis, operariis, qui tibi laborarunt, verum dilatione solutionis, eos vexas contra eorum voluntatem. Tu non restituis hereditatem, quam malè acquisivisti, tu non restituis honorem illi puellæ, quam diffamasti, tu non reddis honorem illi viduæ, quam traduxisti. Doctores se torquent, ut numerum peccatorum assignent, quæ hisce committis. Ego non ausim id proferre, quod docet Lessius, & alii, quiâ nimis scrupulosum me proclamares. Theologi laxiores pro indubitato habent, quod toties pecces, quoties potes satisfacere, quoties vides tuos creditores, quoties illi tibi occurrunt, aut quoties hoc tibi in mentem venit.

Immò, quod pejus est, hæc non confiteris, ob hæc non angeris, nec super his te examinas, peccata commissionis, quæ patras verbis, vel opere sunt visibilia, & palpabilia, sunt sagittæ, quas ejaculamur de die. *A sagitta volante in die.* Has diligentius effugimus, quod si subinde iis sauciemur, plagæ non sunt tanti momenti. Verum peccata omissionis, quæ flocci pendimus, sunt insensibilia, & incognita, utpote negotiationes noctis.

XI. Idem dicendum est de peccatis alienis, quæ nobis ob cooperationem imputantur. Illa in confessione reticere non debemus, quin potius imitari Davidē. Ille postquā suam examinavit conscientiā mandā Dei, inveni quod omnia circa omnia observasset, idq; quā poenitētiam de suo peccato egisset quadam vanâ gloriâ tactus, se magno ob id præmio afficiendum dicebat. *Servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* At etenim, postquam à Deo esset illustratus, & à Spiritu Sancto motus, poenitens dixit. Quis penetret delicta mihi occultata? *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Quis agnoscat peccata aliena, ob quæ sum culpabilis ante Deum? Tot modis aliena peccata patrare possumus, quot modis propria, nempe cogitatione, verbo, opere, & omissione. *Delicta quis intelligit?* Quis penetret peccata aliena, quæ commitimus cogitatione? Tu nullam velles committere actionem inhonestam, qui nimmò nullam voluntariè cogitationem impuram, interim delectaris, si quis te amet, intueatur, & concupiscat. Filius Dei dicit in Evangelio: *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam*, illam jam moechatus est *in corde suo.* In quem locum sic ait Tertullianus: *Videre, & videre velle, ejusdem libidinis est. Delict. quis intelligit?* Quis possit comphrehendere peccata aliena, quæ patrasti per verba æquivoca, quæ adhibuisti, dum aliquid recenseres, quæ genuerunt, vel foverunt inimicitiam, per suasionem, quâ illi suasisti, ut litem alteri indiceret, vel indictam prosequeretur, quamvis injustè? *Delicta quis intelligit?* Quis penetret peccata aliena, quæ

Psal. 18.

Matt. 5.

quæ contraxisti operando? Tu pilam præbes, tu in bacchanalibus incipis illas maledictas dissolutiones, ac alias petulantias. Tu conclave das, ut in illo ducantur choreæ, tu nuncupas illud aulam, quamvis non amplius sit talis, quantumvis sit eversa, & ornata.

Sanctus Augustinus & Tertullianus vocant illud territorium Diaboli, nam Deo rationem redditurus es, de omnibus cogitationibus impuris, aspectibus lascivis, verbis dissolutis, complacentiis vanis, invidiis, Zelotypiis, detractionibus, dicteriis, sarcasmis, actionibus inhonestis, quæ fiunt. Reus es omnium jurgiorum, dissensionum, rixarum, duellorum, quorum est caussa. *Delicta quis intelligit?* Quis comphrehendat delicta aliena, quæ commisisti omissione? Tu familiæ tuæ non invigilas, non attendis quid faciat tuæ proles, pædagogi tuorum filiorum, instructices tuarum filiarum, tui famuli, & ancillæ in tua absentia non indagas, quas ædes frequentent, cum quibus conversentur quas ædes frequentent, an, & quas terant Ecclesias, & sacella dissita? Apud Deum innumerorum peccatorum reus eris, quæ tamen modo ignoras.

PVNCTVM TERTIVM.

Monita de satisfactione, primo eam obligare in conscientia, secundo imponendam convenienter, Tertio non eandem pro quibusvis peccatis.

X. Timeo ne vobis tædio sim, & ideo tres veritates satisfactionis contraho, & abbrevio. Primo itaque sciendum, errorem esse credere, quod confessarius nequeat vos obligare ad persoluendam satisfactionem impositam, secundo esse abusum, si exigua pro peccatis plurimis, iisque gravissimis imponatur, tertio, imprudentiam esse, si semper imponatur eadem, vel similis. An non vadis ad confessionem eo animo, ut tibi Deus peccata tua condonet per sacerdotem? Quod si hic non habeat potestatem te obligandi ad satisfactionem præstandam, etiam non habet vim te absolvendi, si nequeat te ligare, etiam nequit te ab solvere. Idem Salvator, qui dixit ad Apostolos, eorumque successores: *Quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cælis*, etiam dixit, *quodcunque ligaveritis super terram erit ligatum & in cælis*, unde idem dedit potestatem ligandi, & solvendi. Vnde Confessarius tenetur non tantum vobis imponere poenitentiam, sed & tenetur vobis imponere quantum est possibile, correspondentem, & proportionatam juxta numerum, & gravitatem peccatorum. Hinc declarat Concilium Tridentinum eum, qui per conniventiam, negligentiam, vel ignorantiam pro gravissimis criminibus imponit leves poenitentias, participem se reddere gravissimorum peccatorum poenitentis. *Ioann. 20. Trid. sess. 14. Cap. 8.*

Immò dum Pontifex concedit indulgentias, vel jubilæum, semper addit hanc condicionem in bulla, ut imponantur fidelibus poenitentiæ salutares, hoc est poenitentiæ, quæ reducant in viam salutis, quæ à relapsu præservent; ad exemplum Salvatoris, qui juxta Sanctum *Sess. 14. cap. 8.*

ctum Gregorium; *Contraria opposuit medicamenta peccatis.*

Magna itaque est simplicitas omnibus indifferenter ob peccata quantumvis diversa easdem imponere poenitentias, puta septem psalmos poenitentiales, unum Rosarium, sed imponendæ sunt poenitentiæ congruæ, quantum est possibile, juvenibus, & intemperantib⁹ jejunia, libidinoso macerationes carnis, avaris eleemosynæ, & sic de reliquis. Et poenitentes, qui sunt bene dispositi, quique habent sinceram voluntatem se emendandi, illi rogare debent confessarium, ut imponat poenitentias salutares, & medicinales.

CONCLUSIO.

Cavenda peccata futura, de præteritis vera poenitentia agenda, & à Deo petenda, utrumque comparationibus explicatur.

1. Ioann. 2. v. 1. XI. CONcludamus tandem verbis dilecti Discipuli, qui sic scripsit ad fideles. *Hæc scribo vobis, ut non peccetis.* Idem ego vobis dico. *Hæc dico vobis, ut non peccetis,* Cave sis, ne offendas Deum, quia pessimum hoc est malum, quod tibi potest obvenire. Quoties consentis in Peccatum mortale, periculo te exponis damnationis æternæ; quia absque confessione forsan morieris in illo statu. Tu tibi imaginaris, quod in hoc statu sis securus de tua salute, quia putas te occasionem habiturum veniam rogitandi antequam moriaris, Ast fallis teipsum, quia si non possis habere confessarium, debes elicere perfectam contritionem, quod est factu difficile, & rarum. Dein dato, quod habeas ad manus confessarium, ille nil tibi prodest sine attritione, quam ex te ipso non potes habere, verum ut eam habeas, Deus tibi debet donare auxilium gratuitum, & efficax, hoc autem tibi non donabit, quia id per tua peccata demeruisti, nec unicuique illud promisit, illud pluribus negavit, nec ulli dare tenetur. *Non enim* inquit Sanctus Augustinus *esset gratia ullo modo, si non esset gratuita omni modo.* Ne ergo pecces, si sapis.

XII. *Hæc dico vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit* ex fragilitate humanâ, fideliqueris, institue confessionem non larvatam, & coram Deo personatam, uti sæpe facis, quia hoc non est confiteri, sed Deo, & confessario illudere, recensere peccata sine vero dolore, & proposito se emendandi. Tu confiteris in paschate, quod jejunium violaveris præceptum, quod diebus laboraris festivis, quod pannum, & frustilla ejusdem tibi data, ut vestem ex iis consueres, retinueris, quod perjuria patraris, ut carius venderes; Dic sodes, an non Deo, & tuo confessario illudis? Quod si quadragesima inciperet octo diebus post pascha, si tibi rursus pannus detur, si non possis adeo carò vendere, redis ad vomitum. Vtinam id non esset, nonne verum est, quod sequenti anno, immò pluribus secuturis, semper redeas cum iisdem peccatis? An non concedas, quod tua confessio sit poenitentia falsa, & fucata? *Poenitentia est theatralis* inquit Sanctus Chrysostomus. Poenitentia larvata, & comoedia,

da, quæ fallit, & terrefacit infantes, non viros prudentes, & expertos.

Quod si intersis comoediæ videbis actorem quendam, qui videtur in pectore vulnus recipere, hinc velut mortuus decidit in theatrum, ibique instar trunci jacet. Pueri clamant, illum esse mortuum, & occisum. Tu verò contrarium bene scis, quod nempe non sit mortuus, sed solum id exhiberi, & repræsentari. Sed unde cognoscamus eum non esse occisum? Ex eò, quod sequenti die videamus eum ambulare per plateas æquè sanum, robustum, ac unquam alias, viden paulisper aliquem, qui poenitere videtur; Dolor vehemens ejus cor tangit, exterius verum poenitentem exhibet, frequentat Ecclesiam, sacerdotis genubus se adsternit, peccata confitetur, pectus tundit, idiotæ dicunt: mortuus est peccatis, & ritè conversus. Angeli tamen dicunt id non esse aliud, quam meras larvas, deceptiones, simulationes, falsitates adeo subtiles, & compositas, ut non solum alios decipiat, sed & seipsum. Verum unde hoc cognosces? Ex eò, quod post octo dies tantus sit perivus, adeo arrogans, indevotus, petulans, tantus detractor, quam unquam fuit ante. Et cur confitemur, si id non obtineamus, ob quod justituta est confessio, nempe veniam peccatorum? Nos veniam non obtinemus, nisi nostra confessio sit fidelis, sincera, vestita vera contritione, & emendatione vitæ. Nos poenitentiam ex nobis habere non possumus, sed eam à Deo per merita sui Filii flagitare debemus.

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem. Supposito, quod navis vestra in medio mari naufragium passa sit, nec aliquid inveniatis, quod arripere possitis, quod si nullum aliud sit medium, quô vitam salvare possitis, quam funis, quem tibi quidam nauta posset porrigere, quomodo non eum rogares? Quomodo non clamares, quâtâ instantia, fervore, affectu non rogares, ut funem illum tibi porrigeret? Tu naufragium tuæ salutis fecisti per peccatum, nulla est alia tabula, nullum aliud tibi est medium, quam vera poenitentia. Solus Deus tibi eam dare potest, & sæpe eam es demeritus. Ergone in negotio tuæ salutis adeo sis incurius, tuipsius hostis, ut eam nolis sæpe, humiliter, & ferventer postulare? Imitare Davidem, qui de seipso testatur. *Veni in altitudinem maris, tempestas demersit me, laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, erogando scilicet poenitentiam, & lacrymando ob peccata commissa) Eum inquam imitare, ora, plora, geme, & tibi, sicut ipsi dicetur: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Sacerdos tibi dicet, *Absoluo te*, & Filius Dei te certum reddidit, quod si veram poenitentiam egeris, sententiam, quæ in tui favorem hic pronuntiatur in cælo confirmandam, ac ratificandam Amen. *Psal. 68.*

SER-

SERMO DECIMUS NONUS

Pro Dominica Passionis

De Contritione

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioann. 8.

EXORDIUM.

INnocentissimus agnus Christus Jesus, priusquam seipsum esset immolaturus Deo Patri in ultima cœna in Sacramento Eucharistiæ, & immolandus in arã crucis, ut ostenderet non solum, quod ipse immolasset seipsũ, & non immolatus fuisset maculatus aliquo peccato, sed etiam ut nos, qui paucos post dies obligabimur ex præcepto Ecclesiæ ad confessionem, & communionem paschalem idem dicere possemus, hanc thesim Iudæis proposuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quum ergo ad communionem, & confessionem paucos infra dies accessuri simus, Deo, homini, propriæ conscientiæ proponamus hæc verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quod ut melius fiat, & nemo possit nos arguere alicujus peccati, quod non deletum sit per contritionem, conabimur illam elicere; ad hoc præstandum necessitas, natura contritionis, ejusque conditiones hac concione explicantur.

Scindite corda nostra. Joel. 2. v. 23.

I. Heri incepimus agere de poenitentia quatenus est Sacramentum, & consideravimus partes ex quibus componitur, contritionem nempè cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis. Et quia hoc solum fecimus in generali, & confuso, ideo de qualibet specialiter, & particulariter agere oportet. Porrò de primâ, puta contritione, ponderare possumus primo ejus necessitatem, secundo essentiam, tertio conditiones. Ego dico interim cum devoto Thoma à Kempis; *Malo sentire contritionem, quam scire ejus definitionem.* Eam itaque ô Virgo Sanctissima à Deo per tuam intercessionem flagitare debemus. Tu vocaris Maria, hoc est mare amarum, & hoc quia in Passione Filii tui, tua anima Sancta, fuit tota desolata, repleta amaritudine, non solum ob condolentiam, quâ compassa es doloribus tui boni amati, sed principaliter, quia nos peccatores conspexisti, qui fuerunt causa illius passionis.

Eia Mater fons amoris
Me sentire vim doloris
Fac ut tecum lugeam.

In hunc finem te saluto dicendo *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Sicut ad tumorem, ita ad peccati remedium tria requiruntur.

Isaia 1. Gen. 6. v. 12. Psal. 13. Psal. 5.

II. INter alias expresſiones, quibus Spiritus Sanctus in ſacra ſcriptura, vult nobis declarare naturam præternaturalẽ, & malignitatem peccati, illa mihi vivacior, & expreſſior videtur, quâ comparat peccatum tumori: *Vulnus, & livor* inquit apud Iſaiam, *& plaga tumens, non eſt circumligata, & fota oleo.* Tumor, vel apoſtema, ſeu vomica nil aliud eſt, quam corruptio carnis, & ſanguinis teterrimum ſpirans odorem. Similiter, peccatum eſt corruptio rationis, & virtutis in noſtra anima, Deo & Angelis haud tolerabilem foetorem exhalans. *Omnis caro corruperat viam ſuam. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Putruerunt, & corruptæ ſunt.* Omnes Chirurgi docent, & experientia hoc monſtrat quotidie, quod ad curandam vomicam, ceu vulnus tria ſint neceſſaria; nam primò debet turundâ, ceu ſpecillo, aut ſcalpro incidi, ſecundo debet pus extrahi, tertio oleum, vel unguenta applicari, & circumligari. Eodem modo, tres ſunt partes poenitentiæ, quas tam ſæpè exercemus quidem, ſed malè uſurpamus, contritio, quæ eſt inciſio turundæ, confeſſio, quæ eſt extractio puris, & tabis, ſatisfactio, quæ eſt applicatio olei, & lino ligaminum. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram.* Ego hodiè de prima, hoc eſt contritione agam, & oſtendam ejus neceſſitatem, deinde naturam, & tertio proprietates.

Gregor. l. 6 v. 5. in primum Regum 6. 15.

PVNCTVM PRIMVM.

Contritionis necesſitas probatur primo ſcripturâ, ſecundo Patribus, tertio ratione, quia eſt remedium maxime proprium, quod convenit omni peccato, ſoli, & ſemper.

III. SAnctus Petrus, volens perſuadere Judæis miraculum, quo claudo greſſus reſtituerat, dicebat non propria virtute, ſed in nomine Jeſu, quem illi crucifixerant, & Barabbæ poſtpoſuerant hoc miraculum fuiſſe patratum; & deinde intulit: *Poenitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Idem ego, & quidem à potiori dico. Vis Deo reconciliari, & redire ad viam ſalutis? Debes relinquere vias tuas pravas, tuos deſerere exceſſus, te convertere, & mutare; *convertimini.* Verum, ante omnia debemus poenitere, & deteſtari præterita. *Poenitemini.* Act. 3. 19.

IV. Sanctus Gregorius, qui in eadem cathedra ſedit, jubet ut eandem veritatem prædicem. *Admonendi ſunt, ne relaxatas æſtiment culpas; quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant.* Vt huic mandato paream, ego vobis ex parte hujus magni Sancti Doctoris ſignifico, veſtra crimina non deleri per hoc, quod à patratione eorum ceſſetis, ſed quando ea aquâ ſalutari lacrymarum dilvitis. Et Sanctus Auguſtinus. *Exceptis parvulis, nemo incipit eſſe, quod non erat, niſi eum poeniteat fuiſſe*

3. p. Paſtor c. 31.

fuisse,quod erat. Et hinc dicit Chrysostomus, quod recordatio peccatorum sit Divinum Pharmacum, proprium,& potentissimum remedium ad delenda peccata; & nos ab iis liberandos recordatio non talis qualis,sed recordatio dolorosa,affligens, trahens secum moestitiam, & amaritudinem cordis. *Nullum invenitur peccatorũ tale remedium, sicut continua eorum memoria.* Talem recordationem habuit Sanctus Rex Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Dixi remedium valde congruum, & proprium, quia convenit omni, soli, & semper peccato.

Hom. ultima ex 100

Hom. 1. ad Heb. Isaia 38.

D. Thom. 3. P. quæst. 83. art. 1.

V. Hic dolor de quolibet peccato mortali adeo simpliciter est necessarius, ita ut nullus fuerit, vel futurus sit, qui vel remissionem unius solum obtinuerit sine poenitentia actuali, vel virtuali. Disputant quidem Theologi, an id possit fieri de potentiâ absolutâ, sed nullus dubitat de poenitentia ordinaria; & omnes pro indubitato habent Deum id nunquam fecisse, vel facturum. Viden quanti momenti hoc punctum sit. Da mihi pessimos peccatores, prædonem, homicidam, veneficum, hæreticum, impium Atheum. Si dicas hunc decessisse non sumpto viatico, attamen propter hoc non damnabo eum. Si dicas eum obiisse sine absolutione, & satisfactione, nec tamen ideo ad hunc proclamabo damnatum. Sed cur? quia nemo scit, in qua dispositione interiori sit mortuus. Quis enim scit, an non Deus paulò ante mortem illi dederit contritionem adeo intensam, vivam, ferventem, perfectam, heroicam, per quam obtinuerit veniam. Deus id potest facere, & quandoque id facit, quamvis rarò.

E contra; Da mihi hominem, qui vixerit instar Angeli, velut Sanctus Ioannes Baptista, & hoc usque ad annum ætatis vigesimum quartum. Quod si dicas eum in fine vitæ peccasse mortaliter, & impoenitentem defunctum esse, ego audacter eum pronuntiabo damnatum. Dices eum recepisse extremam vnctionem, ego repeto, & dico quod sit damnatus. Sit confessus, sumpserit evcharistiam, ab ipsomet Papa sit absolutus, concessæ ipsi sint indulgentiæ, jubilæum plenissimum, dicam eum adhuc damnatum. Ast enim verò dices, eum non scivisse, quod poenitentia sit necessaria, nullus eum hoc docuit, nil refert; Si actum contritionis non elicuerit, damnatus est. Sed quid, si conatus fuerit elicere contritionem, illa tamen casu non fuerit vera, Legitima, supernaturalis? Damnatus est.

Et hæc adeo vera sunt, ut nisi hoc credam, ipsemet defectu fidei damnandus sim. Sed quid nos scimus? Nonne Deus eum forsan sine poenitentia salvasset? Nunquam id fecit, nunquam id de potentia ordinaria facere potest. Reverende Pater, audacter loqueris. Ita est, quia cum ipso loquor. *Nisi poenitentiam egeritis omnes, peribitis.*

VI. Ratio porrò fundamentalis hæc est, sicut peccator per peccatum se avertit à Deo, & per consensum, ac actum formalem, & expressum voluntatis liberi arbitrii convertitur ad creaturas, ita ut quis liberetur à peccato, debet se avertere à creaturis, & ad Deum & per actum formalem, & expressum liberi arbitrii, &

consensum voluntatis converti. Da mihi feminam gravidam, quæ jam per quindecim dies ardentissimè expetivit martyrium, si hodie contingat eam peccatum patrare mortale, & nocte sine actu contritionis elicito quieti se det, quamvis dormiens ob fidem catholicam occidatur, attamen non erit martyr, sed damnabitur, quamvis prolem, quam utero fert salvetur; quænam est caussa, quod mater damnetur, proles verò salvetur? En illam, infans contraxit peccatum originale, non per propriam voluntatem, sed per voluntatem primi parentis, & ideo potest salvari, & liberari per voluntatem, & merita Salvatoris, quæ ei applicata sunt per baptismum aquæ, vel sanguinis. Verum Mater per propriam peccavit voluntatem, ideo ab illo peccato mortali nonnisi per dolorem, & contritionem à propria voluntate elicitam liberari potest.

Quoad peccatum veniale, contritio est adeo necessaria ad obtinendam veniam illius per absolutionem sacerdotalem, ut si post tuam ultimam confessionem, non habeas nisi peccata venialia satius, & melius sit, quod communices non præmissa confessione, & hoc quamvis à medio anno non sis confessus, quam quod non confitearis sine contritione. Bene me velim capias, quia nil dico, quod non omnes Doctores, qui fundum Theologiæ penetrant, sanguine non confirment. Quando confiteris peccata mortalia tantum, debes de omnibus nullo excepto dolere; quia si in corde tuo lateat aliquis voluntarius affectus voluntatis erga unum peccatum mortale, quamvis parvum videatur, nihil facis, sed manes in statu peccati mortalis, in statu disgratiæ. Quod si habeas tantum peccata venialia, non quidem teneris dolere de omnibus, sed tamen obligaris dolorem elicere de uno, quia si hoc non facias sacramentum est nullum, & confessio inutilis. Et sanè hoc devotioribus sæpe evenit, dum confitentur obiter, ex consuetudine, sine voluntate se emendandi. Et ideo consilium salutare, & dignum, quod redigatur ad praxin est, quod quando sola peccata habes venialia, de quibus tam faciliter dolere non potes, adjungas in fine confessionis aliquod peccatum grave in tua ante actâ vita patratum, de quo magis doles. Verbi Gratia dicte ante hac pejerasse, proximo detraxisse, & hoc ut certam materiam ponas. Et hoc casu absolutiò cadet super illa peccata, de quibus doles, & non super venialia, quæ nullo modo detestaris. Et hæc est caussa, cur in Missali, & Breviario, non dicamus, *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum*, sed solum *peccatorum*; quia contingere potest, & sæpe contingit, quod non doleamus de omnibus peccatis venialibus, nec veniam oportet rogare illorum peccatorum à Deo, de quibus non dolemus, quia illam nunquam donabit.

VII. Et in hoc debemus admirari sapientiam, & suavitatem providentiæ, Divinæ. Nil inutilius est tristitiâ, cum nulli omnino prosit, & tamen Dei providentia est tanta, ut eam adhibeat ad destruendum, & annihilandum maximum malum, quod est in mundo, puta peccatum, et ad acquirendum, & producendum maximum bonum, quod est

gratia Dei. Mors sustulit tuam prolem, parentem, maritum, affligas te usque ad mortem, an eum resuscitare possis? Nequaquam. Causâ cecidisti, in morbum es prolapsus, lacrymeris quam diu velis, nunquam malum illud emendabis. Tristitia ad nil aliud vate, quam destruendum peccatum, stultitia est ob aliam rem dolere, ad hoc autem malum tollendum semper est, & fuit tristitia necessaria. Ita declarat Concilium Tridentinum hisce verbis; *Fuit autem*
Sess. 14. c. 4 *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorũ, hic contritionis motus necessarius.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Contritionis essentia, nempe quod sit dolor de peccato, quod probatur primo scripturâ, secundo Patribus, tertio ratione.

VIII. HUcusque luculenter ostendimus necessitatem poeni-
Joel. 4. v. 5. tentiæ, & quanta cura adhibenda sit, ut
Act. 2. v. illam scitè exerceamus, & petamus à
37, Psal. Deo, antequam confiteamur. Ex titu-
146. lis, quos ei dat scriptura, ejus essentiam colligimus. Vocatur compunctio, contritio; *In cubilibus vestris compungimini, sanat contritos corde.* Compunctio dicitur, quia pungit, est cuspis urundæ, quæ apostema exscindit. Contritio porrò derivatur à verbo *contero*, quod idem est, ac frango, comminuo, contundo, quod non fit sine dolore. *Scindite corda vestra.*

IX. Nec sanè satis est, quod hæc voce, vel animo proferamus, dicendo, mi Deus, doleo, quod te offenderim, poenitet me, quod peccaverim, & hoc ideo, quia id tibi displicet, sed præterea reipsâ debet affligi laborare, & præter dolorem habere cor occisum, ac à dolore sauciatum. Hinc Sanctus Augustinus: *Quod delectavit in opere, cruciet in mente.* Et Gregorius; *Contraria opposuit medicamenta peccatis.* Sicut ante voluptatem hausisti, dum tuis passionibus, & propriæ voluntati succubuisti, ita nunc ob hoc dolere, & affligere te debes. Interim scio, quod scias odium, timorem, dolorem non esse primas passiones animæ, nec primas affectiones cordis humani; supponunt namque amorem, ejusque sunt effectus, surculi, propago, soboles, ejusdemque cum illo genii. Nullum malum odimus, timemus, ob nullum dolemus, nisi quia advertsatur objecto, quod nos amamus. Tu doles ob mortem tui mariti, & non ob mortem tui inimici, quia amas amicum, & non inimicum. Ergo non possumus detestari nostra peccata nisi ex amore proprio, vel amore Dei. Quod si doleamus de peccatis ex amore nostri, jam dolemus ob motivum naturale, adeoque hæc poenitentia est imperfecta, vilissima, & nullius momenti, nec per eam convertimur ad Deum, sed ad nos. Aliter in re tanti momenti, à quâ nostra dependet æternitas, nos gerere debemus. Prudenter itaque facimus, si ferventer à Deo contritionem postulem⁹, & conemur elicere contritionem perfectam, quam possumus, aut ad minus illam studeamus habere quæ omnes illas habet qualitates, & proprietates, quæ requiruntur ad hoc, ut aliqua poenitentia sit utilis, & necessaria.

X. Tertullianus eleganti discursu nobis declarat, ex quibus signis possim⁹ cognoscere, & veram poenitentiam à

falsa

falsa distinguere. Et quidem sic inquit. *Hoc pretio veniam Dominus addicere instituit. Si ergo, qui venditant nummum prius quam paciscuntur examinant, ne scalptus, ne rasus, ne adulter sit, etiam Dominum poenitentiæ probationem prius inire credimus, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ concessurum.* Hæc sententia mihi in memoriam id quod hisce dieb9 mihi evenit. Dum cũ nonnullis amicis in mediâ plateâ paulisper confabulari deberem, audivi, quod quædam parvula puella, quæ in officina quadam exiguum quid pro uno, vel altero solido vendebat, dum solutio ipsi daretur, cunctabatur monetam admittere, allegans eam esse adulterinam. Verum, dum urgeretur, advocavit matrem, ut probaret num moneta proba esset. Mecum hæc audiens, sic tacitus discurri. En quam apposite illa parvula puella tibi tuam lectionem prælegit, sanè non multum saperem, nisi cautior factus, exemplo hujus filiæ fierem. Illa timet & angitur, ne decipiatur in re parvi momenti, quomodo ergo ego non sim anxius, & solicitus, ne falsam, & naturalem pœnitentiam admittam pro bona? Quod si illam contingeret defraudari, non faceret jacturam, nisi forsan quinque solidorum, at si ego circumueniar, ludo Regnum Cælorum, gloriam paradisi.

Trid. c. 6. de poenit.

Illa matrem advocat in suum subsidium, an ergo ego non invocem Sanctam Virginem? Illa semel, vel bis vocat suam matrem, ego autem millenis, & millenis vicibus Deiparam invocare deberem, quia ibi agebatur de quinque solidis, hic autem agitur de Regno cælorum. Et cum paradisus longè antecellat unum solidum, ego ferventius, & solidius Salvatorem meũ, & Virginem invocare deberem. Tu contentaris lacrymula, quam sparsisti ex teneritudine, dum consideras te peccasse, tu contentaris exiguo dolore, qui tuum cor emollit. Quod si coram Deo, hæc tua poenitentia fuerit falsa, & naturalis, quid de te erit? Agitur de tua salutẽ, & de nullo alio. Tria principaliter faciunt ne moneta in venditionibus æstimetur, & recipiatur, sed repudietur, & ad officinam monetariam deferatur, primo, si sit adulterina, secundo si non sit signata cuneo principis, vel ejus imagine, aut insigniis notata, tertiò, si sit notabiliter accisa, adeoque injusti ponderis.

XI Idem omninò defectus contingunt in nostra poenitentia, ita ut coram Deo rejiciatur, sed in ærario Divino repudietur veluti injusti ponderis, idque ob tres allegatas caussas. Prima, si sit adulterina, ficta, apparens, & falsa; cum enim operatio sit idea, & surculus ipsius esse, id quod non habet verum esse, nequit habere veram operationem. Homo pictus non est simpliciter homo, quia nullas exercet actiones humanas, non ambulat, non videt, non loquitur, quin immò nec minimam elicit actionem, quam eliciunt homines veri. Falsa pœnitentia nullatenus est activa, nec ullum opus bonum producit, byssinis contenta est verbis, aureos promittit montes in fine vitæ; at vera poenitentia manum applicat aratro, illa nos adhibet dextrè ad reformationem nostræ vitæ, & exercitium solidarum virtutum, illa non dicit, ego faciam, sed ego facio.

2. Mach. Cap. 9.

Antiochus, & nanus Zachæus apparenter quidem æqualiter, & eodem mo-

do poenituisse videntur, sed tamen reipsâ non ita pœnituerunt. Prior poenituit quidem, sed apparenter, simulatè, & fictè, adulteratè, ejus pœnitentia fuit injusti ponderis, quia solis fucatis verbis, & coeremoniis contentus fuit, dicendo faciam, cum tamen postea nil fecerit. Quid quæso non dixit? Si Deus me juvet, si sanitati me restituat, ego fidem ejus amplectar, ego quidquid surripui ex ejus templo, restituam. Ego per totum mundum ejus majestatem, & clementiam deprædicabo. Zacchæus e contra, uti legimus apud Divum Lucam verè poenituit, nec dixit ego faciam, sed ego facio. *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Nequaquam dixit, ego reddam, ego restituam, sed reddo, restituo incunctanter. Et sicut dispositio utriusque fuit diversa, ita effectus habuerunt dissimillimos. De Antiocho hæc narrat Spiritus Sanctus: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus.* De Zacchæo verò, ejusque domo Filius Dei dixit. *Hodie huic domui salus à Deo facta est.*

Cap. 19.

Porrò ex his non obscurè deducitur tunc te habere veram pœnitentiam, quando incipis elicere actiones virtuosas, & laudabiles, quando non solum sistis in his verbis, ut dicas Confessario, Reverende Pater ego restituam, ego inimicis condonabo, ego illâ pellice me expediam, ego domo illâ exibo, ego libros illos obscoenos Vulcano tradam; nam si cum Antiocho solum melle ades verba, si solum bona opera promittas, nec aliquid præstes, si non vites occasionem, dum illam potes vitare, tua pœnitentia erit falsa, apparens, & adulterina. *In imagine pertransit homo.* Est solum imago, & simulachrum veræ pœnitentiæ, non est pœnitentia probata, & sincera, sed solum sunt lacrymæ naturales, devotio sensibilis, & doloris appreensio.

XII. Secundo, moneta nullius est valoris, sed defertur ad officinam monetariam, si non sit insignita imagine, Principis; & ita similiter attritio non est accepta Deo, nisi ejus cuneo signata sit, & ejus Characteribus insignita. Adulterina est, quando non est supernaturalis, quando non procedit ex gratia Dei, sed potius oritur ex amore proprio, ex timore humano, & naturali, quo metuimus puniri ab illis, qui nobis leges imponunt. Concilium Tridentinum uti vidimus supra sic definiendo pronuntiat: *Si quis dixerit* sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia concedatur, anathema sit. Trid. Sess. 6. cap. 3.

Sess. 14. c. 4. & Sess. 6

Attritio elicita quidem per speciale aliquod auxilium supernaturale; ex motivo tamen naturali, Verbi gratia, ex amore Dei, vt est Authōr naturæ, vel ob beneficia ordinis purè naturalis, ab eo accepta non videtur sufficiens juncta Sacramento poenitentiæ ad remissionem peccatorum. Et infra. *Nec obstat quod illa attritio eliciatur ex speciali auxilio gratiæ prævenientis, quia gratia præveniens est extrinseca entitati attritionis: Vnde cum unumquodque sit duntaxat tale intrinsecè per id quod est ei intrinsecum auxilium, illud gratiæ excitantis non potest dare intrinsecam supernatura-*

natura-

naturalitatem entitati attritionis. Isamber Professor Sorbonicus tom. 3. disp. 14. in tertiam partem. art. 3.

In antiquo præterea testamento hujusce rei illustre specimen habemus in duobus Regibus Saul, & David æqualiter electi, ut à Deo in Reges consecrati fuere, uterque convenienter ad leges Divinas fuit confirmatus, uterque à Propheta monitus, & reprehensus; uterque æqualem visus est facere pœnitentiam, uterque suum errorem agnovit, & pœnitentiam fecit, dicendo *peccavi*; & tamen responsum valde diversum tulerunt; Saul Deo inobediens fuit, uti videtur in re parvi momenti, ille vitam donavit Regi in servitutem abstracto, & in deprædatione urbis nonnulla reservavit contra jussionem Dei. Dum à Propheta hujusce inobedientiæ admoneretur, ille suum errorem agnovit, ille se humiliavit, & bis dixit, *Peccavi Domino.* At enim hoc tulit responsi. *Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus.*

1. Regum 15.

v. 2. 9. & 30.

David e contra patravit adulterium, homicidium, & traditionem, ac ita graviter deliquit, vates Nathan eum admonuit, & statim *Peccavi.* Audivit porrò à Propheta sibi dici; *Dominus transtulit peccatum tuum.* Ex his vides quomodo duo, qui similem videbantur pœnitentiam, duo valde inæqualia tulerint responsa, Scitis hujus rei caussam? Deus penetrat interiora, & Spiritum hominis comprehendit, ille non æstimat verba, sed cor. Saul quidem dixit, *peccavi*, Saul quidem doluit de peccatis, sed dolor ejus fuit merè naturalis, ille doluit ob motivum purè temporale, quia verebatur, ne excuteretur e solio, adeoque solum suum honorem, & fortunam spectavit. *Honora me coram senioribus.*

2. Regum 12. v. 15.

1. Regum 15. v. 30.

E contra David contritionem elicuit ex motivo supernaturali motus à Spiritu Sancto, quia ingratus Divinis beneficiis fuerat. Sanctus Augustinus observat, quod psalmo quinquagesimo dicat: *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* Ille non dixit dona mihi illum, qui per pœnitentiam suam jam illum habebat. Ex quo liquet, quod hi duo pœnitentes effectus habuerint omninò contrarios, quia unus fuit reprobatus, & alter obtinuit veniam. Poenitentia unius fuit soboles naturæ, & amoris proprii, pœnitentia alterius fuit effectus amoris proprii, & gratiæ prævenientis.

Et sanè sæpe contingit, quod si moneta valde accisa, non acceptatur apud homines, ita quoque attritio non valet apud Deum, quando est accisa, mutila, & imperfecta. Et hoc fit, quando non versatur, seu ut melius dicam, non detestatur virtualiter omnia peccata. Theologi docent contritionem differre ab attritione & quidem in hoc, quod contritio sit perfectior, generalior, & universalior, quod versetur circa omnia omninò peccata mortalia, ita ut nisi virtualiter detestetur omnia, impossibile sit, quod sit vera contritio, cū illa unum peccatum mortale tantum detestari nō possit; Si enim doleam, quod furatus sim, quia furtum displicet Deo, quem super omnia diligo; consequenter doleo quod occiderim, quod adulteratus sim, quia hæc equidem displicent Deo. At enim motivum attritionis non est adeo universalis, sed est magis particularis, restri-

restricta, & limitata, neque necessariò versatur circa omnia peccata, quia per eam potest quis detestari aliquod peccatum, absque eo, quod quis virtualiter detestetur omnia; quia potest detestari quis specialem malitiam, & deformitatem, quæ reperitur in uno, & non in alio, sic quidam nobilis potest dolere, quod patrarit furtum, quia continet quandam deformitatem, & vilitatem animi contrariam rationi, & non idcirco detestari virtualiter, & implicitè duellum, aut actum vindictæ ante hac patratæ, aut quam sæpius exercet.

Et quamvis Doctores in hoc casu disputent, utrum talis confessio sit valida; in hoc tamen sine ullâ controversia conveniunt, quod sit informis, & nulla, cum non sit informata gratia sanctificante, quæ nulli datur, nisi qui ad minus omnia peccata virtualiter detestatur.

Et hanc differentiam in duobus, & quidem duobus Apostolis peccatoribus, utroque æquè pœnitente, quos nobis scriptura proponit, videmus, Petro puta, & Juda. Judas, mox ut peccavit, *Poenitentiâ ductus* agnovit, & fassus est, *Peccavi trudens sanguinem justum*, nec tamen veniam obtinuit; cum enim patrasset plura peccata, unam tantum malitiam deformē, & vitiosam apprehendit in proditione, quâ suum magistrum tradidit, cum itaque vidit abominandam, à se patratam injustitiam, dum virum adeo innocentem tradidit neci, pœnitentiâ mot⁹ ex hoc motivo doluit: *Videns, quod damnatus esset, dixit peccavi* (Matt. 26.) *tradens sanguinem justum*. At enim verò, cum hoc motivum esset particulare, & limitatum, non complectebatur furta, & alia crimina ab eo commissa: *Fur erat, & loculos habens*; *retulit triginta argenteos*, & non alios loculos, quos in variis occasionibus clepserat; (Ioann. 12.) adeoque hæc pœnitentia velut moneta accisa, & injusti ponderis fuit repudiata à Deo, & veniâ indigna.

Econtra Sanctus Petrus, postquam ex humanâ fragilitate suum abnegasset Magistrum perfectâ cōtritione afflictus fuit, & doluit, quod offendisset bonitatem infinitam sui dilecti Salvatoris, adeoque amore filiali detestabatur, quidquid displicere posset tantæ bonitati. *Egressus* foras, flevit amarè. Viden ergo, quāta sit stultitia sit offendere Deum, cum ad absolutionem à sacerdote obtinendam exigatur attritio, quæ ex tot (Matt. 26.) capitibus potest esse adulterina, falsa, & inutilis. Examina ergo sedulo conscientiam tuam, penetra, & lustra tuum cor, nam si tua pœnitentia unico tantū defectu ex supradictis laboret, puta si sit, cusa est adulterino metallo, si sit naturalis, mutilata, est invalida, & infructuosa.

Verum si nullo defectu laboret, si sit vera, sincera, cordialis, si detestetur omnia peccata, de illis doleat ex motivo supernaturali, & generali, velut justa moneta in curia Divinæ justitiæ acceptabitur, & ita dilves tua debita, hypothecam tuam redimes, lytrum tuorum peccatorum solves, & in possessionem Regni cælestis immitteris.

Amen.

SER-

SERMO VIGESIMUS

Pro Dominica Palmarum

De examine Conſcientiæ.

Solvite, & adducite mihi. Matt. 21.

EXORDIUM.

POſtquam moyſes vocatus eſſet à Deo, ex Rubo ignis ad montem Horeb, Moyſes, Moyſes, & is ſubitò aſcendere vellet, dixit Deus ad eum: Ne appropies huc, *ſolve calceamentum de pedibus tuis.* Nos omnes vôcamur hodie à Chriſto, qui latet in Euchariſtia tanquam ſub amoris rubo, vult ut omnes, qui peccatores ſumus deſignati per pullum aſinæ, quem juſſit per duos Diſcipulos ad ſe adduci, ad eũ veniamus, & appropinquemus. Sed ne ſordidẽt tua peccata venialia, nam ideo ante ſumptionem Encharistiæ volut Diſcipulis lavare pedes, ut ita mundi eam reciperent. Quod cum ita ſit, cur non vult, ut ligulas calceorum cultro diſcindamus, ut ita citius ad eum venire poſſimus? Res hæc non caret myſterio. Non vult ut funes quibus peccatores ligantur, hoc eſt peccata ſcindantur, ſed ſolvantur, quod enim ſcinditur citò diſſolvitur, quod autem ſolvitur, hoc non ita citò diſſuitur, quia adhibentur ungues, & illi diligenter impenduntur, ut nodi extricentur, ut nos diſcamus hac ſeptimana, antequam accedamus ad confesſionem, ungues examinis adhibere nodos peccatorum explorando, de quo examine, quomodo inſtitui debeat agit Auctor hac concione.

Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Iſaiæ 38.

I. SEcunda pars Sacramenti pœnitentiæ, eſt Confesſio in qua Vicario Dei in Spiritu humilitatis, & contrito corde aperimus, & declaramus defectus noſtros, ut per ſuperabundantem Dei miſericordiam, & merita Filii ejus, remiſſionem, & condonationem impetremus. Verum tamen, ſicut Oeconomus, qui obligatur ad reddendam rationem Domino ſuo, Vel Receptor, Superintendenti finauciarum, ſi vel minimum ſapiat, antequam rationem reddat, prius evoluit computus ſuos, perluſtrat regiſtra receptorum, & expoſitorum, & omnium accuratè ſubducit calculum. Sic etiam examen conſcientiæ præcedere debet Confesſionem, ut ſit bona, valida, legitima, & ex omni parte perfecta. Tria vobis proponam puncta, materiam hanc concernentia. In primo declarabo, examen faciendum eſſe; in ſecundo, circa quid faciendum ſit, & in tertio, quomodo faciendum ſit. Tu nobis hujus præclarum dediſti exemplum, O Virgo Sacratiſſima!

ma!

ma! Tu es excellentissima illa mulier, tantoperè deprædicata in Proverbiis; de te dictum est: *Consideravit semitas Domus suæ.* Non dicit *Vias*, sed *semitas.* Dum enim in hoc conversareris mundo, non solum examinabas vias tuas, actiones nimirum graves, & magnæ consequentiæ, sed insuper diligentissimè perscrutabaris minimas conscientiæ tuæ semitas, secretiores cogitationes, & inclinationes cordis tui, minimos motus corporis tui. Faciebas insuper tanta perfectione opera tua, ut semper grata, & accepta esset, & Creatori, & Creaturis. *Gratia plena.* Hanc tibi qualitatem tuus attribuebat Angelus, dū te hisce salutaret verbis: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

Primo examen faciendum esse, secundo super quo tertio, quomodo.

PUNCTUM PRIMUM

Examen faciendum probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio Comparationibus, quarto rationibus, primo, quia utile ad perfectionem, secundo, quia necessarium ad contritionem.

II: F*Ratres si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales e-*
Gal. 6. *stis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans teipsum.* Mirabilis revera, & exoticus loquendi modus Apostoli in his verbis, & magnum continens vitium contra grammatticam hominum; *Vos qui Spirituales estis: Considerans.* Omnibus scribens Galatis, loquitur in plurali, dicens. Vos qui spirituales estis, instruite, corripite illos, qui errant. Subitò mutans stylum, & ac si tantum loqueretur uni, dicit in numero singulari: *Considerans teipsum.* Non te moveat hic loquendi modus. Optimè novit Apostolus quid dicat; non loquitur in ventum, Spiritus Sanctus est, qui ipsius animat cor, & instruit, ac ducit calamum; Nam Grammmattica Dei, longè diversa est ab illa hominum.

Illa hominum grammattica non docet, nisi bene loqui, illa vero Dei documenta tradit bene vivendi. Dicit in plurali: Vos qui spirituales estis, instruite illos qui errant, nam magnus est numerus illorum, qui Spirituales, vel sunt, vel se esse existimant, sicut & illorum, qui judicant, corripiunt, & instruunt alios. Deinde dicit in singulari: *Considerans teipsum.* Eo quod valde exiguus sit numerus illorum, qui examinant seipsos, reflectendo oculos considerationis suæ ad propriam conscientiam, cum tamen salutarior, & laudabilior scientia, quam homo in hoc mundo acquirere potest, sit cognitio sui ipsius.

III. Propheta Jeremias nos monet, perfectè hanc addiscamus lectionem, si velimus converti, & ad Deum redire, hortatur ut sedulò examinemus cogitationes, verba, & actiones nostras, quas appellat vias: Nam si sint bonæ, nos conducent ad Deum; si vero sint vitiosæ, nos seducent, & ad infernum pertrahent. *Scrutemur*, ait, *vias nostras, & quaramus, & revertamur ad Dominum:* Thren. 3.
Et devotus, ac mellifluus Bernardus, scri-

scribens ad Eugenium Papam, confidenter notabilia hæc illi inculcat verba: *Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens: Non est sapiens, qui sibi non est, à te incipiat tua consideratio, non solum autem, sed & in te finiatur, quocunque evagetur, ad te revocabis eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus, sume tibi exemplum de summo omnium Patre, verbum suum emittente, & retinente. Verbum tuum, consideratio tua, quæ si procedit, non recedat, sic progrediatur, ut non egrediatur, si exeat, ut non deserat.*

Lib. 3. de considerat cap. 3.

Sancti Patres Basilius, Hieronymus, Ephrem tantundem dicunt, & magno fervore monent, & hortantur ad faciendum examen conscientiæ, tanquam rem maximi momenti, ad acquirendam puritatem cordis, & perfectionem Christianam. En similitudines, quas in hunc finem adducunt: Vinea, quæ non putatur, sarmenta producit superflua, quæ bonum impediunt fructum. Terra, quæ nõ emundatur, malas generat herbas, & loliis, ac carduis fit hispida. Cubiculum, quod nunquam everritur, peripsema evadit immunditiarum, navis, cujus sentina nunquam evacuatur, infallibiliter tandem demergitur. Corpus humanum, quod nunquam purgatur, vel beneficio naturæ, vel auxilio medicinarum, in sanitate conservari nequit. Anima, sanctitatem acquirere non potest, nec acquisitam conservare, nisi sæpius emundetur, & renovetur per examen conscientiæ. Optime monet S. Bernardus: *Vitam tuam quotidiana discussione examina, attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias, qualis sis in moribus, qualis in affectibus.*

In medit cap. 5.

IV. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Quem locum idem mellifluus Doctor explicat de examine Conscientiæ, dicens: *Toti incumbamus huic operi, tam sancto, tam necessario, & in eo se quisque judicet profecisse, non cum invenerit, quod reprehendat, sed cum quod invenerit, reprehendet.* Merito dicit: *tam sancto, tam necessario*, cum nihil utilius, & magis proficuum sit ad sanctificandam, & perfectionandam animam devotam; nihilque tam necessarium.

Tam necessario. Nihil enim tam necessarium ad conversionem animæ peccatricis, quæ non convertitur nisi per poenitentiam. Poenitentia autem tres habet partes, contritionem cordis, Confessionem oris, & satisfactionem operis. Examen autem ad omnes has tres partes necessarium est. Tempore S. Bernardi adagium hoc commune erat. *Quod non videt oculus, cor non dolet.* Quidam antiquorum acutè notavit, quod per providentiam divinam, natura destinaverit eundem sensum, ad lachrymandum, & videndum, eo quod non soleamus deplorare nisi mala, quæ videmus. Facile mihi, credo, concedetis, quod ille qui studiosè, & magna diligentia considerat gravitatem, diversitatem, numerositatem magnam, & pessimos effectus suorum peccatorum, & hoc distinctè, & minutim, facilius concipiet dolorem, & magnam poenitudinem, quam ille, qui exiguam adhibet reflexionem, & cui sufficit taliter, qualiter illa in aurem narrare sacerdotis, ac si historiam narraret, & insu-

1. Moral. cap. 19.

per illa vix sacerdoti referre & explicare potest, nisi examinetur. In hanc sententiam præclare S. Gregorius: *sæpe*, inquit, *quod bono studio gerimus, dum discutere caute negligimus, quo judicetur fine nescimus, & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.*

T. Hinc concludunt Doctores, examen hoc ante Confessionem non solum esse de consilio, sed de præcepto, & obligatione. Nam quando Deus, vel Ecclesia nobis aliquem præcipiunt actum, non illum solummodo, & simpliciter præcipiunt quoad substantiam operis, sed etiam quoad omnes circumstantias necessarias ad illum bene & perfecte adimplendum. Exempli gratia. Præcipit Ecclesia ut sacerdotes cantent, & recitent officium divinum, non injungit illis, ut illud recitent oretenus taliter qualiter, sed cum interiori attentione, & exteriori respectu & modestia.

Agedum, Deus & Ecclesia nos obligant ad confitendum sacerdoti omnia peccata mortalia, quod debite facere non possumus, nisi confessio sit præmeditata, nisi serium conscientiæ examen præcedat. Qua propter præceptum confessionis nos obligat ad hoc examē, & concludunt Doctores Theologiæ, quod dum quis per notabile temporis spatium confessus non fuit, multis etiā implicatus fuit negotiis, plurima commisit peccata; tantum similiter temporis, tantum diligentiæ & solicitudinis ad hoc examen applicare debeat, quantum impenderet in negotio aliquo temporali, magni momenti, verbi gratia; quantum laborare deberes, si tibi ratio reddenda esset, de quæstura, vel medio citutela. Dum autem tantum impendisti temporis, & diligentiæ rationabilis tunc amplius anxius, & scrupulosus esse non debes, ac si non satisfecisses obligationi tuæ, nec timore vano torqueri, quasi fecisses confessionem invalidam, licet ex fragilitate humana plurium peccatorum oblitus fueris. Si vero postmodum illorum tibi occurrat memoria, confitenda erunt eidem sacerdoti, vel alteri.

Est etiam examen hoc valde necessarium ad satisfactionem, & correctionem vitæ nostræ; dum enim factum fuerit, prout oportet, in illo reperiemus imperfectiones bonorum operum, quæ fecimus, sicut & scaturiginem, & radicem malorum, quæ patravimus. Perpendimus pariter, quomodo nos emendare possimus, quomodo impendere tempus, quomodo ordinare, & regulare oeconomiam actionum nostrarum velimus. Hac de causa Pythagoras, quantumvis Paganus, suis consulebat discipulis singulis vesperis, antequam se quieti darent, seipsos ut examinarent.

Nec prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longæ repetiuerit acta diei.

PUNCTUM SECUNDUM,

Quid examinandum? Primo *peccati essentia, secundo circumstantiæ personæ, quantitatis, modi, finis, tertio causæ, quarto effectus.*

VII. Examen quod præcedit confessionē dirigi debet super essen-

ſentiã, circumſtantias, cauſas, & effectus noſtrorum delictorum. Primo enim eſſentia examinanda eſt. Nam Concilium Tridentinum declarat, nos obligari ad aperiendum ſacerdoti diverſas ſpecies noſtrorum peccatorum, & ſi mortalia ſint, etiam quantum fieri poteſt, eorum numerum. In hunc finem percurrenda ſunt præcepta decalogi, & Eccleſiæ, inveſtigandæ cogitationes voluntariè admiſſæ, verba prolata, actiones patratæ, bona opera contra ſanctã Dei legem omiſſa. Vt hoc opere vobis ſimus auxilio, duas ſat longas ſervabimus vobis lectiones Catechiſticas, in quibus minutim, & particulatim recenſebimus omnia peccata quæ committere potuiſtis contra legem Dei, & Eccleſiæ, ad quas ſi ſalutis veſtræ vos tangat cura, diligenter comparebitis.

Cum autem plurimæ circumſtantiæ, novam addant peccati ſpeciem, actui vitioſo, vel notabiliter aggravendo malitiam, illæ ſollicitæ expendendæ ſunt, ut clare explicari poſſint in confeſſione, dum neceſſarium fuerit; vel etiam ad concipiendum majorem horrorem, dolorem, & pœnitudinem peccatorum, quibus infecti ſumus. Sunt autem quatuor circumſtantiæ neceſſario explicandæ, qualitas nimirum perſonæ, quantitas materiæ, modus, quo actus eſt perpetratus, & intentio finis, ad quem actus fuit directus.

VIII. Prima eſt, qualitas perſonæ peccati, vel cum quibus peccavit, vel contra quem peccavit. Verbi cauſa, in materia impudicitiæ, an ſit perſona matrimonio juncta, Eccleſiaſtica, Conſanguinea. In materia irrogatæ injuriæ: offenſa gravior eſt, dum percutis ſacerdotem, quam Laicum. Si contumeliam inferas Parenti, quam famulo inferres; ſi detrahas Prælato tuo, quam ſi detraheres ſervulo inſtitoris. Eccleſiaſticus examen inſtituens, ut majori percellatur dolore, ſibi imaginetur, quod Salvator noſter ipſi dicat: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Si Judæus quiſpiam, Arabs, aut Japonenſis me offendiſſet, injuria eſſet magis tolerabilis; cum ab inimico non expectetur, niſi hoſtilitas. Si Ruſticus aliquis qui pauperem, miſeram, & neceſſariis deſtitutam ducit vitam, præcepta mea transgrediatur: Si muliercula aliqua idiota, ignorans, & male educata, committat aliquod peccatum, erunt forte magis excuſabiles.

IX. Verum tu ſacerdos, Religioſus, Beneficiatus cum ſis, qui tantum mihi obligaris, qui tam bene fuiſti inſtructus, qui tantum habes lumen, tantam cognitionem; qui delitiosè de patrimonio meo vivis, quem toties, & tam tenere nutrio propria mea carne, quod inquã tu tanta committas peccata, quæ noſti mihi infinitè diſplicere, hoc eſt, quod me ſenſibilius affligit, & diſplicet.

Si Filius familias inſtituat examen, hæc expendat: Si non contriſtaſſem niſi ſodalem meum, vel extraneum quẽpiam, tranſire poſſet; ſed cum propriam contriſtaverim, & afflixerim matrem, matrẽ inquam, quæ me tanta nutriuit ſolicitudine, quæ me tanto educavit labore, quæ mihi abblandiata fuit tanta teneritudine, quæ mei cauſa tantas ſuſtinuit incommoditates, cum illi fuerim cauſa offenſæ, cum illi arroganter re-

respondеrim tanquam vilem ancillulam allocutus fuerim, & ferme præ afflictione mortem causaverim, an non verè degener reputandus sum? an non pro vero ingratitudinis monstro habendus sum?

Quantitas furti, vel damni illati, plurimum etiam aggravat peccatum, non solum, cum damnum infertur personæ particulari, sed etiam cum infertur pluribus, quantumvis exiguum sit, & parvæ consequentiæ, quoad quemlibet in particulari. Sicut cum in vendendo falso uteris pondere, falsa mensura, dãnum quod infers singulis exiguum quidem est; Summa vero, quam tam parvis furtis congregare intendis, & injustitia, quam committis magna est, & maximæ consequentiæ.

Modus etiam, quo peccasti pensandus, & examinandus est, cum sæpe novam peccato tuo adjungat speciem, vel illius malitiam notabiliter aggravet. Exempli causa, cum ad peccandum, adhibes complices; cum uteris famulis tuis, aut aliis personis, ut tibi in illo favori & auxilio sint, & illud celent. Cum inducis Notarium, ut diem, sive datum retrorsum ementiatur, vel aliam committat falsitatem. Cum persvades simplici rustico, ut falsum dicat testimonium, famulo tuo, ut sit internuntius turpis amoris tui. Si, cum sis Dominus Parochiæ tuæ, irreverenter tractes Parochum tuum, & malo tuo exemplo ad hoc ipsum inducas subditos tuos. Si, cum sis Paterfamilias blasphemes, detrahas, aut mala loquaris verba in præsentia domesticorum tuorum, & ipsi à te addiscant similiter loqui, & blasphemare.

X. Verum circumstantia, quæ vel maxime debet investigari, & quæ insensibiliter criminosum reddit actum, est mala intentio. Dicit Aristoteles, quod ille, qui furatur, ut habeat media adulterandi, ipso actu quo furatur magis reputandus sit adulter quam fur. Et Salvator noster in Evangelio malam carpens intentionem, inquit: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ac si dicat: si reperiatur malitia in oculo tuo, id est intentione tua, totum corpus actionis tuæ vitiosum, & tenebris repletum erit. Hinc plurimi in hora mortis suæ, & judicii divini, invenient omnia opera vitæ suæ, vel saltem pleraque corrupta, cariosa, & putrida, eo quod aliud in iis non quæsierint, nisi seipsos, proles suas, promotiones, proprium commodum, & stabilimentum fortunæ suæ.

Post circumstantias, examinanda venit peccatorum causa, vel ut exprimatur in Confessione, quod sæpe necessarium est, vel ut eradicetur, quod semper utilissimum est. Quandoque causa hæc exprimenda est: fieri enim potest, quod illud, quod de se peccatum non est, vel ad summum veniale est, eo quod sit involuntarium, in causa sua omnino voluntarium, & in excusabile crimen sit. Ille qui in ebrietate consuevit blasphemare, uxorem percutere, aut alia inordinata agere, plurium blasphemiarum, & aliarum pravarum actionum se culpabilem reddit, quotiescunque se inebriat, cum hæc futura prævideritr. Eodem modo, illusiones turpes, quæ in somno contingunt, durante somno voluntariæ non sunt, pro talibus autem reputandæ sunt, dum procedunt ex cogitationibus lasci-

lascivis, in quibus quis die præcedente voluntariè, & morose delectatus fuit. Pari modo, qui ad omnem discursum jurare consuevit sine ullo timore, sive verum dicat, sive non, peccatum perjurii committit, quoties namque falsum jurat, etiam inadvertenter, tunc illi voluntarium fit in sua causa, mala nimirum consuetudine, quam negligit eradicare. Si in officio tuo committas errores, eo quod à Deo lumen non postulaveris, vel bono alicui amico licentiam, & libertatem denegaveris te admonendi, & corripiendi, errores illi tibi imputantur, licet illos non cognoscas: & quidem eo magis, si sit ignorantia crassa illius, quod vi officii scire teneris, cujus indignus, & incapax es.

Quamvis obligatus non esses, taliter peccatorum tuorum in confessione explicare causas, utilissimum tamen est illas in examine perquirere, ut te emendes. Sicut enim, si velles arborem aliquam mortificare, melius medium non erit, ramos ejus præscindere, sed radicem evellere; sic ut pravam emendedemus consuetudinem, bonum erit, præscindere actiones quas producit, sed melius erit, tollere causas ejus, ad quod etiam obligamur, si seriò intendamus veram facere confessionem. Dic, amabò, quæ est causa juramentorum tuorum? Est lusus chartarum, alearum &c. intemperantiæ, & pravorum colloquiorum, taberna, maledicentiæ, & inhonestarum cogitationum, societas adolescentum, & puellarum. Si igitur vere pœnites, evitabis tabernas, tabulas lusorias, pravas, & mundanas societates.

XI. Breviter. In examine etiam considerandi effectus, è peccatis nostris procedentes, nam hi sæpe actum reddunt mortalem, qui de se non erat nisi venialis, indifferens, vel licitus. Mali hi effectus quandoque sunt prævisi, & intenti, quandoque prævisi, & non intenti, quandoque nec prævisi, nec intenti, nos tamen illos prævidere, & evitare debuissemus, & in omnibus hisce casibus nobis imputantur, & augent peccati malitiam. Exemplo rem declaremus: Revelas occultum peccatum alterius personæ quã nosti non minus servare secretum, & silentium, quã fragorem tonitrui, & hoc ea de causa, ut per illam toti innotescat mundo, quis dubitat te non solum detractionis tuæ reum, verum & omnium aliarum, quæ ex tua ortæ sunt? Negligis scribere actus clientis tui, aut perlustrare ipsius processum, quia mavis tempus terere lusu, & aliis delitiis sensualibus; nimium rem differs, & tamen ob exiguam hanc dilationem prævides negotium retardandum ad tres, quatuorve menses, notabile inferendum damnum clienti tuo, qui in loco processus morari cogitur cum magnis expensis, & prævides hæc, sed non intendis. Damnum hoc notabile, quod provenit ex tua negligentia, aut conniventia, te reddit magis criminosum, licet ejus effectus, nec sit prævisus, nec intentus, cum enim ordinariè, & naturaliter oriatur ex nostra actione, illam inficit, & vitiosam reddit. Par ratio est in gestibus, sive actibus minus honestis, si fiant in conspectu tuorum domesticorum, qui inde haurire possunt imaginationes turpes. Sæpe jurare, etiam in re vera in præsentia

tia probium, qui exinde jurare addiscunt, etiam ad confirmanda mendacia.

PVNCTVM TERTIVM.

Quomodo examen faciendum, *docetur per Paraphrasin verborum Jeremiæ: Sedebit solitarius, & tacebit.*

Vidimus hactenus examen faciendũ esse, & circa quid faciendum sit: addiscamus jam à Propheta Jeremia qualiter instituendum sit. *Bonum est*, inquit, *viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.* Tot documenta quot verba. *Bonum est viro cum portaverit jugum.* Ecce privatum magni momenti in hoc examine, magno fervore amplecti jugum Salvatoris, firmũ facere propositum, vitam instituere secundum leges Christianas, conformare actiones nostras, non legibus mundi, sed præceptis Dei, & lumini Evangelii.

Thre. 3.

Sedebit. Hic est situs judicis. *Sedebitis & vos judicantes.* Sæpe, cum in mentem revocamus delicta nostra, ubi nos merito judicare deberemus, omnia potius interpretamur in favorem nostrum; ubi nosipsos condemnare deberemus, nobis adulamur, minuimus in animo nostro gravitatẽ nostrorum criminum, excusamus per debilitatem nostram, per difficultatem mandatorum Dei, per nimiam tentationis violentiam, per malam societatem uxorem, proles, &c. Hinc procedit, quod non concipiamus verum horrorem, & dolorem de criminibus nostris. Ignavi sumus, & nimium indulgentes circa nos ipsos ad puniendum, & corrigendum peccata nostra. In hoc negotio non oportet te agere advocatum, sed judicem. *Sedebit.*

Solitarius. Magnum Secretum, & optimum remedium ad fructuosè instituendam confessionem generalem, & Crisin salutarem, qua perfectè interiori restituamur sanitati, est octo vel decem diebus se addicere exercitiis Spiritualibus, subducere se in Secretum locum, ab omnibus segregari exterioribus negotiis; & interim non vacare aliis nisi orationi, meditationi, lectioni piorum librorum, examini vitæ nostræ, & nos excitare ad veram poenitudinem, & emendationem nostrorum peccatorum. *Sedebit solitarius.* Dum te ita examinas, & recolligis in solitudine, velim tibi imagineris, te unicum & maximum esse peccatorem totius mundi. *Delictorum patrocinium, est delinquentium turba.* Causa; cur tibi peccata tua exigua videntur, & venia digna, est, quia alios plures vides vivere, blasphemare, inebriari, detrahere, sicut tu facis, & in hac turba, ac multitudine tibi crimina tua videntur tecta, & occultata.

Sed cum stabis ante judicium Dei, solus eris: *Sedebit solitarius.* Si non esset alius blasphemator, adulter, fur, detractor in mundo, quam tu, ô quam apparerent crimina tua difformia, inordinata, & horrenda, merito habendus esses pro abominabili, & horrendo monstro ab omnibus hominibus. Verum, aliorum delicta, tua non excusant coram Deo, & sanctis Angelis, dum enim tribunali ejus præsentatus fueris crimina tua tam nigra, monstruosa, execrabilia, punitione digna apparebunt,

quam,

quam si nullus alius præter te illa commisisset, quod velim tibi fortiter persuadeas, & supponas, dum solitarius cum Deo tractas, ut te perfectius ad poenitentiam præparare valeas. *Sedebit solitarius.*

Et tacebit. Silentium imponendum est passionibus tuis, supprimendæ inclinationes, & affectiones particulares. Passiones tuæ merito comparantur falsis perspicillis, quæ literas multo minores representant, quam verè sint. Defectus tui, tibi exigui, & leves videntur, cum illos non intuearis nisi per tuos proprios affectus, & hinc illorum agis advocatum, non judicem. Proprius amor tibi blanditur, rationes tibi offert ad coloranda, minuenda, & justificanda delicta tua; Prosequeris hunc processum, tanquam injuriosum, in apparentia quidem ex Zelo justitiæ, & ad reparationem honoris tui, in effectu autem, si bene scruteris cor tuum, ex Spiritu vindictæ, & ad nocendum proximo. Continuo molestas, & vexas hanc puellam, cujus es noverca, reprehensionibus & injuriis, incessanter obtundis, specie quidem correctionis & emendationis; Sed si rem depositis passionibus examines, reperies meram esse aversionem.

Levavit se super se. Vt apprehendas gravitatem tuorum criminum, & intensum de iis concipi[as] dolorem, necesse est ut separes te à temetipso, & eleves in Deum. *Sensibile supra sensum positum, non facit sensationem.* Illi, qui (salvis auribus) emundant loca secretiora, & semper sunt in illis sordibus, fœtorem non percipiunt; bene autem illi, qui suavibus affecti sunt odoribus. Pariter & tu tuorum criminum enormitatem non advertis, & quod illis totus sis immersus, & conglutinatus, eleva autem te quandoque super te, & considera quis ille sit, quantum illi obligeris, quanto odio detestetur peccatum; Pete ab illo gratiam cognoscendi hæc motiva, illisque vere tangi, & angi: Dic illi sæpius cum S. Augustino, & Francisco. *Noverim me, noverim te.* O magne Deus. *Noverim me,* imperfectiones meas, infirmitates meas, nihileitatem meam. *Noverim te:* Magnitudinem tuam, excellentiam tuam, perfectiones tuas infinitas. *Noverim me.* Ingratitudinem meam erga te. *Noverim te.* Misericordiam tuam erga me. *Noverim me.* Nam hæc cognitio initium est veræ sapientiæ. *Noverim te.* Hæc cognitio complementum veræ perfectionis. *Noverim me.* Cum vero odio, & abominatione illius, quod sum ex me. *Noverim te,* Cum amore & admiratione illius, quod es tu. *Nouerim me.* ut me humiliem, confundam, & deprimam infra omnes Creaturas, noverim te, ut te benedicam, laudem, & glorificem in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VIGESIMVS PRIMUS.

Pro festo Sancto Paschæ.

Surrexit non est hic. Marci 16.

EXORDIUM.

CHristum Dominum hodie suis promissis stetisse, clarè videmus, prædixit siquidem Ioannis secundo, & Lucæ 18. se surrecturum: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud: Ecce ascendimus Hierosolymā &c.* quod & ipsi Pharisæi testati sunt ad Pilatum. Sed tamen non obstante, quod duo Discipuli in Emaus de hoc dubitarent Lucæ 24. & Thomas hæsitaret, tamen mulieres contestantur eum verbo suo stetisse, & promissa servasse, quod adeo verum est, ut necdum elapsa sit dies Tertia: Vtinam, utinam omnes Christiani hodie sua promissa servarent, quib⁹ aureos montes spondent in sacra confessione, quibus promittunt, quod se velint emendare, sed vereor ne ansam habeam plorandi potiori jure, quā Xerxes, qui considerans selectissimam iuventutē Asiæ in campum eductam, intra paucum tempus morituram, amarè flevit, nam dum ego considero insignem Juventutis florem, quem hodie Sancta Mater Ecclesia in campum educit, meritò lugeo, dum plures non considero brevi morituros, sed jam mortuos, nec cum Christo resuscicatos. Sed unde hoc, inquies scio? Ex eo quod, non habeant verum propositum se emendandi, quod tamen est necessarium ad veram pœnitentiam, per quam resurgimus à peccato. De hoc proposito agemus cum auctore, hac concione.

Noli amplius peccare Joann. 1. v. 14. & cap 10.

I. Heri diximus, quod is, qui examinat suam conscientiam, debeat habere veram voluntatem, & propositum efficax corrigendi suos errores, & emendandi vitam; nam sacrum Concilium Tridentinum explicans primam partem pœnitentiæ, quæ est contritio, asserit hanc esse dolorem, & detestationem de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero. Hodie ergo primo ostendam, quomodo hoc propositum sit utile, & necessarium ad nostrā conversionem, secundo, effectus, quos in nobis producit, si sit verum, & sincerum. O sacratissima virgo, nos à Deo per tuam intercessionem illud flagitare debemus. Tu quotidie in precibus Ecclesiasticis compararis Turri eburneæ, *Turris eburnea.* Ebur est Symbolum tuæ puritatis, & sanctitatis in compara-

Sess. 14. Cap. 4.

parabilis. Turris denotat tuam constantiam, & stabilitatem in gratia, & sanctitate. Aliis sanctis, quamdiu vixerunt in hoc mundo, dictum est: *Cum timore, & tremore operamini vestram salutem.* Tibi autem quotidie dicitur. *Ne timeas.* De hoc te assecurat Angelus, dum te salutavit dicens: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Immutabilitas Dei procedit ex eius simplicitate, sic conversio, ut sit constans, debet esse simplex, nempe cum sincero proposito nunquam peccandi.

II. QVod si vermiculo terræ crassè, & rudi modò licitum sit loqui de eminentiis Regis cælestis, ego Spiritus sumam, & dicam, immutabilitatem esse perfectionē illam, quæ reliquas omnes & stabilit ejus Regium thronum, & Deum in pacifica possessione suæ beatitudinis collocat. *Ego Deus, & non mutor.* Nō *est Deus sicut homo, ut mutetur: Tu autem idem ipse es.* Et Ecclesia in suo penso canit:

Malach. 3. Num. 23. Heb. 1.

Rerum Deus tenax vigor
Immotus in te permanens.

Hæc perfectio Divina hoc argumento faciliter demonstratur. Omnis mutatio fit circa bonum, vel malum, in acquisitione alicujus rei. Quod si Deo advenire posset aliquod bonum, non esset omninò perfectus, quia aliquid accederet ejus essentiæ; similiter si aliquid posset amittere, ille non esset omninò beatus, quia continuò esset in periculo, timore, & apprehensione, quod aliquid perderet. Sanctus Augustinus, qui præditus est Spiritu sapientiæ, & dotatus ingenio politissimo, radicem, & nodum tangit, hanc addendo rationem. *Nihil simplex mutabile est*, ita ut immutabilitas proficiscatur ex ejus simplicitate. Quælibet mutatio supponit congeriem, & compositionem plurium partium, aut qualitatum. Sic verbi gratia, tu qui nunc es doctus, & probus, potes mutari in indoctum, & improbum, quia aliud est tu, & aliud est tua doctrina, & virtus. Perfectè simplex nequit mutari, neque per diminutionem, neque per alterationem, nisi totum destruatur, & annihiletur. Verbo, quando non datur nisi unicus gradus nigredinis, tu hanc non potes alterare, nisi totam corrumpas, & destruas. Similiter si tantum sit unicus gradus luminis in ære, tu illum nequis offuscare, nisi omnino illum extinguas.

Lib. 6. de Trinit. c. 6.

Deus itaque, cum sit immortalis, æternus, incorruptibilis, & ejus essentia sit actus purissimus, maximè unus, simplicissimus, indivisibilis, compositionis expers, nequit esse capax alicujus mutationis, sed essentialiter, & perfectè est immutabilis. *Ego Deus, & non mutor.* Et hæc est causa, cur Spiritus Sanctus tam instanter urgeat, ut illi, qui Deum accedunt sint simplices corde; & detestētur, ac abominētur duplicitatem. Sapiens dicit: *Quærite Deum in simplicitate cordis.* Deus similiter optimus, texens catalogum laudum sancti viri Job, in præsentia suorum Angelorum dicebat: An vidisti servum meum Job, quod non

Sap. 1.

non sit similis illi? Vir est valde simplex. Insuper Ecclesiasticus monet cave sis, ne Deum adeas duplici corde. Et ibidem: *Væ duplici corde.*

Iob. 1. Ecclef. 1. v. 36.

PVNCTVM PRIMVM.

Ostenditur necessitas hujus propositi, quia sine eo conversio non non est vera, nec forma, quod probatur primo scripturâ, secundo Patribus, tertiò Conciliis, quarto ratione.

II. SAnctus ergo Augustinus nobis dixit, quod inmutabilitas manet à simplicitate. Idem quoque contingit in moralibus, quando nostra conversio est simplex, & sincera, tunc est perfecta, & constans. Hinc Sanctus Jacobus: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Quænam est causa, quod tot Christiani tam citò violent promissa, quæ promiserunt confessariis? Vnde venit, quod proposita, quæ videbantur sumpsisse emendandi vitam, tam parum durent, & adeo sint instabilia, & inconstantia? Non fuerunt simplicia, sed duplicia, ac multiplicia. Quod si paulisper attentius lustres statum tuæ animæ, & stationem tui cordis in pluribus confessionibus, & videbis, quod in eo deliteant plures fraudes, & quidem adeo subtiles, palliatæ, & simplices, ut non solum decipias confessarium, sed & teipsum. Fateor quod confitearis plorando, sentis nescio, quam teneritudinem, & emollitionem cordis, tu insignes facis protestationes, sed si fundum cordis inspicias, videbis quod non habeas verum propositum & alia ad hoc necessaria te emendandi. Id deplorat Deus per suum Prophetam Jeremiam: *Non est reversa ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio.* Et Sanctus Paulus, *Nolite errare Deus, non irridetur.*

Iacob. 1.

Ierem. 3. Gal. 6. v. 7

III. Porrò irridere Deum juxta Sanctos Patres nil aliud est, quam non pœnitere, & plorare, ac confiteri aliquod peccatum commissum, & simul novum committere, quod detestari, & deplorare deberemus. Hinc Isidorus. *Irrisor est non poenitens, qui commissa plangit, & plangendo committit. Lavamini, mundi estote. Lavatur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit.* Irridere itaque Deum est, habere voluntatem patrandi aliquod peccatū, esto hoc foret post quinquaginta annos, & talis confessio. *Non est poenitentia,* inquit Chrysostomus, *sed larva poenitentiæ.* Sunt nonnulli concionatores, qui in quadragesima acri verborum aceto perfundunt eos, qui larvati fuere in bacchanalibus, & quidem meo judicio non adeo congruè, quia jam id est factum, nec id hoc anno iterum fiet. Verum sunt alii larvati, contra quos deberet stringi gladius oris, & concionum fulmina euibrari, nempe larvatos illos, qui in quadragesima, in septimana sancta, die Sancto Paschæ larvati sunt, perstringere deberent confessiones larvatas, & personatas. In bacchanalibus soli adolescentes petulantes, & dissoluti larvas induunt. Vt in septimana sancta cujusque conditionis homines larvati sint. Illi induunt vultus adulterinos, hi suscipiunt Sacramenta fucata; illi larvati incedunt

Lib. 2. de summo bono cap. 16.

cedunt per plateas, hi in ecclesiis, illi post officium Divinum, hi sub ipso officio, illi homines plebejos, & viles monent ad risum, hi lachrymas Angelis excutiunt. Tu te accusas in confessione, quod duxeris choreas, quod frequentaveris domum aleatorum, popinam, quod spectaveris comœdiam, quod levitates multas exercueris in bacchanalibus, sed quæso te, parumper edic, res est, an non verum sit, quod in fundo tui cordis taceat voluntas, eadem committendi anno sequenti? Tu confiteris, quod arcam exercueris tabulariam, in processibus, quod nudis brachiis, & pectore incesseris, quod pannum retinueris, quod non fideliter serviveris, sed dic sodes, an non verum est, quod post Pascha, post missionem eadem rursus patrare velis, quando occasio sese offeret? Tua confessio est larvata, & adulterata, fucata. *Non poenitentia, sed poenitentiæ lárva*; Nam juxta magnum Gregorium: *Poenitentiam agere est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

Hom. 34. in Evang.

IV. Sacro Sanctum concilium Tridentinum, & Sancti Patres docent, pœnitentiam esse secundum baptismum, ratificationem, confirmationem, vel ut melius dicam, confirmationem prioris. Est renovatio illius, quod inter Deum, & nos factum est in baptismo. Est novella conventio, fœdus, transactio, quâ Deo pollicemur nos observaturos ejus mandata, Deus verò vice versa nobis promittit suum paradisum. Est pactum, pacis actus: Quod si quæras ab Vlpiano, quid sit pactum, ille respondebit, quod pactum nil aliud sit, *quam duorum. vel plurium in idem placitum consensus.* Deus itaque nullas admittit inducias, sed vult vel pacem, vel bellum. Nunquam dicit *Induciæ*, sed semper *pax vobis, pax huic domui, pax hominibus.* Evoluite tota Biblia, vetus, & novum testamentum, nec unquam reperietis hoc verbum *Inducias.* Quod si ergo confitendo solum intendas cum Deo inire inducias, armorum suspensionem, tu non consentis cum Deo, nec est pactum.

l. 1. ff. de pactis.

X. Pœnitentia est pars subjectiva, surculus, & ramus justitiæ, quæ est secunda virtus cardinalis. Justitiam porrò Theologi, & Canonistæ, & Juristæ sic definiunt. *Est constans, & perpetua voluntas cuique suum tribuendi.* Quod si ergo non habeas propositum reddendi obedientiam, quam Divinis debes mandatis, nullo omninò excepto, non es justus, nec consequenter verè pœnites. Verum hoc si habeas propositum, tu satisfacis, & plus mereris, quam putes. Nam si habeas bonam voluntatem sanctè vivendi, devotam, & austeram deinceps ducendi vitam, uti nescis, quamdiu sit duratura, an triginta, quadraginta, vel quinquaginta annis, ita scias velim, quod esto moreris intra sex, vel septem, tua voluntas apud Deum est adeo meritoria, ac si quinquaginta annis victurus esses. *Deus*, inquit Sânctus Augustinus *non annotat facultatem, sed coronat voluntatem.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Effectus hujus propositi, primus est fuga occasionum, secundus est fuga dispositionum, quæ sunt vitia capitalia, quamvis parva, quod probatur inductione superbiæ Salomonis, Avaritiæ Achab, Luxuriæ Herodiadis, invidiæ Saulis, gulæ Esau, Iræ Filiorum Iacob. Tertius est extirpatio inclinationum, quæ fit primo per orationem, secundo per fervorem in bonis operibus.

VI. QVod si hoc propositum sit verum, sincerum, & reale, tunc non est quædam simplex velleitas, & desiderium inefficax, sed est quædam voluntas efficax, prompta, quæ manum applicat operi, quæ media congrua, & necessaria adhibet, ne relabatur in peccata. Tres porrò sunt effectus principales hujus propositi. Primus est fuga occasionum, secundus est fuga dispositionum, tertius est fuga inclinationum, quo propendemus in peccata. Quoad primum, nos monet Spiritus Sanctus: *Qui cavet laqueos securus erit.* Quod si Deum sincerè ames, si habeas propositum vitam emendandi, tu attendes quid nam sit illud, quod tibi fuit laqueus, quo lapsus es in illud, vel illud peccatum, quid nam sit illud, quod tibi fuit causa, & occasio. Indaga igitur, quænam sit causa, vel occasio cogitationum inhonestarum, quæ tuum cor inquietant, quia videbis, quod sit familiaritas illius personæ, intemperantia in cibo, & potu, confessionis nimis tarda institutio, mutatio confessarii, ne increperis. Quænam est causa mendaciorum, jactationum, vanæ gloriæ? Societas. Quid nam est occasio juramentorum, ebrietatum, & aliorum scelerum? Domus aleatorum, vel popina. Manum ergo applica operi, cum hoc sciveris, vita societates, ludos, popinas; nec hoc debes facere præcisè, & principaliter ex amore tuo, & salutis propriæ, sed amore Dei, ejusque bonitatis.

Proverb. 11. v. 15.

Quod si ritè sis conversus, tu non solum debes à te, & tua domo omne id proscribere, quod tibi tantum possit esse laqueus, & occasio peccati, sed & omne id, quod cuicunque alteri; & ita non debes incedere nudato pectore, verba proferre inhonesta, & obscoena, coram aliis, tabulas, & statuas asservare nudas, libros retinere obscoenos, quos tui domestici legere possint. Mellifluus Doctor acriter invehitur in illos, qui in Paschate confitentur, & communicant tantum ex consuetudine, vel respectu humano, & dicit: *Propter hoc multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi,* ut ait Apostolus. *Propter hoc crebra hominum mortalitas* (id est morbi) *in diversis regionibus, specialiter in his.* Deus itaque punit has sacrilegas confessiones, uti punivit sacrilegam communionem in Corinthiis, quia dimidiatè tantũ pœnitent, nec vitant pericula, illecebras, occasiones peccandi, quod tamen adveram poenitentiam absolutè requiritur: nam ut subdit idem Sanctus; *Sit veræ compunctionis judicium, importunitatis fuga, subtractio occasionum.*

Serm in die Pascha.

Et Sancta Teresia in castello animæ dicit, quod impossibile sit, animam immersam mundo proficere in virtutibus, nec eam sine periculo posse manere in

statu

statu, in quo est, nisi negotiis non necessariis se expediat, quantum condicio, status permittit; impossibile quippè est, inter animalia degere venenosa, & non sæpe ab iis morsu impeti.

VII. Verũ hæc materia nimis necessaria est, quã ut exactè, & radicitus tam exiguo tractetur temporis spatio; unde si Deus dederit, cras de ea per integram concionem agemus; nunc itaque solum agemus de dispositionibus, quæ nos propellunt in peccatum, & quas evellere oportet, quando bonum propositum nos emendandi habemus. Dispositiones porrò hæ, sunt affect⁹ nimis intenti, & inordinati, quibus ambimus honores mundanos, divitias terrenas, voluptates corporales. Hi affectus quandoque in initio videntur innocentes, vel saltem excusabiles, aut vix curandi, quamvis tandem desinant in catastrophes pessimas, & funestas. Sacra scriptura insignia, & meritò observanda hujusce rei exempla nobis proponit, & quia omnia sufficienter observare non possumus, aliqua solum de vitiis, quæ vocantur capitalia, in medium adducemus. *3. Regum 2, v. 22.*

VIII. Et in primis à, superbia incipiendo, exemplum habemus in Salomone. Hic post mortem sui Patris sceptrum, & diadema ambiebat, & hoc desiderium in eo fuisset justũ, & æquum, dummodò bene ordinatum fuisset. Ipsius pârens, immò & ipse Deus, eum jam solio destinarant; & tamen hæc ambitio eum in injustum, & crudele fratricidium egit. Adonias ejus Frater rogavit, ut sibi in connubium daretur puella quædam, quæ in summa gratia Davidis ejus Patris erat. Hæc res pupugit Salomonem, Vah dicebat, meus Frater quid sinistri animo molitur, per vitam meam morietur, & sine alio processu, statim aliquos misit, qui eum occideret. *3. Regum. 21. v. 2.*

IX. Avaritiæ specimen nobis exhibuit Achab Rex Israel. Hic appetebat vineam unius pauperis nomine Naboth, utpote prope aulam ejus in loco commodissimo sitam. Et quia ex ea hortum amœnissimum constivere decreverat, accersiit ad se Naboth, vineamque ejus sibi petivit pro pretio æquivalenti, vel si ita mallet, vineam meliorem se ei refusurum spopondit. Hæc cupiditas in Rege videbatur esse æqua, & tamen eòusque devenit, ut misellum Naboth falsò accusaret, ut falsos contra eum concitaret testes, & eum injustè morti addiceret. Tu appetis prædiũ tui vicini, quia tibi situs ejus commodissimus est, & quia id vis emere, & illud ei solvere, ideo putas, quod nullum exinde damnum passurus sit, sed non vides escam sub hoc laqueo latentem, Tu illi mutuas das pecunias, ut tibi postea illud vendere cogatur. Hic contractus generabit processum, tu, quia eum quocunque tandem pretio lucrari vis, millenas committes fraudes, & falsitates. *Dictum* est Judæis: *Non concupisces rem proximi tui*; Dictum est Christianis: *Nullius aliquid desideretis*, hoc est, ut nostri Antecessores declararunt, injustè. *Exod. 20. v. 1. 1. Thess 4. v. 11.*

X. In materia luxuriæ, habemus Herodem. Hic familiarius agebat cum Herodiade uxore fratris sui, & cum eâ discursus, & actus amorosos, ac liberiores habebat. Res devenit ad Sanctum Joannem Baptistam, vel alium Vatem, qui id ad Sanctum Joannem detulit. Hic eam accessit, eique dixit, Domina *Marci 6. v. 17.*

Domina expedias te hac familiaritate, alias tuũ honorem in discrimen adduces. Quid ais Sancte vir, ergone periculum subeat meus honos? Quos Spiritus sumus, ut mihi sic loquaris, antea duas aures mihi præscindi permittam, quam hoc fiat. An talem de Rege, & me opinionem habeas? Ambo, tam ille, quam ego matrimonio ligati sumus. Consanguinei sumus, ne ergo aliquid mali de nobis suspiceris, quia arcta amicitia nos adeo familiares & liberos reddit.

Et quid quæso non dixisset, si ipse addidisset; hæ familiaritates crescent, in publicum prodibunt, tu frontem indues effrontem, opprobrium eris tuorum consanguineorum, Fabula Judeæ, & totius palæstinæ, tu eris quædam Megæra, ille te ducet in uxorem? Hac passione excæcata neci dabit majorem vatem, quam unquam viderit mundus, Sanctum, qui fuit prædictus per oracula Divina, per Angelum annuntiatus, miraculosè conceptus, in utero matris sanctificatus? Tu eum capite minui jubebis, tu ei linguam evelles, tu aciem tuo obstinato capite perfringes? Quod si aliquis ei hæc omnia dixisset, velut somniator fuisset habitus. Et tamen omnia evenerunt.

Idem tecum agitur, si enim aliquis tibi diceret, quod visitationes illæ, illæ frequentes, liberæ, & diuturnæ conversationes, & familiaritates tantum efficient, ut futurus sis scandalum urbis, fabula vicinorum, abominatio, consanguineorum tuorum afflictio, & equuleus parentum, desolatio tuæ familiæ, & quod forsan capite minuenda sis in scena fatali, an non diceres has esse minas aeris? An non diceres, millies mori mallem, quam vel minimum malum cogitare, adeo honestus circumspectus in verbis, ut ipse primus futurus esset, qui me impediret, est meus affinis, me frater, est vir devotus, spiritualis, apud omnes in maxima æstimatione. At enim, apage sis cum his nugis. Nonne alii, qui miserè & infeliciter perierunt, easdem rationes adduxerunt? An non eadem proposita firma habuerunt, quæ tu? An non à minimis sensim eorum ruina crevit? Nonne affinis perdidit Herodiadem? Nonne sancta Irena ferme in discrimen fuit adducta per virum quendam spiritualem? Mercurii Gallici, Historiæ nostri ævi referti sunt exemplis plurium puellarum, & fæminarum, quæ perierunt per nimias familiaritates consanguineorum, affinium, fratrum, vel virorum spiritualium, aut qui tales esse videbantur.

XI. De invidia quoque exemplum non deest. Postquam David in monachomea protrivisset Goliath, puellæ ei obviæ iverunt, & coram Rege Saul ei Pæana accinuerunt dicentes, ***Saul percussit mille, & David decem millia.*** Et ut verum fatear, indiscretè egerunt, quia omnis comparatio est odiosa, & nonne potuerunt laudare Davidem, absque eo quod eum componerent Regi Saul? Saul adustus est invidia, & quidem tali, quæ videtur excusabilis, solio donatus est non ex ambitione, sed Deo eligente. Ille se inhonoratum vidit, & uni vasallo collatum; & nihilominus hæc invidia & Zelotypia eum pepulit in cujus litias & crudelitates abominabiles, quia misellli, & innocentis Davidis jugulum petiit, binis vicibus ejus cor lanceâ trans-

1. Regum. 12. v. 6.

transfigere conatus est, ille injustè viginti quinque Sacerdotes occidit, ille omnes incolas urbis Nobe gladio interemit, & hoc,quia solum David intra moenia receperant.

1. Regum 22. v. 18.

Gen. 25.

XII. De gula nos docet Esau: Hic cum e venatione famelicus, uti venatoribus fieri assolet, rediisset, vidit scutellam lenticularum, quas ejus frater Iacob sibi coxerat, hic cibus ejus appetitum irritavit; & tanden eum fecit Prophanum, & simoniacum, dum ob ferculum corruptibile vendidit suum sacerdotium. Tu adis popinam, non quidem cum intentione, quod velis offendere Deum, sed ut refectijunculâ potiaris, quam tibi tuus amicus solvere vult, verum hæc refectiuncula tibi carius constat, quam si illam domi tuæ solvere debuisses, quia per detractiones, per verba lasciva, per blasphemias, per rixas, perdis tuam animam.

Gen. 34.

XIII. In materia iræ prodeat in medium princeps Sichimitarum. Hic violaverat, & defloraverat Dinam Filiam Iacobi. Fratres ejus hoc ægerrimè tulerunt, & bile quidem justa inflammati sunt. Verum hæc bilis migravit in odium, odium ulterius processit, ita ut incolas urbis occiderint, qui tamen innocentes erant, & non complices deflorationis, similiter ira exigua vos pellit in verba mordacia, quod si vobis aliquis replicet, & similia regerat, illa responsa animo voluitis, post rixas cor vestrum exacerbatur, & odium concipit, hoc odium in te, & in tua familia inimicitias mortales, & immortales gignit.

2. Regum. 11.

XIV. In acedia habemus Davidem; qui aliquo ocio, & inertiâ se distineri permisit, & quamvis illa acedia, & ocium videretur leve, & veniale, nam post prandium nonnihil vires fessas recreavit, & pro eo, quod Deum rogaret, aut aliud opus bonum faceret, in lecto se posuit: Sed quid factum fuit? *Accidit ut de strato suo surgens. Accidit.* Hoc est, casu hoc contigit, nec enim hoc facere asveverat. Hæc ignavia ejus debilitavit Spiritum, eum succursu speciali privavit Dei; cumque surrexisset, adiit solarium, ex eo conspexit quandam feminam, in ejus concupiscentiam exarsit, eam accersiit, cum ea concubuit, per turpissimam proditionem, quam quis concipere possit, ejus occidi jussit maritum. Tu choreas adis, animo proponens non peccare, nec alicujus mali ansam præbere. Adolescens quidam laudat tuam gratiosam indolem, tibi hæc laus arridet, tibi vanè complaces, hæc complacentia tuum cor emollit, amore erga laudantem corriperis, à laude procedit ad confabulationes, ab his ad amicitias, & tandẽ per promissionem fictam Matrimonii te deflorat. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

XV. Porrò, ut verbo rem dicamus; ille qui verum, & sincerum habet propositum vitam emendandi, conatur eradicare omnes inclinationes ad peccandum, omnes propensiones pravas, & habitus vitiosos longo usu contractos. Hos juxta sanctum Fulgentium duobus modis superamus: *Frequentia orationis, & studio bonæ operationis.* David utrumque adhibuit: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Nunc dic sodes, an ego vitam conservare possim, si per mediam, vel integram horam aerem non hauriam? Non sanè. Et Psal. 118.

cor? Quia intus latet fomes quidam, ignis quidam naturalis, qui continuo refrigerationem poſcit. Nos in anima noſtra habemus fomitem, & ignem Græcum, vel potius infernalem, prunas fatales, & funeſtas, fomitem peccati, concupiſcentiam, naturam corruptam per peccatum originale, & ſcelera actualia. Aer non adeò eſt neceſſarius fomiti corporis, quam Sanctus Spiritus prunis animæ, ne moriaris corporaliter continuò debes haurire aerem, & reſpirare; ne moriaris morte animæ, & labaris in peccatum, continuò, vel ſaltem ſæpe debes aſpirare ad Deum, & de hora in horam attrahere ejus gratiam, de media hora in mediam horam per humiles preces, per orationes jaculatorias imitari Davidem! *Os meum aperui, & attraxi Spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Sæpe dicere.

XVI. *Aſpice in me, & miſerere mei.* Mi Deus curam mei gere, da gratiam ne relabar in peccata: *Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis.* Vt diſſipentur pravi humores corporales exercemus corpus, ergo ut diſſipeantur humores peccaminoſi animæ, & inclinationes vitioſæ, fervore, & aſſiduitate bonorum operum continuò nosmetipſos exercere debemus, viſitando carceres, hoſpitalia, infirmos, pauperes, conſolando afflictos, docendo ignorantes, reducendo errantes, diſſentientes reconciliando; quia hoc modo bonas gratias Dei lucraberis, & obtinebis ſuccurſum, ut tuis reſiſtas inimicis, nundum habes otiũ, & vires ſuperandi tentationes, ſed acquires bonos habitus, qui pravos ſuperent, qui timet Deum faciet bona.

CONCLVSIO.

Per Paraphraſim illorum verborum: In ſimplicitate cordis lætus obtuli univerſa.

XVII. Ergo Filium Dei invoca, & cum Eccleſia eas preces, quas ad Deum in miſſa Dedicationis Eccleſiæ mittit, ad eum funde. Salomon quidem easdem preces in conſecratione ſui templi ad Deum præmiſit. Vera converſio eſt quædam novella conſecratio, & dedicatio noſtrarum animarum. *Deus meus ſcio, quod probes corda, & ſimplicitatem diligas, unde & ego in ſimplicitate cordis mei lætus offero univerſa. Domine Deus cuſtodi in æternum hanc voluntatem.* Mi Deus tu penetras corda, & fundum animarum noſtrarum, tu tuo lumine denſiſſimas tenebras mentis noſtræ illuſtras, ego omnia, quæ a me petis prompto, & ſincero corde tibi offero. Gratiâ tua hanc in me voluntatem conſerva: An nos omnes hæc inſignia verba dicere non poſſimus, *probas corda, & renes*? Immò. Deus penetrat veſtra corda, & videt, an nullus affectus peccaminoſus in iis ſit, videt an nõ adhuc lateat in iis aliqua propenſio Secretæ voluntatis revertendi ad priſtina vitia. Cave, ne communices, ne tibi eveniat id, quod evenit illi infelici principi.

1. Paral. v. 29. v. 17

Regem Lotharium Pontifex Romanus anathemate percuſſerat, quia pellicem VValdradam in aula alebat. Romam ſe contulit, ad abſolutionem obtinendam, fingens ſe eam ejeciſſe. Adrianus ſecundus Pontifex ſanctiſſimus poſt-

Haim. l. 5. Cap. 21. Baron. anno 868.

postquam missam in Vaticano celebrasset, & ei sacram communionem porrigere vellet, ut eum rursus membris Christi incorporaret, à quibus per excommunicationem eum separarat, sacram Eucharistiam manibus gerens dicebat. Quod si te expedieris adultera, quæ tibi fuit vetita, & animo tuo fixum sit nunquam redeundi ad VValdradam, securus huc accede, & Sacramentũ salutis æternæ, quod tibi remissionem peccatorum largiatur recipe. Verum si conscientiam necdum satis mundatam habeas, si adhuc aliquem affectum latentem geras erga adulteram, cave sis, ne id, quod à providentia Divina institutum est, in remedium fidelium, tibi cedat in judicium, & condemnationem.

Deinde versus ad Aulicos, & comites Regis, qui fidei asserant pro Rege, quod pellicem jam abegisset, sic fari cœpit. Quod si verum testati sitis corpus, & sanguis Christi, quod suscipere vultis, vobis cedet in vitam æternam. Idem ego vobis dico. Quod si abjeceritis peccata, si aliena restitueritis, si pellice vos expedieritis, si inimicis condonaveritis; Sacram communionem felici omine recipite. At enim si adhuc in corde lateat aliquis affectus redeundi ad vomitum; timeo ne idem, quod infelici illi Regi evenit succedat. Adeo temerarius fuit, ut indigne Eucharistiam sumere ausus fuerit. Verum eodem mense morte à Deo punitus fuit, & eodem anno omnes ejus comites à vindice manu Dei interfecti sunt. Deus corda vestra penetrat; Ille videt omnes vestras inclinationes; ergo perfectum ei immolate holocaustum, offerte omnia quæ à vobis flagitat. *Offerro universa,* sine aliqua reservatione, limitatione, vel modificatione. Ne dicatis, ego quidem concubinam ejicere volo, sed nolo reconciliari cum meis hostibus, ego quidem volo cum iis pacem inire, non tamen desistere ab illa litè injustâ. Ne cum Deo sic agatis. *Offero universa in simplicitate cordis,* sine duplicitate, simulatione, sine animo redeundi ad vomitum. Ne dicas, ego abstinebo à frequentatione popinarum, sed solum usque ad pascha, ubera, & brachia contegam, sed tantum eo usque donec confessa fuero. Ne inquam sic agas; Sed sicut Deus candidus, & sincerus erga nos est; ita & vult ut simus erga eum; sicut ipse non agit thrasonicè nobiscũ, ita nec vult cum eo agamus. Ille omnia nobis condonat, adeoque & vult & perfecte, & totaliter, & pro semper nos convertamus.

Lætus offero, hoc est promptè, & spontaneè. Ne ergo sis negligens, & ne permittas, quod tantis precibus debeas solicitari. Si libenter, & spontè id facias, ergo te resolve, nec expectes impossibilitatem relabendi. En magnum arcanum. Avunculus tuus promisit, quod te heredem velit instituere omnium suorum bonorum; si ergo eum videas bene dispositum, lætum, & tibi bene affectum, tu non negligis hanc occasionem, sed rogas, ut curet advocari Notarium. Eodem modo agas in negotio tuæ salutis, quando es in fervore alicujus boni propositi, illud sine mora executioni manda, vade ad tuum hostem, ut te illi reconcilies, vulcano trade chartas litis injustæ, redde schedu-

las, quitantias, restitue, apud Religiosos admitti pete.

Quod si sis bene dispositus, potes dicere cum Salomone: *Domine Deus, custodi hanc voluntatem.* Mi Deus, hæc voluntas de tuo munere venit, id quod mihi dedisti in te te nequit subsistere. Tuum est illam conservare. Tu qui dignatus es ejus fieri auctor, digneris & ejus esse conservator *Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.*

SERMO VIGESIMUS SECVNDVS.

Pro Dominica in Albis.

De fugâ occasionum necessaria ad remissionem peccati.

Dominus meus, & Deus meus Ioann. 20.

EXORDIUM.

MIramur omnes, & execramur incredulitatem Sancti Thomæ, quod noluerit fidem adhibere Discipulis affirmantibus Christum resurrexisse, non obstante, quod hoc tam asseveranter affirmarent, & Christus etiam prædixisset se resurrecturum; & consuevimus eos vocare incredulos, & obstinatos, qui tribus, vel quatuor testibus aliquid affirmantibus, fidem adhibere renuunt; verum vereor, quod nos magis simus increduli, & pertinaces quam Thomas; si enim verè crederemus omne illud refertur ad peccatum esse odiosum, profectò majori cura, & solertia illud vitaremus. Quod si forsan hactenus, pluribus testibus id esse vitandũ fidem adhibere nolueritis, hodie cũ Auctore in hac concione occasiones esse vitandas demonstrabo, & spero quod non amplius manebitis increduli, & pertinaces, sed quod cum sancto Thoma in credulitatem vestram sitis deposituri.

Occasione accepta, peccatum operatum est in me. Rom. 7. v. 8.

I. Heri consideravimus ad bonam conversionem, ac utilem, & fructuosam poenitentiam requiri non simplicem velleitatem, sed veram, sinceram, cordialem, & efficacem voluntatem, non amplius peccandi, & ad hoc exigi fugam occasionum. Tempus non permittebat, ut illam veritatem fusius explicarem, hodie id mihi agendum est, & probandum fortiter, per scripturam,

Patres

Patres, Concilia, argumenta Theologica, & exempla Sanctorum. O Sacratissima Virgo, tu fuisti eorum exemplar, & idea. Sanctus Ambrosius Virginibus Christianis tuam vitam tanquam speculum, quod omnes tuæ conversationes fuerint irrephrehensibiles, & omni carentes suspicione, quodque neminem visitaveris, nisi ita exigeret charitas, & misericordia. *Eos solos solita coetus virorum invisere, quos misericordia nõ erubesceret.* Tuo exemplo nos docere voluisti, ut occasiones peccandi vitaremus, quamvis ex speciali gratia in nulla occasione fueris exposita alicui periculo peccandi, cum fueris confirmata in gratia, & virtutes possederis omnes nunquam amittendas, unde nunquam habuisti ansam timendi, & semper, & ubique tibi dici potuit. *Ne timeas, Maria*, uti tibi etiam dixit Angelus, dum te salutavit hisce verbis: *Ave Maria,*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Quidquid refertur ad peccatum est odiosum, ergo & ejus occasio.

II. PHilosophorum est effatum, & quidem verissimum, nempe quod cõtraria habeant proprietates, inclinationes, & effectus omnino contrarios. Nihil Deo est contrarium, præterquam peccatum, & quidem adeo directè, & e diametro, ut sicut Deus est summum bonum; ita peccatum sit summum malum. Et sicut Deus est summum bonum, adeo essentiale, infinitum, & communicativum, ut omne id, quod cum eo connectitur, vel ad eum refertur, sit amabile, utile, salutare, optabile; ita quoque peccatum est summum malum, adeo essentiale, contagiosum, ita ut quidquid cum eo est connexum, vel ad illud refertur, sit odiosum, horrendum, pestilentiale, & abominabile. Et talia etiam sunt occasiones boni, & mali; ut libri boni, conversationes cũ probis, prædicationes, confraternitates. Nil sane est nocivius occasione peccandi. Porrò, occasiones peccandi in duo genera dividere possumus, nam aliæ pertrahunt in peccatum & possunt vocari activæ, aliæ causantur, & vocantur passivæ. Prioris generis sunt illæ, quæ ex se, & ex sua natura sunt malæ, pestilentes, venenosæ, quæ sunt laqueus, & petra scandali, esca, & illicium peccatorum, verbi gratia, libri obscoeni, picturæ inhonestæ, verba libidinosa, ubera nudata, conversatio cum iis, qui nobis fuerunt objectum, & subjectum peccandi. Occasiones passiuæ sunt, quæ nos pelliciunt in peccatum, non quidem ex se, aut ex malitia iis intrinseca, sed respectu nostri status, debilitatis, depravatæ naturæ, vel consuetudinis pravæ. Tales occasiones sunt sacerdotium respectu illius, qui non habet donum continentiæ, cura animarũ respectu illius, qui non est satis doctus, officium Judicis, notarii, medici, chirurgi respectu illius, qui non habet judicium, scientiam, prudentiam, conscientiam ad illas functiones necessariam; Talia quoque sunt officium militis, belli duci, cauponis respectu illius, qui habet vitia, in quæ talia officia pellicere solent. Porrò, ut verè convertamur, & verè, & sincerè pœniteamus, omnes hæ occasiones vitandæ sunt, ut ego ex omnibus

locis probabo, quibus veritates catholicæ comprobari possunt, verbi gratia ex novo, & veteri testamento, patribus, conciliis, rationibus, & exemplis.

PVNCTVM VNICVM.

Occasionem esse fugiendam probatur primò scripturâ, secundo Patribus, tertio conciliis, quarto rationibus: primo ex charitate in nos, secundo humilitate, quinto exemplis evitandis, Samsonis, Davidis, Salomonis, sexto exemplis imitandis in lege naturæ Ioseph, in scripta Iudith, nova Martinianus, septimo argumentis conglobatis.

Eccles. I. II. SPiritus Sanctus dicit. *Cor durum malè habebit innovissimo & qui amat periculũ, peribit in illo.* Non dicit *per illud*, sed *In illo*; quia exponere periculo peccandi, & degere in occasione peccati non est solũ dispositio, & via ad peccatum; Sed & peccatum, quia per solum peccatum perimus, & ideo dicit, quod non solum pereamus, per peccatum, ad quos nos ducit periculum, sed etiam in ipso periculo. Sanctus Cyprianus ulterius procedit, & dicit, ad hoc ut reddamur certi de salute, nos non solũ debere cavere, ne maneamus in periculo, sed & neque in vicinia. *Nemo diu tutus est periculo proximus.* (Epist. 60.)

Et quidem meritò sic loquitur, & conformiter ad mentem Ecclesiastici, qui dicit. *Quasi à facie colubri fuge peccata.* (Cap. 21. v. 2.) Non dicit, *A morsu, à veneno*; sed *A facie* hoc est à præsentia, visu, obviatione. Præterea noster Salvator postquam dixisset, *qui viderit mulierem &c.* statim subdidit. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Et sanè necesse est, quod hoc mandatum digissimum sit quod observetur, & summè necessarium ad nostram salutem, cum Filius Dei illud tam sæpe repetat, ad hoc ut nobis inculcetur; uti videre est Matt. 18. Marci 9. Porrò hæc verba quatuor reflexionibus observare debemus, ut quatuor documenta summè necessaria ex iis ervamus. (Matt. 5.)

III. Prima: Quod si aliquod munus, status, officium, beneficium, locus, persona nobis sit occasio peccati, debeamus illa vitare, quidquid etiam hoc nobis constet, quantum cunque nobis charæ, & pretiosæ sint illæ personæ, quantumvis utilè, commodum, & necessarium sit illud munus, status, officium, beneficium. Herus tuus te diligit, tibique affectus est, ille te vult promovere, sicut alios servos promovit. Verum servitio tuo utitur in ordine ad voluptates illicitas, & inhonestas, actiones turpes, & infames, ut portes munuscula illi puellæ, & literas amatorias, ut monopolia instituas injusta, ut ejus cooperetis peccato ut solicites pellicem. Tu ejus servitio te abdicare debes quidquid etiam hoc constat. Sunt duodecim anni, quibus servis in hac domo, omnes te amant, te suaviantur, Basiant, honorant, omnium ferme Dominus est, inhonesto Matrimonio te collocare volunt, verum est aliqua, quæ quandoque tibi est occasio labendi in peccatum carnis, debes ex illa domo discedere, quidquid etiam hoc tibi cõstet. Tu vides, quod nequeas

nequeas ſalvari in illo munere, quod administras, puta in officio Conſiliarii, Advocati, Notarii, Procuratoris, vel quia nimium propriò inhias lucro, adeoque mille injuſtitias committis. Curam habes animarum, tu non reſides, vel es ignorans, vitioſus, hiſce muniis te abdicare debes, quidquid etiam conſtet. Hæ perſonæ non ſunt tibi chariores, & pretioſiores, hoc officium, beneficium, non eſt tibi magis utile, commodum, neceſſarium, quam tuus oculus dexter, & tamen Salvator noſter vult abjicienda, & amputenda eſſe hæc membra, quando nobis ſunt occaſio peccandi.

IV. Secunda reflexio eſt, quod Filius Dei dicat, *Erve eam, abſcinde eam* ne forſan anſam capias dicendi, valde durum mihi eſt, quod me debeam ſeparare à perſona adeo mihi conjuncta, quæ me tam tenerè amavit, cui adeo obligatus ſum, magnus eſt cruciatus exire ex illa domo, in quâ mihi nemo aliquid malefecit, in qua ſtruxi nidum dierum vitæ meæ ſubſequentium, deſerere meum ſtatum, beneficium, officium in quibus lucror panem, quæ mihi conciliant tantum honorem, tantum reſpectum. Quo ibo, quid de me erit, quid de me dicetur? Fateor quod hoc ſit valde durum, hoc eſt extrema violentia, ſed tamen magis durum, major cruciatus, major violentia eſt eruere oculum, amputare manum, & pedem.

Porrò noſter Servator non dicit, ſi oculus tuus, ſi pes tuus, ſi manus tua tibi ſit occaſio peccati claude eum, manus, & pedes liga, aut vinculis conſtringe, ſed erue eum, amputa manum, abſcinde pedem. *Violenti rapiunt illud.* Rex gratiæ majorem à nobis poſtulat perfectionem, & elongationem à peccatis, quam lex Moſaica, & tamen Deus in Deuteronomio hanc tulit legem. *Si tibi voluerit perſuadere Frater tuus, aut Filius tuus, vel filia, ſive uxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animã tuam clam dicens; eamus, & ſerviamus Diis alienis, quos ignoras tu, & Patres tui, ne acquieſcas ei, nec parcat oculus tuus ut miſeraris, & occultes eum, ſed ſtatim interficies, ſit manus tua primum ſuper eum.*

V. Tertia reflexio hæc eſt; Et ne præſumas Deum naſo ſuſpendere dicendo, pellicem, ſcortum e domo mea proſcribam, ſed eam ad talem plateam ablegabo in quâ eum poſſim quandoque videre, quandoque domum meam veniet, ut meæ uxori aliquod ſervitium præſtet, ego amplius eam non iuvabo, ſed ſuſpiciam eos, qui eam juvant, ego popinas vitabo, ubera contegam, ſed ſolum tempore quadrageſimæ, Filius Dei dicit *projice abs te*, ideſt procul, & pro ſemper occaſiones abige. Deut. 13. v. 6.

VI. Quarta reflexio eſt. Et quia poſſes dicere. Chriſtus hoc tantum conſulit, & non mandat, ego adhoc non obligor, & ſi hoc omittam, non tamen mihi poterit denegari abſolutio, ne inquã hoc dicas, & putes hoc eſſe ludum puerilem ſed eſſe negotium, à quo dependet tua ſalus, ille ſubjungit; Expedit enim, & melius eſt cum uno oculo, manu, pede intrare cælum, quam cum duobus præcipitari in infernum. Iam vidimus Scripturas, nunc videamus Patres, & Concilia.

VII. Sanctus Gregorius inſigniter illuſtrat caput vigeſimum primum Sancti Ioannis, in quo recenſet, quomodo Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem

onem aparverit Sancto Petro, & reliquis Apostolis, qui piscabantur in mari Tiberiadis, & hanc curiosam, & illustrẽ proponit quæstionem: *Cum veritas dicat, nemo mittens manum* suam ad ararrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei: hoc est, nemo, qui se dedit servitio Dei, repetit actus priores; Eccur Sanctus Petrus, ejusque sodales, qui omnia reliquerant, ut Filium Dei sequerentur, redeunt ad Scaphas, repetunt retia, cum tamen non legamus, quod Sanctus Matthæus redierit ad telonium? Et pulchrè respondet, esse quædam, quæ sine offensa Dei, & periculo peccati, vix, aut nullatenus fieri possunt, qualia sunt munus Mercatoris, Tabellarii, belli Ducis, Cauponis, quando ille, qui plura peccata in talibus commisit, verè se ad Deum convertit, & sequelæ Filii Dei se dedit, talia verò non posse repeti, & ideo Sanctum Matthæum non rediisse ad telonium; alia verò esse, quæ possunt exerceri siue offensa Dei, aut periculo peccati, ut verbi gratia piscatio, medicina, Agricultura, adeoque sine minimo præjudicio conversionis post pœnitentiam, & conversionem, aliquẽ ad talia redire posse. Hæc sunt verba, & decisio Pontificis, quæ nostrum intellectum captivare debent. Quod si dicas eum loqui tanquam Doctorem particularem, en duos, qui loquuntur ex cathedra; & in conciliis.

Hom. 24. in Evang.

VIII. Postquam Concilium Lateranense, in quo convenerunt mille Episcopi, quodque habitum fuit sub Innocentio secundo anno 1139. hanc tradidisset salurarem monitionem: *Inter cætera unum est, quod Sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa scilicet poenitentia; unde confratres nostros admonemus, ne falsis poenitentiis laicorum animas decipi, & in infernum detrahi patiantur,* subdit: *Falsa etiam fit poenitentia, cum poenitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.* Similiter, postquam Gregorius septimus eadem, & quidem in iisdem ferme terminis protulisset in quinto Concilio Romano anno millesimo septuagesimo octavo, dicit eum privandum esse absolutione, qui vel occasiones peccandi non vitat, vel qui aliena non restituit, aut cum inimicis pacem inire non vult, talemque, quantum est possibile nulla bona opera debere omittere, ut Deus ejus cor illustret, & ad veram poenitentiam disponat.

Can. 12.

IX. Porrò inter alia motiva, quibus moti sunt hi Sancti prælati, ut ita loquerentur, est hæc præcipua, quod charitas sui ipsius omnes obliget, ut salutem, non tantum propriam, sed & proximi cordi habeant. Hinc Sanctus Paulus scribit ad Corinthios, quod si quis sciret, se esu carnium futurum occasionẽ alterius ruinæ, talem toto tempore vitæ carnes comedere non posse. Nunc dic lodes, an non malles tibi perpetuum ingressũ in popinas interdictum, quam perpetuam abstinentium à carnibus? Apostolus Filii Dei dicit, quod potius nolit unquam gustare carnes, quam per earum eum proximo præbere occasionem ruinæ. Tibi autem melius esset nunquam comedere carnes, quam ire ad popinam, quia per frequentationem popinæ te conjicis in occasionem peccandi: Juris consultorum hoc est axioma: *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* Et conformiter ad hoc axioma leges sic sta-

L. qui occidit SS in hac quoque ff. ad legem Aquiliam Q. non salutem, & Q. Imperatores ff. de officio præfecti vigilum.

statuunt: *Eos, qui negligenter apud se ignem habuerint, potest præfectus fustibus, aut flagellis cædi jubere.* Insuper est axioma Philosophicum. *Quod est causa causæ, est causa causati.*

X. Præterea quod si hæreas in occasione peccati, ostendis quod non sis humilis, sed temerarius, & præsumptuosus, tu nimium confidis in tuis viribus, tu non habes illum timorem, & diffidentiam tuipsius, quam Spiritus Sanct⁹ toties in sacra scriptura commendat, quinimmò es ex iis, de quibus dicit: *Qui confidunt in virtute sua.* Verum audio, quod dicas, ego confido in providentia, & protectione Divina, ego spero, quod mihi assistet, spero quod manum præbebit, & impediet ne cadam. At apage cum his nugis. Quis tibi dixit, quod tibi assistet? Vbi hoc tibi promisit? Cui adstitit? Ego valde vereor, quod nec ullum locum scripturæ reperturus sum, ubi Deus spondeat, quod velit succurrere iis, qui temere sine ejus suasione, jussione, ductu, & directione particulari sese in occasiones præcipitant. Timeo, quod in cunctis Historiis Ecclesiasticis nec ullum ex his præsumptuosis reperturus sim, cui hanc gratiam præstiterit. Revera res valde paradoxa est, quod dum aliquis te vult obligare, ut vites occasiones peccandi, tu mille prætextus quæras, quibus te excuses, quod si exeam ex hac domo, si expediam me meâ pellice, si hoc beneficium, vel officium resignem, quid faciam? Quo ibo? Quid de me erit? Ego ludam meam fortunam, ego infelicem me reddam, ego mea destruam. Ne amplius dicas, sicut sæpe dixisti, ego confido in providentia Divina, ego spero quod mihi assistet, quia dixit per Sanctum Paulum: *Non ego te deseram, neque derelinquam*, quia te interrogo; & quomodo illam speras protectionem, quam nunquam promisit, cum tamen sperare non velis in eo, qui tibi adeo expresse, & sæpè promisit? Ego invenio, quod plurimis, qui ut evitarent occasiones offendendi Deum se brachiis committendo Divinæ providentiæ bonis fortunæ exuti sunt, extraordinario modo, & miraculosè succurrerit.

Moyses ut sese consortio, & habitationi inter infideles, ac occasionibus peccandi se subduceret, deservit aulam magni Monarchæ, & extra occasionem peccandi malvit esse opilio, quam in ea Filius adoptivus principissæ, & heres Filiæ Regis. Deus porrò hunc actum muneravit, eumque Ducem, & Ductorem sui populi, Generalem exercitus sexcentotum mille Bellatorum, Fundatorem, & Legislatorem Synagogæ. Sanctus Paulus Eremicolarum Primicerius, dum adhuc juvenis quindecim annorum viribus propriis diffideret, & timeret succumbi, si forsan eum capi in odium fidei contingeret, ad quoddam vastum nemus confugit, & in quodam spelæo se abdidit, sed Deus eum per sexaginta annos per corvum pavit. Sanctus Felix Episcopus Nolanus, persecutionem declinans, in angusto duorum parietum intervallo se occultavit, quem aditum cum Deus aranearum telis pertexisset, persequentium paganorum oculis sublatus est. Econtra illi, qui temerè se occasionibus peccandi ingesserunt, quantumvis essent Sancti, & virtuosi, à Deo derelicti sunt, & miserè ceciderunt.

XI. Sampson miraculosè à matre sterili fuit conceptus, seipsum in utero matris Deo devovit, ejus nativitas prænunciata fuit per Angelum, ille nunquam siceram, vel vinum gustavit. Deus benedictionibus suis eum cumulavit, & Spiritu suo replevit, ille Leones protrivit, & dilaniavit; sed quia amore captus Philistææ sese in occasionem peccandi præcipitavit, *Spiritus* Domini eum deservit, debilis velut alii factus est, & ludibrium infidelium ejus inimicorum.

David eximius fuit Propheta, adeo Sanctus, ut appellatus fuerit vir secundum cor Dei, ille in suis Psalmis altissima mysteria nostræ Religionis decantavit, ille compendium habet totius sacræ scripturæ, verum ab unicâ occasione, quæ non videbatur esse proxima, omni sua sanctitate privatus est, ille in solario suo deambulans oculis nimium indulsit, & feminam quandam se lavantem conspexit. *Mulier longè, libido prope.* Hæc femina fuit quidem ab eo semota, sensualitas tamen fuit prope eum; ille exarsit in concupiscentiam hujus feminæ, ille cum eâ commixtus est, ille factus est proditor, adulter, homicida.

XII. Eius Filius Salomon non inferior fuit, quam ipse. Hic tantâ fuerat dotatus sapientiâ, ut antonomasticè Sanctus fuerit vocatus. Regina Saba præcisè in eum finem ex regione distantissima ad eum se contulit, ut illum consuleret, ejusque sapientiam admiraretur, ejus cogitationes erant Prophetiæ, ejus verba oracula, ejus scripta libri Canonici; atenim verò, postquam se præcipitavit in occasiones peccandi, dixit|, *stultissimus sum omnium mortalium.* Et quænam quæso est major stultitia, quam extruere Fana Idolis Chamos, & Moloch, quod seriò Deus, ejusque parens David interdixerant, & hoc ut suis concubinis gratificaretur? Scriptura ei objicit, quod causa tam turpis lapsus fuerit, eò, quod non fugerit occasiones contra mandatum Dei. Et quidem Deus disertè caverat in lege connubia cum infidelibus, ne aliquis perverteretur, & in idololatriam induceretur. Et ne quispiam forsan posset dicere; quod si ego nupsero infideli, ego eam convertam, si duxero maritum Idololatram, ego eum ab idololatria abstraham, Deus terminos adhibet, quibus alias non solet uti, *Non ingrediemini ad illas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim avertent corda vestras, ut sequamini Deos eorum* inam ut dicit Sanctus Chrysostomus, multò facilius est, quod aliquis se sinat ab alio dimitti ad declivium vitiorum, quam quod elevetur in sublime.

Proverb. 30.
3. Regum 11.
Exod. 34. *v.* 16.

Præterea narrat Sanctus Gregorius Nazianzenus, quod dum cum Sancto Basilio operam literis navaret in Academia Atheniensi, vitarint consortia condiscipulorum vitiosorum, & dissolutorum; & quia aliquis iis objicere poterat, quod potius cum iis conversari deberent, ut eos ad Deum converterent subjunxit; sanum agentem cum infirmo, citius contrahere hujus morbum, quam eum sanitati restitui. Et sane Salomon hoc non consideravit, ille quippè deperiit feminas infideles, & ut illis stultè complaceret, Idololatriæ se dedit, & inse, ac suam familiã maledictionem Dei derivavit.

3. Regum 11. *v.* 2.
In carmine de vita sua.

XIII. Nunc habes tria exempla, quæ

quæ debemus vitare, alia tria afferam, quæ debemus imitari, unum ex lege naturæ, aliud ex lege scripta, tertium ex lege Evangelica. Sancti non solum evitarunt pericula offendendi Deum; sed & abominati sunt omne id, quod occasionem peccandi iis in memoriam posset revocare. Dum Megæra illa Aegyptiaca uxor Putipharis solicitaret suum famulum Joseph, ut secum coiret, & thorum violaret maritalem, & vestibus eum arriperet, ut eũ detineret. Sanctus hic adolescens fugâ castitatem suam salvavit, palliumque in manibus heræ reliquit. Et profectò nullum est dubium, quin se conjecerit in manifestum discrimen ruinæ, quâ eum femina impudens, postquam tam ignominiosè rejecta fuisset, & injuria tam sensibili affecta, involuere poterat, utpote juxta leges Patriæ ejus vitæ, & mortis Domina. Quid aliud timere, vel expectare poterat, quam quod illa eum esset diffamatura, aut vindictam repetitura? Ad minus expectare, poterat, quod esset servitio suo spoliandus, & præfecturâ domus. Omnia hæc diligenter consideravit, & tamen his non obstantibus, potius voluit suam fortunam, commoditatem, honorem, vitam exponere discrimini, quam manere in occasione peccandi.

Et quidem centuplum hunc actum ei muneravit, & ab hoc ejus promotio incepit, factus est pro rex Aegypti, præfectus domus, non Putipharis, qui fuit vasallus, sed Pharaonis, qui magnus fuit Rex. Idem tu quoque fac, dum ab aliquo perverso solicitaris ad relapsum, ne te fatiges ei prædicando, quia id ad te nõ pertinet, nec tui id est muneris, & quãvis id ad te spectaret; attamen tua verba nil efficerent, quandoquidem eodem jure perfusus sis; nec angas te ei persuadendo, ut suis excessibus, & vitiis, insolentiis valedicat, & confessionem instituat; quia tu quidem uti putas, id facerevis ex zelo, quem habes erga ejus salutem, & timor ne alteri adhæreat, & pro eò quod eum convertas, ille te pervertet. Omnia ergo committe providentiæ Divinæ, & forsan intentum habebis, si fugias occasionem, sicut eam fugit Joseph. Et cur amabò hic Sanctus Patriarcha Jacob suum pallium liquit in manibus suæ heræ, cũ ille esset robustus, & in flore suæ ætatis; illa vero tenella, & debilis domicella, quam faciliter repellere poterat, & elabi æquè celeriter, ac nunc fecit? An non prævidere debebat quod hoc pallio erat reus proclamandus violentiæ illatæ? Non solum voluit fugere occasionem, sed & umbram, ac memoriam ejusdem. Ille sciebat, quod dum in mentem nobis redit insignis occasio alias habita fruendi aliqua voluptate carnali, illa cogitatio pulset nostram imaginativam, & sensualitatem excitet, occasio tam commoda ei in mentem redisset.

XIV. Casta, & Heroina Generosa Iudith suam lectionem ab exemplo hujus sancti juvenis didicit (nam sancti ex omnib⁹ aliquid utilitatis hauriunt) postquam enim capite minuisset Holophernem, & victoriam suis concivibus ab Assyriis reportasset.

Et ei pro præmio dedit omnia spolia, facultates, & suppellectilem Holophernis, signanter lectum, aut tentorium opulentissimum, & pretiosissimum, in

quo hic belli dux cubare solebat: insuper ei dono dederunt *Conopaeum, quod erat ex purpura, & aura, et Smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum.* Verum Judith omnia illa contempsit, & illicò illa abjecit: *Universa vasa bellica Holofernis, quae dedit illi populus, & conopoeum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Ergone manubia, & spolia tam illustris Victoriae ei adeo in vili sint? Eccur ea non asseruat, ut ita suos posteros redderet illustres? Eccur illa non appendit inter trophaea antecessorum, ut ita suum valorem posteritati commedaret, & suum nomen perennaret? Quod si nolit retinere gladium, & arma, utpote, quae illi non conveniunt, cur non servat lectum, qui ejus sexui convenit? Illa eam in suo poterat reponere cubili, eumque ostentare iis, qui eam visitaturi erant. Quod si judicabat tam pretiosam rem non convenire castae, & devotae viduae; eccur eum non recondidit in quadam arca, ut eum alicui consanguineorum testamento legaret? Nequaquam hoc voluit, illa sapienter praevidit, quod ad quemlibet aspectum hujus lecti, occasio in mentem reditura esset, quâ voluptate frui poterat carnali, quodque reminiscentia illius occasionis imaginativam excitare poterat, & speciem quandam imprimere sensualitati, & ideo eum abjecit, & omnia *Obtulit in anathema oblivionis.*

Judith. 16. v. 23. 10. v. 19.

XV. Magis anxius fuit Sanctus Martinianus, postquam vidit quandam feminam levem interiora penetrasse nemoris, ut eum in sua cellula, in qua in summâ pace degebat, ad flagitium pertraheret; ille itaque, ut similes laqueos vitaret, ad quandam Insulam in medio maris sitam remeavit, corbes quas conficiebat vendendo cuidam nautae, qui ei quandoque pauxillum panis biscocti afferebat, quo vitam sustentaret. Verum enim verò, dum quadam vice Nautae praeternavigantes naufragium facerent, navi ad scopulum collisa, puella quaedam tabulam arripuit, ad insulam appulit, in qua sanctus solitarius degebat. Ille ad visum illius Consternatus, sic eam affari coepit. Charissima, stipula, & ignis non bene conveniunt, ego potius me commisero providentiae Divinae, quam infirmitati meae naturae, en panem, quo vitam alas, donec post aliquot tempus meus annonae provisor te hinc deportet, ego poti⁹ continuò vagabor, quam sim in periculo peccati mortalis. Hisque dictis in mare se praecipitavit. At enim providentia Divina, ei Delphinum submisit, qui eum ad ripam devexit. Viden, quomodo Sancti non solnm vitarint peccatum, sed & occasionem, periculum, umbrã, peccandi. Quomodo ergo tu nolis vitare occasionem proximam, quae te tam saepe, & enormiter praecipitavit.

XV. Quid dicis, quid cogitas? An timeas negotia tua destruenda, tua perdenda, si exeas ex illa domo, si illam amicitiam rumpas? Et ubi quaeso est confidentia, quâ te Divinae providentiae committere debes? Ubi est fides amabò, quam verbo Dei adhibere debes. *Non dereliquisti quaerentes te Domine. Qui sperant in te non confundentur. Sustinentes Dominum non minuentur omni bono.* An tuas opes amittes? An timeas hujus jacturae plus in tuo corde possit, quam metus offendendi Deum? Quomodo ergo

Psal.

ergo subsistant illa verba Salvatoris. *Siquis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem. & Filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus*, & illa: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse Dicipulus.*

Luca. 14. v. 16.

An Sanctus Petrus, Andreas, Joannes, Jacobus dixerint Filio Dei, si nos renuntiemus nostris parentibus, retibus, scaphis, & te sequamur, omnia pardemus? An Sanctus Matthæus illi dixit, si ego libros dati & accepti telonium deseram omnia amittam? An Sancti Martyres dixerint, si Imperatorum edictis non pareamus, honoribus exuemur, dignitatibus, muniis spoliabimur, bona nostra fisco addicentur, in exilium relegabimur, & morte crudeli afficiemur? Non. De Apostolis legimus, quod *Relictis retibus, ac Patre sequuti sunt eum.*

Bene tua agis Deus, suo tempore rationem exiget; quod si maneas in occasionibus, & periculis peccandi, idque quia times, ne amissurus sis tua bona, scias quod illa perdes sive citò, sive tardè, & valde probabiliter hæc occasio erit ruina, & jactura tuorum bonorum. Filii Iacob vendiderunt suum fratrem Ioseph, idque ne magnus fieret, & supra eos eveheretur, & hoc scelus causa fuit, quod eorum Dominus sit factus. Scribæ, & Pharisæi dixerunt: *Si Dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum*, & quia eum occiderunt, ideo Romani venerunt, & eos perdiderunt.

CONCLUSIO.
Per recapitulationem.

Dicam ergo cum vate, *Fugite Babylonem*, fugite occasiones, quæ vobis est vera Babylon, servitus, & captivitas, via, & ductio ad peccatum, occursus serpentis, periculum, quod vos perdet, lapis offensionis, mons præcipitii, laqueus damnationis.

Quantumvis hoc officium, illa persona, quæ nobis occasio peccati est, vobis sit chara, & pretiosa, immò charior, & pretiosior, quam optimus tuus oculus, utilior quam manus dextra, magis necessaria, quam pes, attamen vitari debet, & ab iis procul est tibi secedendũ. Alias facies id, quod Filius Dei tam acriter reprehendit, nempè quod respiciẽs retrò, postquam manum misisti ad aratrum, nec aptus sis regno Dei, quod tua poenitentia sit falsa, ficta, & inutilis quod charitatem erga te non habeas, quod ob adhæsionem erga aliquam creaturam, velis amittere tuam salutem, non detestaris peccata, quia ea amas, quæ ad illa pertinent, & disponunt, tu es temerarius, & audax, tu tuis viribus initeris, ac si esses fortior Sampsone, Sanctior Davide, Sapientior Salomone, Castior Josepho, validior Iudith, mortificatior Martiniano. Et quamvis spatio Sex mensium, unius anni, duorum annorum, non peccasses cum illa persona; attamen tu potes esse caussa quod illa peccat ad minus per cogitationem, aut affectum. Tu potes peccare successu temporis, eveniet forsan uno die, quod non contigit spatio centum annorum, & quamvis alio modo non peccares, attamen offendis Deum, ratione scandali, tu prebes malum exemplum, tu das materiam temerè judicandi, quod perseveres in pravo statu. *Fugite Babylonem.* Exeas ex illa domo, coquam tuam

tuam dimitte, popinas devita, fuge choreas, aleas, conventus adoleſcentum, & puellarum, ſocietates mundanas, converſationes pravorum.

Illud officium, beneficium dimitte, in quo nequis ſalvari. Forſan non diu vives, & mors propior eſt, quam tu putes. Omnia poſtea relinques, ſed illubenter, coactè, & absque merito. Si nunc illa relinquas ex amore Dei, ſi te committas ejus providentiæ, tu multum apud Deum promereberis, tu lucraberis ejus gratiam, ille curam tui habebit, ille in hoc mundo centuplum promiſſum tibi dabit, hoc eſt conſolationes, gaudia, gratias, & delicias ſpirituales, quæ centies plus valent, quam illa, quibus renuntiaſti, & in altera vita te paradiſo donabit Amen.

SERMO VIGESIMUS TERTIVS.

Pro Dominica ſecunda poſt Paſcha De Confeſſione Sacramentali.

Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas. Ioann. 10.

EXORDIUM.

O Nos terque, quaterque beatos, ſi dicere poſſimus cum Chriſto; *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas.* Sed audio aliquem dicentem, quid inde habebo ſi illa verba dicere poſſem? Nam ego non ſum Paſtor, nec habeo oves, dicant id magiſtratus, dicant illa verba ſuperiores, & alii, quibus incumbit cura animarum, & qui oves habent. Verum, ad quemlibet ſpectat munus paſtorale, quilibet debet eſſe paſtor ſuipſius, quilibet habet non unum, ſed plures greges; nempe potentias animæ, paſſiones, quinque corporis ſenſus, & membra corporis. Et hoc munus videtur in eo præfiguratum, quod Deus hominem præfecerit avibus, piſcibus, quadrupedibus, & reptilibus. Et quia nimis excreſceret oratio, ſi de omnibus ageremus, oſtendam cum Auctore in præſenti ſermone, quomodo homo debeat imitari bonum paſtorem, & cognoſcere per examen an aliqua ouis perdita ſit, hoc eſt ſua peccata interiora, & exteriora, dein cum bono paſtore educere oves ad paſcua, hoc eſt per linguam illa proferre, & integrè confiteri.

Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino Pſal. 31.

II. Die

II. Diebus præcedentibus nos ponderavimus, quod sicut ad curationem tumoris corporis, non sufficit quod vulnus scalpello aperiatur, sed & prætere a pus, & tabes debeat educi; ita quoque in vita spirituali, ut aliquis curetur à peccato, quod vocatur ab Isaia *plaga tumens*, non sufficiat, ut cor nostrum aperiatur per dolorem vivæ contritionis, sed & necesse sit, ut sanies effundatur per os. O sacratissima Virgo, dum Ecclesia in suis Litaniis te vocat Refugium peccatorum, illa primariò hoc intelligit de iis, qui se volunt convertere, qui pœnitent, confitentur, & se affligunt, quia offenderunt tuum Filium. Et ideo Ecclesia statim subdit, quod sis consolatrix afflictorum, auxilium Christianorum, ut peccatores, qui te invocant in afflictione pœnitentiæ, per succursum, & assistentiam tuæ gratiæ, quam imploramus te salutando, *Ave Maria*, consolationem recipiant.

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Hæc verba confitebor adversum &c. indicant confessionem debere esse primo præparatam, secundo vindicativam, tertio integram.

II. DIxi confitebor &c. Hæc verba Regalis Psaltis, quæ pro meo themate assumpsi, egregiè explicant tres principales circumstantias, & condiciones veræ pœnitentiæ. Primo quippe debet esse præmeditata, ita ut examen, & dolor debeant eam antecedere. *Dixi confitebor.* Secundo, debet esse vindicativa, *Adversum me injustitiam meam.* Tertio, quod debeat esse integra, ita ut nullum peccatum mortale omittatur, velut illa, quæ fit Deo. *Confitebor Domino*, & hæc erunt tria puncta hujus discursus.

PUNCTUM PRIMUM.

In hoc tribunali poenitens est pars adversa contra se, unde debet parare accusationem scrutando sua crimina per examen. Præcipua hujus examinis pars est dolor, ardenter à Deo petendus.

III. ADeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur. Heb. 4. v. 16. Hic textus sacer, quem Sanctus Paulus scripsit ad Hebræos; nobis ansam præbet considerandi, quod Salvator noster erga homines duo genera judiciorum exerceat, unum suavitatis, & bonitatis, alterum severitatis, & rigoris. Primum est asilum misericordiæ, aliud est tribunal justitiæ. Primum est thronus remissionis, secundum est solium vindictæ, & punitionis. Primum exercetur in hac vita, secundum post mortem. Primum fit in Sacramento pœnitentiæ, secundum in resurrectione generali. Et veluti in hoc secundo tam severè, & absolutè non exercet suam justitiã, quin simul adhibeat suam misericordiam, quia non *Punit citra condignũ*, ita quoque in Sacramento pœnitentiæ, quamvis misericordiam faciat iis, qui ad illam confugiunt, attamen vult, ut se collocent in tali statu, ut partibus satisfiat,

fiat, & omnes regulæ, ac apices justitiæ observentur.

Cap. Forū de verborū signif. IV, Juristæ docent, uti etiam experientia monstrat, quod *Iudicium tribus personis constat, actore, reo, & judice.* In judicio rigoris, & severitatis, Iudex erit noster Salvator, homo Deus, nam quotidie dicimus in Symbolo, *venturus est judicare vivos, & mortuos.* Advocatus & reus erunt homines peccatores, actor, & accusator erit Pater æternus, qui hunc honorem, ut nempe agat Iudicem, deferet suo Filio, in præmium ignominiæ, quâ sustinuit se judicari ab hominibus, ob gloriam sui Patris. *Dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium.* Textus Græcus prò tò Tecum substituit ἐνώπιον σȣ, hoc est *Adversum te.* Tu vis esse pars adversa, & dicis per Joelem: *Congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Ille dicet Deo Humanato, mi Fili, justitiam fac, tu es judex competens, nemo potest te recusare, quod si tu meam zelesgloriam, quia æquè Deus es, ac ego, alias desideras salutem hominum, cum æque homo sis ac illi: Ergo *Iudica inter me, & vineam meam.* Ego te instituo judicem, ille qui commisit talem, & talem culpam, scienter, & à proposito, non obstante tali, & tali gratia, quam ei feci, talem & talem promeretur poenam.

Iob. 14. v. 3
Ioel. 3. v. 2.

Ioann. 5. Similiter in tribunali confessionis, judex est homo Deus, Iesus noster Assertor, *omne judicium dedit Filio, quia Filius hominis est.* Et quoniam non amplius est visibilis, & ut nos certiores simus de indictione processus, & sententia absolutionis, quæ nobis datur, ille instituit vicarium, quo cum visibili, & humano modo possemus agere, nempe sacerdotem, qui est ejus vitæ præsidens, vice Rex, & locum tenens. Reus est pœnitens. Sed quis est accusator? *Iudicium tribus personis constat*, in hoc autem judicio video tantum duos, Sacerdotem, & pœnitentem. Vbi est ergo tertia? Pars adversa quoque est Pater æternus, & sicut ejus vicarius vices subit Filii, ita pœnitens vices subit Patris, quia est ejus Vicarius, substitutus, promotor, & Procurator Regis, accusator, Fiscus, delator, actor, pars adversa verba, seipsum; & ut talis debet curare interesse Patris æterni; & justitiam flagitare: *Confitebor adversum me.* Porrò sicut Procurator Regius sedulò vitam rei inquirit, & indagat, informationes circa eum petit, & curiosè omne id inquirit, quod ad ejus actionem servire, & conducere possit, ut processum ei instituat verbalem; ita pœnitens seriò debet examinare suam conscientiam, revidere omnes suas cogitationes, verba, opera; exactè indagare omnes species, numeros, & circumstantias suorum criminum, & tandem de iis se accusare. Porrò de examine hisce diebus fusè egimus, in gratiam tamen eorum, qui abfuerunt, præcipuam, & magis necessariam qualitatem, quæ est dolor, hodiè tractabimus.

V. Concilium Tridentinum agens de communione, dicit confessionem esse dispositionem magis principalem, & quidem absolutè necessariam adhoc, ut quis dignè communicet. Et de confessione docet, intelligenda hæc verba, *Probet autem seipsum homo.* Et hic observandum, quòd non dicat, examinet

suas

ſunt cogitationes, verba, opera, ſed ſeipſum, ſuum cor, fundum animæ ſuæ, ſi habeat verum dolorem, diſplicentiam, quod offenderit Deum, ſincerum propoſitum, ſeipſum ei donandi, vitam mutandi, mundo, ejusque maledictis vitiis renunciandi, & juxta regulas Chriſti vivendi.

Quidam Doctor Sorbonicus, qui ſcripſit in ſummam Divi Thomæ, fundatè, & veriſſimè aſſerit, magnum eſſe abuſum, qui hodie regnat in animabus Chriſtianis, dum nempe in id totæ ſunt, quomodo ſua peccata cognoſcant, & conſcientiam examinent, parum verò ſolicitæ ſint, quomodo pœniteant, & deteſtentur peccata; cum tamen hoc magis neceſſarium ſit, quam illud; quamvis enim venialiter delinqueres non adhibendo ſufficiens examen; tamen cõfeſſarius interrogando illum defectum poteſt ſupplere; verum ſi non elicueris contritionem, quam vix poteſt ſupplere, quia, ſi ſuadere conetur tibi contritionem, & proponat motiva, ob quæ dolere debes, tu pro eo, quod debeas attendere ejus dicta, crucias te, & vexas cogitando, num non alicujus peccati oblitus fueris, & ita contritionem non elicis. Porrò, cum ad Deum ſpectet illam pœnitentiam tibi dare, ego judico neceſſarinm eſſe, ut plus temporis, advertentiæ, induſtriæ, conatus adhibeatur in petenda, & exercenda contritione, quam in anxiè, & ſcrupuloſè inquirendis peccatis.

VI. Ego quidem ante paucos dies vobis dixi, quod, quamvis æquum ſit, ut tempus, & ſufficientem diligentiam adhibeamus in inſtituendo examine, addidi tamen, quod circa hoc non debeatis eſſe nimis auxii, & ſcrupuloſi dicendo: Forſan defectu ſufficientis examinis confeſſio mea invallida eſt. Et hinc debes deſiſtere, & contentari, quando tantam diligentiam, & tempus adhibuiſti, quantam adhibere ſoles in negotio temporali magni momenti. Omnia hæc vera ſunt, & debent tantum intelligi de examine, & non de dolore eliciendo, quia vix aliquis tibi poterit præſcribere tempus, & induſtriam determinare, quam adhibere debes in hoc dolore adeo petendo. quia ab ejus voluntate tantum dependet eum tibi dare, quando ſibi placuerit. Viden quendam miniſtrum Principis, qui datorum, & acceptorum ſummo ærarii præfecto rationem reddere debet, quique aliquod beneficium, vel officium à Principe pro filio ſuo poſtulat. Quod ſi hunc interroges, quantum temporis debeat impendere in ratione reddenda, & computu inſtituendo, forſan reſpondebit tibi octo, vel quindecim juxta quantitatem majorem, vel minorem datorum, & acceptorum. At ſi ab eo quæras, quantum temporis collocare debeat in obtinendo officio, dicet, ſe hoc neſcire, cum hoc omninò dependeat à voluntate Principis; & fieri poſſit, quod illud habiturus ſit brevi, vel etiam tardè. Eodem prorſus modo, ſi a me quæras, quãtum temporis adhibere debeam in examinando meam conſcientiam, ego reſpondere poſſum, tantum temporis juxta numerum peccatorum, qualitatem ſtatus, & tempus ultimæ confeſſionis factæ. At ſi me interroges, quantum temporis impendere debeam, adhoc ut obtineam poenitentiam, ceu dolorem, dicam me id neſcire, cum hoc

dependeat à Deo, qui eam citius, vel tardius donare potest; eamque ferventer esse rogandam, & eliciendam, quousque probabiliter credas, quod eam habeas. Nunc habes quomodo confessio debeat esse præparata: *Dixi confitebor.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Debet confessio animo vindicatorio contra se confirmari intentionibus, ob quas Christus instituit confessionem, quæ sunt punitio, humiliatio, correctio, ergo debet quærere severum judicem ut puniatur, non se excusare, sed accusare, ut humilietur, petere poenas convenientes, ut corrigatur.

de Sacramento poen. 6, 5. v. 39. VII. *Adversum me injustitiam meam.* Cathechismus Concilii Tridentini agens de Confessione, docet, eam non esse tantum simplicem narrationem, qua actiones nostras, & vitam auribus committimus confessarii, sed quod sit accusatio, & narratio peccatorum facta ex Zelo, & animo puniendi seipsum. *Animo accusatorio, ut ea in nobis vindicare cupiamus.* Ita loquitur in terminis. Quod si una pars bile inflammata sit, & irata cuidam reo ante omnia conatur sinceriorem, severiorem, & rigidiorem adire judicem, & dein accusationem, & scelus rei adeo exaggerat, & aggravat quantum potest, & ideo profert circumstantias temporis, loci, personarum, instrumentorum, quibus peccavit. Tertiò magnam exigit resarcitionem, & reparationem, & instat ut reus exactè, & plenè satisfaciat.

Et Sane nihil horum facis in tuis confessionibus, quinimmò omnino contrarium practicas: etenim indelectu confessarii, vis illum, qui sit dulcis velut mel, qui sit bonus Heli, qui tibi blandiatur, dicis portariò, aut sacristano, ne mihi voces confessarium scrupulosum, severum, qui tanta requirunt, pro eo, quod exaggeres crimina, tu illa excusas, & extenuas quantum potes, tu crimina tua derivas in maritum, qui continuò, est ebrius, in prolium, & ancillarum inobedientiam, in consanguineos, qui litem tibi injustè moverũt. Quod si tibi injungat poenitentiã paulò severiorem, aut contrariam tuo amori proprio, quamvis illa sit in tuum bonum, ut salveris, nec decima ex parte æquatur illi, quam es promeritus, tu conquereris, murmuras, facis instantias. Nequaquam ita Charissime, tu contra te processum instituere debes. *Confitebor adversum me, adversum me*, non contra alios, sed contra teipsum, & nõ pro teipso, non ut lauderis, aut excuseris, sed ut objurgeris, puniaris, & castigeris.

Meò judicio argumenta, quæ desumuntur, à priori, & quæ deducuntur ex principiis, sunt magis convincentia, quidentia, & irrefragibilia, quæso te paulisper examina, eccur Salvator noster nos obligarit ad confessionem faciendam homini, adeo contra naturam, odiosam, & secretam? Concilium Tridentinum, & Patres docent confessionem principaliter ob tria esse institutam, primo ut nos ipsos puniamus, humiliemus, & vitia emendemus. Primo *Trid. sess. 14. c. 2. & 8.*

itaque.

Itaque instituta est, ut nosipsos puniamus, nam, ut idem docet Concilium, quandoquidem adeo temerarii fuerimus, vel baptismum nostrum violaverimus, ut promissionem fregerimus, & gratiam amiserimus, quæ tam carò constitit Salvatori nostro, æquissimum est ut illa stultitia, & temeritas castigetur. Secundo instituta est, ut nosmetipsos humiliemus, quia ut dicit Sanctus Bernardus: *Sola virtus humilitatis læsæ, est reparatio castitatis*; immò addi debet, *Læsæ reparatio Charitatis, pietatis, sobrietatis.* Sine humilitate anima non reparat damna, quæ intulit charitati, castitati, & aliis virtutibus Christianis, præterea Tertullianus vocat pœnitentiam *Scholam humilificandi*, ceu humiliationis. Ultimo, Filius Dei instituit confessionem, ut emendemus nostra vitia, juxta illud Davidis. *Sana animam meam, quia peccavi tibi. Sana me Domine, & sanabor.*

Lib. de poen.

VIII. Porrò ex hoc consequitur, quod debeamus aperire plagas, si velimus, quod curentur; nam ut dicit idem concilium; *Qui ignorat medicinam, non curat.* Vt ergo primævæ intentioni nos conformemus, cum tu in hoc processu criminali sis contra teipsum actor, & accusator, quærere debes judicem non partialem, sed imitari periclem, qui *personam amici exuit, cum induit judicis* (loquor de amico mundano, non Spirituali, & Christiano) judicem non interessatum, sed integrum, & incorruptibilem, qui muneribus non flectatur, qui non procedat ex favore, respectu humano, spe, & prætensione aliquid à te obtinendi; nam uti inquit Spiritus Sanctus; *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Adire debes judicem non laxum, timidum, mollem conniventem, blandientem, sed eum, qui consideravit, & impleverit hæc verba. *Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem*; Cui animus sit excusationes, & rationes frivolas, quas adfers, cur non expedias te occasione peccandi, aliena non restituas, inimico non condones properendi, ut eligas inquam confessarium, qui tibi deneget absolutionem, quando non vis discedere ex illa domo, quando non vis dissolvere illam amicitiam, resignare illud beneficium, officium, in quo bona conscientia non potes manere.

Eccles. 20. v. 31. Deut. 16. v. 19.

IX. Verum enim verò ad quid delectũ instituis boni confessarii, si confessio non sit bona? Non est bona, quinimmo est mala, & contraria secundæ intentioni Filii Dei, quando te excusas, pro eo quod te debeas humiliare, quando te justificas, dum deberes te condemnare. David tuas excusationes, quas adferre soles vocat verba malitiæ. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.*

Sanctus Augustinus, Bernardus, & alii Patres docent, Deum quandoque permittere, ut prædestinati peccent, adhoc ut humilientur: *Priusquam humiliarer ego deliqui*, ut clarè cognoscant, & videant propriam fragilitatem, miseriam, debilitatem, corruptionem naturæ, egestatem, quâ egent gratiâ Dei, & à Deo se esse præservatos, quod non sæpius, ac turpius sunt lapsi. Et quæso te, an non est magnus defectus humiliationis, nonne Deo ansam præbemus, ut nos deserat, dum pro eo, quod deberemus agnoscere, ac fateri nostram culpam,

Psal. 118.

pam ut nosmetipsos confundamus, nos eam in alios derivemus, ut nos justificemus?

Nos videre & observare possumus in scriptura, quod Deus, ut nobis faciat gratiam, & misericordiam, postquam peccavimus, requisiverit agnitionem, & accusationem nostrarum culparum; & hoc in omni lege, tam naturæ, quam scripta, & Evangelica. Hinc Sanctus Augustinus, cui concinit sanctus Hieronymus. *Deus confitenti Adamo tanquam in apertum sinum indulgentiam paratus erat dare; excusaste, claudis sinum, includis peccatum, excludis peccati indulgentiam. Ad hoc quippè requisiti fuerant, ut peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent, unde & serpens ille persuasor, qui non erat te vocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.* Similiter in lege scripta hoc Deus exegit: *Vir, sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Gemebrardus insuper probat, quod juxta differentiam peccatorum commissorum diversa sacrificia obtulerint.

Hom. Rex. 10.

Gregor. 21. Moral. c. 9.

Ioann. 1. v. 9.

Iosue. 7. v. 19.

In lege similiter gratiæ dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat vobis,* quod si non confitearis debitum, non agnoscis morbi gravitatem, aut præstantiam medicinæ, quam tibi porrexit. *Da gloriam Deo, & confitere* dicebat Iosue cuidam militi, qui peccarat. Ut ergo Deus glorificetur per tuam confessionem, & tibi peccata remittat, non debes te justificare, sed humiliare, crimina sunt exageranda, & non minuenda. Reverende Pater, ego ingratissim⁹ sum omnium creaturarum, ut non credas, quam Deo sim obligatus, gratias particulares, quas mihi dedit, & tamen adeo temerarius fui, ut per talia, & talia facinora eum offenderim, & quidem à proposito, deliberatè, voluntariè absque eo, quod inducerer ab aliqua persona, sed ex mera malitiâ, non obstantibus magnis inspirationibus, remorsu conscientiæ, claris cognitionibus, quibus gravitatem peccati cognovi, & quidem peccavi scandalum præbendo, coram mea familia, dando malum exemplum, in templo, in quadragesima, in hebdomada Sancta. Ego jus prætendi in tali lite, in tali causa, cum tamen à me stet injustitia, & id fecerim ex passione, ex amore proprio, avaritia, impatientia, proprio innixus capiti, quod omnium malorũ causa est.

At enim verò, ut te conformes tertiæ intentioni, ob quam confessio instituta est. Vt ergo ostendas hanc humilem confessionem non esse locum, simulachrum, aut larvam poenitentiæ, sed quod habeas veram voluntatem, quâ velis puniri, & à peccatis tuis curari, ne ægrè feras si censureris, sed sine, ut remedia salutaria tibi applicentur, quæ Salvator noster instituit. Sancto Gregorio teste: *Contraria opposuit medicamenta peccatis.* Quod si ergo deliqueris per avaritiam, rapinas, usuras, fraudes in emptionibus, & venditionibus, per acquisitiones injustas in litib⁹, ac aliis injustitiis, rogare debes confessarium, non solum ut te obliget ad restitutionem, sed etiam ad eleemosynas, & opera Charitatis. Quod si peccaris per crapulam, & verba inhonesta, mendacia in popinis, aut societatibus mundanis

danis, per intemperantiam, impuritatem. per cogitationes, & opera lasciva, debes ab eo flagitare pœnitentiam, ut tibi prohibeat ne spatio trium annorum frequentes cauponam, talem societatem, ut jejunes, vites convivia, non bibas vinum nisi aquâ dilutum: *Confitebor adversum me, adversum me.*

PUNCTUM TERTIUM.

Debet integrè confiteri, primo scripturâ, secundo Patribus, tertio rationibus sumptis ex qualitatibus confessarii in se, & erga poenitentem, nempe quia est homo, Christianus, sacerdos, Pater, Medicus, judex, quarto Historiâ.

COnfitebor Domino. Et quidem reipsâ Deo confiteris, quia sacerdos est ejus vicarius, ejus locum tenent, unde tam verè, sincerè, confidenter te accusare debes, ac si soli Deo confitereris. Quod si non detesteris tua peccata, si illa non abjicias, si non habeas voluntatem servandi promissa, nec id faciendi, quod tibi mandatur, dicemus tibi id, quod Sanctus Petrus dixit Ananiæ; *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Fallis Deum non homines, adhibesque fraudem, & simulationem in tui damnationem.

Tu facis velut Pharisæus, inquit Sanctus Augustinus: *Erat in statione medici curandus Pharisæus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus tegit vulnera tua non tu, tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati putrescit vulnus.* Ille ibat ad templum, quæ est vera domus medicinæ, & pharmacopolium Spirituale & tamen æquè infirmus, ac sauciatus exivit, quam intravit & hoc quia ostendit partes sanas & non vulneratas: *Iejuno bis in Sabbatho* quando times Chirurgo ostendere tuas plagas, tu quidem eas occultas, sed cum tuo damno, putrefiunt, & gangræna nascitur. At enim si eas Chirurgo ostendas, ille eas contegit cum exiguo quidem dolore, sed tuo emolumento, ille applicabit emplastrum aliquatenus quidem mordax, & sensibile, sed salubre, & salutare. Vt ergo vincas pudorem, & confusionem, quæ te forsan possunt impedire, ne eas benè, discoperias, considera qualis sit confessarius, tum in se, tum respectu tui.

in Psal. 31. quorum tecta sunt peccata

Luca 18.

In se est homo, Christianus, sacerdos, respectu tui est tuus pater, tuus Medicus, & judex. Primo itaque est homo. *Homo est, humani a se nihil alienum putat.* Ille novit fragilitatem humanam, eam quotidiè experitur, est infirmus, debilis, fragilis, subjectus tentationibus, sicut tu, & quidem potest esse, quod eadem patrarit, quæ tu. Quod si eadem non commiserit Deus eum gratiâ quadam particulari præservavit, & de facto illa patraret, nisi Deus ipsum impediret. Ille novit hanc maximam sancti Augustini: *Nullum peccatum facit homo, quod non facere possit alter homo, si desit rector, à quo factus est homo.* Si ei narres aliquod enorme peccatum, ille sic secum discurrit, ego eadem fecissem, si Deus hucusque non me adjuvisset, si me permisisset meæ fragilitati.

Præterea est Christianus, Filius ejusdem Ecclesiæ, membrum ejusdem corporis, cujus tu. Membra ejusdem cor-

poris inter se habent compassionem, synpathiam, charitatem, confidentiam. Quod si confessariò tuo quoddam enorme, & latens peccatum, unum scelus infame, & abominandum patefacias, unum peccatum, quod huc usque, celasti, quod nulli velles manifestare ob bona totius mundi, tu ostendis te habere magnam affectionem, confidentiam erga illum, tu ejus lucraris cor, & affectum, & necesse est ut sit Turca, vel tigris si te non amet, & te non juvet.

Lucæ. 15. Tertio est sacerdos. Filius Dei testatur; Angelos exultare in conversione alicujus peccatoris, & festum agere in cælo, dum quæpiam anima pœnitens in hac vita poenitet, & vitia deserit. Sacerdos est Angelus Dei, uti ait Malachias, unde si bonam instituas confessionem, ille gaudet cum Angelis, delectatur te audiendo, & donando tibi absolutionem, dum confiteris aliquod peccatum, quod hucusque reticuisti exultat. Majori eum afficis voluptate, quam si integrum ei dares regnum, quia ei præbes ansam, ut lucretur Deo tuam animam, quæ plus valet. quam centum mundi.

XI. Ille præterea est tuus Pater, tu ei dicis in tuo *confiteor, & tibi Pater.* Deus illi dat viscera, & affectum paternum erga te, unde filialem affectum, confidétiam erga eum habere debes. *Colligata est iniquitas Ephraim, dolores parturientis venient ei.* (*Osea.* 13. *v.* 12.) Quod si puella quædam lapsa sit, & ex fragilitate sexus concepit, si hoc aperiat suo Patri, hic lapsũ silentio involuit, eam domi continet, vel alio mittit, usque dum ventrem, uterum ex onerarit, nemo aliquid scit, in paucorum notitiam lapsus venit, unde manet in suo honore. Econtra si rem celet Patri, si illud neget, dum illud, cito, vel tardè diffamabitur, totus mundus videt eam uterum ferre, & fateri deberent, clamores, quos edit in partu, eam esse meretricem, arguunt & impudicam.

Eodem plane modo, si ex infirmitate humana sis prolapsus in quoddam peccatum, si illud manifestes tuo confessario, qui est tuus Parer Spiritualis, & qui tenerius te amat, quam tuus Pater carnalis, ille secretum servabit, nemo aliquid sciet, absolveris, nec est necesse, ut amplius mentio fiat, tu à remorsibus conscientiæ, quibus cruciaris liber eris, ille tibi consilio aderit, qualia debeas remedia adhibere, quomodo præcavendi sint effectus, consequentiæ, damna infamiæ, quæ se qui possunt.

Verum si ei tua crimina celes, citius, vel tardius, prodibunt in apricum, vel in hoc mundo per vias, quas non prævidisti, vel in extremo judicio, dum Deus toti mundo illa propalabit coram Angelis, & hominibus. *Nihil est opertum, quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.* Ego dixi, confessarium silentio contecturum paccata, quæ confiteris, cum enim sit tuus medicus, & medicus obligetur ad secretum, Deusque tanti tuum honorem æstimet, ut si tu te resolvas; ob ejus amorem te diffamare apud confessarium, ille sub poena damnationis illi prohibuerit nulli cuicunque, in nullo casu, ob nullum finem, etiam si tota salus mundi ab hoc penderet loqui.

Tandem est tuus judex, ille interrogat juridicè tanquam iudicis supremi Vicarius, non ut te condemnet, sed ut te absolvat, qui si non candidè confite-

aris nihil agis. *Qui male narrat, nihil impetrat.* Absolutio gratiæ, ac misericordiæ, quam tibi impendit, nulla erit, & pro eo quod absolvendus sis condemnaberis.

Narrat speculum exemplorum, duas Religiosas arcto amicitiæ foedere colligatas fuisse, quæ sanctè ad minus apparenter vixerunt. Vnam contigit hac vitâ defungi, pro quâ alia ferventes, & frequentes ad Deum preces fudit, specialiter post matutinum, dum aliæ in suis cellulis delitescerent, illa remanebat in choro, officiumque mortuorum persolvebat. Quadam igitur nocte defuncta velo nigro contecta, tristissima, & desolatissima, sepe ei conspiciendam præbuit, voce lugubri illa verba Job, quæ Ecclesia in officio Defunctorum decantat repetens. *Peccantem me quotidie, & non poenitentem timor mortis conturbat me, quia in inferno nulla est redemptio*; ac si dixisset, quia peccavi, & non pœnitui, ideo timor mortis affligit, & hoc quia in inferno nulla est redemptio. Dum porrò, quæ adhuc superstes erat, eam rogaret, cur subsequentia non adiungeret verba; *Miserere mei Domine, & salva*, defuncta replicavit, Hem mea soror, ego illa non adiungo, quia nulla est mihi spes misericordiæ, & salutis. Eheu respondit altera; Ergo ne tibi nulla sit spes salutis? Quis salvabitur, si tu non sis salvata? An ergo nil tibi profuerunt exercitia tuarum virtutum, tuæ poenitentiæ, austeritates, devotiones? Non inquiebat, quia quamvis quamdiu in monasterio vixi virtuosam, & probam duxerim vitam: ad minus in exteriori homine; sed o me miseram! quoddam peccatum carnis quod ante ingressum in religionem, patravi, nunquam ausa fui confiteri, & ideo illud mihi non est condonatum, sed damnata sum; ne ergo pro me ores; Quia in vanum te vexabis. Nunc dic sodes, quid illa est lucrata? Nonne noluit confiteri scelus uni confessariò, qui eam absolvisset, qui ei nil dixisset, qui illud oblivione sepelivisset? Nunc autem illud scitur, nos illud sciemus, & omnes illud scient supremo iudicii die; tunc enim coram toto mundo publicabitur. Idem tibi eveniet, si tua peccata in confessione celaveris, vel si sine vero proposito te emendandi, illa clavibus Ecclesiæ subiicias.

CONCLVSIO.

Pia instructio per paraphrasin illorum verborum, Dixi confitebor.

XI. FIniamus iisdem verbis Regii Vatis, *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino*, qnibus incepimus. *Dixi*, Quæso te ne unquam obiter, & non præparatus ad confessionem accedas, quia non est confessio lusus puerorum, sed in ea agitur de salute tua, ideo præmeditatè instituenda est. Videbis nonnullas puellas, quæ iocantur cum Sacramentis, ac si nil essent quam lustrum, & diribitorium, illæ confitentur ex consuetudine, usu, ut habeantur devotæ, placeant confessariis, ut habeant honorem loquendi cum uno Patre, qui est honoratus, qui à magnatibus suspicitur, ut per quadrātem horæ agant cum viro, quem amant,

ut

ut ille eas commendet apud judices, apud heras, apud eos, qui largiuntur eleemosynas, confitentur sine dolore, sine poenitentia, ita ut nec minimum signũ emendationis appareat.

Confitebor. Confitere candidè, sincerè, apertè, quia magis æstimaberis à cõfessariò, & majorem habebis quietem conscientiæ, quam modo dum peccata tegis. An forsan times confusionem? Exiguus rubor citò transiit. Dicere debes id, quod Diogenes dixit cuidam adolescenti, qui in ruborem dabatur, quod à Diogene videretur exire è prostibulo. Mi fili erubescere debebas, dum intrabas & non dum exis. Pudere nos debet, dum peccamus, & non dum commissa confitemur.

Segnius irritant animos demissa per aurẽ.
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.

Dum nobis narratur commissum esse homicidium, non adeo nos illud angit, quam si illud propriis oculis conspexissemus patrari. Confessarius solum audit tua peccata, & tuam conversionem videt, cernit tuam poenitentiam, dolorem, sinceritatem, humilitatem, candorem. Hæc pòrrò quæ videt, majorem in eo excitant affectionem, & æstimationem erga te, ne illa, quæ audit, eum contra te concitent, & horrorem in illo causent.

Adversum me. Tu debes esse pars tibi adversa, nec enim debes esse tuus advocatus, nec in tui favorem litigare, ut correctionem evites, & supplicia, exprobrationes promeritas evadas. Nonne enim magna insania est agere, ut confessarius, qui ibi sedet, ut sit tuus judex debeat fieri contra te actor, quod potius debeat instituere processum, quam quod tu poeniteas, quod tempus fallat tecum litigando, quod te debeat cogere ad condonandum, ad abstinendum ab usuris, litibus injustis, ut restituas, & vites occasiones peccandi?

Injustitiam. Ne imiteris scribas, & Pharisæos, quibus objicit Filius Dei, quod camelos deglutiant, culicem excolent. Tu dicis, ego iratus fui meo famulo, ego mendacia protuli otiosa, ego involuntariè fui distractus in meis precibus, en culicem. Interim retices, quod cum sis judex distractus fueris, aut obdormieris, dum advocatus partium jura proposuit, ego salarium à cliente admisi, quamvis non laborarim, & partes compositionem inierint. Ego decretum emi, ut creditores defraudarem.

Meam. Et cur loqueris de tuo marito, tua femina, tuis prolibus, tua ancilla? Tuum peccatum celatur, & occultatur inter hos discursus inutiles, & prolixas historias, quas texis. Loquendum hic est de te, & non de aliis.

Domino. Quidquid cum Deo agimus, bene agendum est, tu confiteris Deo, nam sacerdos est solum vicarius; fac ergo eam seriò, sincerè, perfectè. Quod si eam hoc modo iustituas, si verba Davidis in te verificentur; tu de tua confessione poteris dicere, id quod adjunxit. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Faciet tibi gratiam, & misericordiam, & omnia præterita tibi condonabit. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Dicetur tibi sicut fuit dictũ Davidi; *Dominus quoque transtulit peccatum* tuum. Amen.

SER-

SERMO VIGESIMUS QUARTUS.

Pro Dominica Tertia post Pascha.

De satisfactione.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus Joann. 16.

EXORDIUM.

MIratus est Cæsar Augustus equitem quendam Romanum ingentis pecuniarum summæ debitorem toto tempore vitæ id reticuisse, & quietè vivere potuisse; unde cum eo defuncto magna summa debiti innotesceret, & bona illius actioni subijcerentur, ut creditoribus satisfieret, lectum ejus emi jussit, ut commodè dormire posset: miror|& ego plurimos peccatores, qui debita debitis augēdo quotidiè peccant, & dum in confessione quæ partui mulieris comparatur, peccata confitentur peccata sua confitentur, non plorant, nec solliciti sunt de satisfactione, quomodo tam ingenti summæ peccatorum satisfacere possint, & in hoc maximam suam diligentiam ponit Dæmon, ut|nimirum parum solliciti simus ut pœnitentiæ magnæ pro peccatis nobis imponantur, sed potius uti Auctor doctè hoc sermone ostendit.

Facite fructus dignos pœnitentiæ Lucæ. 3. v. 8.

I. Sacramentum pœnitentiæ quidem est thronus misericordiæ, sed etiam est tribunal justitiæ, in quo reis, qui gratiam postulant, & veniam rogant, peccata condonantur, sed hac lege, ut satisfaciant parti læsæ, & summā resarciant. Hoc porrò fit per satisfactionem, quæ est tertia pars hujus sacramenti, de quâ hodie agemus. Et quidem satisfactio supponit peccatum, sed non necessariò personalia, & propria; nam ideo in Filio tuo, & te fuit O sacratissima virgo, ita ut dicere potueris: *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Tu soluisti, quod non debuisti, tu punivisti in tuo corpore innocente peccata, quæ nunquam patrasti. Toto mundo occupato, ut turpiter offendat Deum, tu sanctè te impendis, ut eum places, eique per satisfactiones sanctas, meritorias, gratas, efficaces, perfectas placere studes, & tuæ preces, & merita Filium amantissimum Dei ad tuum sinum virginalem attraxerunt, cui nos benedicimus te salutando. *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Dæmon studet impedire, aut inficere, aut mutilare sacramentum pœnitentiæ, & hoc adimplet, cum leves pœnitentiæ imponūtur pro magnis peccatis, quod probatur inductione in quatuor punctis.

II. LEgimus in Apocalypsi, quod Spiritus 9. v. 11.

ritus sanctus describens naturam monstruosam Dæmonis dicat: *Habebant super se Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon*, Græcè autem Ἀπολλύων, *latinè habens nomen exterminans.* Tribus itaque idiomatibus nobis ejus pessimam naturam describit, ut nos doceat eum vocari malum, aut malitiam. *Libera nos à malo.* τῦ πονηρῦ. Et hoc modo est hostis capitalis boni. Porro tribus modis nos perdere conatur: *cui nomen exterminans.* Ubi enim opus bonum vitiavit, totum fecit, & voto suo fruitur; quod si tamen hoc non possit; cum sciat, quod *bonum sit ex integra causâ, malum ex quolibet defectu*, ille in id totus est, ut ei affricet quandam circumstantiam vitiosam, aut ad minus aliquam ejus partem mutilet. Et sanè hoc clarè liquet in pœnitentia; nam hæc est præstantissimum, prætiosissimum, optabilissimum bonum, quod animæ obvenire possit post gratiam Baptismalem.

Sunt porrò nonnulli, qui nil eam æstimant, & ideo integris mensibus, & annis concervant sibi cumulos iræ, & vindictæ pro supremo die judicii. *Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor* thesaurizas tibi iram in die iræ. Alii sunt, qui se pœnitentiæ dant, sæpe uti vides, confitentur; sed actionem adeo sanctam circumstantiâ quadam vitiosâ commaculant; nam confitentur ut auram, & gratiam venentur confessoris, à mundo laudentur, & æstimentur, aut ex prava aliqua intentione, quæ illam actionem inficit. At enim verò spiritus malignus, nunquam adeo perfectè suo voto potitur, nunquam pœnitentiam nostram reddit adeo vitiosam, imperfectam, mutilam, quam quando eousque nos deducit, ut taliter, qualiter confiteamur, absque eo quod conemur Dignos fructus poenitentiæ facere, uti Deus commendat. Quod si Sathan hoc à nobis obtineat, tunc malitiosè omnes partes essentiales, & integrales tam magni, salutaris, & necessarii sacramenti perdit, & corrumpit; ut enim clarè vobis sub oculos ponam, quod si post peccata mortalia commissa, contenti sitis recitatione quinque, vel sex coronatum, unâ, vel alterâ recitatione psalmorum poenitentialium per vos, aut per alios derogetis conditionibus, & qualitatibus, quas contritio, confessio, satisfactio, & absolutio debent habere.

PUNCTUM PRIMUM.

Cum leves poenitentiæ pro magnis peccatis imponuntur, vix habetur contritio, uti probatur primò scriptura, secundò ratione, tertiò comparatione, quartò praxi Ecclesiæ antiquæ.

III. Gloriosus præcursor nostri salvatoris sanctus Joannes Baptista, præparaturus viam ei ad corda Israelitarum, Auditoribus suis hæc prædicavit: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Meo verò sensu aliquis ei potuit sic replicare. Quis est finis tuæ prædicationis, Quid à tuis Auditoribus prætendis? An nescis, quod Baptismus nostri Assertoris tuum longè præcellet?

let? Ille tantâ gratiâ, & virtute Spiritus sancti erit præditus, ut omnia peccata tam quoad culpam, quam quoad poenam sit deleturus. Eccur ergo baptizandi ejus baptismo faciant poenitentiam?

IV. Verum id certissimum est, quod nullum peccatum actuale unquam remittatur sive per sacramentum, sive aliâ viâ, qualiscunque illa sit, quam per veram, supernaturalem, & cordialem poenitentiam. Porrò ad hanc obtinendam oportet facere opera poenalia, & dignos fructus pœnitentiæ. Error itaque est crassimus, & perniciosissimus, qui oculos plurium Christianorum, cum maximo damno eorum salutis excæcavit; quod dum audierunt, contritionem elici in momento per unum actum interiorem voluntatis, ipsi sibi persuadeant quod omni momento, in qualibet occasione, quoties ipsis libuerit, ex seipsis possint illam contritionem elicere, dicendo tantum linguâ, vel corde, mi Deus veniam rogo, gratiam à te postulo, Doleo, quod te offenderim. Profectò error hic est maximus, qui animos Christianorum invadere possit. Vtinam verba ferrea, & adamantina haberem, quibus illum è corde meorum Auditorum eradere possim. Ne hoc charissimi vobis imaginemini, ne hoc credatis, si sapitis, & salvari vellitis. Utinam nullo alio, quam meo purissimo sanguine hunc errorem in animis vestris obliterare possem. Id quod putatis verum esset, dummodò vera contritio à vobis tantum dependeret; sed audite Tridentinum, quod definit: *Attritionem esse donum Dei, ac Spiritus sancti impulsum, quidem non inhabitantis, sed moventis.* Et hinc dico contritionem imperfectam si sit naturalis, & à te tantum, esse inutilem, inefficacé etiam cum ipso sacramento. Et hoc est articulus fidei, de quo nemo dubitat, cum id definiatur per Tridentinum, & Deus dicat per Prophetam: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* *Sess. 14. c. 4* *Osea. 13. v. 9.*

Et dato, quod Deus posset facere hanc gratiam, & donare in momento, & gratis hanc poenitentiam; attamen viâ ordinariâ hoc non faciet, sed vult ut eam per preces ferventes, & frequentes petamus, vult ut eam obtineamus per jejunia, eleemosynas, macerationes corporis, & alias actiones laudabiles, & virtuosas. Quod si ita gratis omni tempore, loco, occasione hanc nobis donet poenitentiam, cur ipse nobis toties, & quidem adeo ferventer diceret in Evangelio, Petite, pulsate, rogate? cur se compararet judici, qui non vult expedire litem viduæ, nisi sæpius, & importunè ab illa rogetur, urgeatur, & solicitetur? cur se compararet homini, qui domi delitescens, & in lecto cubans, non vult surgere, ut amico suo quoddam officium præstet, nisi amici perseverantiâ, & instantiâ molestè portam pulsantis victus. *Luca 11. v. 9.* *Luca 11. v. 3.*

V. Verum quidem est, quod ignis pervadat, & corripiat in instanti ligna, quæ fuerunt viridia, & humida; sed ante non sine exiguo labore debent disponi, & exsiccari. Verum quidem est, quod anima infundatur in instanti nostris corporibus; sed tamen ad minus spatio quadraginta dierum corpus antea debet formari, & organizari. Verum inquam tandem est, quod actus veræ contritionis exerceatur in ictu oculi; sed

anima diu ante debet disponi per humiliationes, orationes, mortificationes, opera pia, ac alias satisfactiones, quibus placet iram Dei, & ejus motiones gratuitas, sine quibus actus adeo heroicus, & difficilis nequit elici; impetret.

VI. In Theologia certum est [1], quod Baptismus citius, infallibilius, efficacius scelera deleat, quam absolutio; nam minister absolvens debet esse insignitus charactere Baptismali, & sacramento ordinis, debet esse approbatus, habere jurisdictionem, quæ non exiguntur in ministro Baptismi. De absolutione dicitur: *Impossibile* (hoc est valde difficile) *est eos, qui semel sunt illuminati, &* (id est Baptizati) *prolapsi rursus renovari ad pœnitentiam.* Hæc autem nullibi in scriptura dicuntur de Baptismo. Baptismus non solum delet reatum culpæ, sed & pœnæ, quod communiter non præstat absolutio. Et tamen Apostoli, eorumque successores adultos baptizantes ad pœnitentiam quadraginta dierum obligant. Dum hanc pœnitentiam agerent, sæpe procumbebant ante genua fidelium, ut eorum se precibus commendarent. portabant cilicia, ieiunabant, exercebant opera charitatis, & pietatis, uti videre est in sancto Augustino, ac aliis Patribus antiquis.

ad Heb. c. 4. v.

tom. 6. lib. 4. ad catech.

Et quid quæso erat necesse, ut paulo post baptizandi tantâ exercerentur pœnitentiâ, dum baptismus omnia eorum crimina, tam quoad reatum culpæ, quam pœnæ erat deleturus? Apostolis exploratum erat ad obtinendam remissionem peccatorum, per quodcunque tandem sacramentum necessariam esse veram contritionem, ministrumque sacramenti debere esse moraliter certum de nostrâ conversione. Et sane nihil est, quod efficacius à Deo nobis impetret gratiam veræ pœnitentiæ, quodque melius Ecclesiæ persuadeat, quod simus verè conversi, quam si afflixerimus nos per mortificationes, & austeritates pœnitentiæ. Hinc dicitur apud Joelem: *convertimini ad me in jejunio in fletu, & planctu.* Et in sancto Matthæo de Tyris, & Sidoniis: *In cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.*

Ioel. 2. v. 12. Matt. 11. v. 21.

PVNCTVM SECUNDUM.

Idem probatur de confessione

primo scripturâ, secundo Patribus, tertio *conciliis, quarto Rationibus.*

VI. Sanctus Gregorius Magnus agens de actibus veræ pœnitentiæ nos monet; sanctum Joannem dum horraretur Pharisæos, ut se pararent ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ, acribus verbis eos perstrinxisse, & objurgasse, vocando eos progeniem viperarum, quia consentierant sola cõfessione peccatorum, quæ ad nil deseruit, nisi opera bona, & pœnalia præterea exerceantur.

VII. Hinc ait: *Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente conversio mentis, confessio oris & vindicta peccati, signum ergo veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ, tunc namque si bene conversum peccatorem cernimus jam digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur; unde Joannes Baptista male conversos Judæos ad se confluentes increpans ait: Genimina viperarum, facite fructus dignos pœnitentiæ. & infra idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur.*

Gregorius lib. 6. cap. 2. in primi Regum cap. 15.

VIII.

VIII. Catechismus insuper concilii Tridentini docet confessionem non esse tantum simplicem narrationem, & recensitionem culparum, sed prætereà esse accusationem; ita ut juxta idem concilium sacramentum sit quoddam judicium, & processus criminalis, in quo tu es accusator, actor, & pars adversa contra te, ita ut debeas te accusare ex zelo justitiæ, ex sancta quadam ira, & animo vindicandi, & puniendi tua peccata. Hinc addit Tridentinum. *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, &c. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dundaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent, & infra Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant: & fieri nequeat, unde gravitatē criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Trid. sess. 14. cap. 5.

Hinc libenter quærerem ab aliquo confessario; supposito quod pœnitens incestum commisisset in tertio gradu, & diceret; peccavi cum quadam solutâ, nil amplius explicando, rursus si centies illum incestum commisisset, & ex pudore illum magnum numerum reticendo asseveranter diceret, semel, vel decies plus minus incestum patravi; an illa confessio esset valida? Dices quod non, sed cur? quia reticuit quandam circumstantiam, nec explicuit numerum sicut deberet, Et verum dicis. sed quid hoc refert? Ad quid hoc prodest? Quid hoc oberit, vel prosit Ecclesiæ? Quid hoc faciat ad gloriam Dei, & salutem animæ, quod scias num poenitens peccaverit decies, vel semel, aut quod commiserit incestum, vel simplicem fornicationem? Ad nil aliud hoc deservit, quam ut possit æquitatem servare in impositione poenitentiæ, uti monet Concilium Tridentinum; Ita ut incestui debeat major pœnitentia imponi, quam simplici fornicationi, major decem peccatis, quam quinque.

IX. Et hinc magna stultitia est, & quidem contra finem sacramenti imponere quinque, vel sex rosaria, quinquies, vel sexies psalmos poenitentiales, eleemosynam quinque, vel sex obolorum ei qui triginta peccata mortalia commisit non minus, quam ei, qui patravit quinque. Et observandum, quod concilium dicat, hanc æquitatem in imponendis poenitentiis juxta gravitatem, & numerum peccatorum committi prudentiæ Confessarii juxta qualitatem pœnitentis, idque ex institutione Christi, adeoque ex obligatione. Et ideo addit, in hoc consistere potestatem, quam Filius Dei dedit sacerdotibus his verbis: *quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlis.* Habent itaque potestatem solvendi, hoc est, absolvendi, habent etiam potestatem ligandi, hoc est obligandi ad poenitentiam, quā juridicè imponunt, & quam prudenter imponere debent juxta gravitatem, & numerum peccatorum. Sess. 14. cap. 8. Matth. 18.

Ergo teipsum fallis dicendo: Acceptabo poenitentiam, si mihi arriserit,

acceptatam implebo, cum voluero. Ego in purgatorio satisfacere volo. Et profectò hoc nil aliud est, quam si Reus læsæ Majestatis diceret. Serenissime Princeps gratiam, & veniam mihi fac, sed nolo satisfacere nisi prout mihi placet. Hem adsis huc, qui talia effutis: Quando sedeo in confessionali, vel agnoscis me vices subire Dei, vel non? Quod si hoc non agnoscas, cur mihi confiteris, cum putes me non habere potestatem te absolvendi? quod si hoc agnoscas, etiam debes scire, quod te possim obligare ad pœnitentiam, idque esse necessarium ad vitationem peccatorum; nam idem Filius Dei, qui dedit potestatem absolvendi, eodem etiam capitulo dedit potestatem te obligandi in conscientia, nam dixit: *Quidquid ligaveritis erit ligatum, & quidquid solveritis erit solutum.* Hinc patet, quod confessarii sint vicarii Christi, qui in hoc tribunali vos judicent, ac si ipse in illo sederet. Quod si leves pœnitentias injungas pro plurimis, aut gravissimis peccatis, tu reddis frustraneum finem, ob quem noster salvator instituit hanc tertiam partem pœnitentiæ: puta satisfactionem.

PUNCTUM TERTIUM

Idem probatur de satisfactione, primò rationibus ob quas est instituta, secundò sensu Stephani Papæ.

Sess. 14. c. 8 X. ENim verò sacrosanctum concilium Tridentinum satisfactionem esse asserit institutam ob quatuor præcipuè causas. Prima est, ut vindicemus offensam Dei, eique aliquo modo satisfaciamus; & ita ejus iram placemus, flagella ejus indignationis arceamus, & veniam impetremus, resarciamus eo modo quo possumus injuriam Divinæ majestati per peccatum irrogatam. Secundò, ut conformemur Jesu Christo crucifixo, qui voluit pati, & mori, ut nos omnibus pœnis eximeret, & vires, ac animum nobis daret pœnitentiam faciendi & nostris satisfactionibus sua merita, pretia, valorem, & dignitatem instillaret. Tertiò ut per pœnitentias laboriosas velut fræno cohibeamur metu pœnarum, ne relabamur, cum ea, per pœnalia opera dilvere, & expiare debeamus. Quartò, ut validè eradicemus omnes habitus vitiosos per pravas actiones contractos; quia si non extirpentur, vim habent reproducendi, & rursum germinandi surculos novorum peccatorum, & quidem magis nocivos, & funestos, quam præcedentes, ita ut *Fiant novissima hominis illius peiora prioribus.*

Catechismus concilij Tridentini inquit, quod satisfactio nil aliud sit, quam resarcitio injuriæ alicui illatæ, habens aliquam proportionem, convenientiam cum injuria; nam alias non esset satisfactio, quia *satisfacere est facere satis.* Porrò qualis convenientia, correspondentia, proportio est, inter plurimas blasphemias, detractiones, ac alia peccata, quæ desplicent Deo infinitè, & exiguas pœnitentias, quas continuò tibi vis imponi? Dic, amabo in quo loco sacra scriptura asserit, quod ira Dei, quæ summè animæ peccatrici est succensa, per actiones adeo leves pacetur, & tranquilletur? sacra scriptura ubicunque disertè testatur, quod illi, qui Dei iram sedarunt, magnas egerint pœnitentias, plora-

Catechis. Trid. II. 6. de pœn.

plorarint, ejularint, suspirarint, fortiter ad Deum clamarint, cilicia gestarint, super cineres cubuerint, strictè jejunarint, capitibus dimissis incesserint, uti narrat de Ninivitis, David, Achab, & aliis.

Dices; nostrum salvatorem pro te satisfecisse, ejusque satisfactiones debito æquipollere. Ego hoc non nego, sed scias, ejus satisfactiones nobis non applicari, nisi per nostras, ejus satisfactiones nil nobis prosunt, nisi nostras iis connectamus, & conemur quantum est possibile velut membra suo capiti nos ei conformare: *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Qualis autem sit conformitas inter eum, & nos, dum ille confixus est quinque plagis, nos autem recitamus quinque Pater? Ille donavit totum sanguinem, quomodo ergo nos tantum donemus quinque obolos?

XI. Homo adeo propendet, & inclinatur ad peccandum, concupiscentiâ adeo exardescit, & inflammatur, ut ruat in malum, voluptas tot habet escas, & illicita, ut timor recitandi quinque Pater, visitandi Ecclesiam aliquam, ad conscientiæ tuæ tribunal appello, non te possit cohibere, quo minus redeas, & curras ad viam vitiorum? sanctus Ambrosius inquit, quod facilitas veniæ obtinendæ, nos incitet ad peccandum? quænam est caussa, quod viator, vel mercator super glaciem incedens timeat, ne ad quemlibet gressum cadat, & tibias frangat, nos autem inter ipsa pericula, objecta, & occasiones, nec minimum veremur, ne ruamus in peccatum, & conscientiam conquassemus? Nil aliud; quam timor quo times te insumpturum sumptus, quod debeas diu delitescere in tuo cubili, quod debeas sufferre dolores, si pedes regeras. Econtra dum patramus peccata, speramus nos ab iis liberandos, si ea tantum committamus auribus confessarii, & unum, vel alterum Rosarium, aut septem psalmos pœnitentiales recitemus.

in Psal. 108 misere mei secundum eloquium tuum.

Et inde id procedit inquit sanctus Ambrosius loco supra citato, quod si pharmacum nimis pœnosum, & crudele sit infirmo, pro eo quod debeamus exscindere, vel comburere gangrænam, & mittamus unum tantum emplastrum, ita ut malum sensim cor occupet, & infirmus pereat. Non absimiliter confessarius per falsam suam bonitatē, & indiscretam indulgentiam parcit suo pœnitenti, & pro satisfactione illi imponit actiones faciles, per quas nutrit ejus vitia, & per hanc impunitatem causa est, quod habenas laxet suis pravis, & infamibus passionibus & labatur in mortem æternam.

Maxima quippe est stultitia, & error, credere, quod consuetudo jurandi, se inebriandi, mentiendi, furandi, & gravia patrandi peccata corrigatur per exiguas quasdam preces, & similes satisfactiones, pœnitentia quippè derivatur à pœna, illæ autem exiguæ satisfactiones non sunt pœnosæ. Nullus est adeo rudis Philosophus, qui ignorat habitum solum destrui per actus, & quidem frequenter repetitos. Sicut à contrario eum generari per frequenter repetitos actus omnes norunt.

Vnde

Vnde conclusissimum sit, avaros largitione eleemosynarum debere pellere suos pravos habitus, ebriosos, per abstinentias arctas, voluptuosos, per macerationes austeras carnis, & ita de aliis.

Trid. sess. 14. cap. 8. XII. Audite conclusionem Tridentini. *Debent ergo sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentiis cum pœnitentibus agant, levissima quadã opera pro gravissimis dellictis in targendo alienorum peccatorum participes Efficiantur.* Videte nunc in quo simus statu periculoso, si per conniventiam, timiditatem, indulgentiam animi, & condescensionem cum peccatoribus pro gravissimis, & innumeris peccatis poenitentias levissimas imponamus. *Putamus quod nos exoneremus.* Dum nos volumus exonerare, oneramus nos ipsos, dum putamus quod vos absolvamus, delinquimus, & derivamus in nos maledictionẽ prædictam per Isaiam, & Oseam: *Erit*
Isaia. 24. v. 2. Osea. 4. v. 9. *Sicut populus, sic sacerdos*: Id est, sacerdos æque punietur, ac totus populus, non dicit ut unus ex populo, sed ut totus populus. Quomodo hoc intelligitur? An singularis persona possit patrare eadem peccata, quæ una communitas? Meo sensu unus ex communitate est subjectus avaritiæ, alter temeritati, tertius prodigalitati, quartus ignaviæ, nonnulli peccant per excessũ, nonnulli per defectum. Ergone unus vitiis oppositis, & contrariis subjectus sit? Audite mysterium. Sacerdos quandoque potest esse complex omnium peccatorum, quæ coram Deo populus patrat; non quidem per commissionem, sed per omissionem obligationis suæ, per cooperationem, per impetrationem, dum per absolutiones nimis præcipitatas, per impositionem nimis levium pro multis, & enormibus peccatis, sese participem reddit omnium peccatorum quæ ejus poenitentes committunt. Hæc est mens concilii.

Verum enim verò dicetis, quod si poenitentiæ debeant aliquomodo convenire enormitati, & multitudini peccatorum, ergo si quis commiserit centum quingenta mille, ergo debebit illi pœnitentia imponi integri anni, immò sex decem, duodecim, & quindecim annorum? Per hanc objectionem jam canis victoriam ante triumphum. Et quæso, quid diceres de confessario, qui uni pœnitenti imposuisset poenitentiam centum annorum? Tu traduceres eum tanquam nimis severum, indiscretum, & barbarum, posito quod idem poenitens commisisset trecenta enormissima peccata, attamen confessarius nil faceret respectu illius, quod fecit pontifex non ob centum, sed ob unum tantum peccatum mortale. Audiamus canonem id recensentem.

XIII. Anno octingentissimo sexagesimo Stephanus Papa quintus scribens cuidam Magno Equiti Astulpho, qui Zelotypia actus suam uxorem interfecerat hanc ei proposuit optionem unam ex his duabus poenitentiis eligendi, vel ut intres monasterium, & in continuâ vivas obedientia, aut si velis manere in seculo exceptis festo Nativitatis, & Paschatis semper abstinebis à carnibus, nec vinum, nec siceram gustabis, à venatione, & aliis docitibus *Cap. ad monere te 33. quæst. 2.*

man-

mundanis, & recreationibus abstinebis, in Ecclesia ultimum occupabis locum, precibus te commendabis fidelium, & communione te censebis indignum. Eam tibi solum in articulo mortis indulgeo, si hæc ritè servaveris. Asperiores tibi possem injungere pœnitentias, sed, si has adimpleas, quas tibi clementer, & misericorditer injunxi, spero bonitatem Dei propitiam fore, quod si illas non observes, scias, quod teipsum damnes, & manebis inter laqueos Diaboli, quibus constrictus es. An hunc sanctum Pontificem dices nimis fuisse severum, crudelem, & Barbarum? Absit hoc, quia adeo Sanctus fuit, ut miracula in morte patrarit. Tantæ fuit existimationis, ut dum Rhemas veniret seditiones sedaturus, Ludovicus Imperator, & Rex Franciæ, ter ejus genibus se adstraverit.

PVNCTVM QVARTVM.

Idem probatur de absolutione, primo scripturâ, secundo, Patribus, tertiò, Conciliis.

XIV. SAcerdos nil aliud potest in hoc tribunali, nisi virtute clavium, quas Ecclesia ei dedit in manus, & per participationem potestatis, quam Christus dedit sancto Petro, dum dixit, *Tibi dabo claves.* Porrò sanctum Concilium docet, hanc virtutem clavium non solum consistere in solutione, & absolutione à peccatis, sed & in ligatione, hoc est, impositione poenitentiæ correspōdentis, & convenientis gravitati criminum, & conditioni pœnitentis juxta prudentiam judicis. Tu non ignoras stylum, & axiomata recepta, & approbata ab omnibus in hoc tribunali sacramentali, nempe, quòd *clave errante* processus non habeat felicem exitum. Quod si ergò aliqua inter te, & Confessarium intercedat collusio, sive expressa, sive tacita, si ex conniventia, respectu, favore mundano, acceptione personæ tibi impertiatur absolutionem inconsideratam, si satisfactionem tibi imponat levem pro gravibus criminibus, quia es honoratus, & potens, & hoc, quia non audet te offendere, vel quia eum muneribus demulces, si ei unam, vel alteram missam imponas, dubito an Filius Dei ratam sit habiturus hanc sententiam, tam iniquè in terrâ pronunciatam.

Egregiè dicit Sanctus Gregorius: *Si Christo satisfactum non fuerit, quid nostra relaxatio, vel gratia poterit certè conferre?* Quod si dicas eum loqui velut Doctorem particularem, en alium, qui loquitur ex cathedra & quidem alium Gregorium. Gregorius itaq; septimus in Concilio Romano quinto habito anno millesimo septuagesimo octavo sic loquitur. Nos eas pœnitentias esse falsas pronuntiamus, quæ non imponuntur conformiter ad auctoritatem sanctorū Patrum, & juxta gravitatem pecccatorum. Eorum quoque successores non donant indulgentias, neque Jubilæa, nisi sub hac condicione. *Injuncta salutari poenitentia.* An illa sit salutaris pœnitentia, qua imponitur blasphemiis, ebrietati ex acto unum, vel alterum Rosarium, una exigua eleemosyna? An hæc pœnitentia ejus vitia emendet, eumque remittat in viam salutis?

CONCLVSIO.

Piæ instructiones per illa verba, Facite fructus dignos poenitentiæ.

XV. AVddiamus ergò Ioannem, qui in initio sermonis nobis dixit: *Quis vobis demonstravit fugere à ventura ira? Facite fructus dignos poenitentiæ*

 Vul-

vultis, ut vos doceam modum, quo possitis placare iram Dei, & horrendam damnationis æternæ sẽtentiam evitare, quæ fulminabitur in reprobos?

Facite. Id non faciunt quinque, vel sex Lacrymæ, dum consideratis vestra peccata, nec illa teneritudo, quam experimini subinde in confessionibus; quæ sæpe procedunt à natura, & non gratia, nam Dei non est teneritudines, devotiones sensibiles, proposita in aere fabricata producere; ille namque exigit opera. *Facite.* Quod si adeo delicatus sis, ut nolis abortum facere magnarum poenitentiarum, assuesce, ut parvas facias juxta tuum statum, & conditionem.

An es Ecclesiasticus? Tu potes accipere pro poenitentia, ut quotidiè paucillum temporis exerceas in oratione mentali, ut egenis, captivis, rusticis, infirmis, tradas qualibet septimanâ doctrinam Christianam, ut visites infirmos, assistas morientibus.

An sis nobilis? Tu te potes obligare, quod quotidiè vesperi totam velis congregare familiam, ancillas, famulos, & cum iis orationi vacare, diebus festis, & Dominicis interesse missæ parochiali, ac vesperis, ut omnibus præluceas bono exemplo, discordias inter tuos componere, iis invigilare, ne jurent, ne choreas ducant, ne se inebrient, ne rixentur, ne crapulæ vacent.

An versaris in tribunali? Tu potes causam agere orphanorum, viduarum rusticorum, tu potes esse asylus, & consilium pauperum, qui litis expensas nequeunt sustinere; tu uno die, quolibet mense potes adire carcerem misellorum in carcerem conjectorum, ut iis possis assistere.

An es Domicella? Tu unâ hora citius surgere potes, rogare Deum, pro poenitentia te privare aliquo ornatu vano, ludo, choreis, visitationibus, tu potes nomen dare confraternitati misericordiæ in hospitali, visitare infirmos, vel aliquem amandare, qui eos visitet.

An sis mercator, vel opifex Tu potes diebus dominicis duo, vel tria audire sacra, ut Deo Patri satisfactiones sui Filii offeras, tu in Spiritu humilitatis in Ecclesia cum Publicano te continere potes, & indignum te reputare, qui propè altare accedas, & sacramentum aspicias. Tu tibi poenitentiam ob tua peccata indicere potes ad certos annos abstinentiam à lusu, frequentatione popinæ, quod non velis bibere nisi vinum limphatum.

An es minorennis, vel filiusfamilias? Tu potes pro tua poenitentia tibi injungere, ut servias tuo avo, aviæ, Novercæ, vitrico, sorori pacificè, humiliter, patienter, ac si esses eorum servus, nec alios cibos sumere, linteamina portare, aut aliis deliciis frui, quam ille, qui meretur infernum. Hæc quidem poenitentia, fateor, est austera, sed scias velim, illam non futuram poenitentiam, nisi esset poenosa, & quidem cum tempore dulcescet. Solum initium difficile est, sensim tuus animus asvescet, & tuum corpus indurabitur. Post aliquos annos cilicium non est amplius tam asperum, Disciplina Franciscanis, Minimis abstinentia, Carmelitis solitudo.

Facite fructus, non flores desideriorum, non folium byssinorum verborum,

rum,

rum, sed fructus sanctorum operum. Non dicit *Opera*, sed *Fructus*, quia opera satisfactoria sunt fructus, quibus fruimur; nam dicuntur, *Fructus à fruendo* satispassiones, quas faciemus in purgatorio, non erunt fructus, sed satispassiones, quia solum solvemus debita, nec aliud habebimus. Verum opera pœnalia hujus vitæ non solum diluunt debita, sed & præterea nobis acquirunt merita, & gradus gloriæ.

Dignos respectu majestatis, quam offendisti, quæ est amabilis, venerabilis, & tremenda. *Dignos* respectu gratiæ sacramentorum; Dignos respectu Baptismatis, qui nobis dat gratiã, ut vivamus sicut boni Christiani, confirmationis, ut alacriter profiteamur fidem Christi, Confessionis, ut faciamus opera poenitentiæ. Quod si defectuosi simus, nos non correspondemus gratiæ sacramentorum. *Dignos*, respectu præmii, quod Deus operibus spondet. *Erit merces operi tuo*, merces incomphrehensibilis, immensa, infinita, æterna. Amen.

SERMO VIGESIMUS QUINTUS.

Pro Dominica quarta post Pascha.

De Beneficio Absolutionis.

Sed veritatem ego dico vobis, expedit, ut ego vadam Ioann. 16.

EXORDIUM.

AN ergo solis Discipulis expedit, ut Christus ex hoc mundo discedat? Eccur illis solis dicit, *Expedit, ut ego vadam*? Hæc verba non ad solos Discipulos, sed ad omnes directa sunt, quia abitus Christi non solum in Apostolorum, sed in omnium cedit utilitatem. Expediebat ergò, ut Christus Dominus non in terra amplius maneret, sed in cælo degeret. Scitis cur? Ratio in promptu est, Christus post resurrectionem suam Discipulos suos cõstituit Vicarios in terra, ut ejus vices subirent, ac peccatores ligarent, & absolverent, hoc munus autem non potuerunt executioni mandare, nisi Christus ascendisset in cælos, unde reverà expedivit nobis, ut Christus iret, ut ita nos absolveremur, & sacerdotes haberent potestatem absolvendi, siquidem hæc potestas est Divina, suprema, Regalis, Generalis, & amplissima, uti hac concione ostenditur.

Quæcunque alligaveritis super terram, erunt & ligata & in cælo, & quæcunque solveritis & in terra, erunt soluta & in cælo Matt. 18. v, 18.

I, San-

I. Sanctus Patriarcha Joseph volens amoris affectus à suo hero sibi exhibitos deprædicare, & obligationes manifestas facere, quib⁹ ei erat adeo devinct⁹, inter alia dixit, omnia in domo suæ fidelitati ab eodem commissa esse, clavesque scriniolorum, cellarum, granariorum, & omnium thesaurorum sibi consignatas. Filius Dei amplius sibi devinxit sacerdotes, dum eos instituit præfectos suæ Ecclesiæ, iisque consignavit claves paradisi, & potestatem ligandi, & solvendi, promittens ratum se habiturum, & confirmaturum in cælo, & approbaturum omnes sententias, quas ipsi pronuntiaturi essent in terra. Profectò hæc authoritas admirabilis est, & illustris ob circumstantias, quas hodie vobis proponam.

Sacerdotes nonnisi homines ligare, & solvere possunt, & quidem solum in terra; at tua potestas, O sacerrima Virgo, ligat, & solvit Filium Dei in cælo, & in terra. In mundo sæpius eum in cunis reponendo, & levando ligasti, & solvisti. *Membra pannis involuta, virgo mater alligat.* Et etiam nunc in cælo per tuam intercessionem ejus manus solvis, & ligas. Rogamus te, ut hanc potestatem erga nos exerceas, & liges manus ejus justitiæ, ne supplicia promerita in nos fulminet, solvas verò manus misericordiæ, ut eas liberaliter aperiat, & in succursum nostrorum miserorum, qui coram te prostrati, te cum Angelo salutant dicendo, *Ave Maria*, extendat.

IDEA SERMONIS.

Christus potestatem remittendi peccata, quam accepit à patre, dedit sacerdotibus.

II. PRopheta Regius David, dum animo volveret rigorem judiciorum Divinorum, spiritu suo Prophetico sæcula secutura penetrans, & prævidens Mysterium Incarnationis, hæc scripsit: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis*, Magne Deus, dum ego severitatem tuæ justitiæ considero, quomodo rigidissimè punias minimos defectus contra legem tuam commissos, ego timore exanimor, & sanguis meus in venis congelatur, nullus est capillus, qui non arrigeat. Video in libro Numerorum quendam, qui in die Sabbathi nonnulla ligna ceciderat ad frigus arcendū à toto populo ita Moyse jussu tuo præcipiente lapidibus obrutum. Lego in libro Levitici Nadab, & Abiu Filios Pontificis Aaronis novelli Moysi igne sacrificii haustos ob levem aliquam ceremoniam omissam. Meo conspexi ævo Ozam ob arcam fœderis temerè, & parum irreverenter tactam, mortuum concidisse. Et quis non contremiscat ad visum tuorum judiciorum? *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Quod si ita pergas, brevi omnes gladii tui consumpti erunt, brevi omnibus armis, & instrumētis justitiæ carebis, nec creaturas habebis, quæ te adorabunt.

Psal. 71.

Num. 15.
Levit. 10.

Psal. 72.

Enim verò, si videas congruere, ut hanc potestatem judiciariam alicui committas, nemo erit aptior, quam Messias, quē missurus es; nam hic dignè illam acceptabit, & fideliter pro te illam administrabit, erit quippè Deus non minus, quam tu, ille eam etiam exercebit in dulcedine, & suavitate, quia erit homo, sicut nos, nam humanitas, quam ex nobis assumet, illa instillabit ipsi humanitatem, & dulcedinem erga nos. Tua ipsi chara,

chara, & pretiosa erunt, quia erit tuus, nostra quoque commendata sibi habebit; quia erit noster Rex: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis.* Deus sit semper Laudatus, & Benedictus, & ipsi gratiæ immortales reddantur; quia videmus hoc desiderium Davidis completum; hanc petitionem exauditam, hanc Prophetiam executioni mandatam.

Pater, inquit ipsemet Filius Incarnatus, *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, quia Filius homi is est. Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Et hanc tantâ plenitudine accepit, ut eam comunicarit Discipulis. Et sanè unus è primariis, & præcipuis erroribus prætensæ Religionis hic est. Invenimus nonnullos Minestellos, qui suos quidem excommunicant, neminem tamen reperimus, qui audeat absolvere vel unum. Hæc est proprietas veræ Ecclesiæ, quia ipsi soli convenit habere claves paradisi, ut inquit Lactantius Firmianus, Ministelli carent hac auctoritate, & ut suam impotentiam defendant, dicunt injuriam irrogari Filio Dei aliquem ad alium amandare, quam ad Christum, ut veniam peccatorum obtineat, cum nullus peccator remittere peccata possit. Et in hujus confirmationem allegant sanctum Ambrosium dicentem injuriam fieri Christo, si infantes ad aliquem ministrũ baptizandi deferantur, nam peccatum originale deletur per Baptismum, quod si baptizetur adultus, ejus peccata quoque dimittuntur per hoc Sacramentum; nam ut scribit sanctus Paulus ad Titum: *Ille nos salvavit per lavacrum regenerationis.* Et ad Ephesios, Salvator mundavit suam Ecclesiam per lavacrum aquæ. In Symbolo quoque Nicæno, quod in confessione vestræ fidei admittitis, dicit, *Cõfiteor unum Baptism.ı in remissionem peccatorum?* Nonne baptizare spectat ad Filium Dei? E cælo hoc declaratum est sancto Joanni Baptistæ: *super quem videris descendentem Spiritum sanctum, ille est, qui baptizat.* Nonne est ille noster Magister, cui Petrus dixit: *Ad quem ibimus, quia verba vitæ habes?*

[Psal. 71. Iohann. 5. Num. 15. Levit. 20. Psal. 72. Tit. 2. Ephes. 5. Ioann. 1. ver. 15]

Injurium ergò te liquet esse Filio, quando alium adis, aut quando aliquẽ ablegas ad Ministellũ quendam, ut ab eo audias verba vitæ æternæ, quando ad eũ defers tuum infantem, ut baptizetur, credens ab eo per sacramentum illum mundandum à suo peccato originali. Quinimmò, æquè inferre potes, quod Consiliarii, & Parlamentarii injuriam irrogent Regi, cum ad eum solum administrare justitiam spectet. Immò adhuc asserere potes, Legatum, vel ministrum status esse injurium Regi, dum ejus gerit negotium, ac pacem cum externis icet. Et quis sit adeo stolidus, qui non statim respondeat, quod baptismus administretur, prædicatio fiat, absolutio impendatur nomine Dei, & quod nomine Regis processus, justitia administretur, pax concludatur. Nam tales ministri non sunt spectandi, ut homines; sed ut Vicarii, Legati, & ministri status Dei ob commissionem, & auctoritatem, quam ab eo habent.

PUNCTUM PRIMUM.

Omittendum, ubi non sunt Hæretici. Hæc potestas probatur, primo, scripturâ, secundo ratione effugiorum, tertio, Patribus.

Matt. 18. Cap. 20.

III. Quod ſi velis litteras ejus videre patentes, & bullatas, uade ad caput decimum octavum Matthæi, *Quicquid ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis.* Et ad Divum Ioannem: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Quid ad textus adeo claros Hæreticus reſpondere poſſit?

Reſpondet: Illa loca intelligenda eſſe, quidquid declaraveris ligatum, quidquid declaraveris remiſſum; nam fides juſtificat, & peccata diluit. Ego quidem adeo Miniſtellum, coram eo magnum me fateor peccatorem, inutilem ad bonum, inclinatum ad malum, ille me ſolatur; ille mihi proponit verba vitæ, ille me certum reddit, dimiſſa mihi eſſe peccata, dummodò credam. Verum enim verò, quid hoc aliud eſt, quam ervere oculos, & negare ſolem in meridie lucère. Ex tuo quippè dicto conſequitur, quod non ſolum tuo miniſtro, Sancto Petro, ſanctis Apoſtolis datæ ſint claves cœli, ſed omnibus hominibus, minimo ruſtico, ſimplici feminæ; nam & unus infidelis te poteſt conſolari, prælegere Evangelium, te aſſecurare, quod tibi peccata dimiſſa ſint ſi credas; omneſque habere claves cæli, & poteſtatem abſolvendi. Quod ſi me jactarem, à Rege mihi eſſe datas claves, & ſi cuidam me interroganti, ubi eſſent claves dicerem, poteſtatem illam habendi claves nil aliud eſſe, quam quod declarare poſſem januas hora decimâ mane eſſe apertas, veſperi verò hora undecima clauſas, nonne me riſui exponerem? Primariò, & principaliter Filius Dei dedit claves ſancto Petro, & dependenter ab eo reliquis ſacerdotib⁹, quod ſi ergo quæram in quonam conſiſtat hæc clavium poteſtas? tuque dicas in nullo alio, quam quod poſſint declarare cælum eſſe apertum per meam fidem, nonne te jure proclamare poſſim nugatorem, & te perſtringerem tanquam jocatorem cum verbo Dei, & æterna ſalute?

Præterea, ſi ſacerdotes nullam aliam haberent poteſtatem, quam quod poſſint declarare peccata eſſe dimiſſa, Filius Dei non diceret, *erunt ſoluta*, & *remiſſa*, ſed *erant*, & remiſſio præcederet declarationem, ſacerdoſque nil aliud faceret, quam quod ratam haberet ſententiam Dei. Contrarium autem omninò colligitur ex iis locis, nempe quod Deus approbet, & confirmet ſententiam in cælis, quam ſacerdos pronuntiavit in terra. *Quodcunque ſolveris, quodcunque ligaveris* ἒαν ολνόης ἐαν ō δυονὴς σ'πί τῆς πῆς: Græcus loquitur in Aoriro ſubjunctiui: erit ſolutum, erit ligatum in cœlo εςας, non in futuro, εςῖ non in præſenti εγρο à ut futuro εςας' λελσνξοεν, εςας, δεδεφεῖον ευπης ȣϱανοῖς in quæ verba Sanctus Bernardus *Claves regni Calorum jam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia petri, ſententiam cœli.*

Bir. Serm. 1. in feſto petri & Paul.

Tertio. Non dicit ſolum, *quæcunque remiſeritis ſuper terram erunt remiſſa & in cælis*, quidquid ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis, ſed prætereà addit. *Quorum non remiſeritis, non remittuntur eis, quidquid ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Quod ſi adeas tuum miniſtellum, & dicas te eſſe magnum peccatorem, ſupponamus, quod ille te rejiciat, aut nullum tibi dicat verbū, vel tua peccata ſunt cōdonata? vel nō Quod ſi tibi non ſint condonata, jam contradicis tibi ipſi, quia dicis, quod re-

mittantur per fidem, si sunt, jam loqueris contra verbum Dei; quia minister nil agit, & Christus tamen dicit: *Quodcunque remiseritis &c.*

IV. Hæc verba Christi sole clariora sunt, verum demus, quod egeant explicatione, quis illa nobis explicabit? An aliquis modernus, vel quispiam Pater antiquus, qui vixit illo sæculo, in quo juxta doctrinam Calvini Ecclesia adhuc suam puritatem doctrinæ habuit? Divinè in hunc locum respondet Chrysostomus, & omnes Calvinistarum replicas præoccupasse videtur. Primò ergo observat Filium Dei eandem potestatem communicasse Apostolis, quam ipse accepit à Patre, & ille Sanctus loquitur post ipsum Salvatorem, nam eodem tempore, quo dixit Discipulis, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, simul dicit: *Sicut misit me Pater, ita & mitto vos.* Salvator autem non solum habuit potestatem declarandi peccata esse remissa, sed etiam potestatem remittendi. Alio itaque loco dicit; Quod si aliquis Rex cuidam suo amiciori daret potestatem quoscunque in carcerem conjiciendi, & carceres aperiendi, & quoscunque captivos dimittendi; Nonne hæc foret gratia quæpiam singularis? Attamen hæc nulla foret si comparetur potestati, quam acceperunt sacerdotes, & adeò inter se differunt, quantum differt cælum à terra. Tertio dicit sacerdotes veteris legis non habuisse potestatem curandi lepram, sed tantum declarandi eam esse sanatam; nostri autem non solum habent potestatem iudicandi peccatum, quod est lepra animæ, sed & illud sanandi.

Lib. 3. de sacerdot.
Ioann. 20.
Bir. Serm. . in festo Petri & Paul.

Addit sanctus Augustinus, Nemo dicat; ego confessus sum in corde, ego confiteor Deo, quia hoc non sufficit, nam hoc modo frustra dixisset Filius Dei Discipulis. *Quidquid solveritis super terram.* Et Sanctus Ambrosius Novatianos, qui docebant nullam competere hominibus potestatem dimittendi peccata, sic agitat. Cur ergò Baptizatis, si nullus homo possit condonare peccata? Nonne Baptismus peccata dimittit? Quid ergò ad rem facit, quod sacerdos peccata dimittat per poenitentiam potius, quam baptismum?

Hom. 49. ex 1. lib. 1. de poen. c. 7

SECUNDUM PUNCTUM,

Pensantur circumstantiæ hujus potestatis, primo quod sit Divina, secundo suprema non subalterna, tertio Regalis, quarto Generalis, & amplissima, quinto facilis executione.

V. AT enim verò, linquamus infideles, quia eorum morbus est incurabilis, qui tanquam phrænetici repudiant medicinas, solum loquamur Catholicis, & admiremur hanc potestatē, quam Christus suis Discipulis dedit. Fateor, quod nullum sit Mysterium in nostra Religione, quod adeo sit stupendū, quam hoc, vos ipsi admirabimini, si mecum ejus circumstantias ponderetis. Primò, itaque hæc potestas est Divina; nam illi propriè competit, qui iniuriam inflictam potest remittere, & condonare, ex quo liquet, quod competat Deo, nam ille offensas Divinas solus condonare potest. Salvator autem dedit potestatem remittendi peccata contra homines commissa, sed etiam contra De-

um. Nos legimus, quod Gentiles stultè quædam atttribuerint suis falsis Diis, quæ nostro vero Deo tantum competunt. Nos legimus plures Imperatores eo usque insaniisse, ut titulos,& elogia soli Deo propria sibi attribuerint. Imperator Constantius Arianus se æternum intitulavit. Poetæ finxerunt cælum sustentari ab Atlante, à Iovè illud gubernari, Neptunum præesse mari, nunquam autẽ eò processerunt, ut homini, vel falso Deo potestatẽ dimittendi peccata spiritualiter, aut alio modo tribuerint. Reipsâ igitur, & juxta opinionem hominum, hæc potestas propriè Deo tantum competit. Hinc Pharisæi non credentes Christum esse Deum, dum audirent, quod dimitteret peccata Paralytico, ei blasphemiam impegerunt. Quid non ergò cogitassent, quid non dixissent, si scivissent, uti nos scimus, quod Christus eandem potestatem dedisset hominibus, & quidem peccatoribus?

VI. Præterea hæc potestas est superna, & absolutè diffinitiva, & ultima, nec ab ea licet appellare; ea quidquid statuit in terra, in cælo ratum est. Hinc sanctus Leo: *Nec in solvendis, aut ligandis quorumcunque causis, aliud unquam ratum esset in cælo, quam quod Petri sedisset arbitrio.* Quod si ritè confessus sis, & sacerdos dicat, ego te absolvo, ne à Deo condemnandũ, id nequit fieri, fallere, aut falli ipsi est impossibile, absolutè autem hoc promisit. Econtrà sis Princeps, Rex, Imperator, Episcopus, Archiepiscopus, Papa, si sacerdos te non absolvat, non credas te apud Deum esse absolutum. Et hoc ostendit absolutionem, & confessionem non esse inventum humanum, aut Ecclesiasticam sanctionem; quia alias sine dubio aliqui hac lege exempti essent ut pote sacerdotes Episcopi, Patriarchæ, aut ad minus summus Pontifex, qui nullum superiorem in terris agnoscit, uti videmus nonnullos à præcepto jejunii, officii Divini per dispensationem exemptos; cum tamen post legem Christi promulgatam, nemo viderit, vel visurus sit, aliquem post peccatum mortale commissum, à confessione eximi.

Hom. de transfig. Dom.

Verum, inquies, an non contritio sine absolutione peccata dimittit? Immò, sed in casu tantum necessitatis, quando non habemus copiam Confessarii, quia si tunc èx gratiâ Dei speciali (quod potest fieri, quamvis ratò, & non sine difficultate) elicias actum contritionis perfectæ, vel amoris Dei super omnia, veniam peccatorum obtinebis. Concilium tamen Tridentinum declarat in hoc casu remissionem peccatorum tribuendam esse contritioni, ut includit votum absolutionis. Quod si per impossibile haberes contritionem, nec tamen votum confitendi, non justificaberis. Ex quo liquet, quam verum sit, quod postquam Christus sancto Petro dedit claves cæli, nemo possit illud intrare, nisi prius à Petro apertum fuerit.

VII. Et quidem hoc tantâ cum auctoritate, & potestate fit; ut hæc potestas omninò regalis sit, quia sacerdos non absolvit deprecando; quia si tantum diceret, *misereatur*, Rogo Deum, ut te absolvat, nequaquam esset absolutus, quia ut valida sit absolutio debet dicere: *Ego te absolvo.*

Quando magnus ille servus Dei sanctus

ctus Patriarcha Abraham misericordiam Divinam deprædicabat, eamque flectere volebat, ut gratiam faceret quinque urbibus peccatricibus, solo se adstravit, caput cineribus perfudit, ac humili, & tremula voce dixit: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis.* Et tandem post multas preces nil pegit. At enim; quod si sacerdos ante se habeat, non quinque vrbes peccatrices, verum quingentos milliones hominum, qui legitimam apud eum iustituerunt confessionem, qui innumeras commiserunt blasphemias, adulteria, sacrilegia, aut alia quævis peccata, non est necesse ut genua flectat, sed ut cuilibet sedens dicat: *Ego te absolvo*; infallibiliter absolutus erit; & quidem tam certò, ut prius cælum, & terra deficeret, quam illa sententia esset falsa. *Gen. 19.*

VIII. Porrò quarta circumstantia hujus potestatis, absolutissima, amplissima, universalissima est sine ulla restrictione, exceptione, & modificatione. Quantum est ex parte characteris, sacerdos potest absolvere à culpa, & pœna æterna, culpa quacunque quantumvis gravi, ita ut Judæi, qui necidederunt Christum, virtute illius potuissent absolvi: *Ipso redempti sanguine, quem fuderunt* inquit sanctus Augustinus. O te misellum Judam inquit sanctus Chrysostomus, tu malè tibi consulvisti. Hic infelix tradidit, & vendidit suum magistrum, paulò post *pœnitentiâ ductus Scribis*, & Pharisæis suum scelus confessus est: *Peccavi tradens sanguinem justum*, & argenteos restituit. Sed quid dixerunt sacerdotes? *Quid ad nos, tu videris?* Judas his perceptis desperat, & laqueo collum induit. O te miserum, & infortunatum, inquit sanctus Joannes Chrysostomus. Quod si expectasses per quatuor, vel quinque dies, tu veniam tui facinoris obtinuisses. Sacerdotes priscæ legis, quibus es confessus, meritò tibi dixerunt, *Quid ad nos?* nos tejuvare non possumus, quia potuerunt lepram discernere, sed non curare, & absolvere. Tu à tuo magistro jam audieras promissum factum Petro, & tuis condiscipulis: *Quæcunque alligaveritis*, illud promissum donavit illis statim post resurrectionem. Quod si expectasses tam diu, & unum adiisses, & tuum sacrilegium confessus fuisses, juro tibi, quod non dixisset: *Quid ad nos?* sed dixisset tibi: *Ego te absolvo.* Nullum quippè est peccatum, quod nequeat absolvi quoad culpam, cum Salvator absolutè locutus sit; *quorumcunque &c*: & juxta legem: *Beneficium imperatoris quam plenissimè interpretari debemus* *Epist. ad Theodor. lapsum.* *Matt. 26.* *l. Beneficium ff. de constit. Princ.*

Porrò, quoad pœnam debitam peccato, absolutio æternam, mutat in temporalem, & confessarius earum durationem valde minuit per pœnitentias, quas imponit, dummodò bene impleantur. Nam si velis jejunare, elargiri eleemosynas, corpus macerare, & alia opera satisfactoria præstare, opus salutare est, rogare confessarium, ut tibi illa injungat per modum poenitentiæ; quia si hoc fiat, præter rationem meriti, & satisfactionis, quã illa opera habent, si exerceantur in statu gratiæ, ex opere operantis, quatenus sunt bona, imposita à confessario per modum satisfactionis, *ex opere operato* per merita, & satisfactionem Jesu Christi, cui uniuntur virtute sacramenti, tanquam pars illius juxta Divum Thomam, conferunt augmentum *D. Thom 3. p. quæst. 90. art. 2. ad 3. lib. 3. cap. 5. in princ. Regum.*

gratiæ. Hinc Gregorius: *Afflictio pœnitentia ad delenda peccata, tunc demũ idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata.*

Liquet ergo, quod sacerdotes novæ Legis majorem potestatem habeant, quam sacerdotes veteris legis, & etiam sanctus Patriarcha Abraham. Immò sanctus Chrysostomus ulterius procedit, nec sine caussa. Ecclesiasticâ traditione habemus, quod sancti Michaelis principis cælestis militiæ, & Angeli custodis Ecclesiæ militantis munus sit animas ex hac vita defunctas, recipere, examinare, judicare, & ad locum promeritum destinare. Et ideo depingitur manu gestans bilancem, eò quod animas ex hac vita decedentes examinet, & judicio particulari eorum merita, & demerita discernendo: *constituite principem super omnes animas suscipiendas.* Verum id munus non exequitur, nisi post mortem, quando sors jam est jacta, quando facta revocari, & dilui nequeunt, quando non amplius sumus in via, sed in termino.

Non ab simili modo sacerdos velut sanctus Michael bilancem manu gestat, ille merita, demerita, dispositiones pœnitentis examinat, ille eum judicat, censurat, & sententiam diffinitivam pronunciat; & hoc non tunc, quando casus est desperatus, sed quando adhuc est remedium, quando adhuc saltus mortalis non est factus, tunc absolvit, condonat, & omnia crimina abolet, & delet. *Potestatem talem dedit hominibus, sed non Angelis.*

At enim verò, ut hanc veritatem clárius agnoscamus liceat mihi veniâ vestrâ unum supponere, supponamus, quod aliquis sit devotissimus sancto Michaeli Archangelo, quod eum quotidie invocet, & honoret. Demus, quod hic post plurima peccata mortalia patrata, non eliciat contritionem perfectã, sed solum attritionem, demus, quod apoplexiâ in hoc statu in quodam pago tangatur, & judicio privetur, concedamus, quod morbo ingravescente opem inclamet sancti Michaelis, & sanctus Michael eum exaudiat; cum toti Ecclesiæ sit Præfectus, & etiam Patronus illius, qui ei fuit devotus, eumque invocavit. Compello nunc vos, quam non misericordiam, quam non compassionem, quam non condolentiam, habebit hic Angelus, videns hanc animam perire ob defectum, & absentiâ sacerdotis, sanctus Michael quidem ei potest dicere, *Deus misereatur tui*, ille potest quidem Deum pro eo rogare; verum est, quod per intercessionem sancti Michaelis queat obtinere à Deo usum rationis, & auxilium sufficiens ad eliciendum actum contritionis perfectæ, & ut hoc medio salvetur; sed hic erit favor extraordinarius, qui raró continget, nam nequibit habere perfectam contritionem si maneat privatus usu rationis, in sua apoplexia, in suis symptomatibus; & consequenter sanctus Michael eum per omnes suas vires juvare non potest.

Quod si non nemo ex meis amicis, aut aliquis alius Christianus sit in eodem statu, supposito quod patrarit plura peccata mortalia, & exercuerit actum tantum attritionis, & hoc ipse, vel alii per minimum signum testentur, & ego tantum ei dicam; vade in pace Charissime, ego te absolvo, ille erit absolutus, & salvabitur.

Quod si postea hæ duæ animæ præsen-

sententur sancto Michaeli in judicio particulari, & appendentur ad bilancem, ille condemnabit suum clientem, quia non est absolutus, & conformiter ad meam sententiam judicabit, & absolutum declarabit illum, quem absolvi, eumq; ad cælum mittet. Quod si de hoc dubitetis, dubitatis de principiis fidei, nã quidquid dixi, sunt axiomata Religionis Christianæ, quæ nullus Catholicorum in dubium trahet.

IX. At etenim, id quod magis demiror in hac potestate est, quinta, & ultima circumstantia, nempe commoditas, & facilitas, quâ potest dari. Verum quidem est, quod is qui peccavit mortaliter, non possit habere adeo faciliter perfectam pœnitentiam, uti quis sibi imaginatur, sed quod debeamus eam à Deo instanter rogare, & conari, ut eam per bona opera obtineamus. attamen cum habita fuerit; quid est facilius, quam sua peccata confiteri alicui sacerdoti, & audire ab ejus ore hæc verba: *Ego te absolvo?* Dum hoc tacitus perpendo, stupore defigor, & mecum sic discurro. Mi Deus, & quid quæso cogitas? Vbi fuisti, quando hoc sacramentum instituisti? Quomodo fuisti adeo liberalis, & excessivus in misericordia, ut omnibus sacerdotibus in Ecclesia hanc contuleris potestatem? An non vides, quod hæc facilitas obtinendi veniam, calcaria addet animabus pravis liberius te offendendi, ita ut Ecclesia tua sponsa, videatur magis zelare tuum honorem, quam tu ipse, & debeat eos, qui enormiora patrant peccata subtrahere iurisdictioni inferiorum sacerdotum? Præterea, quod si hanc potestatem concessisses tantum Papæ, Episcopis, Patriarchis, vel omnibus sacerdotibus semel tantum in vita, excessus quidem tuæ liberalitatis non foret adeo grandis; at cum Deus eam dederit omnibus, pro semper, & quoad omnia peccata, an non hoc est, excessus magnus amoris, profusio gratiarum, prodigalitas misericordiæ? Quis unquam simile vidit? An unquam quis vidit, quod aliquis Rex tantum confidat uni suorum amicorum, ut hoc edat decretum: Quidquid concernit meum statum, meum dominium, meam coronam, volo ad talem deferri, & quidquid ipse decreverit, judicarit, condonarit, damnarit, id omnino ratum sit, immò crimina læsæ Majestatis, conspirationes contra meam personam, proditiones patriæ, & similia maxima delicta ejus subiiciuntur potestati, ita ut si illa condonarit, id ritè factum esto, ita ut nullus ab ejus sententia appellare possit ad curiam parlamenti, ad magnum consilium, vel consilium privatum, nec reus ille alicui hanc condonationem factam probare teneatur: Quis audivit unquam Principem aliquem similia proferre? Nemo; nec enim ullus unquam dedit talem potestatem absolutam ne quidem suo fratri, filio, aut proprio parenti.

Quin potius Imperatores in lege civili sic statuunt. Infamis esto totâ vitâ qui veniam crimini læsæ Majestatis rogare audeat? Nulli unquam Rex aliquis hanc potestatem concessit. Verum supremus, & adorandus Rex principatuum, & Dominationum cælestium & bonitate incomprehensibili hanc gratiam concessit non Angelis, non Archangelis, sed hominibus, suæ Ecclesiæ dilectæ, sacerdotibus, & qui-

Q. quisquis sis de- nique c. ad legem Iuliam majestatis.

& quidem non uni tantum, sed omnibus, nec tantum pro sacerdotibus, sed pro cunctis, quia omnes sacerdotes censuit esse suos amicos, & fideles & væ illis, qui tales non sunt, væ illis, qui non sunt fideles, væ illis, qui hoc munus dignè non suscipiunt, qui malè dispensant thesauros meritorum ejus per absolutiones lucraticias, vel inconsideratas: Quando aliquis inconsideratè, & quasi ex motibus primo primis aliquem occidit, tunc diu detinetur in carcere, aliquis ablegatur Parisios, quæritur aliquis qui polleat in aula, mediatores adhibentur, probationes fiunt, munera expenduntur, ut gratia obtineatur, et magna satisfactio subitur. Apud te autem mi Deus non sic agitur; nam si ego te offenderim, blasphemiis proscinderim, te abnegaverim, deliberatè, & consideratè occiderim, si seriò & ut oportet poeniteam, solum exigitur, ut vadam ad domum mei vicini si sit sacerdos, aut ad ejus cubiculum, si in mea domo moretur, & ei recenseam offensas, quibus te offendi, & firmiter proponam satisfacere, ut ita absolutionem recipiam.

Iuxta nostrum tamen modum intelligendi videtur, quod Pater æternus causam habeat conquerendi de nostro Salvatore, & dicendi: siccine uteris potestate à me tibi collata? Hæccine est fidelitas, quam exhibes in tuo munere? Ego attentâ tuâ innocentiâ, eminenti tua scientia, tua Divinitate, sperans, quod zelares meum honorem, quod utiliter gereres meum negotium, tibi illud officium judicandi detuli, tu autem quomodo illud resignas hominibus mortalibus, corruptibilibus, peccatoribus? Quæso te Pater æterne, venia sit verbo, ne ita loquaris, quia amor, quo te prosequitur tuus Filius, est adeo ardens, ejus servicia, quæ tibi exhibet, sunt adeo præclara, ejus merita adeo infinita, & tanti valoris, ut laudes & approbes, quidquid gessit. O quomodo anima in cælo non liquefiet præ amore? quomodo non dissolvetur ex dilectione erga talem Benefactorem? Quam sæpe non osculabitur ejus sacra vulnera? Quam sæpe non adorabit ejus mortem pretiosam? Quam sæpe non benedicet ejus sanguini adorando, qui tantum bonum est promeritus? *Benedic anima mea Domino.* Econtra, quos non dolores, & cruciatus habebimus si damnemur? Christiani in loco erunt profundiori, erunt pavimentum illius lacus infelicis.

PVNCTVM TERTIVM.

Dissuadetur abusus tanti beneficij.

X. DEvotus Rupertus solitus erat dicere, quod nec in minimo condoleret Christianis damnatis. Interrogatus, cur, cum tamen, quis cani compateretur, si ita affligeretur, respondit, se nec in minimo iis compati, cum id sint promeriti, & faciliter potuissent se salvare, adeoque spontè eos esse damnatos. Nec immeritò; nam hic erit maximus cruciatus, maximum tormentum in inferno, quando vide-

videbis, quod habueris tam insignes occasiones, per quas potueris evadere illa supplicia, & quod tam negligenter illas elabi permiseris. Quod si fuisses Iudæus, Turca, Hæreticus, vel educatus in aliqua Regione, in qua nulli essent Catholici, esses aliqualiter excusabilis, sed tu fuisti Catholicus, habitasti in civitate, in qua tot fuerunt sacerdotes, & tamen noluisti confiteri, vel si confessus sis, hoc indispositus fecisti. Contra te ipsum sævies, & rabie exardesces, tu tuam negligentiam accusabis velut inexcusabilem, tu rabie, & desperatione te ipsum dilacerabis. Tu non confiteris nisi à Paschate in Pascha, à medio anno in medium annum; quod si interim subitaneâ morte opprimaris, & in vadaris in illo statu peccati, cum contritio perfecta non possit haberi adeo faciliter, ut nec Religiosi eam post plures horas meditationis adeo promptè possint elicere, an non aliquis tibi meritò queat dicere, si fuisses tali die Dominicâ confessus, quando Deus tibi id inspiravit, mors te invenisset in statu gratiæ, & viâ ad salutem? Hunc cruciatum habebis, dum videbis, vel quod sis mortuus sine confessione, vel quod malè sis confessus, quodque appetitus, quo appetivisti pauxillum carnis, obstinatus animus, quo noluisti ignoscere, appetitus alicujus facultatis alienæ, quam reddere noluisti, reddiderint hanc absolutionem inutilem?

Quæso, ne te fallas; nam verum quidem est, quod non detur appellatio à sententia sacerdotis, quando illam dispositus recipis, verum si intercedat collusio, error judicii, abusus, defectus alicujus requisiti necessarii, tunc sententia cassabitur, & annullabitur, si reticias quodpiam peccatum, si omnem non ponas rancorem, si coquam non eiicias, absolutio nulla est.

Non multi elapsi sunt anni, quod in quadam urbe Hispaniæ civis quidam pravæ consuetudini peccandi immersus hæserit, & à Paschate in Pascha alicui prælato cujusdam Religionis, cujus honori consulitur, dum nomen taceo confessus fuerit, morbo repentino fuit obrutus, qui eum ad extrema deduxit, sub mediam noctem velocissimè itur ad monasterium, rogatur superior ut infirmum adeat, ejusque confessionem excipiat. Paret, Novitio juvene in socium assumpto. Dum in via prope quoddam cæmiterium iret, infirmus moritur, eique apparet, & eum interrogat, quo iret? confessarius respondit ad talem domum, auditurus confessionē magistri N. qui infirmitate fatali decumbit. Ego sum ille excipit alter, jam mortuus sum, & damnatus, & tu mecum; quia peccata mea fouisti, eò quod indigno absolutionem impenderis, & statim terra subtus eos sese aperuit, & utrumque absorpsit, misello novitio relicto, qui facem manibus gestabat. Totus desolatus, & dejectus rediit ad cænobium, nec unquam deinceps ridere visus est. Ita Parisiis ego, & alii à viro fide digno, qui hæc ex ore Novitii accepit audivi. *Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ea.* *Eccles. 15.*

Filius Dei pharmacum in hoc sacramento non composuit ex plantis terræ, sed ex meritis suæ passionis, ingredientia hujus pharmaci sunt, ejus

ſudores, ſanguis pretioſus, ejus labores, & mors. Ut hoc pharmacum componeret deſcendit de cælo, triginta tribus annis in hac vita vixit, tribus horis in cruce languit. *Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam. Vir prudens non abhorrebit eam.* Si ſapis me non deſpicias, ne contemnas remedium adeo pretioſum, adeo ſalutare, quod illi adeo carò conſtitit, ſtude ut illud tibi proſit. Si confiteatis ſicut oportet, hoc pharmacum, te perfectæ ſanitati reſtituet, hic theſaurus tua diluet debita, hoc ſacramentum in te producet gratiam Dei, claves ſancti Petri claudent tibi infernum, & tibi cælum aperient Amen.

SERMO VIGESIMUS SEXTUS.

Pro Dominica quinta poſt Paſcha.

De motivo contritionis, & odio peccati.

Quod peccatum offendat majeſtatem Dei, quæ cognoſcitur via cauſalitatis, via eminentiæ, ſuper eminentiæ.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

EXORDIUM.

QVamvis cum Chriſtus adeo ſit excellens, Deus, homo, imago, & ſubſtantia Patris, ſplendor, & figura paternæ gloriæ, caput Angelorum, primogenitus omnium creaturarum, ſanctitas ipſa, is in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter, quamvis inquam ſit adeo excellens, ut illi data ſit omnis poteſtas in cœlo, & in terra; attamen quidquid excellentiarum concipimus in Chriſto, quâ eſt homo, id perfectius, & eminentius eſt in Deo, nam is, qui debet, & poteſt aliquid dare in nomine alterius, in quo rogatur, is perfectior, & ſuperior eſſe debet; quam autem perfectus & immenſus ſit Deus, oſtendit Auctor in hac concione ex eo, quod quamvis nos ſimus ruſtici, Balbutientes, attamen dignatur laudes noſtras acceptare, in quo nos ſumus valde culpabiles, quod dum ille, qui continet in ſe omnes perfectiones, dum petit à nobis, ut ejus mandata obſervemus, ille nihiloſecius, dum aliquid rogat à nobis repulſam patitur, ex quo patet, quanta malitia ſit in peccato, uti hac concione oſtenditur.

Omnibus Diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato conſentias Tob. 4. v. 6.

I. Hucuſque egimus de iis, quæ ſunt eſſentialia, & magis neceſſaria ad ſacramentum pœnitentiæ, nunc id conſiderabimus, quod ſervire poteſt ad tres partes hujus ſacramenti. Et primò ponderabimus id, quod in animis noſtris poteſt generare odium peccati, & verum dolorem, quia id patravimus, & id-

& ideo hunc discursum dividam in duo puncta. In primo conabimur per aliquas conjecturas cognoscere infinitam, & incomprehensibilem majestatem Dei. In secundo videbimus, quam sit indicibilis malitia peccati, quæ tantam majestatem offendit, majestatem inquam perfectionibus tam excellentibus; amabilibus, & illustribus dotatam. Tu o sancta, & Beata Mater eam honorasti in tuo corde virginali, tu ejus potentiam deprædicasti in tuo cantico laudis. *Fecit mihi magna, qui potens est*, ejus sanctitatem: *Et sanctum nomen ejus.* Misericordiam: *Misericordia ejus à progenie in progenies*, justitiam: *Deposuit potentes de sede*, bonitatem: *Exaltavit humiles*, providentiam: *Esurientes implevit bonis*: Fidelitatem: *sicut locutus est ad Patres nostros.* Ille Patribus antiquis promisit, quod velit eos honorare, qui ipsum honorant. Vt aliquid addamus ad completionem hujus promissionis, cum tu adeo eum honoraveris, nos te honoramus, nos te salutamus, nos tibi benedicimus, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Cogitando, & loquendo de Deo sumus idiotæ, pueri balbutientes rustici, & tamen Deus dignatur acceptare nostras laudes.

III. Accedet cantabat vates Regius *homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Balbutiendo ut possumus* subdit sanctus Gregorius *excelsa Dei resonamus. Tibi silentium laus Deus in Sion* substituit sanctus Hieronymus loco illorum verborum, *Te decet hymnus Deus in Sion.* Hæc verba unius magni Prophetæ, Papæ, Doctoris, nos insigniter docent, quod Deus altior, & sublimior sit nostris cogitationibus, & conceptibus, & quod nos de Deo loquamur valde imperfectè, & quasi balbutiendo, & quod ad hoc, ut debitè celebremus ejus præconia, debeamus eum laudare profundo, & admirabundo silentio; ut enim edicam quod res est, quidquid cogitemus, dicamus, & exprimamus de Deo, adhuc sumus idiotæ, infantes, & rustici stupidi, & rudes.

IV. Dum recito acroama quoddam à me alias compositum in laudem Episcopi, & dico: sua celsitudo nos multum honoravit, quod si aliquis per tò *celsitudo* intelligeret immensitatem corporis, & sibi imaginaretur, quod Episcopus fuerit procerus instar gigantis: ille magnus profecto foret idiota. Plures quotidie idem faciunt, dum dicimus Deum esse magnum, pulchrum, misericordem, zelantem suum honorem, nam si sibi imaginentur, quod hæc prædicata Deo conveniant nostro modo, veluti competunt hominibus, crassè hallucinarentur. Magis differunt perfectiones Dei à perfectionibus hominum, quam magnitudo corporis, à magnitudine spiritus: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.*

V. Dum infantes lactentes volunt loqui, vel ut melius dicam ballutire, loco verborum, quæ formant: Tu monstras tuo puerulo avum suum, eique dicis, en

en tuum avum, ille autem volens idem dicere, quod tu repetit, en meum, quod vult dicere melius est, quam quod dicit, quia reipsâ mentitur, cum homo non sit. Eodem sane modo, quando dicimus, Deus est potens, sapiens, bonus, si velimus propriè, & juxta rigorem Theologiæ loqui, mentimur hæc proferendo, quia hi termini significant quoddam compositum, ex his excellentibus qualitatibus, & persona, cui debentur. Porrò fides nos docet, quod Deus sit simplicissimus, purus, invisibilis, compositionis expers. Quod si dicamus, Deus est ipsa potentia, sapientia, bonitas, impropriè loquimur, nam hi termini explicant solum qualitates abstractas, vagas, & quæ non sint in aliquo subjecto; cum tamen nil melius subsistat, quam noster Deus, quia subsistit in tribus infinitis, & adorandis personis.

VI. Supponamus unum puerum, filium cujusdam Rustici, qui nunquam exivit e suo pago, qui nullum vidit unquam nobilem, nisi Dominum pagi, qui est Baro, si huic velis describere Parisios, melius id nequis facere, quam si dicas Lutetiæ Parisiorum, est magnus pagus, quia ille nescit, quid sit civitas, oppidum, villa, arx, castellum, quia nunquam talia vidit. Quod si loquatur de Rege, eum vocabit Baronem magni pagi, qui majorem Dominum, quam sit Baro, majorem locum, quam sit pagus non novit, & risum movebit iis, qui eum sic audiunt loquentem.

Quod si Rex forsan illuc transiens, eousque, ad imum nempe usque se humiliaret, & dignaretur loqui huic infamulo, ut ejus infimitati se accommodaret, ita eum alloqueretur. Puerule gratiose, ego sum Baro magni Pagi, dum adoleveris, veni Parisios, ibi tibi dabo caseum, panem album ad saturitatem. Profectò nos omnes sumus similes huic infanti & velut ipse loquimur, & ipsi Angeli irriderent nos, nisi, à suo magistro didicissent condolentiam, & humilitatem. Quando loquimur de eorum domicilio, vocamus illud Regnum cælorum, quia nil Regno opulentius, & vastius vidimus. Dum loquimur de Deo, vocamus eum Regem Regum, Regem cælorum, quia nil vidimus grandius, nobilius, excellentius Rege. Deus porrò vel in hoc monstrat suam bonitatem extremam, quod dignetur nobis loqui, & accommodet se nostro idiomati grosso. In scriptura sacra Paradisum vocat magnum Regnum, sicut Rex vocat Parisios magnum pagum, se appellat Regem cælorum, ac si esset Baro Parisiensis; In Evangelio nobis dicit; quando adoleveretis in pietate, virtutibus, sanctitate, perfectionibus, venietis ad Paradisum, ibi in regno meo, ad mensam meam, biberis, & comedetis usque ad satietatem. *Ecce dispono vobis, ut edatis, & bibatis in Regno meo super mensam meam.* Luca 22, v.30. Dum dignatur condescendere, & accommodare se nostræ ignorantiæ, monstrat suam clementiam. Et tamen nostra lingua manet grossa, ridicula, & humilis. Et sicut ille, filius Rustici melius faceret, si taceret, quam quod ita ruditer loquatur de Rege, de Parisiis: ita nos, Deum majori gloria afficere-

cere-

ceremus, si casto, & venerando silentio eum honoraremus, quam quod adeo imperfectè, & ruditer de eo loquamur. *Tibi silentium Laus Deus in Sion.* Mecum ergo hic admireris amabilissimam Clementiam, & humilitatem, quâ non solum permittit, ut de eo tam imperfectè loquamur, sed & dignatur acceptare nostras laudes, illas habet in acceptis, eas munerat, ad eas nos invitat: *Laudate Dominum omnes gentes, Laudate pueri Dominum.* Porrò tres principaliter sunt viæ, quibus aliquo modo possumus pertingere ad aliquam tenuē, & valde tenuem, & debilem cognitionem perfectionum Divinarum, per viam nempe causalitatis, eminentiæ, supereminentiæ, ceu inaccessibilitatis.

PUNCTUM PRIMUM.

Cognoscimus ejus perfectiones ex tribus viis, via causalitatis, eminentiæ, supereminentiæ, ceu inaccessibilitatis.

VI. Sanctus Paulus ad Romanos scribens, primam nobis viam monstrat. Verum est inquit, quod Deus sit invisibilis, quia est Spiritus, verum creaturæ visibiles sunt specula fidelia, & certa, in quibus post mundum conditum homines, qui sunt creaturæ rationales possunt contemplari, & conspicere perfectiones invisibiles. *Invisibilia enim ipsius à Creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* (Rom. 1. v. 20.) Caussam cognoscimus ex effectu, magistrum ex opere, Architectum ex fabrica, pictorem ex pictura, creatorem ex creaturis. Omnipotentia ejus relucet in productione earum, quâ eas produxit, ex nihilo illas educendo. Et sane, an non sensu vestro magna potentia exigitur, ut aliquis faciat ex grano quodam pulveris solem? Qualis est apparentia, quod e grano arenæ, possit fabricari solem? Sola propositio videtur ridicula solem adeo pulchrum, magnum, adeo clarum fabricare, ex grano pulveris adeo parvo, obscuro, opaco, deformi, quis possit? Immò: quia difficilius est, granū pulveris producere ex nihilo, quam solem ex grano pulveris. Nam inter granum pulveris, & solem, intercedit analogia, similitudo, & proportio, inter nihilum autem, & granum pulveris nulla est proportio, quin potius distantia, & differētia infinita. Deus ex nihilo produxit, non solum unum granum, sed solem, lunam, stellas, cælum, terram, elementa, & omnes creaturas adeo pulchras, diversas, numerosas, creaturas animatas, inanimatas, cælestes, terrestres, visibiles, invisibiles, & hoc sine labore, unico verbo, unico actu voluntatis.

VII. Immensitas ejus coruscat in earum conservatione, quâ eas immediatè, & seipso, *immediatione suppositi* conservat; ex quo consequitur, quod sit omnibus præsens, ille est in fundo eorum esse, & ut loquitur Sanctus Dionysius: est *Intimo nostro intimior.*

VIII. Ejus sapientia resplendet in earum gubernatione, per quam non obstante earum antipathia, & contrarietate naturali, ille eas continet in bona pace, ille eas cohibet in quodam fœdere, composuit harmoniam, mundum fecit, hoc est dicere omnia & totum, eumque ornavit, & variavit mille creaturis, quæ in earum disconvenientia conve-

niunt, & conjunguntur ob bonum universi. Quod si aliquis sapiens Politicus unico die pacem iceret inter Gallum, & Hispanum, Polonum, & suecum, Turcam, & Venetos, eum omnes mirarétur, ejusque prudentiam deprædicarent. Nec sane hi Reges adeo sunt inter se contrarii, quam ignis, & aqua, aer, & terra, frigus, & calor, siccitas, & humiditas, quas tamen Deus jam à sex mille annis concordat.

Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conveniant liquidis.

Boet de consolat.

IX. Ejus bonitas sese ostentat in eo, quod non solum non sit contentus, ut iis det esse simpliciter, sed & iis dedit bonum esse, esse beatum, & perfectum, secundum cujuslibet exigentiam, & capacitatẽ, & prout requirit bonũ universi.

X. Ejus æternitas, & immutabilitas videntur in eo, quod omnia illa, quæ ab ipso immediatè procedunt; sint incorruptibilia, & æterna, ut cælum, materia prima, Angeli, animæ rationales. Verbo Deus est fons, radix omnis pulchri, boni omnium rarum qualitatum, excellentium proprietatum tam Spirituum, quã corporum, quæ in hoc mundo demiramur. Quod si illud axioma Philosophicum sit verum; Nemo dat, quod non habet, nos infallibiliter debemus concludere, quod omnes illæ perfectiones, quas admiramur, & amamus in creaturis sint in Deo, veluti in mari sunt omnes rivi, in sole omnia luminaria, in centro omnes lineæ, in surculo omnes rami, in causa omnes qualitates, & proprietates effectus: *Ostendam tibi omne bonum.*

XI. Omnia hæc sunt in Deo eminẽter, hoc est dicere modo incomparabiliter nobiliori, excellentiori, perfectiori, sublimiori, quam sint in creaturis. In creaturis sunt compositæ, in Deo simplices, in creaturis sunt impuræ, & imperfectæ, in Deo purissimæ, perfectissimæ; In creaturis sunt limitatæ, in Deo infinitæ, hoc est, creaturæ nihil habent pulchritudinis, bonitatis, roboris, sapientiæ, opum, nisi quod placuerit creatori illis dare. Tu durum te exhibes tuæ filiæ, quia non est tam pulchra sicut optas, tu non bene afficeris filio natu majori, quia non est adeo ingeniosus, sanus, industrius, sicut velles. Sed quid te vexas? Nihil plus habet, quam bonus Deus illi voluerit dare: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, dicebat quidam antiquus, qui erat gibbosus, & parum curvus, sed animam habebat rectam, & sanam. In Deo verò tot perfectiones sunt plures ut non possit velle, plures non possit optare, plures non possit habere, plures non possit concipere quia illas habet à se, & non emendicatas ab alio.

XII. In creaturis bonitas non est pulchritudo, pulchritudo non est robur, robur non est sapientia; ex quo conficitur, quod aliquæ creaturæ sint bonæ, aliæ sapientes, ita ut rara avis sit in terris quæ omnes perfectiones habeat, & hoc meo sensu Deus disposuit, ut nutriret in nobis mutuum amorem, concordiam, bonam intelligentiam, dum creaturæ se invicem juvant, & sibi ipsis mutuo serviunt. Et ideo, ut foveat commercia inter homines ille in nulla Regione voluit omnia produci, quæ ad vitam, & delicias hominis faciunt, sed in hac istud, in alia aliud.

Non omnis fert omnia tellus
Hic segetes, illuc veniunt felicius uvæ
Arbor ei foetus alibi.

At

At in Deo sunt omnes perfectiones simul, connexæ, inseparabiles, idem, & si rem penitius introspiciamus, unam sine alia non exercet.

XII. Perfectiones creaturarum laborant semper aliquo defectu, nulla est, nequidem corpus aliquod cæleste, quod non aliquem defectum habeat; quod tamen Providentiâ Divina in bonum prædestinatorum ritè ordinavit, quia hi defectus iis sunt remoræ, quæ eos detinent ne efferantur, sunt æquilibrium, quæ eos coerceant intra limites; nam dum vident has imperfectiones, habent ansam se humiliandi uti pavo ad aspectum pedum se humiliat. At perfectiones divinæ sunt perfectissimæ, nec aliquid in eo est, quod non sit amabilissimum. *Totus desiderabilis.*

XIII. Verbo, omnes pulchritudines, bonitates, raræ qualitates, excellentes proprietates, quæ nobis esse videntur ad eo gratiosæ, admirabiles in creaturis, quæ nos in stuporem agunt, & tam sæpe extra se rapiunt, nil aliud sunt quam umbræ, & figuræ, nil aliud sunt, quam pulchritudines, & perfectiones pictæ, & quidem imperfectæ, rudes respectu perfectionũ Divinarũ: *Præterit figura hujus mundi.* In imagine pertrãsit homo.

Neque ab hoc conceptu desistam, donec mentem elevarim in Deum, eique dixero cum sancto Francisco: *Deus meus, & omnia*, & cum Ecclesia: *Deus à quo bona cuncta procedunt*, cum Davide, *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Quid quæso possim optare in cælo, quid possim desiderare in terra, quod facillimè, & quidem perfectissimo modo in te non inveniã, mi Deus, mi Salvator, & omnia? Dum animo statui: per peccatum mortale, aut aliquam, sit qualiscunq; velit te perdere, esto totum mundum lucrari possem stultissimus sum, & magnam stultitiam committo, & quidem majorem, quam si voluntariè perderem torrentem mellis, aut aliorũ liquorũ pretiosorũ pro gutta aquæ, ærarium auri, & argenti pro atomo pulveris, regnũ vastũ pro umbra.

XIV. Tertia via per quam possumus aliqualiter divinare eminentiam Dei est hæc, quod perfectiones illas non solum contineat eminẽter, & in gradu excellẽtiori, quam sint perfectiones omnium creaturarum, sed tam excellenter sunt in illo, ut sint ineffabiles, inconceptibiles, incomprehensibiles, ita ut eas non possimus eloqui, concipere, comprehendere, nec ad eas accedere, vel appropinquare etiam ad minimum. Sed quid dico, quod impossibile sit ad ejus accedere majestatem? Sanctus Paulus addit, quod impossibile sit ad ej⁹ accedere habitationem. Ille cubat, & demoratur in medio magnorum luminarium, hoc luminare est inaccessibile: *Lucem habitat inaccessibilem.* Non dicit inaccessibilem hominibus, sed absolutè, quia nemo sive homo, sive Angelus, sive Cherubim, sive Seraphim, nec ulla creatura ad eam accedere potest. 1. Tim. 6. 6. v. 16.

XVI. Sanctus Dionysius Areopagita hujus magni Apostoli Discipulus apprimè hanc lectionem didicit à suo magistro, nam in egregio illo libro de Divinis nominibus sapienter nos monet his verbis: *De hac essentia superiora, & occultiora divinare nefas est quidquã dici, aut cogitari præter ea, quæ divinitus nobis à scriptis divinis patefacta sunt.* Capit. 1.

XVII. Et ratio quam affert insignis est. Dum proprio lumine illustrati præsumimus loqui de rebus Divinis;

objicimus nos periculo blasphemandi aut adminus falsa, ac crassa mendacia pronunciandi; nam velut bestiæ nequeunt discernere negotia, & regulas politicas hominum, nec lapides, aut alia corporalia possunt comphrehendere spiritualia, nec homo pictus naturam, & qualitates veri hominis, ita neque intellectus humanus, exiguâ sua ratione ductus, aut subductu luminis naturæ, poterit pervenire ad cognitionem rerum Divinarum.

Omnes perfectiones, quas admiramur, & adoramus in Deo, non cognoscimus naturaliter per proprias species, sed per species alienas, ceu prout illas videmus in creaturis. Hoc posito: plures sunt creaturæ, quas non cognoscimus, immò plures sunt, quarum perfectiones cognoscere nequimus; & una est infinita, quam nullatenus cognoscere quimus; Creator quippe mundum producendo, cunctipotentiam suam non adhibuit, nec totaliter seipsum cōmunicavit, nec omnes suas perfectiones in creaturas effudit. Omnia ad extra producit non necessariò, sed liberè. Non produxit hæc velut Pater, qui producit Filium, cui communicat suam naturam, & omnes suas proprietates naturales; Sed velut pictor, qui suam imaginem depingit, nam huic dat solum aliqua lineamenta suæ figuræ. Porrò tam parum exeruit suam potentiam, ut possit alios mundorum milliones producere, tot alios mūdos, quot stellas numerat cælum, guttas mare, gramina campi, bestias terra. In se continet omnes perfectiones creaturarum imaginabilium, & quidem tam eminenter, & sublimiter, ut si creasset hoc numen innumerabiles mundos, respectu ejus hæc omnia non essent plus, quam candela, & lucerna ardens collata soli, immò multò minus.

PUNCTUM SECUNDUM.

Iisdem viis cognoscitur malitia peccati.

XVIII. HÆ tres viæ, quæ nos ducunt ad aliqualem cognitionem eminentiæ infinitarum perfectionum Dei, etiam nos debent ducere ad cognitionem horrendissimam, & infinitam malitiæ peccati, quod tam sublimem, & excellentem majestatem offendit. Deus est prima causa, radix, origo, & principium omnium rerum. Qui Deum inhonorat, ille majorem committit injustitiam, quam si offenderet omnes creaturas, quæ sunt, quæ erunt, quæ fuerunt, vel quæ possunt esse; non secus ille, qui conviciis proscinderet Regem; nam is enormius deliquit, quam si omnes vasallos suæ Majestatis offendisset. Ille qui sauciat tuum cor, quod est origo vitæ, plus lædit tuam sanitatem, quam si omnia alia membra vulneraret.

Supponamus, quod aliquis convocet comitia, & conventum omnium Regum terræ, consultationem instituat omnium Doctorum totius mundi, exercitum conscribat militum totius universi, quodque Rusticus, & stupidus sedem suam collocet, & sedeat ante omnes Reges, an esset temeritas, & audacia, quæ huic possit componi? Si hic inquam omnes Doctores in quolibet puncto scientiæ argueret, an præsumptio,

prio, & stultitia huic similis esse queat? Rursus si hic invadat, & superiorem se putet omnibus militibus, an temeritas, & phrenesis ei par esse queat? At enim verò, tu pejus facis, & tua temeritas, & stultitia major est, quando Deum offendis. Vos non negabitis, quin sit nobilior cunctis Regibus, sapientior cunctis Doctoribus, fortior, & potentior omnibus militibus mundi, qui sunt, & fuerunt. Dum peccas non collocas quidem tuam sedem, ante sedem Dei, sed tuam voluntatem, voluntati Divinæ anteponis. *Volui, & noluisti.* Servus, qui anteponit suam voluntatem voluntati sui heri, ille magis arrogantior est, quam si vellet ipsum anteire; nam sæpe est licitum, immò in quibusdam casibus laudabile, quod famulus Dominum antecedat. Vetus est adagium. In ponte, silva, fluvio, famulus antecedat herum, servus sit ante, Dominus retrò. Nunquam interim licitum, aut honestum est, quod famulus suam voluntatem voluntati justæ, & rationali sui Domini anteponat.

Tu tuam voluntatem præfers voluntati Divinæ, adeoque magis es arrogans, quam si velles antecedere omnes grandes, Principes, et Reges terræ. Tu tuum intellectum, & judicium anteponis intellectui, & judicio Divino; quia ille tibi disertè dicit, quod tibi non sit utile, & honestum, vindictam repetere, seducere illam puellam, prosequi litem, aliena retinere. O bellum judicem, quam insigniter rem actu tetigisti! *Despexistis omne Consilium meum.* Sane plusquam abominanda est hæc præsumptio quam si contradiceres omnibus Doctoribus, qui fuerunt, sunt, & erunt. Tu bellum Deo indicis, & ejus vitæ insidiaris. *Tetendit adversus Deum manum suam, contra omnipotentem roboratus est.* Iob.15.

Et sane, hæc major temeritas est, quã si velles ire in centum mille milites mundi, & cum iis dimicare, quia Deus infinities fortior, potentior, & formidabilior est, quam quidquid credi potest.

XIX. Quod si velles oppugnare omnes creaturas possibiles, revera patrares injustitiam, & temeritatem prodigiosam, sed tamen aliquo prætextu apparente eam palliare posses; nam quantumvis magnæ, & excellentes sint earum perfectiones, & qualitates insignes; attamen non sunt omninò puræ, sed mixtæ, defectuosæ, & impuræ, & dicere posses, quod te offendãt; at enim verò, perfectiones Dei sunt omninò puræ, & perfectæ, absque ullius imperfectionis admixtione; Vnde valde eos inhonorares, & supramodum contemneres, easque fumo honoris, & voluptatis transitoriæ anteferres.

Et sicut attributa Divina continent eminenter omnes perfectiones creaturarum, quamvis sint condicionis, & naturæ diversissimæ; ita peccatum, quatenus est offensa, in se continet omnes deformitates injuriarum, quæ creaturis irrogari queunt, & quidem in tam eminenti gradu malitiæ, ut satis exaggerari non possit.

Peccatum est ablatio, usurpatio rei alterius, nám uteris membris tui corporis, & potentiis tuæ animæ, contra voluntatem Dei, ad quem spectant. Et hæc est perfidia quædam, quam committis contra maximum tuum amicum,

quem unquam habuisti; & tibi Deus dicere potest: *Amice ad quid venisti. Tu vero homo unanimis dux meus, & notus meus.* Est adulterium quoddam spirituale quo anima tua violat fidem, quam debet amantissimo suo sponso. Est rebellio, & noxa commissoria contra Deum, qui est tuus princeps naturalis, & legitimus superior. Est parricidium, quo occidis eum, qui te supra modum amavit, & obligavit. Verbo, est furtum injustius, perfidia monstruosior, adulterium infamius, rebellio atrocior, parricidium incomparabiliter foedius, quam sint omnia furta, perfidiæ, adulteria, rebelliones, parricidia, quæ unquã contra homines sunt commissa, vel committẽtur.

XX. Et veluti perfectiones Divinæ ob suam infinitatem, & supreminentiam excedunt omnem laudem, æstimationẽ, & admirationem; Ita quoque cum malitia peccati iis opposita sit infinita, & infinitè odiosa, excedit omnem cognitionem, conceptum, & expressionem. Tu cognoscere non potes magnitudinem malitiæ, quam committis, nec centesimam, nec millesimam partem ejus malitiæ potes concipere. Sed quid dico? Tu qui nil aliud es, quam tenebræ, ignorantiæ hanc malitiam cognoscere queas? Angeli, qui sunt Spiritus, Cherubini, qui sunt ipsa scientia, Seraphini, qui tam prope Deo astant, sancti qui dotati sunt lumine gloriæ, Virgo, quæ tota immersa est abysso sapientiæ Divinæ, verbo, nulla Creatura malitiam cognoscere potest, quam patras. Solus Deus eam comprehendere potest, cum ipse solus comprehendere possit excellentiam sui esse, & quodam modo dici potest peccatum esse tantum malũ, quã tum bonum est Deus, veluti Deus est bonum infinitum, inconceptibile, incomprehensibile, ita quoque peccatum est malum infinitum, incomprehensibile, ineffabile.

O magna sancta revera ansam habes dicendi id quod dixisti: O quam sapiens, quam divinitus illustrata es! Vtinam minimum radium luminis, minimam scintillam ignis tui amoris haberemus. Deus quadam die gratiam fecit singularem Beatæ Catharinæ Genuensi ei frustillum tantum malitiæ peccati ostendendo, & quidem transeunter, momentaneè, in ictu oculi, & instar fulguris; illa nihilominus tantum concepit horrorem, ut sanguis in ej⁹ venis alguerit, & animi deliquium passa sit, porrò testata est hanc visionem tamdiu duraturam, quousque mortem oppetitura esset, & hoc quamvis cor saxeum haberet. Et addidit. Dum solum cogito, & mente concipio umbram malitiæ in peccato, putem ni Deus me conservaret, quod mori deberem. Et quod si aliquid in hoc mundo desiderare possim; nil aliud adeo ardenter percuperem, quam quod possem id exprimere, id quod cognosco, & quid sentiam de re adeo paradoxa. Quod si in hunc finem deberem sufferre omnia supplicia Martyrũ, & reorum, ut mortalibus rem tanti momenti propalare, & declarare possem; omnia libenter sufferrem. Et postquam mihi Deus radium hujus luminis communicavit, nec per capillum amplius miror, quod infernus sit adeo atrox, & æternitas tam longa. Quinimmò pœnæ ejus mihi nimis dulces videntur, & quod non exæquent malitiam peccati, & ut verbo omnia eloquar sola umbra peccati venialis horrendissima, & abominandissima mihi vide-

Cap. quar. to vita.

Thren. v. 1[illegible]

videtur. At enim in alio loco dicit: Mi optime Deus, quælibet alia tolerari possunt, sed quod te offenderim, id me adeo torquet, ut sola cogitatio hujus sit mihi: horribilis, & intolerabilis. Et id obnixè deprecor, ut potius in hora mortis meæ mihi ostendas Dæmones omnes, cum omni eorum horrore, & suppliciis eorum cunctis, quam quod vel minimũ meorum peccatorum conspiciam; nam reliqua nil æstimo, si comparentur tuæ offensæ, quantumvis minimæ, cum tamen minimũ habere nequeat, eò quod sit contra Majestatem adeo grandem.

CONCLVSIO.

Peccatum infinitis lacrymis dignum.

XXI. Merito ergo ad nos vociferatur Ieremias: *Deduc quasi torrentem lachrymas tuas, non taceat pupilla oculi tui.* (Thren. 2. v. 18.) Vberes funde lacrymas ac si esset torrens, nec scaturigo tam citò exarescat, ac aquæ torrentis. Quod si malum sit unicum objectum tristitiæ, si lacrymæ ideo tantum sint, ut profundi debeant ad deplorandum, & detestandum peccatum, nemo lachrymis adeo prosequetur peccatum, ut amplius illud deplorare, & detestari non debeamus, cum sit malum infinitum. Immo si tot lacrymas spargeres, quot guttæ sunt in tuo vivario, si tot funderes lacrymas, quot unquam guttæ pluviarum ab orbe condito deciderunt, quot guttæ sunt in mari, attamen non satis, nec ut pars est deplorares peccatum. Quod si unam lacrymam bene impendamus, unum parvum malũ, duæ lacrymæ bene collocatæ erunt, si deplorent malum duplò majus, ex quo consequitur, quod ad deplorandum malum dignè infinitum, infinitas lacrymas spargere deberemus. Et sane non dicere debeo deberemus, sed debemus, nam si peccatum non detestatus fueris, si moriaris in statu peccati, in quo es, plures fundes lacrymas, quam sint guttæ in mari, & in omnibus pluviis mundi. *Ibi erit fletus* inquit Christus. Verbum Dei est efficax, fœcundum perpetuum: *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Post milliones annorum, *Ibi erit fletus.* Post centum milliones annorum, *Ibi erit fletus.* Quamvis decies millies plus lacrymarum effuderis, quam sit aquæ in mari, *Ibi erit fletus.* Et meritò, quia qui patravit malum infinitum, ille pœnam infinitam tolerare debet. Ille æternaliter debet plorare, qui summam, augustissimam, ad orandissimam, & inconceptibilem majestatem Divinam offendit, à quo nos Deus præservet per suam misericordiam Amen.

SERMO VIGESIMVS SEPTIMVS

Pro Dominica sexta post Pascha.

Peccatum offẽdit quatuor dimensiones perfectionũ divinarum

Ille testimonium perhibet de me Ioann. 15.

EXORDIVM.

PRofecto Auditores, nullaten⁹ dubitẽ neminem esse, qui felicem reputaret, quod creatus esset à Christo Apostol⁹, quia magna est hæc dignitas, quod ipsi

ipsi instituti sint testes vitæ, & passionis ejus juxta illud, quod Christus dixit vos testimoniũ perhibebitis de me, quia ab initio mecum fuistis. De hoc gloriatur Apostolus Petrus: *obsecro consenior, & testis passionum Christi.* Verum, si bene advertamus etiã nos Christiani ansam habemus gaudendi, quia hac dignitate insignimur, & meritò Apostoli vocamur; immò, & debemus, quia tenemur per nostram vitam ita vivere, ut ostendamus Deum esse sublimem, latum, longum, & profundum in suis dimensionibus, hoc autem facim⁹, si eum amemus, honoremus, & colamus, ac vitemus, & detestemur peccatum, quia illud offendit illas quatuor denominationes, ut, ostendemus cum Auctore in hac concione.

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias.

I. Postquam consideravimus numerum innumerum perfectionum Divinarum, quas peccatum mortale offendit, ponderare oportet, quod etiam quatuor excellentias, & dimensiones, quas sanctus Paulus iis attribuat, nempe altitudinem, longitutidinem, latitudinẽ, & profunditatem laudat. Illæ perfectiones quamvis sint immensæ, & infinitæ; tamen O sanctissima, & superbenedicta Mater, illæ in tuo sinu virginali si ita loqui liceat, diminutæ sunt, & quasi annihilatæ. Omnipotentia est conjuncta debilitati, æternitas se, collocavit in tempore, immensitas à tuis visceribus circumdata, & cincta est.

Quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera, factus homo.

Id Angelus prædixit, dum te salutavit hisce verbis *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

PVNCTVM PRIMVM.

Continet quatuor dimensiones perfectionum Dei, prima est sublimitas, nempe quod earum excellentiæ sunt in summò gradu, quod probatur primo in genere, secundo in specie, secundo latitudo, quæ se extendit ad omne objectum possibile, tertiò longitudo, nempe æternitas, quartò profundum, nempe quod sunt abyssus infinita.

II. OMnes perfectiones Dei sunt immensæ, & infinitæ, hoc est nullum habent terminum, limitationem, mensuram, unde impropria videtur esse locutio, si his perfectionibus, & attributis Divinis dimensiones attribuamus. Verum, quia tantum loqui possumus juxta nostrum exilem modum concipiendi, Spiritus Sanctus dignatur nostræ vilitati condescendere, & nobiscum balbutire. Et hinc per Sanctum Paulũ nobis considerandam proponit altitudinem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem suarum perfectionum Divinarum, ut ex hoc horrendam malitiam cognoscamus peccati, quod eas offendit. Ephes. 3. v. 8.

III. Primo ergo contemplari debemus altitudinem. Non possumus omninò pertingere ad cognitionem rei adeo sublimis, nisi paulatim, & per diversos gradus ascendamus. In hoc

mundo

mundo quatuor videmus gradus creaturarum, quæ habent perfectiones excellentiores, ita ut eorum esse sublimius, & altius sit. Primus gradus continet creaturas quæ habent tantum esse, nempe elementa, lapides, metalla, mineras. Secundus gradus est eorum, quæ habent esse, & vivere, ut plantæ. Tertius eorum, quæ præterea sentiunt, ut animalia. Quartus eorum, qui præterea ratiocinantur, velut homo. Lapis insignes habet qualitates, est in animatus, non movetur, non crescit, non agit. Planta præterea vivit, crescit versus cælum, vegetatur, in terra serpit, & sese extendit. Canis nobiliores habet qualitates, ille visu vetegit feras, odoratu percipit vestigia, voce feras prosternit. Homo præterea ratiocinatur, & præditus est ratione, quæ nobilior est fœcũditate plantarũ, sensu animaliũ. Quod sane videmus in privatione; nam nullus est parens, qui non mallet suã filiam potius esse cæcam, quam stultam, sterilem, quam cæcam.

Porrò loco horum quatuor graduum, & diversitatum in essentia creaturarum, novem dantur in cælo, qui eò habent perfectiones nobiliores, quò eorum species altior, & sublimior est. In cælo quippè dantur Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim; Et videmus, quod Archangeli tantum sint superiores hominibus, quantũ homines sunt superiores plantis; nam velut inter homines, & plantas mediat tantum una species, puta animalia; ita quoque inter homines, & Angelos interponuntur tantum Angeli. Seraphim porrò tot gradibus excellentiores sunt Archangelis, quot gradibus Archangeli superant lapides, immò pluribus, nam inter Archangelos, & lapides mediant tantum quatuor species; cum tamen inter Archangelos, & Seraphim intercedant sex. Sicut ergo perfectiones Archangeli sunt incomparabiliter nobiliores, & excellentiores perfectionibus lapidum; ita perfectiones Seraphinorum sunt multò nobiliores perfectionibus Angelorum, & Archangelorum.

Ephes. 3. v. 8.

Porrò Deus novum posset creare cælum, in quo centum gradus, & ordines creaturarum darentur, quæ multò nobiliores, & eminentiores inter se essent, & dotatæ perfectionib⁹ illustrioribus conformiter ad earum esse, ita ut minima, & infima, nobilior esset Seraphinis. Paulò post posset aliud producere cælum, in quo essent mille gradus, & ordines creaturarum, quæ sese in vicem etiam excederent in nobilitate, & perfectionibus. Et ita ab hoc momento, usque ad centum mille annos posset creare novum cælum, in quo infima creatura superaret primam, & supremam cælorum præcedentium. Cogitate nunc paulisper, an numerare possitis excellentes, & admirabiles perfectiones supremæ creaturæ. At enim verò omnes hæ perfectiones collatæ perfectionibus Divinis, non essent nisi lineamenta, umbræ, figuræ respectu earundẽ. Quod si has perfectiones Divinas particulariter, & in individuo velimus considerare, possumus dicere, quod earum altitudo, & sublimitas consistat in eo, quod excellentiæ perfectionum Divinarum sint in supremo gradu; & quælibet in illa qualitate, ut sit eximia, & celebris, & faciat, ut unam distinguamus ab alia.

IV. Per suam potentiã non solũ producit illa quæ vult simpliciter, sed & cum

summa facilitate, fœcunditate, & perfectione. Nil est facilius locutione, Deus autem omnia verbo, & quidem unico producit: *Ipse dixit, & facta sunt. Verbo Domini cæli firmati sunt.* Et quod mirandum est; hoc verbum adeo fœcundum fuit, ut non solum produxerit creaturas, quæ in principio mundi fuerunt extractæ, sed & adhuc operatur, & operabitur usque in consummationem sæculorum. In creatione dixit fiat lux, producat terra herbã virentem, & illa lux continuò adhuc in tempore fit, & terra incessanter herbam virentem, & gratiosam producit. Et quidem hoc adeo faciliter & perfectè præstat, ut quantumvis omnes Angeli spacio decem mille annorũ omnia opera ejus considerarent, nec unicum, vel minimum defectum in eo deprehendere possent. Nil possent addere, demere, mutare, absque destructione, utilitatis, pulchritudinis, & bonæ gratiæ. Homines quippè, dum de suis operibus agunt, loquuntur in imperfecto: *Apelles pingebat, praxiteles excudebat.* At dum loquimur de operibus Dei, utimur terminis, qui exprimunt plusquamperfectum; quia plusquam perfecta sunt: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Præterea tam perfectam habet scientiam, ut omne scibile maximâ claritate, exactitudine, & certitudine cognoscat. Per suam bonitatem vult benè suis creaturis, & quidem maximâ affectione, & ardentissimâ charitate. Per suam providentiam omnia, & quidem in particulari gubernat, omniumque curam gerit, & quidem tantâ diligentiâ, & solertiâ, ac si unica tantum esset, & nil ulterius haberet agere.

V. Secundo dicere possumus, quod latitudo Divinarum pefectionum, sit immensa extensio earũ activitatis, quarum confinia nullum habent terminum, & earum sphæra est infinita; quia sine modificatione, aut limitatione extenduntur ad omne id, quod eorum objectum esse potest.

Per suam cunctipotentiã posset creare mundum adeo vastum, adeo admirabilem, ut quodlibet granum arenæ, qualecunq; illud sit, possit esse tam magnũ, & perfectum, quam hic mundus, quem ante oculos videmus. Considera parumper quantus debeat esse ille mundus, qui haberet tot soles, cælos, lunas, stellas, maria, terras, quod sunt grana ærenæ in toto universo? hoc insuper mũdo creato, posset tertium creare, cui collatum hoc secundum esset velut granum salis. Et producto hoc tertio, posset producere quartum, quintum, sextum, & ita consecutive in tanto numero, ut plures futuri forent mundi, quam modo sint atomi solis, & folia arboris. Et postquam hos mundos produxisset, dicere posset: quidquid hactenus egi, non est nisi lusus, figura, & præludium eorum, quæ facere volo, quia millies, & millies plures producere queo, & sic in infinitum.

Per scientiam agnoscit numerum omnium creaturarum, quæ in mundo sunt, earum motus, actiones, accidentia, omnium formicarum, muscarum, pulicum, qui fuerunt, & erunt, omnes cogitationes, gestus, verba, nictus oculorum omnium virorum, ac mulierum: *Gressus meos dinumerasti, numerus mensium ejus apud te est. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Distinctè cognoscit omnes qualitates, proprietates, perfectiones, imperfectiones, non solum specificas, sed Iob. 14. v. 16. & v. 5. Matt. 10. v. 31.

ſed etiã individuat es cujuscunque creaturæ; ille cognoſcit longitudinem, craſſitiem, colorem omnium foliorum, quando, quomodo, quot, in quo momento, à qua parte, per quam imaginationem, finem, quælibet muſca volet in aere. Ille cognoſcit quomodo quilibet piſcis natet in aqua, formica gradiatur ſuper terram, folium qualecunque arboris decidat ex arbore. Et quidem hæc omnia, clarius, certius, diſtinctius cognoſcit, quam tu ſcias numerum, & ætatem tuorum infantum. O admirabilem Spiritum! O quam mirabilis ſcientia, quam prodigioſa memoria!

Per ſuam bonitatem tantum boni vult creaturis, quantum iis dare poteſt, juxta exigentiam naturæ earundem, bonum commune univerſi, & regulas ſuæ providentiæ. Et quidem in myſterio incarnationis contulit omnibus creaturis bonum infinitum, honorem inæſtimabilem, & omnes unione hypoſtaticâ ſuæ eſſentiæ univit. Homo quippe eſt compendium, recapitulatio omnium creaturarum, nam homo habet eſſe elementorum, vivere plantarum, ſentire animaliũ, movère cœlorum, intelligere Angelorũ. Eo ipſo quo ſancta humanitas eſt deificata, omnes creaturę, ſunt in illa nobilitatæ, omnes ſunt evectæ ad dignitatem ſupremam unionis hypoſtaticæ.

Providentia ejus extenditur, & ſe dimittit ad regendum, & gubernandum omnes creaturas, ad eas per media congrua ducendum, ac minandum ad debitum finem, & hoc, ut nequidem unius obliviſcatur atomi, quantumvis minimi, quod non ſit annotatum in archivo ejus memoriæ; ita ut nec ſit minima formica Americæ, nec minimus ſinus in deſertis Arabiæ, qui ejus ordinem providentiæ fugiat; *Illi eſt cura de omnibus.* Sap.6.v.8.
Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Matt. 10. v.19.
Deo? *Audeo dicere* inquit Tertullianus Tertull.
ſetas porcorum, nec dum capillos ſanctorum, numeratos eſſe apud Dominum.

VI. Tertia dimenſio, per quam eminentias magni Dei cognoſcimus, eſt longitudo, hoc eſt æternitas, quæ eſt; *Interminabilis vitæ, tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.* Rex poteſt amittere ſuam potentiam, ſi regno exuatur, vel moriatur. Politici quandoque ſapientiam ſuam amittunt, & puераſcere incipiunt in ſenectute, boni, & virtuoſi, quandoq; ſuam probitatem amittunt, dum forti tentatione oppugnantur. Deus verò nec minimum poteſt perdere ex ſuis perfectionibus, quia ſunt idem cum ſuo eſſe, quod eſt independens, neceſſarium, immutabile, invariabile. Poſſeſſio hereditatis tunc ex jure eſt bene ſtabilita, quando aliquis eam habuit immemorabili tempore. Illa nobilitas eſt illuſtris, & æſtimata, quæ antiqua eſt. Axioma juris eſt. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Nobilitas, & excellentia Divinarum perfectionum, & poſſeſſio earundem, non eſt tantum immemorabilis à tempore, & ſæculo, ſed eſt ante omnia ſæcula, ante omnia tempora, imò ipſam æternitatẽ.

Cognitio, quâ cognoſcit ſuas perfectiones, amor, & affectio, quam erga eas habet, gaudium, & delectatio, quod ex illis recipit non eſt ſucceſſivum, ſed ſimultaneum, Duratio horum non eſt tantum momentanea, ſed coexiſtit omnibus ſæculis, quæque in ſe continet, & comprehendit omnes differentias temporis Præteriti, præsẽtis, & futuri. Nunc ergo vide, quam vaſtum, amplum, immen-

immensum debeat esse cor, & spiritus Dei. Supponamus, quod spatio temporis infiniti quolibet momento recipiat nova gaudia, novas delectationes, illustrationes, cognitiones, quam non debebit esse magnus, & incomprehensibilis horũ numerus? Possideat aliquis hæc non transeunter, & gustando, aut perfunctoriè, sed omnia simul, quamdiu est Deus, & quamdiu erit, an aliquis hunc thesaurum, ærarium, oceanum, abyssum illustrationum, cognitionum, gaudiorum, voluptatis, beatitudinis comprehendere possit?

VII. Quarto profunditas harum perfectionũ consistit in hoc, quod sint abyssus sine fundo, & fine, quod omnes sint infinitæ. Quod si mare non haberet fundum, aquæ non haberent mensuram; si puteus melle plenus non haberet fundũ, dulcedo esset infinita, si esset plenus La-
Rom. 11. cte, candor non haberet finem, si esset
Psal. 144. v. 3. plenus auro, & argento, divitiæ essent si-
Psal. 146. v. 5. ne numero. Idem omninò est in Divinitate, & ejus perfectionibus adorandis: nam hæ non habent fundum, finem, mensuram, terminum, vel limites. *O altitudo divitiarũ scientiæ, & sapientiæ Dei!* scribebat sanctus Paulus. Et Propheta Regalis: *magnitudinis ejus non est finis, sapientiæ ejus non est numerus*, scientiæ ejus non est terminus.

Perfectiones, illæ sunt adeo grandes, immensæ, infinitæ, ita ut nil eas queat mensurare, nil iis queat comparari, nil vel in minimo iis possit appropinquare. Animo percurre totum mundum, lustra omnes incolas pagorum, provinciarum, Regnorum, & quarumcunque nationũ, attamen respectu Dei, teste Isaia hæc o-
Isaia 40. v. 11. mnia erunt, *Quasi pulvis exiguus.* Partire unum granũ pulveris in tot partes, quot sunt viri, feminæ, ac creaturæ in mundo, ego sum unus ex illis partibus, ego sum ante Deũ millesima, decima millessima, centesima millesima, mille millesima pars unius gran; pulveris, immò multò minus, ego sum non aliquid nihil, sed centesima millesima pars unius nihili; nam Isaias postquã dixisset, quod omnes Isaia 40.
nationes sint ante Deum velut exile gra- v. 17.
num pulveris, vidensque hoc nimium esse dictum, se quasi correxit dicens: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane.* Insuper Textus sacer tractans de potentiâ, bonitate, misericordia, & omnibus perfectionibus Divinis disertè loquitur, & significat, ac si creaturæ nihil essent, & Deus solum aliquid. De potentia, & immortalitate dicit sanctus Paulus: quod solus sit omnipotens, & solus immortalis, de bonitate inquit salvator, nemo est bonus nisi solus Deus; de dominatione inquit Isaias, quod solus sit Dominus, de pietate, & misericordia sancti ipsi dicunt, quod solus sit misericors; eò quod illustres qualitates creaturarum comparatæ perfectionibus Divinis nil aliud sunt, quam si nihil essent.

PUNCTUM SECUNDUM.

Debita nostra erga has Dei perfectiones, primò honor, secundò amor, tertiò timor, quartò peccati, quod illas offendit quatuor dimensionibus odiosis, primò sublimitas, secundò latitudo, tertiò longitudo, quartò profundum.

VIII. PErfectionibus adeo magnis, & excellẽtibus nos sumus obligati tria pensitare debita principaliora, honorem, amorẽ, timorem filialem, maximus honor, & homagium, quod illi pendere

dere possumus, est si illum revereamur, admiremur, revereamur per castum, & religiosum silentium: Antiqui arcum cælestem, ceu Iridem finxerunt Filiam admirationis, seu Thaumantiæ *Iris Thaumantia Virgo*, quia res admiranda est videre arcũ tot coloribus illustribus, conspicuis, variis qui nil aliud sunt, quam reflexio solarium radiorum ad corpus opacum, & bene dispositum.

Mille trahit varios adverso sole colores.

Et profectò res admiratione digna est, quod videamus in essentia Dei omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, justitiã, misericordiã, & alias infinitas perfectiones quæ habent effectus valde diversos, cum & ipsæ quandoq; contrariæ, & oppositæ sint, quamvis identificentur inter se, & cum essentiâ. Hæc admiratio igitur quandoq; in nobis causat silentium reverens, quod Deo majorem gloriã, digniorem honorẽ, excellentiores laudes pendit, quas potest. *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Tu non inutiliter, sed sanctè te occupas in hac consideratione, dum ad conspectum eminentiorẽ Dei in stuporem actus; suspensus hæres, & dicis
Psal. 8. cum Propheta: o mi Deus, quam admirabile est nomen tuum! o quam non admirabilis, & in comprehensibilis est tua potentia, sapientia, Bonitas? Imitare Seraphinos, & faciem tuam coram Deo tege, non audens illam discooperire, sed sicut ex cussione alarum cor suum inflam-
Isaia. 6. marunt amore Dei, sic tu quoque fac.

IX. Hic amor easdem dimensiones habere debet, quas habent perfectiones Dei, & ideo ut imitando eas honoremus, amore magno, & sublimi Deum prosequi debemus, eum inquam debemus amare non ex motivis vilib⁹, & terrestribus, sed sublimibus, & cælestibus; non amore concupiscentiæ, & lucri gratia, sed amore sublimiori. Amore largo, & amplo, qui nos agat, ut amplectamur, & exerceamus ad ejus honorẽ omnia opera virtuosa, quæ nobis sunt possibilia, juxta nostrum statum, & conditionem. Amore qui semper duret, velut ej⁹ perfectiones æternæ sunt. Amore, qui sit profundus, sincerus, qui ex imo pectoris, & cordis veniat, & non ex superficie spiritus, & extremitate labiorum, qui se ostendat in effectu, qui in nostro corde radicet timorem filialem ejus perfectionum Divinarum.

Et sanè ejus magnitudo est timenda. Psal 88. v. 8.
Magnus, & terribilis super omnes, terribiliter magnificatus es. Ejus potẽtia est for- Psal. 128.
midanda: *Potens, & metuendus nimis.* v. 14.
Sanctitas ej⁹ est verenda: *Sanctum & ter-* Eccles. 18.
ribile nomen ejus Ejus pietas est metuenda. Psal. 110.
Quis non timebit te, quia tu Solus pius es? v. 9. Apoc. 15.
X. Verum ut melius dicamus, pecca- v. 4.
tum quod omnes offendit, & quod per quandam altitudinem, latitudinem, longitudinem, profunditatem abominabilem se odiosum reddit, metuendum est. Viden quæso tuam temeritatem, arrogantiam, audaciam indicibilem. Heri dixi, quod peccando mortaliter arrogantior sis, quam si sedem tuam collocares ante sedem Regum omnium mundi, hodie dico, & absque ullo periculo mentiendi, quod illam colloces ante centum mille Monarchas, ante centum millenos mundos, immò ante omnes creaturas possibiles, & conceptibiles, quia uti vidimus, tu collocas illam ante Deum, qui infinities est illis sublimior uti vidimus, infinities altior nobis. Dicis, quod id nequeat fieri verbo, sed quod peius est operibus, & actionibus, Ego majorẽ Deo

auctoritatem habeo, ille vetat huic rustico ne falsum proferat testimonium, huic puellæ, & feminæ, ne sint lascivæ, huic Notario, & scribæ ne falsitatem committ.nt. Quod si ego igitur, hæc iis præcipiam, & illi ea facient contra Divinam prohibitionem, mea jussio sublimior erit Divinâ. Et tamen Divinum decretum, decretum, decretum est: *Omnis, qui se exaltat humiliabitur.* Et quidem hæc lex indispensabilis est, nempe quod quò magis nos exaltaverimus, eo magis humiliandi simus, Nunc vobis considerandum relinquo, quo usque deprimendus sis, cum enim te subleves supra eum, qui est infinitè altus, mereris infra id deprimi, quod est infinitè inferius infrà, nempè nihilum. Tu vilior, abjectior, minus æstimatus, in minori pretio es apud Deum limace, pulice, lende, immò ipso nihilo.

Et sane non annihilaberis, sed conseruaberis, & reservaberis, pœnis sensibilibus, atrocibus in, & supra summum, & hoc quia summam patras in justitiam, enormiorem, & grandiorem injustitiam, quam quis concipere potest, majorem injuriam, quam quis unquam fecit, aut potuit cuicunque creaturæ facere. Vix hoc concipere possumus, cum omnes injuriæ, quas irrogamus creaturis secum trahant injuriam creatoris. At enim verò supponamus dari alium præter hunc mundum, adeo grandem, & antiquum qnam hic sit. Supponamus inquam talem dari mundum, non quod in eo Deus non sit; nam hoc est impossibile; sed quod in eo sit quidam Tyrannus, qui crudeliter, & injustè quolibet die, & hora ab initio mundi occideret homines innocentes, qualem hic non ederet carnificinam? Quales non patraret injustitias, & barbaries? spatio sex mille annorum, quot non homicidiorum milliones tot diebus, & horis commisisset? Firmiter crede, nec ullatenus dubites, quod hæ injuriæ si componantur injuriæ, quam Deo infers per unicum solum peccatum mortale; nihil sint. Et ratio est evidens: omnia illa homicidia essent injuriæ finitæ; peccatum verò est injuria infinita; injuriæ illatæ creaturis idem quasi sunt, ac si quis milliones necaret formicarum, injuriæ illatæ creaturæ, sunt quasi alapæ inflictæ Regi. Ille Tyrannus promereretur toties dilacerari in rota, toties quot transierunt dies, & horæ spatio sex mille annorum, at ob unum peccatum mortale vivus mereris comburi tot horis, diebus, annis, quod futuræ sunt in millionibus sæculorum, & per totam æternitatem.

XI. Et sicut perfectiones Dei benedicunt, sanctificant, & perficiunt omne id, quod aliquam dicit connexionem cum illis; ita à contrario peccatum, quod iis contrariatur est adeo contagiosum; ut latitudine abominandâ, contagionem suam extendat, venenumque suum dissipet per quævis obvia, ut creaturas nobis servientes commaculet, easque objectum iræ Dei constituat, ita ut igne probatore sint consumendi. Peccatum nostram reddit conceptionem immundam, nativitatem odiosam, vitam peccaminosam, mortem nostram infelicem, damnationem tandem interminabilem, & æternam. O prodigiosam durationem! O longitudinem stupendam actionis tam brevis! Quod si ex nunc post centum mille, & decem mille annos, interroges à quadam anima damnata,

nata, quid eam in inferno detineat? Respondebit meum peccatum. Ergone tuum peccatum tamdiu sit in hoc igne, nec consumatur? si foret ferreum, aut Chalybæum jam dudum fuisset liquefactum; si fuisset marmoreum, adamantinum, jam dudum fuisset dissolutum, consumptum, & anihilatum. Quomodo ergo illud peccatum adhuc manet integrum, maleficum, nocivum, velut fuit primâ die, quâ illud patrasti? *Infecta est terra ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges. Terra contaminata est in operibus eorum. cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.*

Isaia 24. v. 5. Psal. 105. v. 39. 2. Pet. 13. v. 12.

XI. Quarta, & ultima dimensio est profunditas, quæ consistit in hoc, quod dum peccatum patras, Altissimum non solum subiicias tibi, non solum perversæ, & vili creaturæ, sed & ipsi nihilo, & infimo. Sanctus Paulus loquens de iis, qui post baptismum peccant, dicit quod Deum tam graviter offendant, eumque adeo deprimant, ut eum pavimentum pedum faciant; nam veluti id in vili habemus, quod pedibus calcamus, ita inquit sanctus Chrysostomus potest dici, cum sancto Paulo, quod pedibus conculcemus Filium Dei, quando eum aliis creaturis postponimus. *Quanto magis* Audite Apostolum, *putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* Quod si scires, te quotiescunque juras in satisfactionem debere dare duos ducatos; an non conareris juramenta vitare? credo, quod jam à duobus annis, te ista consuetudine exemisses. Tu scis Deum non velle, quod jures, nec tamen hunc defectum emendas. Et jam sunt decem anni, quibus illi consuetudini immersus hæres, ex quo consequitur, quod exiguo lucello, paucis ducatis justissimam, & amabilissimam Dei voluntatem postponas.

Heb. 10. v. 29.

Quod si uxor tua thorum contaminaret conjugalem, tu hoc factum velut pessimum execrareris, si vicinus tuus falsum contra te deponeret testimonium, aut alium patraret errorem, tu diceres illum esse virum nullius frugis. Nunc adsis paulisper. Tuo te judico ore. Ergo illa, cum qua committis adulterium pessima est? Ergo ille, qui te inducit, ut falsum proferas testimonium, nullius est frugis. Et tamen, tu eũ amas plus quam Deum, tu offendis Deum, ut huic placeas adulteræ, bonum offendis Deum, ut hunc hominem nullius frugis, tibi devincias. Ergo Deum optimum postponis illi, quod nihil valet, & consequenter Deum minus æstimas illo, quod est nullius valoris. O injuriam, o contemptum, o horrendam dignitatis Divinæ imminutionem! Itaque si in venis nostris adhuc sit unica bona guttula sanguinis, angue peius, & monstro, peccatum hoc maledictum vitare debemus, & peste, morte, inferno, immò omni eo, quod odibile, & abominandum est in natura, plus odisse. Peccatũ omniũ malorum est maximum, verum, & unicum malum. Econtra amor Dei omnium bonorum est optimum, verum, & unicùm bonum, bonum æternum, & bonum indefectibile, porrò is, qui amabit Deum in hoc mundo usque ad finem vitæ, ille eum amabit, possidebit, videbit facie ad faciem, illoque fruetur in sæcula sæculorum Amen.

SER-

SERMO VIGESIMUS OCTAVUS.

Pro solemnitate sacra Pentecostes.

De injuriis, quas irrogat peccatum tribus personis sanctissimæ Trinitatis.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus Joann. 14.

EXORDIUM.

HOdie Spiritum sanctum descendisse super Apostolos in forma ignis, & quondam in forma Columbæ nemo dubitare potest, & meo judicio non sine Mysterio. Columba enim è nido suo omnem eiicit immunditiem, & ignis impuritatem; hinc Columba, quam emisit. Noe ex arca Genesis octavo, redivit, quia non invenit locum, ubi pedem reponeret. Vis ergo ut in te descendat Spiritus Sanctus, vide ut habeas proprietatem Columbæ, & ignis, vide ut omnem immunditiem, & impuritatem peccatorum è te eiicias. Spiritus sanctus enim est ipsa bonitas, & charitas increata, quæ juxta Apostolum diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ; cum autem charitas, & peccatum non possint simul consistere, non minus quam tenebræ, & lux, si velis Spiritum sanctum recipere, debes eiicere ex te omne peccatum, quia hoc destruit bonitatem Spiritus sancti, sicut & sapientiam Filii, ac potentiam Patris, ut hac concione ostendam.

Omnibus diebus vitiæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, Tob. 4. v. 6.

I. Heri, & nudius tertius consideravimus generaliter, & confusè injurias, quas peccatum infinitissimis, & excellentissimis perfectionibus Dei infert; hodie ponderabimus in particulari, quod peccatum modo pessimo offendat potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus sancti, essentiam, & vitam harum adorandarum personarum. Ex hoc consequitur O sacerrima, & Beata Virgo, quod illud summè tibi displiceat; quia tu es Filia tenerè amata à Patre, Mater Filii, Sponsa Spiritus sancti. Et dum peccatum vitam conatur auferre his tribus personis, vult te reddere orphanam sine tuo Patre, Filio Privare, & Spiritu sancto viduare. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.* Si ita placet da mihi arma lucis, ut contra hos abortus tenebrarum dimicare queam, in hunc finem rogo, *Dignare me &c.* & saluto te dicendo: AVE MARIA.

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Quibus verbis scriptura exprimat injurias peccati in Deum.

II. VT abstineamus à peccato, & horro-

horrorem, ac execrationem contra monstrum adeo detestandum, solum attentè ponderare deberemus, quibus terminis exprimat sacra scriptura abortivas temeritates, quas peccatum contra Deum exercet. Et quidē primò dicit, quod peccatum contristet Deum, quod turbet ejus quietem, quod sit ei molestum, quod ejus statum felicem, & tranquillum conturbet, quod eum cruciet, affligat, & exacerbet. Audiamus, S. Paulum ad Ephesios: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Vatem Isaiam: *molesti estis, & Deo meo.* Et alibi *Afflixerunt Spiritum sanctum ejus.* O mi Deus; Ergonè nec vel semel in vita mea me affligam, eò quod tam sæpe te afflixerim? secundò dicit, quod irritet, & exacerbet cor Dei, quod Spiritum ejus Divinum alteret, ejus naturalem dulcedinem, & clementiam mutet, eumque bile, & felle accendat contra ejus charas creaturas. Hinc Psaltes: *Exacerbavit Dominum peccator.* Et alibi; *Exacerbaverunt Spiritum ejus.* Oseas: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum.* Tertiò addit, quod peccatum concitet, & irritet Deum, ejus zelum accendat, ad indignationem provocet, ejus iram suscitet, cum furore repleat. Ita Psaltes. *Irritavit impius Deum.* Isaias, *Indignatio Domini super universam malitiam.* Rursus David de judicibus asserit, quod provocarint zelum Dei. Et iterum Isaias; *Abiecerunt legem Domini exercituum. Ideo iratus est furor Domini in populum suum.* Porrò scriptura, ut loquamur juxta nostrum modum loquendi, docere voluit, peccatum Deum privare sensibus, ratione, judicio, immò eum agere extra seipsum; nam hi sunt effectus zeli, furoris, & Iræ. Hinc Cicero. *Furor, itaque mentem præcipitans. Iratos propriè dicimus exiisse de concilio, de ratione, de potestate, de mente.* Sed quid? an his auditis, ego omni supplicio eximar, nullam pœnitentiam agam, mihi persuadens, quod à peccato his omnibus exemptus sis? minimè. Nam qualis est hujus rei apparentia? mi Deus, ego tibi gratias pro fide ago; nam firmiter credo, hos effectus non produci physicè in tua natura; ut enim inquit Vates; *Non accedet ad te malum.* & Sapiens: Tu autem cum tranquillitate judicas, scriptura ita discurrit, ut condescendat nostræ infirmitati, ut nos doceat, supposito, quod Deus foret capax harum passionum, mutationum, & alterationum, velut nos sumus, quod tunc peccatum illos effectus, immò multò funestiores producturum esset, nam tales indignitates, & temeritates, ac offensas monstruosas committit contra ipsum. Ego porrò has indignitates ad quatuor reduco, vobisque volo ostendere, quod offendat omnipotentiam, & dominium Dei Patris, sapientiam, & providentiam Dei Filii, Bonitatem, & clementiam sancti Spiritus, essentiam, & vitam omnium trium personarum.

Ephes. 4. v. 30. Isaia 63. v. 10. Psal. 10. v. 4. Psal. 105. v. 33. Osea 14. v. 1. Psal. 9. Isaia 34. v. 2. Psal. 19. Isaia 5. v. 25. Psal. 90.

PVNCTVM PRIMVM.

Peccatum offendit omnipotentiam, & dominium Dei Patris, quod probatur comparatione ex Augustino sumpta.

II. VT autem primum punctum melius intelligamus, comparationem quandam adducere debeo, quam mihi quidam magnus Doctor suppeditavit.

tavit. Supponamus inquit ille, potētem aliquem esse Monarcham, qui solum duas urbes possideat, verum adeo magnas, spatiosas, populosas, ut una, quæ est Metropolis, vocetur Jerusalem, alia vero Babylon. Nunc quæso te animum paulisper divertamus, & curiositatis gratiâ mundum perambulemus. Dum venerimus Babylonē, & aliquot diebus in illa commoratus fueris, interrogabis, cujus nam sit ista urbs, quis ejus legitimus sit Dominus, & responsum fers, quod Rex Jerosolymitanus. Quod si ulterius roges, an ametur à subditis, & incolis, audiasque, neminem esse, qui eum, uti deceret amat, quæres, an salarium solvatur servitiis, & laboribus, an ejus decreta, & leges observentur, ac audias, nec in minimo observari, quod ipse vult, nullum esse civem, qui vel unam observet, instabis, an nimis multas, & difficiles leges edat, & intelligas quod non, sed eum paucas condere, easque pro bono subditorum, & pace Reipublicæ, iterum replicabis, an ergo forsan opprimat suos vasallos, eosque tyrannicè habeat, & rursus percipias, quod non, eò quod clemens sit, & magnificus, quantum est possibile, tandem rursum quæres, quomodo magnus Turca hostis Regis vestri vobiscum stat; dicent eum esse civibus acceptissimum, & à nemine aliquid fieri, quod non constet ei esse gratissimum.

Discedam⁹ hac, & iter prosequamur, & contendamus Jerosolymā, & ibi à quolibet interroga, an Rex vester sit amatus in hac urbe? Quinimmò, omnes eum amant, omnes ei serviunt, omnes eū suaviantur tanquā propriū parentē. An gabellas, ac tributa ei solvitis? Exactè, libēter, semper ei solvimus, quod debemus. An ejus observentur edicta? Perfectè, & quidem cum tanto affectu, ita ut si quis cognoscat, eum aliquid desiderare, statim, sine morâ hoc fiat. An subinde magnus Turca hic fuit? Ille quidem aliquoties huc venit, locum hunc lustraturus, ac insidiosè occupaturus, sed semper delusus discessit.

Nunc oro te, hæc animo infige, sciens hæc omnia esse verissima, & nil falsi tibi esse narratum. Hoc facto, quod si nunc velles potentiam, & auctoritatem Regiam Principis illius, qui imperat illis duabus urbibus, describere, quomodo illam exprimeres? Regiam potestatem solemus exprimere, & repræsentare per coronam. Sed quod Diadema hunc in finem formares? An non, ut describeres potentiam Regis Jerosolymitani fabricares coronam auream, ex Rubinis, adamantibus, aut aliis lapidibus pretiosissimis, quas habere posses? Quin, immò; cum enim Vasalli tam humiliter, sincerè, fideliter eum honorent, eum ament, ei serviant, & obediant, potestas, quâ imperat huic urbi, est pretiosior auro, clarior Rubinis, firmior, & solidior adamantibus.

Quod si velis describere potestatem, quâ Dominatur Babyloniis, qualem acciperes coronam? spineam, vel ex paleis consertam. Et quam egregius Rex Palearum non esset hic, si alibi non imperaret, quam in Babyloniis? An sit Rex legitimus, & jure nescio, id enim scio, nil eum Regii habere, plus me, quia nemo eum suspicit, reveretur; obedit, nemo eum timet. Ad quid ei prodest imperium, nisi ut vilipendatur, irrideatur, traducatur, ac si esset statua ex paleis? Ad quid ei servit hæc corona, nisi ut ei producat

ducat spinas, gemitus, cruciatus, & angores animi, dum à Vasallis nativis, videt se adeo indignè tractari?

At enim vero, nunc parumper contuere, quomodo Deus tractetur. Sanctus Pater Augustin⁹ adduxit hanc comparationem, eamq; vidit esse tam exactã, ut viginti duos libros, & quidẽ insignissimos, doctissimos, quos vocavit de civitate Dei de ea composuerit. Deus Rex naturalis, & legitimus est omnium hominum, jure conservationis, creationis, & ultimi finis, imperium in omnes illi competit. Porrò omnes ejus Vasalli in duas communitates distinguuntur, & reducuntur, quas duas civitates possumus appellare. Et quamvis hæ duæ urbes quoad corpus, & habitationem localem sint commixtæ; tamen adeo quoad animam, mores, conditionẽ vitæ, morem vivendi separatæ, & distinctæ sunt, ac si una esset sita in oriẽte, altera in occidente. Una suarum urbium est Jerosolyma, completa ex probis, virtuosis, ac prædestinatis. Babylonem ecce contra incolunt vitiosi, perversi, & reprobi. Virtuosi tanto honore, & affectu prosequũtur Deum, quanto infantes solent prosequi suum parentem. Illi non solum ei spontè solvunt decimas, & illa, quæ jure mandat, sed & illi porrigunt, ac dant ultraneè, & supererogatorie eleemosynas, actus charitatis, ac alias oblationes. Non solum observant ejus præcepta, sed & consilia, ac inspirationes, quas ei sciunt esse gratas. Nec minimum habent commercium cum Dæmone, ejus hoste. Deo sunt fideles, Dæmonem procul abigunt, eum abhorrent, detestantur, eum diris devovent. Imperium, quod Deus in tales habet, an non sit corona, quæ plus splendoris, rutilationis, pretii, ac valoris habeat, quam si esset ex auro, aut adamantibus confecta?

Econtra in Babylone, in hac Republica vitiosorum, in hac factione, & parte, ad quã accedis, dum peccas mortaliter, nemo amat Deum sicut oportet, sed omnes ei terga vertunt, & turpiter contra eum rebellant. Et sanè peccatum mortale, & verus amor Dei, quem à nobis exigit, minus se compatiuntur, quam ignis, & aqua, album & nigrũ, lux, & tenebræ. In hac parte, & factione, cui tu te jungis nemo Deo servit, nemo ei tributũ pendit, nemo ei munera præstat, quæ ei solvere, & offerre tenentur; sed omnes ei Rebelles sunt. Hinc inquit scriptura: *Filii Belial non attulerunt ei munera.* Et alibi: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit mendax est.*

In hac urbe Babylone, cui adscriberis, dum peccas mortaliter, nemo est, qui non violet mandata Dei, unus hoc, alius aliud. Nullum ejus est præceptum quod non violetur, nemo est, qui vel unum ex charitate observet, quamvis sint tam levia, & pauca.

In hac parte, cui tu accessisti, nemo est, qui non colludat cum Spiritu maligno, & qui se ejus servituti non addicat. *A quo captivi tenentur*, nemo est, qui non faciat id, quod ei placitum est, quia blasphemi, adulteri, fures, detractores summè ei placent. Quandoquidem ergo Deus sit Rex naturalis, & Dominus omnium hominum, & hi omnes audacter, & temerè ejus jurisdictionem regalẽ contemnant, & offendant, ad quid ei servit hoc dominium, quo imperat Babyloni, nisi ut sit

Iα. Ioanis, 2. v. 4.

sit velut Rex chartarum, & Personatus, qui non est in majori existimatione in urbe, quam vilissimus Agaso, & Equiso? Ad quid ei prodest illud imperium, nisi quod sit in caussa, ut hostis eum irrideat, eique insultet dicendo, Tu quidem jure dominium; & proprietatem habes in hos populos, sed non possessionem, & usumfructuum, tu quidem habes dominium, sed non dominationem; fatentur quidem, quod sint tui subditi, sed reipsâ tibi nullum pendunt homagium. Hæc superioritas non est nisi sertum spineum, quod non producet, nisi pœnas, & afflictiones animi, dum videt se adeo vilipensum, nisi infinita ejus beatitudo eum redderet in capacem talium passionum.

Quod si sapias, exi ex hac Babylone, exime te è statu peccati. Felix ille, millies, millies est ille felix, mille, & centies millies est beatus ille, qui nunquam huic factioni adhæsit. Hæc est caussa, cur David incipiens suos Psalmos, suæ sacræ Poesi hoc frontispicium, & hanc epigraphen inscribat. *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum.* Hebræus legit: *Ascre Haisch*, hoc est *Beatitudines viri*, ac si diceret: Ego quoties in meis psalmis decanto eminentias, & perfectiones Dei, toties deprædico felicitatem, & bonam sortem illius, qui à Deo nunquam recessit, qui nunquam majestati adeo altæ, & sublimi, ac potenti rebellavit.

Psal. 1.



PUNCTUM SECUNDUM.

Peccatum offendit sapientiam, & providentiam Filii, quia destruit ejus finem.

III. QUod si peccatum offendat potentiam, & auctoritatem Patris, etiam lædit sapientiam, & providentiam Filii. Peccatum illam offendit, & lædit in gubernatione, & regimine mundi, harmoniam rumpit, œconomiam turbat, illud majores causat deordinationes, quam si aliquis impediret motus cælorum, cursum solis, ac aliorum astrorum, fluxum, & refluxum maris, productiones terræ, communicationem elementorum, vicissitudines partium anni, concentum, & fœdus aliarum creaturarum. Quando committis peccatum mortale, tunc majorem causas confusionem in ordine naturæ, quam si globi cælestes suum cursum sisterent, sol amitteret suum lumen, terra non amplius produceret plantas, animalia non amplius generarent, æstas, hiems, ver, autumnus desinerent. Tu quidem mihi non credis, quia à tua imaginatione delusus es; sed si velis aures mihi porrigere attentas, & argumenta ponderare, tunc videbis mea dicta esse verissima.

Philosophorum dogma est, & quidem certissimum, quod in negotii alicujus executione, unicus solum error, qui committitur contra finem, sit valde nocivus, & magis æstimandus, quã plures, qui committerentur contra media, quæ sunt in ordine ad finem. Rem explico. Magnam habes litem, & quidem magni momenti, sed justam, & æquam, ut felicem ejus obtineas decisionem, tu plura facis,

facis, tu porrigis libellos supplices, tu consulis tuos Advocatos, tu Procuratorem instruis, tu Judices solicitas, tu argumenta tua profers, tu salarium solvis, & hoc ob unicum finem, ut nempe lis tibi adjudicetur, & sententia pro te feratur. Hoc habito supponamus, quod tuus Advocatus statum tuæ causæ ex media tantum parte percipiat, vel quod referens tuus eo tempore, quo debet, non informet, aut cõpareat, vel quod Scriba tui Procuratoris aliqua argumenta omittat, aut famulus tui Referentis nunquam permittat, quod eum accedas, hęc valde nocerent, & impedirent assecutionem tui finis, non tamen nocerent extremè, dato quod judex cognoscat justitiam tuæ causæ, & sententiam in tui favorem ferat.

Econtrà supponamus omnia ritè esse facta, Advocatum informatũ, Referentem instructum, processum bene institutum, instrumenta porrecta, Judicem tamen auro corruptum, aut passionibus excæcatum te condemnare, hic unicus actus infelix, plus tibi nocet, & majoris est momenti, quam omnes alii simul, quia in omnibus tuis non spectas alium finem, quam pronuntiationem sententiæ in tui favorem; media porrò, quæ in hunc finem adhibes, sunt instructiones, Advocatorum informatio, partium citatio, instrumentorum perfectio, processus instructio.

In gubernatione hujus mundi solum peccatum mortale destruit finem providentiæ, quia alii errores, qui possunt committi, versantur tantũ circa media. Consideremus hæc tantum in quodam particulari, quia id in omnibus tunc verificatum videbimus. Deus primum creat hominem, eum collocat in paradiso terrestri, ille cælos movet, astris confert splendorem, mandat terræ, ut producat herbas, arbores, ut proferant fructus, animalia, ut ei obediant, anni tempora voluit ei essent hospitium, & omnes creaturæ ei servitutis pensum præberent, jussit. Horum omnium quis est finis? quid Deus spectavit in hac œconomia? Nil aliud, quam ut homo cognosceret Deum, ut per pulchritudinem, bonitatem, & suavem gubernationem creaturarum, eliceret magnitudinem, pulchritudinem, bonitatem, sapientiam Creatoris, qui illas produxit, & gubernat, non solum spectavit Deus, ut homo eum purè tantum cognosceret, sed ut in cognitione eum etiam amaret, & honoraret, nam si Deum solum cognosceret, nec insuper eum amaret, & honoraret, contemptus esset gravior, & offensa major.

Finis itaque motus cælorum, solis, influentiæ astrorum, ornatus, & fæcunditatis paradisi terrestris, conservationis, & gubernationis omnium creaturarũ est, ut Adam honoraret, & amaret suum Deum. At enim Adam in hoc defecit, peccavit mortaliter, potius voluit gratificari suæ uxori, quæ ei præsentavit pomum à Deo sibi vetitum, quam Deo. Ejus ergò culpa major fuit inordinatio, quam si cælum, astra, elementa turbarentur, nam error, quem patravit, destruxit gubernationem Dei, nam error creaturarum aliarum solum pervertit media. Quod si perstitisset in amore Dei, quamvis reliquæ omnes creaturæ fuissent omnino inversæ, attamen providentia Dei in suo maneret statu, nam in suis operibus, nil aliud prætendit, quam

quam utametur ab hoc homine, dumque hic homo à debito suo defecit, dum amorem Dei perdidit, omnes aliæ creaturæ quamvis bene gubernatæ, non perveniunt ad suum finem, & consequenter redduntur inutiles, & turbantur.

PUNCTUM TERTIUM

Offendit bonitatem, & charitatem Spiritus sancti, nam audacter committitur, quia bonus est.

IV. VErum peccator nullam perfectionem Divinam adeo hostiliter impetit, quam bonitatem, & charitatem Spiritus sancti, eam contra seipsam concitat, eaque abutitur, ut ei sit magis injuriosus; quæro namque à te ô peccator, quod si esses in Regia quadam, in qua audientia præstatur, cur ob eandem injuriam non aggrederis unum Præsidentem, Consiliarium, sed minimum pedissequum, cum tamen hi omnes æqualiter te læserint? credo, eò quod certò tibi persuaseris, te non puniendum. Cur offendis Deum, qui nunquam te læsit? quia credis, quod tibi sit veniam facturus? Quod si eò ipso, quo peccas omninò crederes, Deus mihi nunquam ignoscet, ero infallibiliter damnatus, tu sane caveres peccatum, in quacunque etiam occasione, & tentatione. At enim audacter peccas, quia credis Deus est bonus, Deus est misericors, ille mihi condonabit. Ergo tu malus es, quia ille es bonus. *Oculus tuus* nequam est, quia ille bonus. Tu ansam sumis. Tu non parcis ipsi, quia putas quod tibi parcet; & ideo ejus bonitatem directè impetis.

Supponamus, quod in quodam diversorio ruri sito hospitetur quidam bonus Ecclesiasticus, senex venerabilis, vir prudens, & in eodem cubiculo tecum commoretur, tuque adeo sis insolens, ut verbis mordacibus eum proscindas, fodices, injuriis eum lacessas, honoré ejus in honores, nonne omnes tibi dicent, quid cogitas? scisne quis ille sit? est consiliarius in parlamento. Quid? sit ne consiliarius? Ergo ulnam bonam ei demus, & plenâ mensurâ ei infundamus, & hoc quia consiliarius est. Tu vero non acquiescas, quin potius injuriis, & conviciis atrocioribus, & enormioribus eum oneres, absque dubio notabiliter lædes quidem in hoc casu reverentiam debitam ejus ætati, doctrinæ, characteri sacerdotali, sed tamen gravius lædes dignitatem consiliarii.

Tu contemnis mandata Dei, ejus nomen inhonoras jurando, blasphemas, eũ abnegas. At enim, dic quæso, an hoc facere queas, absque eo quod amittas respectum, ejus majestati, potentiæ, sapientiæ, immensitati debitum? Nequaquam, sed ante omnia audacter ejus offendis bonitatem; nam ex eo quod sit bonus, majores Spiritus sumis eum impetendi. Quis animos tibi addit, ut hoc peccatum, ut hæc peccata patres? an forsan Deus, quâ magnus, potens, justus? Non, quia si nil aliud esset abstineres à peccatis. Animos, & Spiritus sumis audactius, & magis temerè peccandi, & eum indignè tractandi, quia est bonus. Et sane si attributa Divina inter se distinguerentur, tu ansam reliquis aliis præberes contra bonitatem murmurandi. Ejus majestas, potentia, iustitia, meritò dicerent ad bonitatem, charis-

charissima soror, tu nobis iniuriam irrogas, tu in causa es, quod liberius offendamur, nisi mortales sibi persuaderent, quod sub alis tuis securi delitescerent, non ita nos offenderent, uti modo fit.

At enim verò, id magis malitiã peccati, maledictum abortum naturæ prodit est, quod offendat hanc bonitatem Divinam non taliter qualiter, sed quatenus est infinita. Dic etenim; an non sit verum, quod si bonitas Divina foret aliquomodo limitata, si Deus esset tantum bonus in certo aliquo gradu, an ita liberè eum offendere auderes? sane, ita tecum discurreres: si hoc patrem peccatum, forsan veniam non obtinebo, quia bonus tantum erit, usque ad hoc momentum. Nunc autem audacter eum offendis, quia est infinitè bonus, quia charitas ejus nullum habet terminum, aut mensuram, quia thesauri eius misericordiæ sunt indispensabiles, & inexhausti. Hem mi Deus, ad quos non terminos sumus reducti? In quam abyssum ingratitudinis non sumus prolapsi? Id quod nos stimulare deberet, ut te amaremus, ex toto corde, & ex quodam amore infinito, si hoc sit possibile, id nobis est prætextus, & occasio, ut audacius te persequamur. Siccine ergo illa abominanda inordinatio, illa monstruosa rebellio abutatur Divinâ bonitate, ut esse, & vitam offendamus illius, qui nobis esse, & vitam dedit?

PVNCTVM QVARTVM.

Peccatum, offendit esse, & vitam trium Personarum.

V. Verum enim verò, peccatum lædit ipsum esse, & vitam, nam quidquid hucusque diximus de horrendis attentatis, & abominandis effectibus peccati, nil est si comparetur respectu huius quarti, & ultimi. Et hic necessaria foret vox tonans, & fulminans, & pectus chalybeum, ut omnibus hominibus per omnes quatuor partes mundi monstruosus hic effectus proponatur. Mi Deus, quæso te, concede mihi lacrymas, ut diluam peccata mea, antequam abominationem criminum, quæ à populo hoc patrantur describam. Et an hoc facere possim, absque eo quod fremam, & lacrymas spargam sanguineas, absque eo quod cor discerpatur, & in pulverem comminuatur? An ego hoc asserere debeam? O mea lingua, an hoc audeas pronuntiare? Peccatum est Deicida. Quid sibi hoc vult Deicidam esse? mi Deus an ore egeam? An studere debui, ut loquerer, & hos horrores enodarem? Deicida nil aliud est, quam insidias struere summæ Maiestati, conspirare contra vitam Dei, attentare, ut eius esse annihiletur. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Hebræus legit. *En Eloim,* id est *Non sit Deus*, vel *Non est Deus in corde suo*, hoc est dicere, vellet, cuperet non esse Deum, *cordis locutio est affectio* inquit sanctus Bernardus. Et paulo infra: *Nunc autem & ipsum quantum in ipsa est*, Deũ perimit voluntas propria. Quod probat hac ratione: Quãdo aliquis peccat mortaliter, vellet, ne Deus hoc videret, puniret, aut nollet id esse prohibitum. Ex quo consequitur, quod vellet Deum esse cæcum, aut impotentem, aut iniustum, adeoq; nec esse Deũ. Porrò, ut Bernardus peccatores con-

Psal. 13. serm. 3. in die Pascha Epist. 104.

convinceret, sic clarè discurrit: *omninò enim vellet* (nempe peccator dum peccat) *Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergò eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè, & execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat.* Ex quo sic te convinco, ô peccator: quando peccas mortaliter, vel putas, quod Deus velit, & approbet actum, quem facis, vel non; si primum, jam ipsum facis malum, qui approbet malitiam, & eam in accepto habeat, qui illud ratum habeat, quod tu ipse ratum non haberes, nisi tuâ passione excæcatus esses, quia in alio, quantumvis malus sis, non approbares, quod tu facis; ut enim mihi persuasum est, tu damnas Latrones, veneficos, raptores, Adulteros, Assassinos. Ex quo consequitur, quod non velis Deum esse justum, bonum, nec consequenter Deum; nam ille, qui approbat, & qui rata habet scelera, malitias, non est bonus, non est justus, & consequenter non est Deus.

Quod si putes Deum non approbaturum tuum peccatum, & tamen cum hoc scias, illud committas, tu convinceris velle, quod Deus non sit beatus, contentus, & consequenter, quod non sit Deus: nam ille non est Deus, qui non habet omnia, quæ vult, & quo nolente, aliquid fit. *Exacerbavit Dominum peccator.* Et sanè verissimum est, quod Deus, quantumvis detestetur, & ab horreat tuum peccatum, adhuc tamen in se beatus, & contentissimus sit, quia per suam bonitatem indefinitam, per suam sapientiam incomprehensibilem, ille è peccatis vestris aliquod bonum elicere potest. Et quamvis hoc ita sit; tamen quantum est ex parte vestrâ, quantum est ex parte vestræ naturæ, ex parte conditionis vestri peccati, ex dispositione vestri cordis, ex inclinatione vestræ voluntatis, tu eum vis reddere involuntarium, tu vis turbare ejus quietem, ejus mutare felicitatem, ejus superioritatem offendere, pervertere ordinem suæ providentiæ, ejus adimere coronam, & consequenter eius destruere essentiam.

Quod si unus Vasallus conaretur gladio suum transfodere principem, Princeps autem, quia subtus purpuram cataphractus est, ac loricatus, nullum reciperet vulnus, profectò non minus culpabilis, non minus homicida foret, ac Principis occisor, quam si reipsâ Principem occidisset. Tu actionem facis, quæ ex se valet destruere essentiã Dei, eiusque Divinitatem annihilare, si capax foret. Tuum peccatũ quidem reipsâ hoc non facit, attamen cum satis munitus sit per suam immutabilitatem, impassibilitatem, immortalitatem, non est dubium ullum, quin sis parricida, Deicida, reus læsæ Maiestatis, ac si tuũ intentum abominabile suum effectum habuisset.

Et ideo fit, & consequitur, quod peccatum sit tam grande malum, quam Deus est grande bonum, adeoque sit malum infinitum, immensum, ineffabile, incomprehensibile. Quidam Doctor asservit, quod quamvis tota aqua maris esset atramentum, omnes homines scriptores, omnes frondes, arbores papyrus; attamen sufficienter non possent exprimere excellentiam unius tantum perfectionis Divinæ. Hæc omnia vera sunt, & id solum cor meum affligit, &

sola

sola cogitatio peccati horrorem mihi incutit, dum pondero, quod omnia annihilare velit. Et hinc addere oportet, quod omnes scriptores mundi sufficienter nequeant explicare malitiam peccati.

CONCLVSIO.

Exhortatio ad fugam peccati.

VI. EHeu mi Deus, quid est hoc? Heu me. Qualis non est miseria, quod degam in illo mundo, in quo quolibet momento in periculo versor, quod in tam grave malum incidam. Ter optime Deus, causam habes dicendi id quod dicis, & faciendi quod placet. Revera juxta ethymologiam tui nominis ansam habes, quod sis totus ignis, totus flamma, totus zelus, & peccatum annihiles. Sanctus Ignatius Romæ obtinuit domum, ad quam lapsæ puellæ, quas è cœno libidinum abstraxerat, confugere possent, immò ipse illas quæsivit, & ad eam illas ducere non recusavit. Dum hæc faceret, nemo non simplicitatem ei affricuit, eò quod Æthiopem dealbaret, dum illæ leves filiæ absque dubio, ad vomitum reversuræ essent. Sed quid ille respondit? Nec per hilum hoc curo, quia si per unicam tantum noctem, eas à peccato abstraherem, ego meum laborem non frustra collocatum putarem. Et quidem ille fundatè, & solidè respondit, & ego ejus vestigiis insistens respondeo. Quod si tantum unam animam absterrerem, ne peccaret mortaliter, quod peccatum patraret, si non foret in hac concione, ego dolerem, quod non venissem Tholosam, quod non essem natus, quod non essem ordinatus presbiter, ego meas vigilias, labores, sudores, studia, optimè impensa putarem. Quid dico, quid facio? Ego conversa una animâ hoc facerem? Noster Assertor, si nil aliud fecisset in mundo, quam unicum solum impedivisset peccatum mortale, non doluisset, quod naturam assumpserit humanam, & suam nativitatem, vitam, labores, sudores, miracula, mortem, & passionem optimè impensa judicaret.

Imaginare tibi itaque, quod id à te quærat, quod ter quæsivit à S. Petro. *Petre, amas me?* Petre, Joannes, Francisce an me amas? Fide bona, dic, an me ames? Quid ad hanc quæstionem respondes? Quod si velis veritatem fateri, quam fatearis necesse est, dum loquimur Deo, qui est ipsa veritas, dices, non te amare. Verum, ô te ingratum! Ergo ne eum non amas, qui adeo te amavit, & qui tot bonis te replevit? O te monstruosum hominem, tu amas tuum canem, quomodo ergo non ames tuum Deum? mi Deus, solus horror hoc pronunciandi, potest huic perfido ante oculos ponere has abominationes, esto tu eas non vetares. O te perversum, tu non amas tuum Deum. Quomodo ergo vis, ut agat tecum? Quod si tuus famulus tibi diceret, Domine, non amo te, quid ei diceres, apage ex mea domo. Nec tuus servus tecum manebit, si eum non ames, quomodo ergo putes Deum tecum mansurum, tū non ames?

Porrò, si Deus tecum non sit, quid tecum erit? Quod si tuum Deum ames, tu teneris odio prosequi peccatum. *Qui diligit Dominum, odit peccatum.* Peccatum est unicus, & solus hostis Dei, nec alium Deus in mundo hostem habere potest, nam is perfectiones ejus in summo læsit,

 ille,

ille offendit ejus majestatem, ille in honoravit ejus potentiam, contempsit sapientiam, ille abusus est ejus bonitate, ille irritavit ejus justitiam, ille ejus provocavit misericordiam, simplicitatem læsit, nec in minimo is ejus suspicit immensitatem, is ejus est injurius superioritati, odit ejus sanctitatem, ille ejus opponit se voluntati, ejus contrariatur conceptibus, ejus gratias annihilat, contra ejus creaturas rebellat.

Et sanè hæc verba optimè conjunguntur. *Qui diligitis Dominum odite malum.* Quamdiu Deus est dignus amore, quamdiu peccatum est dignum odio, Deus meretur amari super omnia bona possibilia, & peccatum meretur odio haberi super omnia omnino mala, quæ esse queunt. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Amanti supernum bonum, omnia in bonũ cooperantur, & nil in malum; sicut econtra odio habenti illud summum bonum, omnia sunt adversa. *Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.*

Qui diligitis Dominum, odite malum. Diligens Deum, aliquo die fruetur illo gaudio, quod animus humanus comprehendere non potest; sicut econtra, ille, qui evitabit peccatum, ille pœnas inconceptibiles, æternas, in supportabiles tolerabit, Amen.

SERMO VIGESIMVS NONUS

Pro Dominica sanctissimæ Trinitatis.

Baptizantes eos in nomine Patris &c. Matth. 28.

Peccatum facit, ut abutamur beneficiis Dei.

EXORDIUM.

Finxerunt olim Poetæ, gigantes ab irata terra procreatos, ut conspirarent in Deorum perniciem, & iis bellum inferrent, Jovemque è cœli possessione deiicerent; sed temerè, & frustra, nam à Jove contriti, & fulmine extincti sunt. Revera nos omnes è terra creati esse videmur, ut per peccatum conspiremus in trium Personarum, quarum hodie festum celebramus, perniciem, nam omnia beneficia, quæ à Trinitate Personarum recipimus, malè usurpamus, & contra ipsum Deum retorquemus, ne ergo à Deo conteramur, & extinguamur, ostendam hodie, quomodo peccatum offendat beneficium creationis, cum sit contra ejus finem, & gloriam, secundo, quomodo sit contra beneficium Redemptionis, tertio tandem, quomodo sit contra ipsum beneficium sancti-

ſanctificationis, uti Auctor in hac concione doctè oſtendit.

Retribuebant mihi mala pro bonis, Pſal. 34. v. 12.

I. Quartum motivum, quod nos poteſt movere, ut in noſtro corde producamus veram pœnitentiam eſt, ut conſideremus, quod peccatum mortale, non ſolum offendat eminentiam incomprehenſibilem majeſtatis Divinæ, & excellentias infinitas ejus perfectionum adorandarum; ſed & prætereafacit, ut abutamur beneficiis inæſtimabilibus, quæ ab eo recepimus, & quotidie recipimus ab ejus liberalitate, & principaliter facit, ut abutamur beneficio creationis, conſervationis, & inſpirationum. O ſacerrima, & Beatiſſima virgo, tu nobis exemplum præbuiſti practicandi contrarium, tu compararis ſpeculo vitreo, quod nec minimum habet nævum: *ſpeculum ſine macula.* Speculum ſoli expoſitum, nullum recipit radium ab hoc aſtro, quem non reflectat, & remittat. Tu adeo Deo fidelis fuiſti, ejuſque gratias agnoviſti, ut nullum bonum ab ejus manu liberali receperis, quin illud per ſanctam gratiarum actionem ſtatim ad eum remiſeris. Et ideo verba hæc tibi exactè approprìantur: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Tu omnibus operibus Dei præfecta es, omniumque creaturarum Dei, Domina declarata. Hanc qualitatem in te agnoſcimus, & ideo humiliter tibi ad ſtrati, te cum Angelo ſalutamus dicentes, *Ave Maria*,

❧) 60) (❧

IDEA SERMONIS.

PVNCTVM PRIMVM.

Peccatum offendit beneficium creationis; nam eſt contra ejus finem, nempe gloriam Dei, *& hoc explicatur primo de veniali, & probatur primo ſcripturâ, ſecundo ex Bernardo, tertio ratione, quarto de mortali.*

II. VErum eſt, quod tres Perſonæ ſanctiſſimæ, & Auguſtiſſimę Trinitatis omnes creaturas è nihilo eduxerint, & omnes tres ſimul, & individualiter ad productionem cœli, & terræ concurrerint, nihilominus Apoſtoli, opus creationis attribuunt Patri, quia creatio eſt effectus potentiæ, quæ particulariter Patri appropriatur; cum ipſe ſit principium omnis creati, & increati, origo omnis producti in cœlo, & in terra. Ille ut loquitur ſanctus Hilarius eſt Deus fontalis. In hoc opere creationis magis meus animus delectatur, & ſeſe detinebit, & quod magis ponderatione mihi dignum videtur eſt finis, ob quem Deus mundum creavit. Et quidem nec umbram vero ſimilis habet, hunc mundum viſibilem à Deo eſſe productum pro Angelis, qui ſunt Intelligentiæ ſeparatæ, materiæ omnis expertes, incorporeæ, adeoque cœlo, elementis, ac aliis creaturis corporeis non indigentes.

Neque ſimiliter creavit cœlum pro beſtiis, quæ non habent intellectum, ut cognoſcant, ponderent, admirentur artificiũ, ſapientiam, induſtriã admirabilé, quibus hic mundus eſt compoſitus,

conditus, gubernatus. Ergo est ob solum hominem creatus. Et cur creavit hominem? Hæc una est ex primis quæsitionib⁹, quæ proponuntur in Doctrina Christiana, quæ diligentiori consideratione digna est. Hem belle puerule, gratiosa filia, dic sodes, cur creatus est homo, cur est in hoc mundo? An ut ludas, nugeris, insolentias exerceas, huc, illucque curras? Quod si affirmes, non es plusquam catellus, parvula felis, quæ simul currunt, & jocantur. Dic ô vir, dic ô femina, quare degis in hoc mundo? An ut comedas, bibas, ut voluptueris, & deliciis distendaris? Quod si ita; frustra habes animam rationalem, voluntatem, & intellectum. Non es melior bobus, porcis, apris, & aliis belluis, quæ in id sunt, ut comedant, bibant, vitam conservent, & generent. Deus itaque te creavit ob suam gloriam, quæ est nobilissimus, & excellentissimus finis, quem aliqua creatura possit habere.

III. At enim verò, peccatum veniale, & à potiori mortale, hunc finem oppugnat. Quid est gloria Dei? In quo illa consistit? Loquor Porrò de gloria exteriori, & accidentali. Nil aliud, quam ut Deus cognoscatur, ametur, ei serviatur, & obediatur. Omnes tuæ actiones liberæ serviunt ad hunc finem, dummodò sint bonæ, honestæ, laudabiles, virtuosæ, meritoriæ. Econtra omnes, quæ non tendunt in hunc finem, sunt malæ, inordinatæ, vitiosæ, demeritoriæ; nam
Matt. 25 v. 30. Filius Dei illum servum otiosum vocat perversum, qui suum talentum non amiserat, sed illo nil lucratus est. Tu in officina tua laboras, ut sustentes vitam, ex inclinatione naturali, quâ parentes volunt vivere, & nutrire proles, tu non plus facis, quam pagani, & bestiæ. Una hirundo, millies avolat, ut pullis annonam apportet. Tu laboras, ut proles tuæ in mediocri fortuna conserventur, in qua providentia Divina eas collocavit per suam nativitatem, & hoc ut obedias huic præcepto: *In sudore vultus.* *At Educate illos*, ut nutriantur, & crescant in amore, & timore Dei, quia hoc modo promovetis gloriam Dei, & Deus amatur, ac illi obedientia præstatur.

Tu in rebus bonis, vel indifferentibus gratificaris tuæ uxori, ut pacem inter illam, & te foveas, tu obedis, & servis tuo marito, ut serves hoc mandatum: *viri diligite uxores vestras. Mulieres subditæ sint viris.* In gloriam hoc cedit Dei, quia laudatur, & illi obedientia præstatur. At enim verò, eis illa, quam tanto fervore, & animositate prosequeris, ob exiguum lucellum, ex pertinatia, vel animositate, Thesauri illi, quos tam solicitè, anxiè, inquietè, avidè corrogas, ut te dites, ut promoveas tuas proles, an serviant ad gloriam Dei? An melius Deus à te, vel tuis prolibus cognoscatur, & ametur? An melius ei servias? Non sane, quia quò plures habes opes, hereditates, prædia, agros, dominia, eò minus de Deo cogitas, eò minus illi servis, nam lis te impedit, ne de eo cogites, magnæ illæ opes obstant, ne missam audias, concioni intersis, communices, quia invigilandum est famulis, operariis, colonis, semina terræ sunt mandanda, ager colendus, messis invehenda.

IV. Sed dicis. Reverentia vestra tam acriter invehit ur in aleas, popinas, visita-

visitationes mundanas, quid quæso mali est in illis? Si veritatem fateri velim, sunt recreationes licitæ, nulli irrogo injuriã, non me inebrio, non blasphemo, non juro, neminem decipio. Sed audi parumper, quisquis is sis. Esto nil aliud mali in iis esset, sunt actiones inordinatæ, quia nec in minimo conducunt ad finem, ob quem es creatus, sunt actiones aberrantes, quia non continent se intra ordinem, relationem, viam, quæ ducit ad finem. Quælibet actio libera, quæ non tendit immediate, vel mediate ad gloriam Dei, quæ non præstat, ut Deus cognoscatur, & honoretur, est actio irregularis, vitiosa, & inordinata. Porrò actio immediatè tendens in Deum est, quando eum oras, laudas, colis, dum de eo cum aliis loqueris, dum actus elicis illi gratos. Actiones mediatè tendentes in Deum sunt, refectio, potus, somnus non ob voluptatem sumpti, sed ut vitam conserves, ut ei servire possis.

Quandoque tempus honestis fallis recreationibus, non ut voluptatem ex iis haurias, sed ut excites tuum Spiritum, quatenus habilior, & aptior sit ad actiones serias in servitio Dei subeundas. Hæc refectio, hæc recreatio, hæc quies tendit ad gloriam Dei. At, dum ludis tuum tempus, pecuniam, dum occasiones benefaciendi omittis, ut in popinis, lusoriis domibus, visitationibus superfluis, conversationibus mundanis, animum divertas, delinquis contra opus creationis, facis contra finem, ob quem in mundo degis. Tibi dicetur, *serve male, & piger, servum inutilem proiicite in tenebras exteriores.* Porrò ut rem melius capias, hanc profero suppositionem.

Habes domi tuæ ancillam, quæ tibi est fidelis, non habet manus piceatas, non est impia, non amat cupedias, sed quoties illam negotii alicujus ergo domo emittis, diu, & nescio ubi hæret, hodie fabulatur cum alia ancilla, de nullo malè loquuntur, sed solum fabulis delectantur, cras vadit ad choreas, perendie ad comœdiam. Quod si quispiam à te quærat, an habeas bonam ancillam? Dices, quod non. An clepit? Non. An sit murmuratrix? Non; sed sæpe deficit in ministerio, ob quod eam conduxi, ob quod eã alo, & stipendium do. Illã conduxi, ut temp⁹ meo impẽderet servitio, & meis invigilaret negotiis, illa autem, nil horum facit, sed tempus fallit inutilibus fabulis.

Nunc adsis charissime, tu non es blasphemator, tu non es veneficus, ebriosus, libidinosus, faxit porrò id Deus, ita hoc sit, quia saltem aliquod boni habemus. Sed nihil, vel ferme nihil agis pro Deo, tu vitam tuam otio transigis, quod si labores, id non est pro te, quia tu unicus es finis, & scopus omnium tuorum negotiorum, molitionum, expeditionum, actionum; solum spectas tuam voluptatem, & satisfactionem, stabilitionem tuæ fortunæ, promotionem tuarum prolium. Dic parumper, an non times, quod in hora mortis dicetur de te. En servum inutilem, proiicite servum illum in tenebras exteriores, in quibus dentibus stridebit? Sanctus porrò Bernardus magnam tibi præbet ansam timendi. Hic sanctus Pater, quadam vice scribens cuidam adolescenti, qui soles vitæ suæ inter vanita-

tes, & luxus temporales combusserat, inter alia hæc habet: *Attende, quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem.* Epist. 10.

V. Auditores mei, rogo vos ne sim⁹ insensibiles, ne veritati oculos claudamus, mehercule egregiam habetis causam jactandi vos, & vobis palpum obducendi, dicendo, quod in his, & similibus nil mali sit, nunquam obnubilabitis lucem, quam Spiritus sanctus indidit suis sanctis, nunquam scripturam sacram abolere, & falsitatis convincere poteritis. En verba magni cujusdam sancti: *Sola inutilitas sufficit ad damnationem.* Et id probat scripturà. David, ut quis cœlos possit subire, non solum requirit, ut aliquis sit innocens, & purum, ac mundum habeat cor, sed etiam, ut animam rationalem, & Christianam frustra, & in vanum non acceperit. *Quis ascendet* in montem Domini? *Qui non accepit in vano animam suam.* Tu sustentas tuam vitam, tu conservas tuam sanitatem, tu provides tuæ familiæ, tu proles tuas educas. Et dic sodes, annon idem faceres, si haberes animam Pagani, aut bruti? *Attende, quid mereatur iniquitas &c.*

Profectò si hæc bene considerares, revera non ita viveres, sicut modo facis? Quis enim solis temporalibus se daret, quis solum curam gereret corporis, familiæ, prolium, ut in matrimonium congruum locentur, si consideret quod animam non habeat in vanum, hoc est, ut illa non solum temporalibus intendat, sed cogitet cœlestia, pro iis acquirendis laboret, & in id tota sit, ut finem suum assequatur, propter quem condita est? sanè *sola inutilitas sufficit ad damnationem.* Is meretur damnari, qui animam suam non applicat ad servitium Divinum.

Gloria Dei in hoc consistit, ut cognoscatur, honoretur, ametur, ut ei serviamus, obediamus, tu autem totum agis contrarium, dum patras peccata, quia pro eo, quod deberes eum cognoscere, tu eum non agnoscis. Hinc inquit sanctus Joannes: *Is qui dicit se cognoscere Deum, & mandata ejus non servat, mendax est.* Tu eum postponendo creaturæ nocivæ inhonoras, tu pedibus conculcas ejus mandata, tu uteris potentiis tuæ animæ, membris tui corporis, ut eum offendas, qui illa tibi donavit. Tu contra ipsum rebellas, tu contra eum concitas ejus creaturas, velut Absalom, de quo legimus, quod; *sollicitabat corda Filiorum Israel,* vel ut alia habet versio; *Furabatur* corda. Ille parenti suo corda Vasallorum auferebat, ea contra eum concitando. Quod si aliquis Princeps bellum suo Regi moveat; quotquot spontè, & non coactè in illo bello serviunt, fiunt rei criminis læsæ majestatis. 1. Ioann. 2. 2. Regum 15. v. 2.

PVNCTVM SECVNDVM.

Peccatum offendit beneficium Redemptionis. Probatur primo scripturâ, secundò Patribus, tertiò Parabola uxoris adulteræ.

VI. QUod si tam enorme piaculũ sit abuti beneficio creationis, quod Deo tantum constitit uno verbo; quale non erit beneficio abuti Redemptio-

ptionis, quòd tam carò Filio constitit Dei? Quod si dicat palmitem illum, qui nullos producit fructus recidendum, ac igni tradendum, quid non erit de illo, qui omnes uvas, quas vinitor colligere deberet, destruit, & corrumpit? Quem quæso fructum vult Filius Dei, ut ex ejus Incarnatione, quæ est vitis, nos qui sumus ejus palmites, feramus? Ejus sanctus Propheta dicit: *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Quisnam est fructus, quem à nobis expectat Filius Dei ex sua morte, ac passione? Audiamus Bernardum hoc dicentem: *Agnosce ô homo, quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur. Pudet itaque dilectissimi propriam negligentes dissimulare passionem, cui tantam à majestate tanta exhiberi video compassionem, compatitur Dei Filius, & plorat,* homo patitur, & ridebit? Nonne ergo peccata illa debemus odisse, nostras miserias sentire, cum sint tam magnæ, ut Filium Dei moveant ad tantam compassioné? Nos verissimè quanquam in diverso sensu, possumus id dicere Christo, quod quondam dictum fuit Moysi: *Sponsus sanguinum tu mihi es,* & consequenter debemus detestari nostram perfidiam.

Ioann. 15.

VII. Quod si percurras Historias tam antiquas, quam modernas, in utrisque invenies per detractores enormissimas perfidias recenseri, quibus plures feminæ maritis fidem conjugalem violarunt; sic enim invenies Eleonaram, Regi Ludovico Juniori, Herodiadem Philippo, Faustam Imperatori Constantino fidem datam violasse. At verò perfidia, quam ego vobis recensebo, enormissima, monstruosissima, & maxime bestialis meo sensu est. Juvenis quidam Rex, in quo natura, & gratiæ sese invicem colligarant, ut eum Ideam Principum perfectorum facerent, quondam inter mortales fuit. Hic fuit elegantissimus, ditissimus, potentissimus, judiciosissimus, sapientissimus, generosissimus, felicissimus. Hic Rex, dum quadam vice ruri obambularet, incidit in quandam puellam Rusticam, pauperem, rudem, idiotam, tam horribili leprâ confectam, ut omnium spectantium corda ad nauseam provocaret, iisque horrorem incuteret. Ad hunc conspectum compassione motus fuit, & hoc theatrum miseriarum, & infirmitatum humanarum, fixius contemplari cœpit. Res sanè dolenda est, dicebat conversus ad suos, vultum adeo elegantem, leprâ tam horrendâ adeo deturpatum, & deformatum esse. Meo judicio, una ex gratiosissimis, & venustissimis esset, quæ in toto meo Regno reperiri possunt. Medicos igitur in consultationem adhibuit, num nulla esset spes hanc misellam filiam curandi. Omnes in hanc juerunt sententiam, unicum remedium esse valde efficax, quod tamen manifestare non possent, ut pote, quod esset difficillimum, & valde rarum, adeoque meritò inter impossibilia numerandum. Rex omni modo ursit, ut illud edicerent, Medici cum reluctari non possent, responderunt, eam non posse aliter curari, quam per balneum sanguinis humani, & non quidem vulgaris, & communis, sed Regii,

Regii, utpotè purioris, & subtilioris.

VIII. Rex ulterius nil scire voluit, sed mox ut ad Regiam, & palatium venit, sine morâ venam sibi incidi jussit, tantumque sanguinem extrahi curavit, ut deliquium animi passus sit. Missellam illam leprosam mandavit in illo lavari, eamque instar unionis mundam reddidit. Centones ei detraxit, vestibusque pretiosis eam induit, ille eam ditavit, dotavit, in uxorem eam duxit, participem facultatum, auctoritatis, potentiæ Regiarum fecit, eamque diademate cinxit, & quod plus est sui cordis, & affectus eam ocellum effecit. *Domine, quis credet auditui nostro?* Profectò possumus dicere, quod passiones humanæ, quando iis vel semel habenas, laxamus, fortes, inordinatæ in summo fiant gradu, & id valeant, quod possunt. Tu id non crederes, & tamen verissimum est, quod hæc creatura detestabilis in suo corde extinxerit amorem plusquam honestum, & legitimum, quem Regi tam potenti, & marito tam bono debebat, hinc deperiit quendam Equisonem, huicque vili rustico se prostituit, omnia sua molimina, cogitationes, tempus, ornatum in id impendit, quomodo ei placeret.

Aulici, quibus hæc perfidia turpissima perspecta fiebat, sub ejus oculos tantam ingratitudinem ponebant, & periculum ostendebant, in quale se coniiciebat, nempe quod si à Rege in flagranti delicto deprehenderetur, absque dubio is proprio gladio eam transfossurus esset. Quid, dicebat, illa, hoc ipse non faciet, sed bene sibi cavebit, nimis bonus est, quam ut quid mali mihi infligere possit, ille me proprio suo mundavit cruore, quomodo ergo Spiritus sumere queat, ut meo se abluat? Tandem adeo in libidinem effusa est, tamque liberè se prostituit, ut majus malum contraxerit, nempe luem veneream, quam tale infame crimen caussare potest; sicque in miserius malum incidit, quam fuerit, à quo Rex illam liberarat. Quid nunc dicitis? Quid animo premitis? O ingratam, perfidam, bestialem, detestabilem, & abominandam creaturam?

IX. Et sanè hæc perfidia, nil est, sicut nec quælibet aliæ, quas concipere possumus, si conferatur ei, quam committitis, quando peccas mortaliter. Et quæso, dicitè mihi, quis Princeps unqũam fuit major, potentior, gratiosior, dulcior, clementior, perfectior, affabilior Assertore nostro? Ille vel semel conspexit animã nostram tanquam Rusticam, vilissimâ ortam prosapiâ, è nihilo extractam, incolam terræ, omninò leprâ peccati originalis contaminatam, & infectam. Ille ejus naturam cum observaret, vidit eam fuisse elegantissimam, imaginem sculptam juxta exemplar sanctissimæ Trinitatis. Ille totum suum effudit sanguinem, ille omnes suas evacuavit venas, usque dum eam curaret ab hac lepra, non solum passus est deliquium, sed & agoniam, ac ipsam id circò subiit mortem, ac sepulturam, cum omne aliud medium esset in utile. Ille tandem animam tuam, ab hac fœda lepra in balneo sui pretiosi sanguinis

uinis abluit. *Dilexit nos, & lavit nos in sangine suo.* Ille dotavit eam bonis Spiritus sancti, ille eam ditavit virtutibus infusis, ille eam ornavit omnibus gratiis, & virtutibus supernaturalibus, ille eam sibi desponsavit: *sponsabo te mihi in fide.* Ille ei dedit suum cor, corpus, animam, suos thesauros, merita. Sed quid post, & tanta evenit?

Post tot beneficia ei vertit tergum, fidem ei violavit, & perfida facta est, nec minimum amplius affectum erga ipsum habuit, sed fidem ei datam fregit, amorē, & fidelitatem, quam sponso tam amabili debuit; & omnes has insolentias commisit, quia in ejus bonitate confidit, ejusque sanguine redempta fuit; nec in minimo timuit eum per infame adulterium offendere. Illa amore capta est cujusdam mancipii, illa suū corpus hic immundo prostituit, utque ei gratificaretur, illum gravissimè offendit, a quo tam tenerè amata fuerat. *Adulteri nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Fornicata es cum amatoribus multis.* Et ita per suas libidines contraxit lepram fœdiorem, & magis abominandā, quam fuerit illa, à qua per sanguinem sui sponsi fuerat curata; & ubi ante Baptismum solo peccato fuerat infecta originali; jam defœdata est peccato mortali, & actualibus. *Et fiunt novissima illius pejora prioribus.* Et profectò nonne hæc est summa, & maxima perfidia, ac ingratitudo? Nonne hoc est beneficia, & favores hujus Divini Episcopi contemnere? Nonne hoc est privare se fructibus ejus sanctæ passionis? Nonne hoc est resuscitare peccata, quæ ipse voluit exterminare, & destruare per suam mortem? Nonnè hoc est promereri supplicia, de quibus sanctus Paulus: *Quanta putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit?* Apostolus porrò addit: *Et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.*

Iacob. 4. v. 4. Ierem. 3. v. 2.

PVNCTVM TERTIVM.

Peccatum offendit beneficium inspirationum, Probatur primo scripturâ, secundo patribus, tertio ratione, quartò comparatione, quinto exemplo.

X. Et hæc est tertia machinatio, & offensio, quâ per peccatum lædim' personam sancti Spiritus. Nos namque injuriam illi irrogamus, dum januam claudimus ejus inspirationibus, quas nōbis dignatur mittere, ut nos abstrahat à peccato, nam ut inquit sanctus Chrysostomus: *Qui beneficium non accipit, eum qui benefecit, afficit contumeliâ.* Et sanctus Bernardus. *Gratia Dei in me vacua non fuit, sciebat enim homo consilium Dei, hactenus redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere id quod donatum est.* Nullum est mihi dubium, quin intellexeritis quomodo Dæmon locutus sit per illas obsessas. Spirit' malignus loquens, quadam vice per illas misellas filias, dixit furore exæstuo contra eum, qui habitat superius viden, quam indecenter loquatur de altissima, & adorandissima majestate, & quomodo non dignetur eam suo nomine compellare, quamvis sit indignus ut eam nominet, ille ait furore, æstuo, non solum contra eum, qui habitat in altissimis, sed & contra illos canes (putans homines) scitis cur? Audite eum. Furore æstuo contra eum, eò quod nobis, nec ullum momētum dederit temporis, aut ullam motionem gratiæ, vel minimæ, ut nos,

In hunc locum Serm. 14. in Cant.

qui parvi sumus diu converteremur, cum tamen tot,& tantas gratias dederit canibus, hoc est hominibus, qui iis abutuntur. Sane gravius, quam nos. Verum quidem est, quod sit Pater mendaciorum, sed tamen quandoque dicit veritatem. Deus cogit illum adveritatem dicendam, profectò verissimum dixit, nam nos in abysso inferni atrocius cruciabimur, quam Dæmones, quia magis culpabiles sumus.

Nos ordinariè nec mediam partem nostrorum peccatorum agnoscimus, immò nec quartam partem. Tu patrasti adulterium, vel actum quendam vindictæ in principio, vel fine mensis. Quādo confiteris, dicis, quod commiseris duo adulteria, duos actus vindictæ, nec exprimis, quod offenderis, & contristaveris Spiritum Sanctum. Et tamen ego nequirem dicere, quoties peccaveris resistendo inspirationibus, quas tibi Spiritus Sanctus immisit, ut te absterreret à peccatis. Audi parumper, an tibi parua res videatur, non obedire inspirationibus Dei, oculos claudere ejus illustrationibus, aures obdurare ejus suavibus sermonibus, gratias, quas offert abjicere, spernere Concilium, quod dat Apostolus: *Nolite contristare Spiritum*
Ephes. 4. v. 30. *Sanctum Dei, Spiritum nolite extinguere.*
1. Thes. 5. v. 15. 2. Cor. 6. 1. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Tu sane ita agis, ut tibi meritò hæc queant exprobrari. *Afflixerunt*
Isaia. 63. v. 10. *Spiritum Sanctum ejus, exacerbaverunt spiritum ejus. Vos semper spiritui sancto re-*
Psal. 105. Act. 1. v. 51. *sistitis.* Porrò ut hoc clarius elucescat, audi, quid legamus de Davide. Tria, vel quatuor tantum peccata opere patravit, ille Betsabeam in domo sua non detinuit, ille nunquam eam visitavit, uti constat ex literis, quas ad eam uterum jam ferentem dedit; & tamen disertè fatetur, quod peccata ejus excesserint numerum capillorum suorum.

Sed quomodo hoc intelligendum? significare voluit, quod sæpe restiterit spiritui sancto, qui per remorsus conscientiæ, ejus peccata reprehendit. Hinc Filius Dei dicit in Evangelio, quod peccata, quæ cōmittuntur contra Spiritū sanctum, sint difficilia condonatu, quam alia. Cujus hanc assigno rationem: missio Matt. 12. v. 3. sancti spiritus est postremus conatus amoris Dei versus homines, quia per eam videtur exhaurire thesauros suæ bonitatis, & liberalitatis infinitæ. En ergo stylum, & modum procedendi Divinæ misericordiæ erga nos. Homini statim post nativitatem confert lumen, & instinctum rationis naturalis, quo cognoscit Psal. 4. bonum, & malum. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Homines verò illud obscurarunt, & quasi per peccatum extinxerunt. *Quis ostendit nobis bona? Obscuratum est cor insipiens eorum.*

XI. Et ne ignorantiā allegare possent, ille dedit iis legē scriptam, quā ipsemet propriis digitis impressit duabus tabulis lapideis. Illi vero lapidibus duriores per idololatriam in caussa sunt, quod hæc lex debuerit rumpi, & illi liberè, & audacter eam violati sunt. Et nos an non hoc quotidie agimus? Ille ad eos amandavit prophetas, qui iis pœnitentiam, & conversionem suaderent; at illi eos irriserunt, persecuti sunt, eorumque prædicationes, *manda, remanda, expecta, reexpecta.* Et quid indigemus his prophetis, missionariis, prædicatoribus pœnitentiæ? Quid suis minis obtundant nobis aures? conjiciamus eos itaque in carcerem, capite eos minuamus, dissecemus

mus eos, & lapidibus obruamus. Ita egerunt cum sanctis Isaia, Jeremia, Zacharia, Joanne Baptista: *Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos.*

At enim verò magis suspicient messiam, reflectēt se, & considerabunt, quod sit meus Filius naturalis, & quidem unicus, ac dilectissimus. Is venit in mundū, & nomine sui Patris prædicavit. Quid nobis tecum? Quid nobis cum tuo patre? Nos pro nostro libitu vivere volumus. Et hinc eum malè tractarunt, eum in crucem egerunt, & morte affecerunt, & in cælum reverti coegerunt. *Synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere.* Quid ulterius, & amplius faciet? Nonnisi tertius, qui mittatur ut requiritur, persona nimirum sancti spiritus, Spiritus Divini, qui est totus spiritus, adeoque eum occidere non poterunt. In eundem finem hunc ad nos ablegavit, & quid nos agimus? Nos eum affligimus, nos eum contristamus, quin immò quandoque eum in nostro corde extingure, & suffocare conamur. Et quoties non amabò, ille vobis ad cor loquitur. Tale opus non est licitū, ille contractus est usurarius? Sed quid tu respōdes? Tu nescis quid sit vivere in mundo, nemo æstimatur, nisi qui est nummatus, si pauper sis ab omnibus irrideberis. Quid ulterius dicit? Hæc injuria patienter concoquenda est, lætanter, & seriò hæc offensa condonanda, Evangelium omnem vindictam vetat. Tu verò iterum respondes. Tu nihil intelligis, tu non es bonus Consiliarius, tu nec scintillam habes cordis, tu mihi suades quandam inertiam, ignaviam, quinimmò dum sæpe impatienter fertis has monitiones, in corde vestro ejus inspirationes eradicare velletis. Vah, dicitis vos, tu tuis inspirationibus nimium me molestas, tu continuò meas fodicas aures, vellem procul à me abesses, tu me crucias per terrores tui judicii, & æternitatis. Ego voluptuari non possum, prout bene vellem, ego delicias nonnisi ex media parte gusto, tu mihi illas convertis in cruciatum tuarum minarum. Nonne hoc est propriè peccare in Spiritum Sanctum? Nonne hoc est ei contumeliam irrogare, uti loquitur Apostolus? Nonne hoc est insistere vestigiis Regis Ammonitarum, & ejus promereri supplicium?

XII. At enim verò, si unquam fuerit Historia tragica, & funesta, hæc ipsamet est, & nisi eam recenseret scriptura, nos eam non crederemus. Liber itaque secundus Regiorū actorū recenset Davidem intellectâ morte Naas Regis Ammonitarum, legatos expediisse ad filium ejus Aanon, qui ei nomine suo condolerent, & omnia prospera in regimine precarentur. Regis Aulici, & consilii horum legatorum adventu percepto, vanâ suspicione acti aulam intrarunt, & Regi juveni hæc dixerūt. Per fidē tuam, an ita simplex sis, ut tibi persuasum facias hos legatos advenisse, ut te consolarentur, & Davidem ex animo sincero eos ad te amandasse? sub insigni hoc prætextu hos exploratores misit, qui munimenta tui Regni lustrarent. Rex nimis leviter huic calumniæ fidem adhibuit, & hos legatos, velut suos hostes maximos tractavit. Barbam usque ad medietatem eis detonderi jussit, iisque alias injurias fœdissimas irrogari.

2. Regum. 10. v. 2.

Sed quomodo hæc Davidē tulisse putetis? Quamvis esset patientissimus, & Clementissimus Regum, quos unquam

terra vidit, attamen hac injuria adeo commotus,& bile succensus fuit; ut nesciam an *Phalaris*, aut Ausirides, vel quisquam alius unquam adeo severus fuerit. Ille supremum belli præfectum expedivit, ut obsidione premeret metropolim Regni Ammonitarum Rabath, ille in propria persona secutus est, & expugnatâ urbe omnes cives ex urbe dimisit, pedes iis præcidit, & colligatos in quodum vasto, & amplo campo projici mandavit, & dein uti narrat scriptura, *Fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpensa transire, ita ut dissecarentur, & contererentur*. O Horribile spectaculum? O crudelem lanienam, videre vastum campum totum tinctum sanguine, repletum cadaveribus dissectis, & membratim conscisis. Parens conspiciebat corpus filii sui in quinquaginta partes dissectum, matrona alia videbat rotam acutam, & ferream filiæ suæ vultum calcare, nec aliud ipsi expectabant. Et quod stupendum est, David hoc facto propriam non destitit deprædicare clementiam, loquensque Deo, qui falli nequit, & ante quem nil potest laudari, nisi quod est eminens, & eximium dicebat: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*.

2. Regum 10. v. 26. 1. paral. 20. v. 1.

At enim, an nos putemus, hæc frustra à sacra scriptura commemorari? Nequaquam, nam sanctus Spiritus, hanc narrat historiam, ut discamus, quod si Davidi in hoc facto nec minimum crudelitatis specimen affricari queat, nec ipsemet destiterit suam magnam deprædicare clementiam, & mansvetudinem non obstante hac punitione atrocissimâ, eo quod enormitas criminis eam promereretur, jure æquiori, Deo nec minimum clementiæ, & misericordiæ infinitæ decessurum, nō obstante, quod similia nostra facinora pari animadvertat supplicio. *Omnia in figura contingebant illis*. Hoc figura est eorum, quæ secutura erant.

Pater æternus ex mera misericordia, ad nos ablegavit duas personas Divinas, Filium suum amantissimum, & suum sanctum spiritum, idque ut nos consolaretur, & juvaret. *Alium paraclitum dabit vobis*. Nos Filium ejus occidimus, nos per blasphemias, abusum sacramentorum, sacrilegia eum quotidie pedibus calcamus, nos spiritum sanctum continuò dum ejus gratias contemnimus injuriosè, & indignè tractamus, unde vobis cogitando linquo, quale nos expectet supplicium, dum in arbore suæ vindictæ, in furore suæ iræ injurias vindicaturus adveniet, dum comminiturus, & in pulverem reducturus est Reges, & omnes homines, uti scriptura nobis disertè contestatur: *Confregit in die ira sua Reges*. Et Habacuc: *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes*. In Hebræo legimus *Tritu-rabis Gentes*. Psal. 109. cap. 3.

Porrò ut exemplo quodam id cōprobemus, sanctus Ephrem Diaconus villæ Edessæ nos instruere potest, quialiqualiter iram Filii Dei viderat. Hic sanctimoniâ vitæ adeo fuit conspicuus, & in tanta veneratione apud fideles quarti sæculi, ut teste Divo Hieronymo ejus scripta, velut libri canonici publicè in Ecclesiâ legerentur. Narrat itaque hic sanctus, quod dum quadam vice vanitatem mundi, & stultitiam hominum ei adhærentium contemplaretur, viderit nostrum salvatorem solio quodam basilico, & pomposo insidentem, & hæc dicentem. O anima, & cur mihi non ser-

Lib. de timore.

vis sedulò? cur negligens es in oratione, & exercitiis piis? cur non respondes gratiis, & inspirationibus mei spiritus? Tu bene scis, quod pro te sum mortuus, ut tuum cor incantarem, & te mihi despōsarem. Ego negotium tuæ salutis, quam reliqua mea opera æstimavi. Ego in cælo tibi paravi thalamum nuptialem; tu verò econtra me despexisti, tu in vili habuisti, nec per capillitium æstimasti bona ineffabilia, quæ tibi reservavi, tu tuo serviisti inimico capitali, qui tamen nil aliud quærit, quam tuam perniciem. *Ego animâ tui causâ mortem oppetii.* Hisque dictis Deus tantâ claritate ostendit, quid sit Deus, quantam habeamus obligationem, ut ei serviamus, quantum simus ipsi devincti, quantum sit malum offensa Dei, quamvis levis; ut timore consternatus, & confusione obrutus, aliud nil potuerit agere, quā plorare, mōtes rogaret, ut eum opprimerent, quæreret, ubi latere posset, nativitatis suæ diei malediceret, & postea, uti narrat sanctus Gregorius Nyssenus, continuò ejus oculi lacrymarum rivos spargerent.

Nunc quæso te, paulisper pondera tuam vitam, & vitam hujus sancti, peccata tua, & illius. Quod si tantum in præludio judicii tantus Sanctus, tam austerus, adeo pœnitens, tantus contemptor mūdi, tantâ confusione: & rubore oppressus fuerit, ob quædam solum peccata venialia, quid tibi non erit in ipso judicio actuali, & diffinitivo? Tu libidinose, sensualis, vindicative, malitiæ plane imersus, qui cōtinuò in te destruis opera Dei, & ejus beneficiis abuteris, quid illo Die facies?

Conclusio per illa verba, quæ perfecisti destruxerunt.

Ignis, & sulphur, & Spiritus procellarum, pars calicis eorum: Quoniam quæ perfecisti destruxerunt. scis hujus causā? Quia in te destruis primaria opera amoris Dei. Tu abuteris beneficio creationis, tu uteris animâ, & corpore tuo, ut eum offendas, qui tibi illa dedit. Quod si Filius Regis Sceptro suo uteretur ut illud in cloaca macularet, & in sordibus coinquinaret, an non atrociter suum offenderet parentē, eumque valde inhonoraret? Quis tibi sceptrum in hoc mundo dedit? Quis te animalibus præfecit, & dominium super illa tibi donavit? An non Spiritus, & ratio? Aquila est ocularior te, anser habet auditum subtiliorē, araneus tactum delicatiorem, equus pedes velociores, ab intellectu ergo habes, quod iis superior sis, & iis imperes.

Sed dic sodes, in quodnam impendis tuum intellectū? Vt proferas, & moveas fœditates. Quod si aliquis intueri posset, quid majori parte diei, & noctis animo volvas, & moliaris, sane is cerneret nullas esse tenebras adeo crassas parisiis, ac nebulam ita fœtentem, quā tuas sordes. Nec profectò melius uteris membris tui corporis, tu oculos tuos impendis ad aspectus lascivos, linguā in blasphemias, aut mendacia, manus in rapinas, aut alia, quæ horreo dicere.

Quæ perfecisti destruxerunt. Tu destruis opera Redemptionis. Filius Dei homo factus est, ut te faceret Filium Dei, tu vero per peccatum te facis servum Diaboli. Ille obedivit Virgini, ut te doceret obedientiam; tu vero mandatis Divinis obedire detractas. Ille instituit Eucharistiam, ut tuam sanctificaret carnem, tu verò eam defœdas turpissimè per passiones impuras. Ille torm enta intolerabilia in sua carne perpessus est, ut te doceret, & incitaret ad mortificandam

dam tuam, tu vero illam nutris in quibusvis deliciis.

Quæ perfecerunt destruxisti. Tu perdis, ac destruis in te omnia opera spiritus sancti. Ille per omnia media possibilia conatus est te lucrari, ille te solicitat, & vellicat per suas inspirationes, per remorsus tuæ conscientiæ, per minas prædicatorum, per exempla bonorum, & tu tamen omnibus resistis, neque clementià, rigore, promissis, minis, præmiis, aut suppliciis vinceris.

Iustus autem quid fecit? Alia lectio legit: *Quid facit?* Totum contrarium, facere debent. Dum animæ reprobæ ita destruunt omnia opera Dei, vos animæ electæ debetis illa honorare, eaque fructuosè applicare. Vos debetis recognoscere beneficium creationis, omnes vires vestræ animæ, omnes facultates vestri spiritus, omnia membra vestri corporis adhibere, ut eum, cognoscatis, ametis, laudetis, glorificetis, ei benedicatis, eique serviatis in membris sui Filii, visitetis infirmos, incarceratos, consolemini afflictos. Vos debetis recognoscere opus Redemptionis, sæpius in animo vestro cum affectu, & devotione, honore, & respectu mysteria Incarnationis, vitæ, laborum, mortis, & passionis Christi meditando.

Tu debes honorare Sanctum spiritum, ejusque inspirationes, eas recipere cum magna submissione, eas pretiosè absque ulla exceptione ad praxin deducere, omnibusque correspondere, omnia illa operando, quæ à te per ejus præcepta, & consilia flagitantur. Quod si præterea honores tres personas sanctissimæ Trinitatis; si hujus beneficia recognoscas, quadam die ad ejus honorem trisagium ejus cum Angelis intonabis, tu sanctorum consortio adjungeris, ut æternaliter cum iis cantes, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto, sicut erat in Principio &c. Amen.*

SERMO TRIGESIMUS

Pro Dominica secunda post pentecosten

Peccatum offendit beneficium Incarnationis.

Homo quidam fecit coenam magnam Lucæ 14.

EXORDIUM.

Legimus Davidem, dum arcam fœderis solenni pompâ in Ierusalem adduceret saltasse, ac victimas Domino Deo obtulisse, & musicos, ac cantores cõstituisse, qui omni populo canerent magnalia Dei, & narrarent omnes adinuentiones ej⁹. Hodie idẽ facit sancta Mater Ecclesia, circumducit, & circumfert magnâ pompâ arcam fœderis, hoc est Christum, qui reverà nos peccatores Deo Patri reconciliavit, deprædicat nobis magnalia Dei, miras adinventiones, quibus suum amorem erga nos demonstraret, quomodo nimirum fuerit Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax, hortatur nos omnes, ut illum amorem magni æstimemus, & humanitatem Christi honorem⁹, quæ nos adeo postquam Divinitati conjuncta est; amavit. At enim quod dolen-

lendum est, peccatores per sua enormia peccata illam arcam, hoc est Christum offendunt, & lædunt, dum beneficio incarnationis eius abutuntur, illudque offendunt, ut ostendemus hac concione cum Auctore nostro.

Retribuebant mihi mala pro bonis. Psal. 34. v. 12.

I. Heri consideravimus, quomodo peccatum mortale in causa sit, quod abutamur gratiis, & beneficiis inæstimabilibus, quæ à liberalitate Divina recepimus, et quotidie recipimus. Et quia mysterium Incarnationis est omnium præcipuum, & celeberrimum, eius eminentiam ponderare debemus, ut ita cognoscamus malitiam peccati, quo per ingratitudinem adeo enormem, monstruosam, & abominandam, Salvatorem offendimus. Quod si nos ansam habemus te honorandi, sanctissima & Beatissima Virgo, dum loquimur de aliis beneficiis, meritò te venerari debemus, dum tractamus de mysterio Incarnationis, ad quod tu adeo singulariter concurristi: *Nā qui fecit me sine te, non saluavit me sine te*; & ideo tuo indiguit ministerio, & particulam sumpsit è tua substantia virginali, ille habitaculum tui sinus imaculati signavit, & cōsensum tuæ sanctæ voluntatis exquisivit. Id eius legatus tibi significavit, dum te salutavit dicens; *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Deus est incomprehensibilis, & & tamen incarnatus est.

II. VAtes Regius considerans eminentiam, & magnitudinem Dei in suo solio Divinitatis dixit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Econtra melleus, & devotus Sanctus Bernardus considerans parvitatem Dei in assumptione naturæ humanæ aiebat: *Parvus Dominus, & amabilis nimis.* Postquam Propheta Moyses amandatus esset à Deo ad Filios Israel, ut eos liberaret ex Aegypto, spiritus sumpsit ei dicendi, Quod si interroger, à quo missus sim, quid respondebo? Deus verò respondit, dic te ab eo esse ablegatum qui est. Et sane nostra non minus interest, ut sciamus, quis nobis sit missus in mysterio incarnationis, ut eum possimus admittere, & recipere, non quidem iuxta eius merita, attamen iuxta nostram exiguam facultatem. Ille, qui est misit Moysen; similiter ille, qui est, amandatus, & missus est ad nos. Dicit, Ille qui est; qui hoc est, totum est quod potest dici, hoc includit omnem magnitudinem, raritatem, excellentiam, & admirabilitatem. Non dicit, id quod est, quia excedit omne magnum, rarum, excellens, admirabile, quod dici potest.

Quod si cum Theologis dicas Deum esse incomprehensibilem, qui tamen omnia comprehendit, invisibilem, qui tamen omnia videt, inaccessibilem, qui tamen est intimus omnibus, immutabilem, qui tamen omnia mutat, non habens principium, cum tamen omnium principium sit, infinitum, qui tamen est finis omnium, tu non aberras à vero; Sed tamen nil dicis respectu illius quod ille est, qui est. Quod si dicas eum esse illū, qui habitat in seipso, qui in seipso est totus beatus, in seipso content⁹, ex seipso omnia, nullius, indigens, q'i à nulla creatura vel minimam beatitudinē accipit,

qui

qui in plenitudine sui esse est felicissimus,& contentissimus, qui beatissimus est in contemplatione suarum eminentiarum, in fruitione suarum perfectionum, in societate Divinarum Personarum; Veritatem dices, sed nihil dices respectu illius quod est. Quod si dicas Deum esse bonum sine sublimitate, magnū sine quantitate, immensum sine extensione, altissimum sine sublimitate, proffidissimum sine imitate, præsentem omni tempori, absque eo, quod sit ulli subjectus, immensum absque eo, quod ab ullo loco circumscribatur, omnibus rebus præsentem, absque eò, quod ab ulla detineatur, tu verum dicis, sed nihil dicis in comparatione illius quod est.

Quod si dicas, naturam Divinam non esse nisi bonitatem, eius esse non esse nisi maiestatem, eius vitam non esse nisi fecunditatem, eius intellectum non esse nisi scientiam, eius memoriam non esse nisi sapientiam, eius voluntatem non esse nisi potentiam, eius cōceptus non esse nisi luminaria, eius verba non esse nisi veritatem, eius operationes non esse nisi sanctitatem, eius motiones non esse nisi tranquillitatem, eius quietem non esse nisi felicitatem, eius æternitatem non esse nisi durationem: tu dices verum, sed nihil dices respectu illius, quod est. Verbo, imaginare tibi omnes excellentias, raras qualitates, prælustres proprietates, admirabiles perfectiones, quas homines queant concipere, quas Angeli possunt repræsentare, depura eas ab omni imperfectione, quas humanus intellectus potest fingere, fac ex iis compendium, & extractum, & si dicas Deum esse omnia illa, verum dicis, sed parum dices respectu illius, quod est; nam dubium nullum est, nam infinitas est infinities plus, quam omnia illa. Ille quadam vice in aliqua visione sese conspiciendum præbuit sancto Patriarchæ Benedicto tanquam Oceanus luminum, velut mare immensum, & infinitum splendoris, & claritatis, mundumque in medio velut atomum.

Vos scitis quid sit atomus; nam nil aliud est, quam tenuissimum quoddam quod videtur in aere, in cubiculo, dū sol splendet. Vide quid sit homo, collatus toti mundo, totus mundus est tantum atomus, si conferatur Deo. Et quid ergo erit homo respectu Dei? Et tamen exclamate mecum O progidium, An si hoc diceremus centies millies, an sufficienter hoc diceremus? O prodigium! *Deus factus est homo. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Parvus Dominus, & amabilis nimis.* Nonne est ergo infinitè amabilis, dum, quamvis esset adeo magnus, tamen dignatus est nostri amore fieri adeo parvus. Aures hic attentas arrigite Auditores, & menti hoc infigite, ac sæpius ruminate id quod dicam, quia est fundamentum nostræ Religionis, Primarium, & principale negotium nostræ salutis. Quod si hoc non scias, non es Christianus, nec Salvaberis, nisi hoc addiscas.

Filius Dei est verus Deus, sicut ejus pater, & idem Deus cum suo Patre, sed tamen alia persona à Patre, Filius est ab æterno, & coeternus suo Patri, est immensus in cælo, ac terra, non minus, quam ipse, est Spiritus omnipotens, sapiens, bonus, perfectus, æquè ac Pater, ille est qui cum Patre, & Spiritu Sancto creavit cælum, & terram; hic inquā Filius Dei, ut pro nobis posset pati; cum in sua Divi-

Divinitate utpote immortalis, & impassibilis hoc facere nequiret, Dignatus est corpus, & animam similem corpori, & animæ nostræ in Sacerrimis visceribus immaculatissimæ Virginis assumere, huicque corpori, & animæ uniri, adeoque incarnatus, incorporatus est, & factus est homo similis nobis, inter nos in hoc mundo conversatus est, & est, & erit semper verus Deus, & homo. Et hæc est causa, cur mysterium incarnationis appellemus portentum cæli, & terræ, prodigium hominum, & Angelorum, in quo verificatur illud insigne dictum Ecclesiæ, quod aliquoties cantat. *Abundantia pietatis tuæ, & merita hominum excedis, & vota*; ac si diceret: Divina Maiestas per suam bonitatem nobis plura largitur, quam optare, ac considerare possimus, quia mysterium incarnationis est tantum miraculum, tam difficile creditu absque lumine fidei, ut Homo ex lumine solum naturali nunquam crediturus sit, Deum esse factum hominem.

PRIMUM PUNCTUM.

Potuit incarnari, quod illustratur per responsionem ad objectiones, quas infideles apud Augustinum faciebant contra hoc mysterium tribus objectionibus, ad quas etiam respondetur.

Epist. 3. III. ET hoc testatur colloquium illud, de quo mentionem facit Sanctus Augustinus: Nobilis quidam in mundo illustris, & conspicuus, sed infidelis, Volusianus nomine, epistolam quandam familiarem ad hunc sanctum Doctorem tanquam suum amicum dedit. Dum igitur hic Doctor esset in quodam infidelium conventu, in quo Incarnatio Filii Dei in quæstionem trahebatur, postquam plura argumenta eidem opposuisset, contra hoc mysterium, adhuc alia valida postea in litera ei proposuit, & solutionem rogavit. Primum itaque hoc fuit: Deus est substantia perfecta, spiritualis, pura, simplex, ita ex suâ naturâ expers, exemptus, abstractus non solum à qualibet materia, sed etiam compositione tam Physica, quam metaphysica, ut nulla compositio sive ex substantia, & accidente, sive ex actu, & potentia, sive ex natura, & subsistentia, aut etiam ex essentia, & actu in illo reperiatur; quomodo ergo concipere possimus, quod assumere potuerit naturam humanam, seque unire corpori lutoso, ceu ex luto compositæ, materiæ se connectere, carni se incorporare, & cum illa constituere compositionẽ adeo prodigiosam, ut Deus, & homo sit una persona, ita ut dici possit, Homo est Deus, & Deus est homo?

IV. Secundo, Deus est substantia infinita, immensus, incomprehensibilis, qui nullis limitibus loci quantumvis vasti, & spatiosi potest constringi, ita ut cælum, terra, elementa, & hæc machina universi, accentum milleni mundi, quos creare posset, nimis arcti, angusti, essẽt, ut eum continere possent, quomodo ergo nos credamus, quod coarctetur intra viscera unius corpusculi, & uteri unius puellæ, idque per novem menses, dies, aut momenta? Tertiò: Quod si hic homo, quẽ vocatis Jesum, sit Deus, cur hoc non prodit per sua opera? Cur non edit specimina grandia, Divina tantâ personâ digna? Cur non dicit hominibus. Ego solem, lunam, elementa, & hunc mundũ visibilem creavi? Et ut hoc demonstret,

cur non creat alium solem, Lunam, mũdum, & illâ facilitate creandi mundum novum, ostendat quod sit Deus, qui unico verbo creavit primum?

V. Ad hæc omnia porrò respondet Sanctus Doctor: Quod si aliquem articulum fidei velis demonstrari ratione, jam non erit amplius admirabilis, jam non erit amplius articulus fidei. Quod si articulus fidei probetur experimento, jam non erit amplius singularis. Et hinc supponendum est. Deum posse plura facere, quæ nos comprehendere nequimus. Mysteriorum nostræ fidei nulla alia est ratio, quam potentia causæ, scilicet Dei. Et hinc omnibus objectis, quibus impetitur fides nostra, nemo sapientius, & exactius responderit, quam qui dicit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Vt tamen illis ingeniis subtilibus satisfiat, & ostendatur, mysteria nostræ fidei, quamvis sint supra rationem, tamen non esse contra eandem, hinc respondeamus rationibus, vel potius ut dicam Sophismatibus, quæ tanto applausu proponunt.

VI. Vt itaq; respondeamus ad primum, quæro, quid est magis spirituale, quam aliqua insignis cogitatio, quã aliquis altus, & sublimis conceptus, qui est imago, expressio, similitudo, & quasi ipsa quinta essentia Spiritus? porro hæc cogitatio in corpore nunquam potest concipi, nisi connexa, & commixta cum aliquo materiali, vel in aliquo materiali conclusa, quia à meo intellectu spirituali, deportatur ad tuum, & hoc nequit fieri nisi per sensus: *Nihil* enim *est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Nunc adsis, tui sensus nonne sunt corporales? Immò. Ergo conceptus ille vestitur quadam voce articulatâ, verbo sensibili: Quod si ego itaque possim meam intellectionem, seu verbum mentale vestire corpore, productionem mei intellectus generare mediante lingua; cur Deus non potuisset verbum suum Divinum unire carni in visceribus Virginis per operationem Spiritus Sancti, qui alias se videndum præbuit in forma linguarum? Et ne longius eamus; quid est spiritualius tua anima? Quid est corporalius tuo corpore? Et tamen hoc non obstante tua anima est unita, conjuncta, & tuo corpori inserta. *Persona hominis mixtura est anima, & corporis, persona autem Christi mixtura est* Dei, *& hominis.*

VII. Hæc porrò comparatio animæ viam parat, ut respondeamus secundæ objectioni. Deus immensitate suâ infinitâ implet cælum, & terram, & hoc uti verissimum est, sine extensione, dependentia, divisione, non localiter, sed spiritualiter, uti anima implet tuum corpus, non quod una pars Divinæ essentiæ sit pars loci unius, & alia sit pars loci alterius, aut quod in vastiori loco sit magis extensa, in angustiori vero magis restricta, sed quod sit totus in toto, & totus in qualibet parte mundi, uti verbum, quod profero est totum in toto meo Auditorio, & totum in quolibet ex meis Auditoribus, nec majus est in auribus Gigantis, nec minus in aurib' Pygmæi. Ille ergo, qui omnibus potest esse præsens, per suam Divinam essentiã, ille etiam in tam exili angulo esse potest, ut cuspide aciculæ pungi, &, prodi possit. Ille igitur, qui potuit dare exili corpori apum, & formicarum majorem industriam, & curam, ac providentiam, quam corpori

corpori grandi equorum, aut elephantum, ille qui oculi nostri pupillæ tantam indidit vivacitatem, ut quasi in momento possit producere medium cælum; ille, qui potuit virtutem adeo fecundam inserere nucleo ficus ut quantumvis sit adeo parvus, tamen possit, producere magnam arborem: *Insinuans magna minimis, qui non est parvus in parvis*; quomodo dico nequeat ille Divinam suam substantiam recludere, & unire hypostaticè uni corpori infantili?

VIII. Tertio objicis, quod debeat novum creare mundum; ut ita se ostendat esse Deum, qui hunc mundum, in quo sumus creavit. Sed dic sodes, ubi crearet hunc novū mundum? Quod si crearet novum mundum extra nostrū mundum; vel te duceret ad illum novum mundum postquam est creatus, vel antequam creetur? Non ante, quia necdum est; si post, jam diceres Deum eum produxisse, & non Iesum. An adhuc dices, quod debeat producere novum mundum? Quod si ita, quæro; an ille mundus debeat esse nostro mundo major, vel minor? Quod si major, ubi possit esse, & quo possit contineri; quod si minor, jam non doces Iesum esse Deum, utpotè, qui nequeat mundum adeo vastū creare, ac ille est, quem Deus produxit. Sufficit ergo, quod suam potentiam ostenderit in omnibus partibus hujus mundi, nam in cælo solem tenebris involuit, terræ indidit tremorem, mare calcavi pedibus, in aere pacavit furores, & ventos. Vt demonstret se esse Deum, sufficit quod microcosmum refecerit, & renovarit, quod visum, auditum, loquelam, motus, vitam hominibus restituerit. Potuit ergo incarnari, quia est omnipotens, voluit, quia est bonus; Audite ejus Apostolum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Voluit incarnari, probatur primo scriptura, secundo expendendo eximia verba Bernardi. Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax.

IX. A*pparuit benignitas, & humanitas salvatoris nostri Dei.* Græcus legit: ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία, hoc est: Bomitas nostri Salvatoris, ejusque amor erga homines, satis eluxit in ejus Incarnatione. *Apparuit bonitas.* Bonum est communicativum sui. Magnum bonum, est valde communicativum sui. Supremum bonum est summè communicativum sui. Bonum infinitum, est infinitè communicativum sui. In creatione Deus dedit nobis sua bona, in justificatione suas gratias, & favores, in glorificatione suā felicitatem, & beatitudinem, & in Incarnatione tandem seipsum sine ulla restrictione, reservatione, limitatione, ita ut totam plenitudinem, & extensionem suæ Divinitatis communicarit, & transfuderit in suam sacerrimam humanitatem, & per eam in nos. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & de plenitudine ejus omnes accepimus.* Apparuit *benignitas,* χρηστότης, *& humanitas* φιλανθρωπία, *charitas in nos homines.* Hinc admirabundus scribit Sanctus Bernardus, *Itane. Summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit?*

Tit. 3. v. 4.

Coloss. 2. v. 9.

Ioann. 7.

Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Deniq; exinanivit semetipsū, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adequata est, quod singularitas associata est.

Serm. 64. in Cant.

Altissimus factus est quasi unus ex nobis. Sed quid dico, quasi unus ex nobis? Factus est unus in nobis, Amor hoc opus, huncque conatum effecit, ille est, qui de Deo triumphat, amor est, qui omnis obliviscitur dignitatis, qui dives est dignatione, & misericordia, amor est potentissimus in suo affectu, & efficacissimus in persuadendo.

X, *Dignitatis nescius.* Nil est, cui hic amor comparari possit; adeo est singularis, & extraordinarius, ut imaginari debeamus illa, quæ nunquam fuerunt, vel nunquam erunt. Tempore sancti Caroli Borromæi fuit in Ecclesia Dei, ordo eorum, qui Humiliati fratres vocabantur. Hi vitam & maxime in Episcopatu Mediolanensi valde ducebant difformatam. Sanctus ex obligatione officii: & auctoritate, quâ pollebat apud suum avunculum Pium quartum voluit eos reformare. Illi hoc non valentes ferre, in ejus necem conspirarunt, & velut alteri Iudæ, certâ summâ pecuniæ oblata, cum perversiore tractarunt, ut Cardinalē, qui suis reformationibus totū orbē turbabat necarēt. Sanct⁹ cum familia sua quotidie orationi mentali per horam vesperi vacare assolebat, hic desperatus quadam die hanc bellam occasionem arripiens, cum aliis se ingerit in oratorium scelestum suum facinus executurus, & quindecim ferme passibus à sancto dissitus, genua flexit. Sancto orante, sclopetum exonerat, & glande eundem petit. At enim o rem admirabilem, sed tamen veram, glans postquam tunicellam sancti pervasisset, & ad contestationem miraculi paulisper cutem sancti cavasset, reverenter ad ejus pedes se prostravit, nec lædere ausa fuit corpus, quod totum servitio Dei consecratum, & deditum erat. Pontifex tam enorme facinus puniturus, ordinem Humiliatorum suppressit, & extinxit, eorumque bona, & domus aliis Religiosis dedit, & in pia opera convertit.

Sanctus nil non tentavit, ut vitam illi abominando parricidæ servaret, sed supponamus, quod plura fecerit, quod secum sic discurrerit. Papa amore mei hunc Religiosum ordinem vult extinguere, ego autem efficiam, ut ex eodem amore illum conservet, & foveat, & ut suo frueretur intento, ordinem illum volverit intrare, & pœnitentiis, mortificationibus, humiliationibus Novitiatus paupertati, obedientiæ, & omnibus austeritatibus Religionis sese subjicere, ut ita sanctissimum moveret, & flecteret, ne illum ordinem, in quo agebat novitium, extingueret. Supponamus inquā hoc; Sed tu quid diceres ad hæc? Quale ei dares consilium? Tu Reverendissime Archiepiscope, qui es in statu perfectionis, Tu unus e primariis Cardinalibus, qui sunt velut principes sanguinis in Ecclesia, tu qui spem habes ad Pontificatum, velis fieri pauper Fraterculus, pauper Religiosus, abjectus Novitius? Scopus irrisionum evades. Et sane hoc factum maximum portentum fuisset, sed Sanctus dixisset, amor obliviscitur omnium dignitatum, & Filius Dei nostri amore, infinitè plura, & majora fecit.

Peccatum primi hominis particulariter,

riter, & directè personam Filii impetivit; non secus ac peccatum Luciferi, hic enim ut hominem complicem suæ iniquitatis faceret, iniquitatem, quam in cælo conceperat, in terra parere voluit. Ille æqualitatem appetierat Dei; *Similis ero Altissimo.* Ille in homine eandem suscitavit ambitionem, *Eritis sicut Dii.* Quis autem nescit, quod ambire æqualitatem cum Deo, sit desiderare id, quod ex proprietate Personæ convenit verbo Divino? Pater itaque volens hanc culpam contra Filium suum commissam vindicare, partem Angelorũ, & omnes homines perdere voluit. Ille ob culpam unius, in quo reliqui peccarunt, totam massam generis humani damnare voluit: *Lucifer præcipitatus* inquit Bernardus *illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater &c. Adam, & Eva quod Filii Dei est, consilio Diaboli surripere tentant, nec dissimulat injuriam Filii Pater; sed continuò in ipsum hominem vindictã retribuit &c. Quid agat Filius videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ?* Intra se dixit: *Pater meus amore mei* vult omnes punire, & perdere homines, sed ego efficiam, ut amore mei illis ignoscat, eos amet, iis faveat, eos salvet, & benedictionibus repleat. *Duas tantum inquit Deus fecerat nobiles creaturas, rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet, atque hominem, sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines universos, ergo ut sciant, quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodò per me amisisse videtur.* Et ideo nostrum induit habitum, nostrum intravit ordinem, factus est homo, subjecit se vilitati infantiæ, quæ est novitiatus nostræ vitæ, paupertati, obedientiæ maternæ, fami, siti, laboribus, fatigationibus, ærumnis, & aliis infirmitatibus, ac miseriis naturæ humanæ, nec in minimo attento, quod esset Filius Dei, naturâ coæqualis, coæternus, consubstantialis Patri, splendor gloriæ paternæ, & heres bonorum ejus, Character substantiæ ejus.

Serm. 1. de Adventu.

XI. *Amor dignitatis nescius, dignatione dives.* Et sane nimis parum diximus, dum eum comparavimus Cardinali, qui condoluit pluribus Religiosis, deberemus eum conferre Regi, qui cõdoluit bestiis. Supponamus, quod aliquis equiso in stabulo Regio candelam non extinxerit, Rexque ex suo cubili per fenestras videat quandam pyraustã circumvolitantem circa illud lumen. Supponamus Regem surgere e suo solio, exire e cubili, descendere per gradus, pertransire aream, intrare stabulum, ire super fimum, & stercora, manũ mittere inter candelam, & pyraustam, hanc verò ut videt Regẽ avolare ad aliud latus candelæ, ut se perdat, & in interitum det, Regem autem ut extinguat candelam, suas defœdare, commaculare, & comburere manus, Regemq; interrogari, cur hoc faciat, quid putatis eum responsurum? Hem inquit, hæc misella pyrausta periculo sese exponit incinerationis, ego condoleo ei, nec id possum permittere. Quid vos ad hæc diceretis, quid cogitaretis? Quomodo non deprædicaretis ejus pietatem, & condolentiam? Quomodo non extolleretis teneritudinem ejus misericordiæ?

Dignatione dives. Filius Dei porrò pro nobis infinitè plus fecit. Ille e solio suæ gloriæ conspexit, quod nos ob inobedientiam nostri protoparentis i-

remus ad infernum, ut ibi flammis æternaliter combureremur ob inobedientiam nostri protoparentis, & propria peccata; itaque descendit è cælo, intravit stabulum, ille nostris fœditatibus est inquinatus, ille nostris peccatis est oneratus, ille nostras miserias assumpsit, easq; in cruce combussit, & consumpsit, & hoc, ne nos combureremur. *Per omnes*, inquit Tertullianus, *naturæ humanæ contumelias volutatus. Infra suam ipse vacui*, addit Hilarius, *factus potestatem.* **Exinanivit semetipsum*, subdit Sanctus Paulus. Rex pro pyrausta plus facere non potuit, quam diximus, Filius autem Dei plura egit.

Lib. 1. de Trin.
Phil. 2.

XII. *Affectu potens.* Vlterius supponamus, quod Rex amore pyraustæ se fecerit pyraustam, nec enim plus imaginari possumus, sed imaginemur, & supponamus, quod maximus Rex mundi se faciat culicem, ut impediat ne aliqua pyrausta moriatur; quid hoc esset? Non esset effectus, sed excessus misericordiæ, nec verba inveniremus, quibus hunc actum excessivi amoris exprimeremus. Ne quidem Rex hoc facere posset. At enim ex amore hoc fecit. *Affectu potens.* Amor est potens in suis affectionibus, amor porrò Dei est omnipotens, molitur, aggreditur, operatur illa, quæ non sunt possibilia. Hæc vera sunt, nec aliquid est, quod ita verum sit. Quod si maximus Monarcha mundi se faceret pyraustam, & hoc, ne aliquis auderet occidere, aut occideret, attamen is non adeo sibi devinciret pyraustam, quantum Salvator per mysterium Incarnationis nos devinxit.

Major quippe est dissimilitudo, improportio, disconvenientia inter Deum & homines, quam inter Regem, & papilionem. Deus incomparabilius est major toto mundo, quam Rex sit maior papilione, mille, centum mundi sunt multo minores respectu Dei, quam sit papilio respectu Regis. Et tamen, O prodigium! O portentum! Deus est factus homo, & quidem ex amore hominum. *Domine consideravi opera tua, & expavi.* In consideratione huius amoris deficio, tabeo, mergor, & pereo. Deus sit factus homo? Deus sit factus homo? Hoc idem est, ac dicere, Rex factus est papilio. O pietatem, charitatem, clementiam, misericordiam, immò ferme dixerim insaniam, & stultitiam amoris. Mi Deus, mi Deus, utilissimũ est nobis, quod te sciamus esse sapientem; nam si non esses sapiens, dico autem quod sis infinities sapiens, dico, quod sis essentialiter, si non esses ipsa sapientia, nos causam, & ansam haberemus dicendi, quod in hoc opere eliceris quendam actum stultitiæ. Verũ soli illi, qui tua mysteria sine ductu tui luminis considerant, talem actum imprudentẽ, stultũ, & scandalosum, judicant: *Iudæis scandalũ, Gentibus stultitia.*

XIII. *Suasu efficax.* Quod si unus è vobis in Consilium advocaretur hac super re, quid ageretis? Ego credo, quod nullus vestrum eam suadere auderet; immò quilibet eam dissuaderet, & nemo est, qui non talia attentãtem à tali conamine abstinere studeret; & diceret: Quid ad te homines vilissimi, vermiculi terræ? An te discrimini exhibere debeas sive sint probi, sive improbi? An ullus se vexet, nũ pyraustis bene, vel male sit? Tu qui ipsamet es puritas, adeo omnis materiæ expers, adeo magn.⁹, potẽs, infinitus, immensus, ut nulli⁹ indigeas,

qui

qui nil ab hominibus expectandum habes, qui nil aliud sperare potes, quam ingratitudines monstruosas. An tu velis illis fieri similis, & eorum vitam in omnibus pìobare? An non horreas viscera unius Virginis? An vilitates infantiæ tibi non sint in abominatione? An non incurras infamiam illius, qui agitur in furcam? Tu tuæ majestati eris injurius, tu tuam dignitatem vili facies, tu omnium fabula eris. Verum, quid hæc omnia efficient? Quod si omnes Angeli ei hanc rem disuaderent, quod si ejus nobilitas, ejus sapientia, ej⁹ puritas, ejus sanctitas, & omnia alia attributa eum ab hac absterrere conarentur; tamen ejus amor eloquentior, potentior, victoriosior, efficatior, hoc ei negotium magis per suasum facerent. *Suasu efficax.*

CONCLVSIO.

Expenduntur, & applicantur eadem verba Bernardi.

XIV. A*Mor triumphat de Deo.* An ergo de nobis non triumphet? Quod si tantum valuit in creatore, an in creatura nil possit? *Apparuit.* Post probationes adeo validas, post testimonia adeo evidentia, an nos in dubium possimus trahere ejus amorem? *Sic Deus dilexit mundum, sic Deus dilexit.* Post talem excessum, & effectum amoris, an nos eum non redamemus? *Si amare pigebat, redamare non pigeat.* Quod si nos prius eum non amemus, ne quæso tardi simus, & pigri in eo redamando. Quales non exprobrationes sustinebitis in ejus judicio? Qualem confusionem, & ruborem non habebitis in ejus præsentia? Qualem non habebitis ruborem coram ejus Angelis, dum vobis ostendet, quod quamvis fuerit plenitudo omnis esse, thesaurus, & oceanus omnis boni, nihilominus illa omnia exposuerit in bonum vestrum & pro vobis? *Plenitudo effusa est, exhausit semetipsum.* Qualẽ non subibis confusionem, dum tu non obstantibus omnibus his noluisti bonam eleemosynam extrahere ex tua bursa, ut ejus sublevares necessitatem, ut ex tuis granariis parum auferres frumenti, ut eum sustentares, ex tuis scriniis aliquod linteamẽ, quo tegantur ejus membra, ne corrodantur à vermibus, ex tuo ore nonnulla verba instructionum, & compassionis, ut eum in suis ærumnis consolareris.

Dum tibi ostendet, quod non obstante, quod fuerit altitudo, & excellentia suprema, ille se tamen depresserit usquè ad infirmitates tuæ naturæ, usque ad debilitates tuæ infantiæ, ad obedientiam, & subjectionem unius puellæ, ad nihilum creaturæ: *Altitudo adæquata est*; Quomodo potuit fieri, ut tu non subjeceris te iussionibus tuæ matris, ut non reconciliaris te illi, qui te offendit, ut non obedieris tuo Domino, ut illi irreverenter responderis? Tu vilissima ancilla, quæ deberes humiliari à vili tua cõditione, quam non confusionem habebis, cum Deus tibi ostendet, quod cum ipse fuerit unicus nullum habens parem incomparabilis in cunctis suis perfectionibus infinitè dissitus, immò supra omnè esse creatum, eximinentia suæ condicionis tuã naturam participem fecerit omniũ suarũ perfectionũ, eamq; elevaverit ad suũ soliũ, assumpserit ad suã gloriã, ad suũ cælũ exaltarit, suæ unierit Divinitati? *Singularitas associata est*, quomodo ergo tu velis ut nemo tibi par sit, quomodo te adurit invidia, ira concitat, si ali-

aliquis parumper excedat illam praeeminentiam, & singularitatem, quam tu prætendis in pulchritudine corporis, dotibus animi, pompâ vestium, & aliis excellentiis imaginariis, & prætensis? Quando tibi sub oculos ponet quod ejus amor erga te tam potens fuerit, ut eum oblivisci fecerit propriarum eminentiarum, & contemnere prærogativas proprias *Amor dignitatis nescius*, tu vero ejus sanctam voluntatẽ cõculcaris tam nauci duxeris, ac si esset stramen in quo cubant animalia, ejus mandata pedibus conculcaveris, omnes leges tam Divinas, quam humanas violaris, ut te ditares, elevares, & sublimares? Ejus amor pro te fuit tam dives in misericordia, *Dignatione dives*, ut omnes tuas miserias sibi desponsarit. Quod si decumbas in Xenodochio, & aliquis Eques, aut Dynasta te visitaret, is sane magnum suum amorem erga te contestaretur, quod si ploret, & aliquis hoc videat, dicet, en qualem pietatem, qualem affectum, qualem misericordiam habet, erga eum. *Ecce quomodo diligebat eum.* At enim verò, si ex condolentia erga te, si ex pietate, condolentia, sympathia, charitate erga te morbum contraheret, an aliquis id crederet? O qualem excessum!

Verbum Divinum non solum assumpsit insignia, formam exteriorem, & apparentiam nostrarum vilitatum, sed assumpsit eas verè, essentialiter, realiter, fuit verus homo, verus puer, reipsâ mortalis, passibilis, subjectus tempori, ejusque injuriis. Dum tibi ostendet hunc amorem, tibique objiciet, quod nec unum actum amoris dignatus sis erga eum exercere, visitando eum in carcere, hospitali, viciniâ, quod nolveris incidere venam illi misello, illius expedire negotia, amore illius porrigere supplicam. Quid ipsi respondebis?

Affectu potens, suasu efficax. Ille tanta molitus est, & fecit ex potentia sui amoris, & ad ejus persuasionem, an ergo nos nihil ex amore erga eum, & erga nos faciamus? Profectò, profectò charissimi Auditores salutem non obtinebitis, nisi vim vobis inferatis ad minus aliquando, adminus in quibusdam occasionibus, nempe dum de eo agitur, ut vos avellatis â creatura, quæ vobis est, lapis scandali, ut dometis aliquam vivam passionem, ut magnam condonetis injuriam, ut hereditatem restituatis, ut deseratis beneficium, vel officium, illam domum, in qua non potestis, salvari, ut opus aliquod arduum in ejus honorem aggrediamini: *Violenti rapiunt illud.* Quædam anima devota, mihi ante paucos dies dixit, ego miraculosè à quodam gravi morbo sanatus sum in Ecclesia Deiparæ, adeo devinctus sum sacratissimæ Virgini, ut quamvis diu, noctuque genua flecterem, ut ei gratias agerem, attamen dignas rependere non possem. Hæc verba cum audivissem, statim ab iis meus animus excitatus, & motus est, ut consideraret beneficium, quod nobis præstitit Iesus. Et quid hoc est, quod aliquis miraculosè curatus sit à quodam morbo transitoriò, quæ tamen curatio nil constitit Virgini, si componatur liberationi, quâ quis liberatus est per exinanitionem, & humiliationem Dei? Quod si sciremus quid sit Deus, & quid egerit pro nobis, dum factus est homo, nos quotidie optaremus discerpi in mille partes ex ejus amore; Nos optaremus, ut cen-

ut centrum mundi infinities esset profundius, quam modo sit, & nos continuò postrati jaceremus, ut mysterium Incarnationis adoraremus.

Quæso vos, charissimi Auditores, honoremus illud frequenter, nisi velim⁹ esse monstra ingratitudinis. Ad minus quotidie semel constituto tempore illud veneremur, & adoremus Patrem æternum, eò quod aperuerit viscera suæ misericordiæ, ut nobis daret suum dilectissimum Filium, speculum suæ complacentiæ, objectum sui tenerrimi amoris. Adoremus Filium Dei, qui se amore nostri annihilavit ad nihilum nostræ naturæ. Adoremus Sanctum Spiritum, qui hoc mysterium ineffabile ex bonitate incomprehensibili operatus est, & dicamus cum devoto Fundatore Congregationis Oratorii. Magne Deus, Pater æterne, Pater misericordiæ, tu voluisti, ut tuus unicus Filius, qui ab æterno Deus fuit in sinu tuo, amore nostri homo sit per totam æternitatem, concede nobis illum favorem, illam gratiam, ut incessanter hanc divinissimam, & ineffabilem vitam Verbi in humanitate, & humanitatem in tuo Verbo adoremus, ut hic simus animati ejus Spiritu, & aliquando ejus gratissimo vultu perfrvamur in cælo,

Amen.

SERMO TRIGESIMUS PRIMUS.

Pro Dominica tertia post Pentecosten.

De iniuriis, quas peccatum irrogat homini Deo.

Dico vobis gaudium erit in cælo super uno peccatore poenitentiam agente Lucæ 15.

EXORDIUM.

QVod si contingat aliquem Regẽ omnibus suis bonis spoliatum, è regno suo expulsum, à subditis inhonoratum ad regnum redire, nullus explicare potest, quantis tripudiis, quantis festivis gaudiis soleat recipi, si regno suo restituatur, & in Residentiæ suæ locum redeat, Cives in armis ei obvii procedunt, tormentorum bellicorum explosione salutatur, consules urbis ei claves civitatis tradunt, campanæ pulsantur, ignes festivi excitantur, & nemo est, qui Regi redeunti non applaudat, ei non gratuletur, & suum gaudium de ejus reditu contestetur. Hocce sæculo hujus rei exemplum audivimus in Rege Angliæ. Chtistus Salvator noster est Rex Regum, & Dominus Dominantium; peccator per sua peccata ei gravissimas injurias infert, eum opibus suis spoliat, eum pellit è domo sua, eum inhonorat, dum itaque hodie peccatores ad eum accedunt, eumque inuitant, ut in domum suam revertatur, Angeli in cælo ei applaudunt, illi congratulantur &c. Quomodo porrò peccator hæc omnia per peccatum præstet Christo, ostenditur hoc sermone.

Quare me persequeris? Act. 9.

I. Veluti mysterium Incarnationis est maximum beneficium, quod à misericordia Divina recepimus, ita ingratitudo, quam peccatum committit contra gratiā adeo preciosam, est una ex enormioribus, fœdioribus offensis, quas aliquis possit imaginari. Heri tempus non permisit, ut hanc veritatem satis prolixè dilatarem; hodie id mihi incumbit, unde vobis ostendam horribiles injurias, quas peccatum mortale adorandissimæ maiestati Hominis Dei irrogat, & quidem primo, quod destruat eius opes, secundo, quod è domo pellat, tertio, quod eum inhonoret, quarto quod eum crucifigat.

Sapiens illa Thecuitis parabolicè loquebatur Regi David, eosque accusabat, qui unicum suum filium occidere volebant. *Quærunt*, inquiebat, *extinguere scintillam meam.* O sancta, & Benedicta Virgo, tu idem conqueri potes de peccatoribus. Tuus amantissimus Filius est tua gloria, tuus oculus, tuus thesaurus, & unicum tuum refugium, peccatum mortale eum occidere vult. An Filius possit offendi, & non mater? An pupilla tui oculi possit lædi, & cor tuorum viscerum, & tibi atrox dolor nō affligatur. Evidens itaque est, quod tu valde optes, urgeas, magnum ostendas zelum, tuâ multum intersit, ut hoc monstrum è mundo proscribatur. Id ego hodie conari debeo, adiutus gratiâ tui Filii, quē te mediante imploro, dicēdo, *Ave Maria.*

2. Regum. 14. v. 7.

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Peccatū destruit opes Christi, eum expellit è domo sua, eum inhonorat, crucifigit.

II. *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Iob.* 15. vers. 25. Bone Deus, quis est adeo præsumptuosus, temerarius, impudens, desperatus, qui audeat bellum indicere tuæ infinitissimæ, adorandissimæ, amabilissimæ, ac venerandissimæ maiestati? Quis sit gigas adeo temerarius, qui audeat, cælum ascendere, illud expugnare, Deumque è suo solio pellere? Quis sit brutus adeo bestialis, & stolidus, qui audeat conspirare contra suum benefactorem? Quis sit Semei adeo arrogans, qui irrideat suum principem legitimum? Quis sit parricida Absalom, qui contra suum bonū Patrem insurgat? Quis sit canis furiosus, qui suam rabiem evomat contra suum herum? Peccator Christianus, Auditores, qui est adeo temerarius, ut audeat patrare peccatum mortale. Contra eum Iesus, propriè potest conqueri: *Quare me persequeris?* Ille in Christo quidquid potest persequitur, ille atrocissimas inimicitias contra eum exercet, ille hostilitates impudentissimas, quæ exerceri possunt contra eum ostendit, ille eius opes destruit, eum è domo sua pellit, ille honorem eius aufert, ille insidiatur eius vitæ, & eum occidit. An non hæ sunt furiosæ persecutiones?

PUNCTUM PRIMUM.

Opes Christi, quas peccatum destruit, sunt thesesauri gratiæ, quod probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio ratione.

III. Divitiæ Filii Dei sunt thesauri gratiarum ejus. Hinc inquit Apostolus

stolus ad Ephesios Nostra debita sunt soluta per divitias gratiarum eius: *secundum divitias gratiæ ejus.* Et capite sequẽti: *Vt ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ.* Pec-

Ephes. 1. v. 7.
Ephes. 2. v. 7.

catum mortale omnes hos thesauros destruit. Hæreticus quidam nomine Marcion, qui vixit secũdo sæculo, asservit duos dari Deos, unum, qui se occupat producendo bona, & alium, qui in id est tantum, ut producat mala. Absurdissimus hic fuit error; sed supponamus quod ita sit, & quod Deus auctor mali, non sit amplius Deus, sed Dæmon aliquis verus, qui æque possit producere malum, ac verus Deus bonum, & quod per extremam malitiam extinguat solem, Lunam, & stellas, diffringat, & cõminuat globos cælestes, mutet elementa, evellat omnes arbores, omnes naves in mari submergat, occidat omnia animalia, totam invertat terram, destruat, & annihilet totam naturam, nonne maximum irrogaret damnum? Nonne horrendã ederet stragem? Quinimmò. Attamen hoc tibi certò certius persuasum habeas, quod illud damnum, ac strages sit tam gravis, ac est damnum, ac strages, quam edit peccatum mortale. Et hoc quidẽ adeo certum est per principia fidei, & rationem, ut hoc in scholis in dubium non trahatur, sed velut veritas constans, & indubitata ab omnibus admittatur.

IV. Sanctus Thomas Theologiæ magister ita in terminis expresse docet, *Bonum universi est majus, quam bonum particulare unius, si accipiatur utrumque in eodem genere; sed bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi.* Tu hoc non credis, quia solum duceris sensibus, & imaginatione, & non fide, ac ratione. Quod si infans aliquis amisisset, vel comminuisset unum adamantem, & ei dicas, quod maius damnum caussarit, quam corrupisset, aut in fluvium projecisset omnia poma, quæ væneunt in foro, hoc non credet, & habebis agere ut ei hoc persuadeas, quamvis iures, & in testes adhibeas omnes vicinos, attamen eum non convinces, & putabit, quod totus mundus fallatur, cum tamen ipse decipiatur. *Vsquequo parvuli diligitis infantiam?* Tu es puer, tu ob unicam phantasiam ludis gratiam Dei, ob unam voluptatem transitoriam, ob unicum fumum honoris. Tibi dicitur, quod amissio unius gradus gratiæ sit maior iactura, quam si quis cælum, & terram annihilaret; *Quod si hujus rationem,* eò quod minimum bonum superioris ordinis sit grandius, nobilius, excellentius, pretiosius, quam omnia bona ordinis inferioris.

1. 2. quæst. 113. art. 9. ad 7.

V. Tu hoc quidem non credis, interim verissimum est. Vnicum solum peccatũ mortalè, quantumvis sit parvũ, non solum destruit unicum tantum gradum gratiæ, sed omnes thesauros gratiarum, qui in anima reperiuntur, quantumvis sint magnæ, & multæ. Et quamvis in illa anima conservatæ forent omnes gratiæ, quæ sunt in Apostolis, in Seraphinis, vel matre Dei, attamen unicum peccatum mortale omnes illas dissipat, & annullat. O horribilem jacturam, damnum, destructionem, perditionẽ naufragium, annihilationem! O Mi Deus, & qualẽ ingratitudinẽ præternaturalẽ, erga te non comittimus? Profectò jure æquissimo contra nos conqueri potes, *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium*

pro dilectione. Tu jacturam nostram adeo cordi sumis, tu adeo solicitus es, ut nostrum bonum conserves, tu adeo zelas omnia illa, quæ nos concernunt, tu omnibus sub pœna inferni vetas, non solum, ne nos damno afficiant, nostra perant, abripiant, sed & ne concupiscant nostra prædia, agros, domos, bestias, aut quidquid nostrum est. *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum &c.* Et tamen ob nostram voluptatem, ob pauxillum argenti destruimus tuas opes inæstimabiles, thesauros pretiosos gratiarum tuarum, thesauros, inquam, qui tam carò tibi constiterunt.

PVNCTVM SECVNDVM.

Peccatum pellit Christum è domo sua, quam hoc sit illi injuriosum, probatur ex amore illius erga animam justam, primò scripturâ, secundò Patribus, tertiò ratione, quarto comparatione.

VI. DEus loquens apud Isaiam quibus dã Israelitis, qui Deo templum basilicũ, & magnificũ ædificare volebãt, nec tamen in minimo à suis peccatis de-
Isaia. 60. sistebant, hæc dixit: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mibi? Et quis est iste locus quietis meæ? Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* An putetis, quod incolam templum materiale ex lapidibus, & lignis extructum? Nil materiale est adeo pretiosum, & opulentũ, quod possit oculos meos rapere, & esse objectum meæ complacentiæ. Templum, in quo libenter habito, est conscientia pura, & munda anima, quæ me timet, & meas leges observat. Theologia docet, & scriptura nos obligat, ut credamus, quod majestas Divina modo quodã particulari habitet in anima justi, & quod hæc ab eo inhabitetur nõ solum per gratiã, & ejus dona, sed etiam per essentiam, & in propria persona. *Si quis diligit me* inquit Salvator, *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioann. 14. Et Sanctus Paulus: *Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. Cor. 3. v. 16. Et dilectus Christi Discipulus: *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioann. 4. v. 16. Et iterum sanctus Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 1. v. 5. Ille distinguit charitatem à sancto spiritu, & dicit quod ambo nobis comunicentur, & quod Deus in nobis habitet adeò necessariò, ut juxta sanctum Thomam, supposito per impossibile, quod non esset ubique per suam imensitatem, sed solum esset in aliquo loco particulari, ille eum deserturus esset, ut veniret ad animam, quæ est in ejus gratia, & tamdiu in illa demorabitur, quamdiu gratia in illa conservabitur, adeo gratia.

VII. Sanctus Augustinus, & alii Patres docent, quod Deus sit anima nostræ animæ, hoc est, quod id sit in animabus nostris, quod anima est in corpore. Lib. 13. de civit Cap. 13. Animæ nil gratius est, quam quod sit in suo corpore, illi det vitam, motus, sensationes, hoc est illi naturale, sicut gravibus centrum terræ naturale est. Quod si Deus illam collocaret in uno adamante, in una stella, in sole, illa nec in minimo quietaretur, sed esset in statu violento, & appeteret reunionem cum corpore. Et hoc adeo verum est, ut doceant sanctus Augustinus, & Thomas, quod animæ beatæ appetant rursus uniri suis corporibus, hoc tam ardenter, ut si aliquid eam posset affligere in tanta abundantia, & plenitudine omnium bonorum, id foret separatio à suo corpore, quod est ejus locus, & centrum quietis. Idem est in Deo re-

spectu

respectu animarum nostrarum, nam si ab aliquo extra se, posset affici quapiam voluptate, quapiam delectatione, illam acciperet ab anima iusti.

Lib. 11. in Gen. Cap. 35. 12. quæst. quarta art. 5. D. Laurēt Iustinian Lib. de disciplina, & perfect Religion. c. 4.

VIII. Templum Salomonis, de quo dicit: *Erunt oculi mei, & cor meum ibi*, cælum empyreum de quo ait: *Cælum mihi sedes est*, non est locus adeo ei deliciosꝰ, quam sit anima iusti. Porrò, ut cognoscamus voluptatem, quam haurit ex hac habitatione, oportet videre, quam violenter resistat, ne ex illa pellatur, & considerare, quod nunquam ex illa discedat, nisi cum magno cruciatu, ac si in corpore suo læderetur, si fas sit ita loqui. Supponamus, quod aliquis princeps velit divertere in domo tua humili, tu es valde inciuilis, inurbanus, rusticus, ut nec in minimo eius adventum esse, & tu non diu cum illo agas, tu per diem non multum cum eo converseris, preceris ipsi solum manè felicem diem, & vesperi felicem noctem, tu plura facias, quæ illi displicent, & facias actiones, quæ eũ lædunt, & quod si his non obstantibus, si diutius in domo tua cōmoretur, & iam asvetus sit tuis inurbanitatibus, non discederet, quousque eum aggredereris, & diceres, abi hinc, nil hic agendum habes, quid diceretur, quid cogitaretur? An nō diceres, quod aliquis esset in illa domo, qui eius amorem fascinaret, qui eius cor rapuisset, & possideret? Quando legitimam instituis confessionem, Deus in tuam animã intrat, veluti in suum sanctuarium, tu verò non admittis eum gratanter, tu non diu illum detines, tu rarò de eo cogitas, tu brevissimè cum eo loqueris, tu eum solum relinquis absq; omni conversatione tu mane, & vesperi brevissimam ad eũ fundisꝰ orationem, millenas petitiones, quas à te per inspirationes rogat, denegas, tu per peccata venialia eius spiritum offendis, tu per mille mendacia levia eum lædis tu per mille verba otiosa, vanos affectus eum irritas; & tamen ille non discedit, donec violenter per peccatum mortale, quod est incompatibile cum ipso, eum eiicias. Et quale est hoc indicium? Quod valde amet hanc domum, quod in ea sint valida fascina, & fortes remoræ, quæ eum non obstantibus tot indignitatibus, & irreverentiis detineant. Moyses dixit ad Iudæos: *En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia, quæ in ea sunt, & tamen. Patribus tuis conglutinatus est, & adamavit eos* Notate hoc verbum; *Conglutinatus*, nam significat arctum quoddam ligamen, amorem ardentem, & passionatum, perfectam amicitiam, sicut quando dicitur, *Anima Ionathæ erat conglutinata animæ David*. Deus per affectum se tibi colligat, conglutinat, & animæ tuæ adhæret, quando es in statu gratiæ. Ex hoc porrò consequitur, quod dum te separas ab eo per peccatum mortale non sine dolore eum dissolvas, & violentiam, ac vim ei inferas, ipsumque summo mœrore afficias, & iniuriam extremam ei irroges, dum eum expellis è domo adeo ab ipso exoptatâ, & hoc ut inimicum eius iuratum intra eandem admittas, & cogis eum, ut in has querelas prorumpat. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.*

Deut. 10.

IX. Et hic mihi videor videre Davidem, quando declinavit persecutionem Absalom. Spectaculum profectò dignũ compassione fuit, videre illum Monarcham iñocentissimum exiguâ stipatum cater-

Ierem. 12. v. 7.

catervâ è suo palatio, & urbe Regali discedere nudipedem, oculis manantibus lacrymas, facie tectum, ut pudorem cõceptum ob injuriam obtegeret, quâ affectus erat, suspirantem, & gementẽ, per montes & colles oberrantem, intra cavernas deserti se abdentem, & hoc, ut persecutionem proprii filii, quem velut pupillam oculi diligebat, fugeret. *David ascendebat clivum olivarum flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* (1. Regum. 15. v. 16.)

Et sane injuria illa nil est, si componatur injuriæ, quam tu irrogas Filio Dei, tu eum cogis, ut discedat è tua anima, quam ornavit, illustravit, ditavit, ut esset ejus domus deliciosa, ejus hortus voluptatis, ejus Regia, templum, Sanctuarium, summam reputat confusionem, & infamiam sibi inuri, quod in præsentia suorum Angelorum ejiciatur è habitaculo, quod ad eum pertinet, & hoc ut admittatur intra illud hostis ejus jurat⁹, tali domo indignus. Potest exprobando dicere. Expugnarunt me gratis.

PUNCTUM TERTIUM

Peccatum inhonorat Christum, probatur primo scripturâ, secundo Patribus, tertio rationibus.

(Ioann. 8.) X. POtest id tibi objicere, quod objecit scribis, & Pharisæis. *Ego honorifico patrẽ, & vos inhonorastis me.* Potest tibi id exprobrare, quod olim exprobravit Iudæis; per vos nomen meum blasphematur in gentibus, quia errores, Discipuli, imputantur Magistro; famularum vita prava cedit in infamiam Dominarum.

X. *Patitur*, inquit salvianus, *in suis Christus opprobrium, patitur in nobis lex Christiana maledictum.* Historiæ Ecclesiasticæ recensent, quod tempore Imperatoris Constantii Thebis præsidiarium egerit, adolescens quidam nomine Pachomius. Christiani vicini incredibili liberalitate commentum, & annonam præsidio pagano subministrarunt, quod cum Pachomius demiraretur, interrogavit, an essent Christiani, cui cũ esset responsum, quod adorarent Iesum Christum tanquam eorum Deum, subintulit exploratissimũ ex hoc esse, quod sit verus Deus, cum eos adeo bonos, charitativos, & liberales redderet, & hac reflexione conversus est ad fidẽ, & in magnũ sanctum evasit. *Christi bonus odor sumus.*

XI. At enim verò hodie totum contrarium evenit. Demus, quod aliquis Turca, vel alius infidelis in sua patria, audiat mentionem injici de Christianis, & quærat quales sint, eique dicatur, quod sint populus, qui Iesum Christum agnoscit anquam fundatorem suæ Religionis, qui illis formam vitæ præscripsit, quam sequi debent, qui eos obligavit ad imitationem exemplorũ, quæ illis monstravit, & ut viam ambularent, quã ipsis ostendit. Quod si contingat hunc Turcam ad partes pervenire Christianorum, videre mores, & vitam Christianorum, quid diceret? Quid cogitaret? Nonẽ haberet ansam dicendi, conclusissimũ esse, quod Christus debuerit homo esse ambitiosissimus, avarissimus, lascivissimus, intemperantissimus, impatientissimus, vindicatissimus, & vitiosissim⁹ omniũ, qui unquam vixerunt in mundo, cũ ejus Discipuli, quibus præscripsit normã vivendi, qui profitentur se honorare, & sequi ejus doctrinam, imitari ejus exempla, sint adeo superbi, adeo bonis terrenis affixi, adeo impudici, ebriosi, in ho-

ne-

nesti in verbis, prompti ad vindictam? Nonne meritò inferret eos talia vitia ab ipso edoctos, taliaque exempla eum illis præbuisse. Vide quomodo per vitam tuam pravam Filium Dei inhonores.

XII. Præterea in causa es, quod Diabolus eum inhonoret, ei insultet, ei improperet, & sese jactet, quod in tuo corde ei præferatur, & dicat; O prælustrem Dominum! Bene tibi est habere tales vasallos. Christiani vocantur tui Discipuli; & tamen a mea parte sunt, profitentur, quod sint tui servi, & tamen sunt mea mancipia, notant se signo tuæ crucis, & sub meo labaro militant, tuo charactere sunt insigniti, & mea insignia gestamina portant, tu habes dominium, ego vero dominationem; tu habes proprietatem, ego possessionem, profitentur tuam fidem, sed obediunt meis mandatis; os tibi byssinis verbis obliniunt, & aureos montes spondent, & mihi pensitant servitiū, ut tanta moliris, & adhibes, ut animas has tibi devincias, tu illas suaviaris, tu illas demulces, tu earum humores, & inclinationes expiscaris, ut eas obsideas, & eas expugnes in ea parte, in quâ sunt subjicibiles. Tu adhibes clementiam, rigores, suaviationes, ærūnas, promissiones, minas, supplicia, præmia, & frustra. Ego horum nil adhibeo, & intento fruor, ego solum adhibeo unam puellam vanam, & leuem, unam massam argenti, prandium, cœnam lautam, & cor, & affectionem harum animarum lucror. Tu in causa es, quod Dæmon hoc modo inhonoret Filium Dei, eumque irrideat, & quod sese jactet dicendo: *Prævalui adversus eum.*

PVNCTVM QVARTVM.

Peccatum crucifigit Christum, probatur primò scriptura, secundo comparationibus, tertio exhortatione ad fugam peccati, cujus malitia præponderat bonitati omniū bonorum operum tam nostrorum, quam omnium sanctorum.

XIII. At enim verò quidquid huc usque diximus nihil est respectu quartæ, & ultimæ læsionis, quâ peccatū nimirum directè crucifigit Salvatorem, & conatur eum occidere. Ille deplorat per Prophetam, ille nos certos reddit per suum Apostolum. Apud Malachiā loquens de iis, qui defraudant decimas, & alias oblationes mandatas in lege, quod tamen non videtur crimen adeo esse enorme, dicit: *Si affliget homo Deum.* Hæbræus substituit *zaba, id est supplantavit, conculcavit, oppressit. Quia vos configitis me, & dixistis, in quo configimus te? In decimis, & in primitiis.* Sanctus Paulus insuper perstringens eos, qui Deum post baptismum offendunt; dicit: *Rursus crucifigentes in semetipsis Filium Dei.* Malach. 3. v. 8. Heb. 6. v. 6

XIV. Hebræi asserunt, quod postquā Adam primâ vice cognovisset clare suum delictum, illud acerbius deplorarit in morte sui Filii Abel, dum enim vidisset hunc juvenem gratiosissimum proprio cruore tinctum, vivum colorem genarum ejus deformatum, oculos, qui antea velut duo carbunculi scintillabant extinctos; & mortuos, elegantem illum vultum deformatum, & horribilē redditū per vulnera, & plagas, ac mortē instantē, porrò ad tale spectaculū adeo fuit consternatus, & commot⁹, ut anim⁹ ei defecerit, dumq; consideraret, quod ipse fuerit causa talis infortunii, quodq;

per

per obedientiam suam mortem introduxerit in mundum, lacrymas fudit uberes, & pœnitentiam rigorosiorem, quam antè facere decrevit.

Quando intramus Ecclesiam, & videmus Crucifixum adeo deformatum, suo sanguine miseralibiter tinctum, spinis coronatum, oculis excavatis, genis pallidum, labris lividum, os amarore repletum, pedibus, & manibus terebratum; quomodo est possibile, ut audeamus patrare unum peccatum mortale, cum sciamus, quod per illud ad talem statum sit reductus?

XV. Seneca loquens de crudelitate Alexandri, qui occidit quendam sapienté, & celebrem Philosophum Callisthenem nomine, eò quod voluerit Alexandrum adorare, dixit: *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet; nam quoties quis dixerit, occidit Persarum multa millia, infinitas naves hostium undis mersit, imperium suum usque ad Thraces extendit, opponetur & Callisthenem &c. omnia licet antiqua Ducum, Regumque exempla transierit, ex his, quæ fecit, nihil tam magnū erit, quā, status Callisthenis.* Idem de vobis dici potest, dum adeo temerarii estis, ut peccatum audeatis patrare mortale. Hujus memoria nunquā delebitur, nam nitorem omnium bonorum operum, quæ unquam fecisti, obfuscabit, quod si dicatur te plures orphanos largis eleemosynis sustentasse, qui alias fuissent mortui, etiam addetur, sed & occidit Filium Dei. Quod si nomen habeat quod sit vir æquissimus, quia majorum oppressione plures viduas, & misellos Rusticos liberavit, attamen videtur, quod injustè oppresserit, & Crucifixerit principem principum.

Seneca Lib. 6. Natural quæst, 123.

XVI. At enim verò, hæc vera sunt, & nimis vera, quod peccatum sit adeo grave malū, tā enormis in justitia, ut æquari nequeat omnibus bonis operibus, quæ facta sunt, fiunt, & fient. Videte quæso, an ampullari debeamus ob aliquod bonum à nobis factū, & an debeamus peccatum mortale pei⁹ angue fugere. Quod si in una lance ponatur iniuria, quam Deo irrogas ob unicum tantū peccatum mortale, & in alia honorem, quâ eum afficis per omnia tua bona opera unquam â te in vita tua præstita, quamvis illa durasset non gentis annis, attamen injuria ejus pondus superaret, & valor omnium tuorum bonorum operum nō est tantus, quantum malum est unicum tantum peccatum mortale; & Deus magis inhonoratur, magis læditur, magis offenditur per unicum tantum peccatū mortale, quantū honoretur, lætificetur, ministretur ei per omnia bona opera. Et hinc vides, quod nullum debeamus patrare peccatū mortale ex spe, & prætensione alicujus boni inde secuturi, quantumvis magnum, & pretiosum sit. Et sanè stultissim⁹ est hic discursus: Ego pejerabo, ut meus maritus confiteatur, & communicet. Præterea, ex hoc videm⁹, quod si sis in aliquo statu, aut vitæ cōditione, in quo subinde laberis in quædā peccata mortalia, in quæ non labereris, si illâ te expedires, prudenter agas, si illum statum deseras, quantumvis in illo aliquem fructum temporalem, vel spiritualem reportares. Huius rei exemplū nobis præbuit sanctus Paulus. Is maximos fructus, si ullus unquam in Ecclesia Dei retulit; ille centenas, & millenas animas Deo acquisivit, ille lumen Evangelicum instar solis ubique diffudit, cognitionem, & amorem

filii Dei ubique innexit, attamen, si in domibus secularium, aliqua occasiò sese ingereret patrandi quandoque aliquod peccatū mortale, ex fragilitate humana, esto semel in anno, aut duobus annis, non obstante quod in illa functione sua magnos fructus faceret, attamen à functione sua, à prædicatione Evangelii, à conversione peccatorum, ab instruendis fidelibus prudenter desistebat, & sese ab hominibus sequestrabat, & ita abhorruit peccatum, ut mallet nunquam prædicare, quam vel unum solum veniale committere.

Sanctus Ioannes Chrysostomus dicit; quod primum, & maximum bonum, quod facere possis in tua vita, sit, nullum patrare peccatum, & quod si aliquod patraris peccatum mortale, sine periculo mendacii possis dicere; ego hodie plus mali feci, quam boni tota mea vita.

XVII. Vlterius pergo, & absq; hyperbole, sed maxima cum veritate dico, quod malitia peccati non possit æquare bonitatem omnina bonorum, quæ fecerunt omnes puræ creaturæ: Percurre omnes familias Christianas, quæ sunt in quatuor partibus mundi, viden omnia bona opera, quæ in illis fiunt, charitatem, eleemosynas, meditationes, orationes iaculatorias. Intra omnes Ecclesias catholicas, observa omnes devotiones, actus adorationum, amoris Dei, oblationes sui ipsius, gratiarum actiones. Transi per omnes conventus, & monasteria Religiosorum, & Religiosarum. Penetra fundum deserti, ut intres cellulas Carthusianorum, & aliorum Anachoretarum, conspice eorum pœnitentias, austeritates, mortificationes, contemplationes, actus obedientiæ, paupertatis, castitatis. Intra Ecclesiam animarum, quæ expiantur flammis ultricibus, & vide quot non actus patientiæ, humilitatis, in voluntate Dei animæ illæ eliciant. Ascende Ecclesiam triumphantem, cælum empyreum, vide cohortes Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omnium chororum Angelorum, Archangelorum, Cherubinorum, Seraphinorum, & aliorum spirituum Beatorum, vide, quot laudes Deo dicant, quot profundas humilitationes, adorationes, actus amoris, submissionum eius voluntati, zeli eius gloriæ eliciant.

Viden tandem chorum Mariæ virginis, in quo omnes actus devotionum, virtutum reliquorum sanctorum sunt uniti, & in unum collecti, idque in excellentiori gradu, per omnes hos actus Deo non tribuitur tantum honoris, gaudii, servitii, quantum infamiæ, afflictiones, in obedientiæ per unicum peccatum mortale. Producat Deus centum mundos æque magnos, & populosos, quam sit noster mundus, immò plures producat mundos, quam sint folia arborum, grana frugum, arenæ, quam sint formicæ, culices, pisciculi, bestiolæ, & aliæ creaturæ omnium istorum mundorum; insuper, hæ creaturæ, habeant animam, quæ possit Deum cognoscere, & adorare, cor quod possit eum amare, os, quod laudare; demus quod numerus haud numerabilis creaturarum adorent Deum, tam humiliter eum ament, tam ferventer eum laudent, tam ex-

cellenter, ac altissimi seraphini, tamen maius damnum patitur, dum consentis peccato mortali, quam si eum omnibus adorationibus, laudibus, sanctis affectibus ab his creaturis illi exhibitis privares patitur. Et sane tantum nequit recipere honoris, quantum recipit inhonorationis ab unico tantum peccato lethali.

Et revera nil adeo facile est, quam quod hoc queat ostendi argumentis irrefragibilibus. Primò porrò hoc sic ostendo. Honor, quem omnes sancti, & sancta sanctorum, & centum mille mundi Deo possunt exhibere, est honor finitus, & limitatus; inhonoratio autem, quæ ei fit per peccatum mortale est infinita, & in comphrehensibilis. Secundo. Quamvis omnes sancti, & ipsa sancta sanctorum, & creaturæ centum mille mundorum Deo omnia servilia in satisfactionem unius tantum offerrent peccati mortalis; attamen adæquatè, & ex rigore iustitiæ non satisfacerent; peccatum vero mortale plus in honorat Deum, & eum offendit, quam omnia merita sanctorum eum possint honorare, ei que satisfacere.

Tertio quantumvis Deo pendas omnes illos honores, & servitia, quæ sancti ipsi possunt reddere; attamen infinitè minus, ei dares, quam deberes iuxta eius meritum; quando autem peccas mortaliter, infinitè plus fatis, quam deberes.

Ratio porrò præcipua, & fundamentalis huius veritatis est, quod ipsæmet circumstantiæ valde augeant malitiam iniuriæ, & pretio, ac valori servitii magnum pondus addant. Explico in iniuria, & servitio est spectanda dignitas personę, quæ honoratur, vel inhonoratur, vilitas personæ honorantis, vel in honorantis, distantia, improportio, inæqualitas inter easdem, nam quò persona honorata est dignior, honorans verò vilior, eò honor est inferior. Hinc si Rex honoret alium Regem, hic honor æstimatur, & in pretio habetur. Si princeps honoret suum Regem, hic honor alicuius considerationis est, si autem eum honoret nobilis eius honor non tanti æstimatur, honor autem, quo eum officit Rusticus, quasi nihil curatur.

E contra, quò persona offensa est dignior, & offendens vilior eò iniuria est gravior, & suppliciò dignior. Si unus Rex offendit alium, iam semen iacitur belli, si princeps offendat Regem, hac offensa ille in currit, ad minus indignationem Regis, si eum offendat nobilis, is damnatur ad mortem, si Rusticus, is forcipitus discerpitur. Centum mille mundi collati Deo minus sunt, quam unus, Rusticus respectu Regis. Et quid tu es si componaris centum mille mundis? Quod si ergo centum mille mundi Deum honorent, hoc nil aliud est, quam si Rusticus honores suum regem. Et inde provenit, quod opera bona non mereantur paradisum, nisi accidat acceptatio Dei merè liberalis, & processerit promissio, ac unita sint meritis Hominis Dei; E contra peccatum ex se, & ex sua malitia essentiali, & intrinseca promereatur infernum; cuius hoc unum signum est, quod non detur paradisus temporalis, sicut datur infernus temporalis, puta purgatorium. Explico me.

Quod si tot. bona opera elicuisses,

ses, quot elicuit virgo, & omnes sancti, traduxissesque vitam magis pœnosam, quam Iob; attamen si commisisses unum peccatum mortale, & in eo deviveres, tu æternaliter damnareris, & opera tua nullo præmio afficerentur, quia nil merentur, nisi quod Deus promisit; Deus autem illi, qui moritur in statu peccati mortalis nil promisit: *Si averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem omnes iustitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur.* E contra si discedas in statu gratiæ, nec solveris pœnam peccatis debitam, in purgatorio debes satisfacere, antequam ad cælum admittaris.

Et ut verbo omnia dicam; cum Divina maiestas infinitè excedat creaturas, & omnes puræ creaturæ, quales cunq; sint, infinitè sint inferiores creatore, honor quem creaturæ pendunt Deo, quasi nihil est, & iniuria, quâ per peccatum Deum afficiunt est infinita, & summè mala.

Sanctus Petrus Chrysologus, dum animo volueret summas miserias, in quas per peccatum primi hominis sumus coniecti, voce singultiente, & gemente dixit: *O si tunc vel levis turbo arborem mortiferam deiecisset! O si nebulæ fumus illius mulieris tenebras, & aspectum. O si terra nubes lethalis pomi speciem castigasset. O si manus tangens inconcussa tremuisset. O si peccati diem tenebrasset nox iniusta.* Et tamen omnes effectus deplorandi, quos primum peccatum in nobis produxit, si componatur iniuriæ, quæ tibi irrogatur per unicum tantum peccatum mortale nihil sunt. O magnam, & infinitam maiestatem! profectò magnam ansam dicendi habeo in meis lamentationibus, ò utinam illa obiecta, quæ mihi fuerunt illicium ad peccatum, nunquam fuissent in mundo. Vtinam à mea nativitate, cæcus, surdus, & mutus. Vtinam aliquis morbus salutaris me privasset usu meorum sensuũ, antequam eos ad peccatum applicarim. Vtinam in pueritia fuissem raptus ex hoc mundo, & concessisse ad aliquod desertum remotissimum.

O vos felices adolescentes, ò vos felices puellæ, utinam agnosceres tuam felicitatem, dum adhuc habes ætatem, vires, commoditatem, te abdendi in claustro valde semoto à tumultibus mundanis, & sequestrato à conversationibus sæcularium. Et quam felicem aliquis non est nactus sortem, dum tantum occupatus est in præcibus Divinis, & laborat in humili cellula exemptus periculis peccandi, in quibus contineo versantur mundani? Quod si tu scires, quid sit patrare peccatum, quantumvis ad evitandam damnationem necessariã fugere ad Antipodes, tu nõ expectares diem crastinum, nec hodiernum vesperum, sed statim te mari committeres, ac itineri te accingeres.

Conclusio per recapitulationem, & paraphrasin. Quare me persequeris?

XVIII. Ad vos itaque ò animæ peccatrices Filius Dei hanc querelam dirigit: *Quare me persequeris?* Tu mea bona turpius quam Turca diripis, tu me acerbius molestas in mea domo, quam Herodes, tu in honore me turpius lædis, quam Pilatus, tu in uita mea me crudelius torques, quam carnifex. Turca diripit, & deprædatur thesauros

meæ Ecclesiæ, tu vero in te per peccatũ mortale destruis dona spiritus sancti, habitus super naturales, quas communicavit tuæ animæ in Sacramento Baptismatis thesauros pretiosissimos gratiæ sanctificantis, quos tibi infudit in aliis Sacramentis, merita, & divitias spirituales, quas per bona opera in tuo opere corrogasti. Persequeris? Tu me persequeris in mea domo. Herodes me eiecit è Galilæa mea patria; sed vos me eiicitis è corde vestro, quod sanctificavi mihi in domum sempiternam, & in quâ tam deliciosè habitarem, ac in cælo empyreo. Tu me persequeris in honore. Pilatus quidem me composuit, & æquiparavit Barrabę, sed tu comparas mihi vilissimam creaturam, eamque mihi præfers. Tu persequeris meam personam, lictores tantum semel crucifixerunt, nec sciverunt, quid egerint, unicam, eamque vitam mortalem, passibilem, fluxibilem tantum mihi ademerunt, tu autem sæpius me Crucifigis, & cognoscis malum, quod facis, tu autem, & quidem me stupente insidiaris meæ vitę Divinæ, im̃ortali, & impassibili.

Persequeris me, qui sum tuus supremus Dominus, tu velut Lucifer vis excutere omne iugum, & nemini subesse. *Me* tuum ultimum finem, tuum summum bonum. Tu vilipendis bonum infinitum, ut invenias tuam beatitudinem in creaturis, quæ nihil sunt. *Me* tuum legis latorem. Tu ex meis legibus stramen quod bestiis substernitur facis, ut tuis passionibus obedias. *Me* tuum judicem Tu non curas meas promissiones, minas, mea præmia, mea suplicia. *Me* tuum Patrem. Tu nec in minimo vereris me offendere, ac si nihil essem. *Me* tuum salvatorem. Tu me persequeris non obstante affectu tenerrimo, & amore feruentissimo, quem erga te in mysteriis meæ vitæ, & pœnis meæ mortis ostendi.

Et cur? *Quare me persequeris?* Quantumvis me persequendo posses obtinere vitam æternam, delicias, & divitias infinitas; attamen hoc facece non deberes, & tantũ id facis ob pulverem terræ, ut spiritui gratificeris vindictæ, immò, ut voluptate fuaris bestiali. Peccatum est offensa contra Salvato em adeo que in iusta, & irrationalis, ut nesciam, an quispiam queat satisfacere iustis querelis, quas facit, & illis verbis, quibus quædam magna sancta suam vitam finivit hunc discursũ claudere cogor. Beata Magdalena de Pazzi Carmelitana, dum ultimæ lineæ esset admota, magna cum doloris contestatione vociferari cœpit, ego ex hoc discedo mundo, antequam possim, & potuerim comprehendere, quomodo una creatura velit offendere creatorem, & patrare peccatum mortale. Et ego descendo ex hoc pulpito, nõ potens mihi imaginari, quomodo una anima Christiana audeat destruere bona inæstimabilia Filii Dei, eum eiicere è sua domo, eum infamare, & vitæ adeo sublimi insidiari, tam amabilem, & venerandam maiestatem crucifigere, à quo nos Deus charissimi præservet,

Amen.

C.

SER-

SERMO XXXII.

PRO DOMINICA QVARTA POS PENTECOSTEN,

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum Lucæ. 5.

Peccatum eſt cauſa, quod Deus nos deſerat, ſpernat, odio proſequatur.

EXORDIVM.

DVm Petrus hæc verba proferret, narrat ſacer Evangeliſta, quod non ſolum Petrus fuerit ſtupore defixus, ſed & omnes alii. Et quamvis communiter aſſeratur, quod mirati ſint ob illud miraculum, eò quod ceperint multitudinem piſcium, cum tamen ipſi totâ noctenihil cepiſſent; attamen ego ob aliam cauſam miror, quod nempe Petrus aſſerens ſe peccatorem, roget Chriſtum, & quidem inſtanter, ut à ſe diſcedere velit; apparet enim quod Chriſtus necdum ſatis à Petro agnitus fuerit, ſi enim fuiſſet ab eo agnitus, quod nimirum eſſet ipſa ſanctitas, quæ non compatitur ſecum peccatum, ſed quæ à paccatore ſe valde elongat, nõ fuiſſet neceſſe id petere à Chriſto, quia ex ſe diſceſſiſſet. Id ego Auditores mei magis demiror, quam captam illam multitudinem piſcium, quia mox ut homo peccatum committit, Deus eum deſerit, Deus eum ſpernit, Deus eum odit, ita ut cum ipſo manere non poſſit, uti Auctor hac concione oſtendit.

Qui faciunt peccatum, & iniquitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ. Tob. 12. v. 10.

I. HOrribiles perſecutiones, quas peccatum mortale exercet contra ſupremam maieſtatem Divinam, & ingraditudines monſtruoſæ, quas committit contra eius beneficia inæſtimabilia. ſat efficaces, & ſufficientes ſunt, ut in noſtro corde generent perfectam contritionem, Verum, ut hoc facilius obtineamus, congruit, ut ſcandamus per gradus, & ſcalã, & conemur in nobis prius excitare contritionem imperfectam, conſiderando damna ſpiritualia, temporalia, æterna, quæ peccatum in nobis producit. Spiritualia porrò poſſunt conſiderari vel in ordine ad nos ipſos, & ad alias creaturas. Hodie agemus de damnis, quæ in nobis cauſat reſpectu Dei, cras Deo iuuante de

de secundis, perendinâ die de primis. In hoc ergo discursu vobis ostendam, quod peccatum mortale primo sit causa, cur nos Deus deserat, secundo, cur nos spernat, tertio cur nos odio habeat, & abominetur.

Et quia tu ò Virgo sacratissima inter alios favores eximios, quos à Deo recepisti præcipuus est, quod adeo signanter sis præservata ab istis damnis, ideo in tuo sacro cantico hanc gratiam agnoscis, nam loquens de Dominio Dei, tu ipsum absolute vocas Dominum, sed loquens de bene fitio Redemptionis, eum signanter appellas tuum Redemptorem: *salutari meo.* Ille modo plane singulari, & extraordinario te salvavit, ille quidem non liberavit te à peccato, sed ab illo præservavit, & hoc ut potentior fieres, & maiorem inclinationem haberes ad recipiendas misellas animas, quæ ad te confugiunt, ut nos humiliter facimus, dum prosternimur ante tuos pedes, & te salutamus cum Angelo dicendo. *Aue Maria.*

IDEA SERMONIS.

Deus peccatorem deserit, spernit, odit.

PVNTVM PRIMVM.

Deserit, hæc derelictio est maior pœna, quam quævis temporalis. In ea continentur tres pœnæ, prima est privatio benevolentiæ Dei, secunda doni perseverantiæ, tertia augmenti gloriæ.

Oderunt peccare boni virtutis amore
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

II. Animæ viles, & mercenariæ solum cavent peccata timore pœnæ, & quia misericordia Dei armat suâ manum iustitiâ, ut eos intra limites suos contineat, & in observantia mandatorum adminus servili. Uates oseas docet nos, quod fuerit à Deo ad suum populum missus, ut iis prædicaret, & depingeret afflictiones temporales, quas Deus solet immittere hominibus in pœnam peccatorum ab iis patratorum, iis prædicit bella, sterilitates agrorum, infecundi tates uxorum, ignes, devastationes, abstractiones in servitutem, exilia, & proscriptiones. *Projecit Israel bonum, inimicos persequetur eum, area, & torcular non pascet eos, da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia. Mittam ignem in civitates eorum, revertetur Ephraim in Aegyptum, erunt vagi in nationibus.* Post hæc vero addidit: *Væ cum recessero ab eis,* væ, væ, illis hic alias minas addit, quę in se continent præcedentes, nam minatur supplicium, quod merito plus timere debemus, quam bellum, sterilitatem, incendia, captivitates, exilia. *Væ illis, Væ illis cum recessero ab eis.* Osea. 8. v. 9

Hoc est primum væ, quod anima, accipit à peccato mortali, quod nempe, sicut ipsa deserit Deum, ita Deus reciprorè deserat eam eam abiiciat, repudiat, sua gratia eam privet. Ille per Ieremiam dixit ad Iudæos: *Vocavi, & non respondistis, & ego proiiciam vos à facie mea.* Et idem vates in suis lamentationibus ait. *Proiiciens repulisti nos; iratus es contra nos vehementer.* Porrò hæc repudiatio Ierem. 7. v. 13. Thren. 5. v. 22.

tio non fit per discessum, & elongationem corporalem, aut distantiam localem, sed per voluntatem iustissimam, & efficacem, quâ Deus nos privat suâ amicitiâ, effectibus suæ benevolentiæ, & pluribus gratiis, quas alias daret. Et hoc continet, & exprimit tria atrocia mala.

Et quidem primo, quam diu es in, statu peccati mortalis, es in Dei disgratia, hoc est, ille benigno te non notat oculo, ille tibi non bene vult, ille pro eo tempore nullum tibi bonum optat. Dico tibi, & pro eo statu; quia si tibi benefaciat, si te in vita conservet, si tibi bona largiatur temporalia, tibi immittat inspirationes, si te prosperitatibus repleat, hoc non facit ideo, quod te amet, quod illa sint pro te, pro tempore præsenti, sed pro eo tempore, quo sperat, quod te sis conversurus. *Omnis malus* inquit Augustinus, *aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per eum bonus exerceatur,* & sic etiam loqui debemus, *Aut ideo vivit, regnat prosperatur.* Quod si Deus tibi benefaciat, quando es in statu peccati mortalis, hoc non est ex eo, quod tibi bene velit pro illo statu sed ut te emendes, vel sidis induratus, ille tibi aliquis dona largitur ex amore alicuius animæ electæ; ut nimirum tuis opibus iuves illum pauperculum Rusticum, ut exerceas patientiam, & virtutem illius misellæ viduæ, sicut chirurgus asseruat sangvi sugas, ut sangvinem corruptum extohat ex infirmo. Sanctus Thomas addit Deum conservare reprobos, iisque benefacere in servitium prædestinatorum, eo modo, quo equos, & alia animalia in eundem finem conservat.

In Psal. 34.

IV. Secundo, antequam pœnitentia vera deleat peccatum mortale quoad culpam, potest quandoque evenire, ut in hoc peccato concludatur decretum reprobationis, potest contingere, quod hoc peccatum sit semen, principium, primum initium tuæ damnationis. Ita nonnulli è margine citati, maxime Lessius asserunt id de peccato *Penitus remisso, quoad culpam, & pœnam æternam, ac temporalem.* O mi Deus quam bone dixit tuus Propheta, quod sis; *Terribilis in conciliis super filios hominum, & nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, vir insipiens & stultus non* intelliget;

vide Diuum Chrisost. hom. 1. in Ezech D. Thom. 1. 2. quæst 79. art. 1. Trigosum in summa Theol. quæst. 18. art. 8. dub. 3. conclus. 3. Less. de perfeit Divin. lib. 13. c. 15. Ioann, 2. v. 6. Ephes. 4. v. 7.

At enim verò, ut hanc rem declaremus, observare oportet, quod gratia sanctificans, quæ tibi dat ius ad vitam æternam, se solâ non conservetur; sed ut conservetur usque ad finem, & nos præservet à peccato finali, opus sit alia gratia, quam vocamus actualem, auxiliatricem, & protectricem. Gratia sanctificans infallibiliter convertur per omnia Sacramenta Ecclesiæ omnibus dignè illa suscipientibus, & dâtur in intenso, vel remisso gradu, iuxta cuiuscunque dispositionem maiorem, vel minorem, quia allgata est Sacramentis, quę sunt fontes, & statu origines immediatæ, & publicæ, toti mundo patentes.

Sed hæc gratia adiuvans solum datur iuxta beneplacitum Dei, & ut dicit Christus; *Spiritus ubi vult spirat,* & S. Paulus: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et hinc omnes Doctores concludunt, & est articnlus fidei à concilio Tridentino definitus, quod perseverantia finalis sit donum Dei, hoc est donum gratui

tuitum, favor singularis, & specialis: *Si quis dixerit iustificatum sine speciali auxi-*
Trid. sess. 6. can. 2. *lio Dei in accepta iustitia perseverare posse anathema sit*; cum enim, ut salvemur, oporteat resistere ultimæ tentationi, quæ nobis se ingeret ante mortem, hoc indigemus auxilio supernaturali, illud venit à Deo, illudque largitur cui vult. Hoc supposito contingere potest, ut ob aliquod peccatum mortale, quod patras, Deus te privet illâ gratia particulari, & efficaci, & consequenter perseverantia finali, ac salute æterna: Et quamvis hoc peccatum, quoad culpam deleatur per veram pœnitentiam; attamen Deus non tenetur tibi hanc assistentiam gratuitam, & gratiam extra ordinariam, quam dat cui vult, largiri. Non dico, quod te privet omnibus auxiliis, sed hoc auxilium speciale, quod ab eius gratuita tantum voluntate dependet; & hanc gratiam tibi potest denegare iustissimè, eò quod alias eum offendisti, & præcipuè per peccatum quoddam enorme, aut certum numerum peccatorum.

Tu verbi gratiâ committis scelus nefandum, seu bestialitatem aut peccatum quoddam contra naturam, tu horrendam crudelitatem patras erga viduas, aut orphanos, malitiam turpem, & diabolicam in Ecclesia, aut sacrilegium circa res sacras, evenire potest, ut eo ipso, quo tale patras, Deus secum sic discurrat: O impudentiam, ò sacrilegium, ò barbariem! Nunquam hic porcus meæ assistet mensæ, nunquam hic lupus in ovili cælesti intra numerum ovium admittetur, nunquam hic impius sanctuarium meum ingredietur, ut fruatur sancta sanctorum. *In terra sancto-rum iniqua gessit, non videbit gloriam Domi-* Thren. 1. v. 8.
ni. Post hoc peccatum advenit Pascha, tu vadis ad confessionem, illud delettur per pœnitentiam, Deus tibi infundit gratiam sanctificantem, quæ alligatur infallibiliter Sacramentis, qua eam disposito semper conferunt. At in hora mortis, aut alio tempore, in occasione urgente, postquam hoc peccatum commisisti, ille validam emittit tentationem, quæ te aggreditur, ubi alias te invisset, & succursu efficaci tibi suppetias tulisset, aut gratia extra ordinaria, & efficaci tibi subvenisset, ut resisteres, forsan hoc non faciet ob peccata præterita.

Propheta Ieremias ait in suis lamentationibus: *Peccatum peccavit Ierusalem* Hæc repetitio denotat enorme peccatum, aut grandem numerum. Vatablus vertit: *Graviter, & assiduè peccavit, propterea instabilis facta est.* Hebræus legit *Nida, id est è longata*: Anima Christiana patrat quoddam enorme peccatum, aut valde multa crimina, ideo Deus eam deserit, & ab illa se elongat; ob hanc desertionem fit inconstans in suis bonis propositis, & audacter in peccata relabitur.

V. Præterea: Hoc infortunium, quod incurrimus per peccatum, est adeo funestum, & deplorandum, ut per totam æternitatem; cum sit caussa, quod habeamus minorem gloriam, beatitudinem, felicitatem, quam habuissemus, si non fuisset hæc miseria peccandi, nocivos effectus in cælo producat. Et ratio est evidens: Gratiæ actuales de quibus loquor non solum ideo dantur, ut resistamus tentationibus, & præservemur à lapsu, sed etiam ut nos exci-

existent, & iuvent ad eliciendos frequentius, & ferventius actus amoris Dei, ad practicandas virtutes heroicas, & magis excellentes, ut in perfectione Christiana magnum progressum faciamus. Porrò, hi actus amoris ferventiores, hæc opera frequentiora, nobis obtinent augmentum gloriæ, & beatitudinis cælestis: *Præsentem vitam colimus, futuram serimus.* Quandoque autem contingit, ut ob peccatum quoddam remissum, Deus animæ non largiatur tot illustrationes, inspirationes, motiones, & occasiones benefaciendi.

Thren. 1. v. 8.

Quod si ocellus aliquis, ceu is, qui principi est gratissimus aliquam turpem proditionem committat, quæ eius maiestatem graviter offendat; fieri quidem posset, ut princeps per suam clementiam, & misericordiam innatam ei ignoscat, & crimen condonet, sed tamen non ei amplius dabit media, favores, pensiones, officia, beneficia, quæ antea ei dedit, quibus fuit dotatus, promotus, elevatus nimium, & incomparabiliter, quam unquam fiet deinceps.

Verum enim verò, ut hanc veritatem adeo necessariam melius percipiamus, nos collaborare debemus, ut frequenter habeamus cogitationes, quibus frequenter concipiamus horrorem, & abominationem maximam contra peccatum, & effectus funestos, & quasi irremediabiles, quos producit. Quod si malo nostro alias quoddam commiserimus, debemus nos confundere ante Deum? & continuò in eius præsentia ambulare, in spiritu humilitatis, & contritionis, cum frequenter, & ferventer rogare, ne nos privet gratiis, quas demeruimus, & quandoque, immò sæpe ad eum has eiaculari preces: *Ne reminiscaris Domine delicta mea. Ne repellas me à mandatis tuis: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

Tertio à proposito nos dare debemus, ieiuniis, precibus, eleemosynis, ut mortificationibus, & aliis operibus pœnitentię, ut iustitiæ Divinæ satisfaciamus, ut non puniat nos iuxta meritum, & ne subtrahat nobis sua subsidia, & gratias particulares.

PUNCTUM SECUNDUM.

Deus peccatorem spernit, tanquam ignarum, infantem, stultum, bestiam, nihilum.

VI. Anima ita gratiis privata, & deserta à Deo, qui solus est gloria, & honor creaturarum, necessariò debet esse vilis, & in summo contemptibilis. Hinc eam irridet Abdias: *Contemptibilis est valde*, Et cantor Regalis: *Sprevisti omnes discedentes à mandatis tuis.* Similiter Assertor noster, loquens de peccatore sub parabola villici, asserit illum, qui bona prædii malè administrarat, apud suum Dominum accusatum, & diffamatum fuisse. *Abdias versu 3. Psal. 113.*

Tu adeo appetis, & zelas honorem, ad minimam vilipensionem commoveris, quod si aliquis, vel minimum signum edat, quod cedat in tuum aliqualem despectum, aut quo non contestetur suam de te existimationem, tu statim es in fermento, nec hoc sufferre potes, sed dicis: Quid cogitas, quem me esse putas? Quod si hæc ita sentias,

 quid

quid non ageres, si totus mundus te contemneret? Et quid quæso est totus mundus collatus à Deo.

VII. Vis ne scire quid Deus de te sentiat, & quam existimationem de te habeat? Ille iudicat te esse ignorantissimum, verum puerum, magnum stultum, stolidam bestiam, nec tantum hominem nihili, sed purum nihil. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Nil sciunt, inquit Psaltes, nullum habent intellectum, in tenebris, & in extrema ignorantia versantur. Sanctus Augustinus in suis confessionibus de se fatetur; quod dum esset adhuc puer, valde laborarit, ut bene pronuntiaret verba latina, non tamen in minimò curarit, num pravas elicéret actiones, ac si non esset atequè ignorantia, si quis malè vivat, quam si bene loquatur. Quod si aliquis diceret; *ego vestem meo confeci uxori, ego equum vidi succussatricem*, tu sane diceres, en ignorantem crassum, qui vix potest bene proferre duo verba: Sed dic sodes, an non æquè est ignorantia, si non ritè componas tuas actiones? Si quis risui se exponat, dum loquitur contra regulas Grammatices, an non magis ridendus sit is, qui agit contra regulas, & leges Dei? Quod si ignorantia sit non bene relativum connectere cum suo antecedenti, nonne ignorantior eris tu quando vitam tuam non bene connectis cum mandatis Dei, & promissionibus, quas fecisti in baptismo?

Psalm. 81.

VIII. Quousque eris infans? Vsque quoq; inquit spiritus sanctus *parvuli diligitis infantiam.* Infans lætatur in morte sui parentis, quia, ut ei parentes, novam vestem, funebrem & lugubrem accipit. Tu lætaris, gaudes, tu te iactas, ampullaris ob elegantem illam vestem, quam accepisti, eò quod consensisti in actum lascivum. Tu gloriaris ob illos pretiosos tapetes, opulentam suppellectilem, quã acquisivisti per oppressiones, usuras, litem iniustam. Puer, puer, tu non consideras, quod indutus sis pulla, quod amiseris tuum patrem, gratiam Dei, filiationem adoptivam, ius ad gloriam, hæreditatem cælestem. Quod si puer videat domum à furibus expilari, & spoliari, pretiosa vasa auferri, nec in minimo movetur, sed ridet; Verum si ei auferas pomum, aut globulum lusorium, statim plorans clamat, ei ulat, nec pacari potest. Quod si amiseris litem, unum ducatum, occasionem aliquid lucrandi, tu statim affligeris; & si amiseris per peccatum mortale dona spiritus sancti, virtutes infusas, merita bonorum operum, tu nec in minimo angeris, sed rides, gaudes, neque à choreis, & commessationibus desistis. Puer, puer; *Vsque quo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia.*

Proverb. 1. v. 22.

Psal.

Hom. 4. in iam ad cor.

IX. Quod si aliquis vobis diceret, tu nescis novum aliquod mirabile, ille sui optimè compos è tecto domus suæ sese præcipitavit, toto corpore comminutus est, omnia membra collisit, & conquassavit. Quid replicares tu, an hoc fecit mentis compos? fuit stultus, fuit stultus, funesta Phrenesis eius cerebrum occupavit. Tu in statu degis felici, & sublimi gratiæ Divinæ, in perfecta sanitate, & integritate spirituali, quæ consistit in eò, quod caro sit subiecta spiritui, sensualitas voluntati, voluntas rationi, ratio legi Dei, tu è

statu

statu adeo excelso te præcipitas in abyssum profundissimam peccati: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Tua anima totaliter est depressa, subiecta, & inordinata, caro imperat spiritui, sensualitas regit voluntatem, voluntas rationi non obtemperat, ratio contradicit legi Divinæ. Tu voluntariè in hoc præcipitium te coniecisti. Et nonne hoc est esse stultum, insensatum, phreneticum? *Stulti, stulti aliquando sapite.* Et ita iudicio privati in bestias, immò in peius transmigratis: *Comparatus est iumentis insipientibus.*

Psal.

X. Quod si vadas per campos, & hiemali tempore equum ascendis, si transeundus sit rivus, aut palus aliqua congelata, equus non sine trepidatione intrat, & prius pede experitur, num sine periculo transire possit, quod si vident gurgitem aliquem limosum, potius se permittet occidi, quam quod progrediatur, & intret, quod si calcaribus eum urgeas, pedem refert. Tu autem, qui iudicio, & ingenio præditus es, tu, qui sapere deberes, stolidiores tuo mulo, ad primum ascensum unius socii cerebro carentis, qui te invitat, & solicitat ut intres prostibula, domum lusoriam, tu temerè intras, ita ut non cuncteris, verba nulla cum eo misceas, nullam adlibeas replicam, nullum facias periculum, num lateat aliquod præcipitium: *Comparatus es iumentis insipientibus, & deterior factus es illis.*

...m. 4. in ...n ad cor.

XI. Quinimmò apud Deum minus quid es, quam omnia hæc, tu minus es omni eo, quod potest dici, concipi, cogitari, fingi. Viden ergo in quam abyssum humilitatis te debeas deiicere, & quam meritò queas dicere cum urbe Ierusalem: *Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Quamdiu es in statu peccati mortalis, in opinione Dei, in bilance iudicii eius, minor es quam tu- us equus, canis, quam unus culex, acarus, cimex, immò minus es ipso nihilo. *Ne forte ad nihilum redigat me.*

Thren. 1. v. 12.

Quamtumvis, inquit Sanctus Paulus, facundiâ dotatus essem Angelicâ, quantumvis scientiam omnium haberem Doctorum, quamvis magnus essem Propheta; attamen si sim in pravo statu, si caream amore Dei, & proximi; ante Deum nihil sum. Nec hæc dicta sint hyperbolicè, hæc non sunt paradoxa, exaggerationes, sed sunt ipsamet veritas, & verba scripturæ. Video quod vir sis æquissimus, magnus politicus, consiliarius eminens, vir magnæ doctrinæ, prudens, iustus, iudiciosus, expertus in rebus mundanis, si sis tamen in statu peccati, apud Deum nihil es. Tu stultè tibi imaginaris, ac si Deus non auderet te destruere, eo quod eius multum intersit, quod caveat, ne tam nobilem creaturam perdat; sed vide, quæso, an multum se angat, an magnam faciat iacturam, si muscæ in initio hiemis moriantur. Tu ante eum minus es, quam unica tantum musca; quod si in hoc statu devivas, ille minus curabit, quod te deturbet in infernum, quam quod muscas resuscitet.

1. cor. 13. v. 1.

PVNCTVM TERTIVM.

Deus illum odit, & primò quidem odio abominationis, secundò odio malevolentiæ.

XII. Et sane adhuc parum dixi, quia illæ bestiolæ non sunt objectum abominationis, Deus autem te odio infinito prosequi potest. Mi Deus inquiebat Psaltes: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Filius eius Salomon: *Odio sunt Deo impius, & iniquitas,* Odio malevolentiæ, odio abominationis. Et Spiritus Sanctus: *Altissimus odio habet peccatores. Abominatio est Domino via impii.* Magna est antipathia inter ovem, & Lupum, inter Columbam, & accipitrem, inter hominem, & pantheram; & tamen hæc antipathia, & contrarietas non est tanta, quanta est inter Deum, & peccatorem. Tu non adeo execraris pestem, lepram, gangrænam, mortem, quam Deus abominetur peccatum. Nullus adeo horruit cimices, araneas, serpentes, bufones, quam Deus abhorreat, & abominetur peccatum.

Psal. 5.
Sap. 14. v 9.
Ecclef. 12. v. 5.
Proverb. 15. v. 9.

Axioma est Philosophorum, quod contraria sibi invicem opposita, & vicina melius cognoscantur. Illud, quod contrariatur odio, quo Deus peccatum, & peccatorem persequitur, est amor, quo fertur in virtutem, & virtuosum. Amor, quo in virtutem fertur, est eius summa veritas, ineffabilis, incomprehensibilis; & hoc cognoscimus ex eo, quod minimam actionem meritoriam, haustũ frigidæ aquæ egeno datũ muneret præmio gloriæ cælestis. Verũ odio, quo persequitur peccatorem in comparabiliter maius est, quia potius vult, ut abstineat à peccato, quam ut aliquod opus bonum, qualecunque id sit faciat. Et esto per unum peccatum mortale posses excellentissimam, & præstantissimam exercere virtutem, tu tamen impunè peccare non posses.

Romanorum Gesta recensent Filium Manlii Torquati, postquam hosti sine mandato supremi belli præfecti certamen & pugnam indixerat, quidem insignem reportasse victoriam, sed sibi funestam, & tragicam; cum enim totus gaudio, & iubilo refertus rediret, à concivibus applausum expectaret, parens eius pro lauro, capite eum per lictorem minui iussit. Ex quo liquet, quantum hic magnus miles, & politicus inobedientiam militarem in odio habuerit. At enim verò, peccatum magis Deo displicet. Verum quidem est, quod in quibusdam occasionibus, & necessitatibus urgentibus, aliqua permittat, quæ ab eo, & Ecclesia videntur prohibita, & hoc quando intrinsecè non sunt mala, quia cum in tali casu lex non obliget, & materia præcepti conferatur per illas occasiones, & necessitatem, non est peccatum lethale illa committere. Tales actus sunt, laborare die Dominico ex gravi paupertate, alterius surripere bona in extrema necessitate.

At si anima Christiana comittat peccatum mortale, hoc est si ponat actionem, quæ intrinsecè, & indispensabiliter est mala, uti si periuret, blasphemet ad convertendum aliquem infidelem, Deus illam damnabit, qualemcunque intentionem bonam habeat, & qualiscunque effectus bonus ad illam sequatur. Quid dico ego, si anima Christiana tale quid faciat?

ciat, Deus illam damnabit? Ponamus, quod maximus Sanctus Ecclesiæ, qui fuit, vel unquam erit, peccat mortaliter, Deus eum damnabit. Ponamus, quod unus è maximis Sanctis Ecclesiæ, ex illuminatissimis, & ferventissimis viris periuret, mentiatur, & hoc ut convertantur omnes hæretici, qui sunt in Germania, Anglia, Gallia, vel omnes Mahumetani, qui sunt in Turcia, Persia, omnes Gentiles, qui sunt in Tartaria, & Indiis, & reipsà omnes converteret per peccatum mortale, immò omnes eos faceret bonos Religiosos, attamen Deus, eum æternaliter damnabit. Ex hoc conclusissimum fit, plus esse abominationis in peccato, quam sit complacentiæ in omnibus illis actibus.

Vos scitis Herodem ad necem quæsivisse puerum Iesum, & in hunc effectum in varia loca suos destinasse satellites. Ponamus, quod unus eorum in via inciderit in aliquem magnum Sanctorum, qui eum in Aegyptum deportavit, & ab eodem quæsiverit, unde veniret? Hicque respondisset ex Nazareth; si alter verò rursus institisset, quo iret, ille vero dixisset in Ægyptum. Satelles rursus petiisset, quis esset ille infans, ille verò reposuisset, illum non esse eum, qui natus est in Bettlehem, & qui à Regibus adoratus fuit, & peieraßet eum non esse eum, & se optare, ut cum Matre vivus à terra absorberetur, si portet eum, qui turbat Regnum Herodis; si inquam hic Sanctus hoc asserendo peccasset mortaliter, Deus eum bonum non reperiisset. Et quid dico? Invenisset eum malum, & si fuisset ita mortuus, fuisset damnatus, non obstantibus omnibus excusationibus, quas attulisset dicendo, ego id egi ne tuam Divinam Maiestatem privarem tot gloriis, quas ex eius vita tibi provenient, tot serviciis, quæ tibi reddet, tot animabus, quæ tibi lucrabitur. Id feci ne mundum privarem tot miraculis, quæ patrabit, tot concionibus, quas habebit, tot bonis exemplis, quæ dabit. Ego id feci, ut salvarem vitam tui amantissimi Filii, & Matris eius tuæ sponsæ; esto inquam hæc omnia allegaret; nulla eum potest salvare intentio, ego nolo ut peccet mortaliter, quod si peccavit, irremissibiliter damnabitur: Viden, quid Deus fecisset huic magno sancto. Quomodo ergo tu putas te evasurum impunem, nec damnandum post decem, viginti, centum, & quidem enormia peccata patrata?

XIII. Tu hoc tibi non persuadebis, quod nempe impunitus manebis, dummodo apphrehendas, odium quo Deus fertur, erga peccatores; quod nempe non sit tantum odium horroris, & abominationis, sed odium inimicitiæ, & malevolentiæ. Tantum peccatori vult malum, ut non sit capax, qui possit portare malum, quod tibi vult, nec tantum ei potest inferre malum, quantum meretur, ille vult ei malum infinitum, cum tamen ipse nequeat pœnam infinitam sensus tolerare, nec unquam poterit dici, quod Deus odium, & malevolentiam, quę erga eum fertur, exhauriat.

Conclusio per Recapitulationem verborum Ieremiæ.

XIV. Audi Paulisper formidanda verba, quæ profert per Ieremiam, quia sunt compendium, & contentum omnium dictorum in hoc discursu *Non est anima mea ad populum istum: Ejice illos à facie mea, egrediantur: Quod si dixerint ad te, quo egrediemur? Dices ad eos, Hæc dicit Dominus. Qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium, & qui ad famem, ad famem, qui ad captivitatem, ad captivitatem. Visitabo super eos quatuor species, gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad devorandum.* Viden primum effectum peccati nempe, quod Deus nos deserat, & abiiciat. Et si quæratur, quo ibimus? Ille dicit, ite quò vultis, mea parum interest, moriantur, qui moriuntur, evadant, qui evadunt &c. Nunc vide secundum effectum, nempe quod nos spernat: *Visitabo super eos &c.* en tertium effectum, quod nempe nos abominetur, & persequatur.

Ierem: 15.

Sacra scriptura nos docet, & experientia hoc demonstrat, quod mundus sit mare fluctuosum, plenum scopulis, & piratis, nemus, silva densa, referta latronibus, & belluis immanibus, campus scatens hostibus, qui nos bello impetunt, in hac vita nil aliud sunt quam retia, & pedicæ nobis structæ, nassæ, & laquei quavis ex parte tensi, pericula, & insidiæ nobis paratæ. Homo porrò adeo miser, debilis, fragilis, nudus, inermis factus per peccatum Adæ, quid faciet sine speciali auxilio Dei, qui est unica anchora in hac navigatione, unicum scutum in hoc bello, unicus baculus, & fulcrum in hoc itinere, Quid poterit miser contra tot vires, & assultus? Quid aget hic Pygmæus contra tot Gigantes, hic cæcus inter tot laqueos, & anfractus, ac labyrinthos, hic inermis inter tot hostes crudeles? Ad quem confugies inter tot pericula? Quem consules inter tot perplexitates? A quo expectes subsidium inter tot adversa?

cap. 5. v. 12.

An non erit velut navis inter fluctus sine gubernaculo, & Navarcho, velut infans in vasto nemore sine patre, & ductore, velut ovis errabunda inter lupos sine pastore, defensore, & lumine, & molosso. Quod si hæc omnia consideres, an sine angore, & timore queas esse in statu peccati mortalis? An in utramq; possis aurem dormire, dum scis, quod Divina iustitia vigilet instar virgæ Ieremiæ, ut te perdat? An possis quiescere sine anxietate, dum scis, quod Deus omnipotens sit tuus hostis? An bolum possis edere contentus, dum scis, quod hic oculus, hoc brachium hic furor, hic persecutor sit contra te? An possis cogitare quam per mutationem deplorandam fecisti, dum amisisti gratiam Dei, dum scis, quod gladius, qui fuit evaginatus contra tuos inimicos, contra te exeratur, quod illi oculi, qui vigilant, ut defendant, modo vigilent, ut te destruant, hoc brachium, quod te potuit sustentare, te deiiciat in terram, illud cor, quod nil aliud cogitavit pro te, nisi pacem, & amorem, nunc nil aliud mente volvat, quam dolores, & afflictiones pro te; tandem, quod ille, qui alias tuum fuit scutum, asylum, protes

Amos. v. 1.

ctor, nunc sit velut tinea, ut te corrodat, quasi putredo, ut te corrumpat, quasi leo ut te discerpat, prout tibi minitatur per Oseam: *Ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda, quasi lana, & catulus Leonis?*

cap. 5. v. 12.

Quale habebis consilium, contra consilium Divinum, quale brachium contra brachium omnipotens, quale asylum, & refugium contra inimicum, qui nos ubique persequitur, & qui clamat per Amos: Omnes gladio interficiam, à primo usque ad ultimum, non erit fuga eis, & non salvabitur ex eis, qui fugerit, & quamvis fugerint usque ad centrum terræ, tamen ego eos extraham manu forti, quamvis subeant verticem montis Carmeli, ego tamen eos insequar, & eos capiam, quamvis se mari mergant, ego tamen serpentibus mandabo, ut eos devorent, ego oculos meos in illos coniiciam, non ut eos defendam, sed ut eos perdam. Deus loquitur, Deus minatur, Deus tonat. Quod si aliquis adhunc mugitum tonitru horrendi non evigilet, ille non solum dormiet, sed jam erit mortuus, & Deum rogabo, ut eum resuscitet. Amen.

Amos. 9. v. 1.

SERMO TRIGESIMVS TERTIVS

PRO DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

Omnis, qui irrascitur fratri suo, reus erit iudicio Matt. 5.

Peccatum in hoc mundo nos reddit odiosos sanctis, similes bestiis, mancipia Diaboli.

EXORDIUM.

SAnctus Augustinus, tractatu septimo in Ioannem codici Evangeliorum tantam tribuit efficaciam, ut non animi tantum, sed & corporis morbos per illud posse pelli autumet, dummodo cum fide adhibeatur. Et hæc est causa, cur olim, & hodie plures Christiani soliti sint Evangelium Christi secum portare, ut ita morbos Corporis pellerent per eius gestationem. Profectò quamvis Evangelium tam efficax sit ad pellendos morbos corporis,

tis, efficacius erit ad pellendos animi, & ita est, quia multi ex unica lectione Evangelii conversi sunt. Et quamvis, omnia Evangelia tam efficacia sint, tamen hodiernum efficax videtur præ aliis, quis enim non vitabit alia peccata si videat iram, tantam promereri pœnam, ut irascens reus sit iudicii? Quod si id verum sit de ira, quis non conabitur vitare alia peccata graviora, si cognoscat quam sint nociva? Ego neminem credo esse, qui hoc considerat, & non convertatur, unde hodie ostendam quod peccatum nos reddat odiosos sanctis, similes bestiis, & mancipia Diaboli.

Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ. Tob. 12. v. 10.

I. Sicut Sanctus Paulus loquens in persona prædestinatorum ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Si Deus iustificet, quis nos condemnet? Ita reprobi queunt dicere: Si Deus contra nos, quis pro nobis? Si Deus nos condemnet, quis nos iustificat? Quia peccatum non solum nos reddit indispositos respectu Dei, sed & respectu omniũ creaturarum, cæli, terræ, & inferni. Peccatũ nos reddit odiosos cęli incolis, similes bestiis terræ, mancipia, & servos Diabolorum inferni. Itaque si sapimus, quam primum commisimus ex fragilitate humana peccatum, debemus illud per veram pœnitentiam delere. Et quidem ò sacerrima Virgo, id debet fieri cum tuo succursu, quia tu non defendis peccatores obstinatos, sed es refugium peccatorum pœnitentium, & bellum moves iis, qui perseverant in peccatis, & manum porrigis iis, qui volunt ex iis resurgere. Igitur cum Ecclesia te invoco: *Succurre cadenti surgere qui curat populo, Gabrielis ab ore, sumens illud Ave Maria gratia plena.*

IDEA SERMONIS.

Exordium. Sancti in hoc mundo zelant contra peccatum, multò magis in cælo.

II. Zelus gloriæ Divinæ quandoque Sanctos in actiones adeo raras, & extraordinarias egit, ut nisi à Deo roboratæ, & confirmatæ essent in scriptura, Spiritus infirmi eas attribuerent vehementi indignationi, aut alteri passioni illicitæ, & inordinatæ. Moyses, dum quadam vice è monte descenderet, & inveniret populum adorantem vitulum aureum, dolore refertus exclamavit: *Si quis zelet gloriam Dei, me sequatur*; & magna pars è Tribus Levi eum adivit iussa eius acceptura, cui ille hæc mandavit: totum campum circumquaque percurrite, & omnia obvia indifferenter mactate. Illi iussis eius paruerunt, & omnes obvios gladio trucidarunt, amicos, consangvineos, confœderatos, fratres, & quidem tam dirè, ut triginta mille homines internecioni dederint. Hac clade editâ, Moyses illis dixit: *Consecrastis hodie manus vestras Domino.* Hic Exod. 32. v. 28.
sangvis effusus ob vindictam Dei, erit, vobis oleum, & Chrisma, quæ vos in

sacerdotes consecrabunt, Manus vestræ per hanc actionem sanctificatæ, erunt vera thuribula ad offerenda Deo sacrificia in odorem suavitatis. Et ita ab illo tempore sola tribus Levi è populo Dei sacerdotio honorata fuit.

Similiter in libro Numerorum refertur Phinees ex eadem Tribu sancto zelo actum, pugione confodisse in flaganti delicto quendam Hebræum, & quandam Madianitam peccato libidinis peccantes, eumque zelum manum ultricem Dei, quæ iam in populū fundere furias cœperat stitisse. Prætere-
Num. 25. v. 15. rea Propheta Elias, Mathatias, Iudas Machabæus, & alii magni sancti offensam Dei sanctà ira àccensi vindicarunt, quos Deus ideo æstimavit, laudavit, muneravit.

PUNCTUM PRIMUM.

Per peccatum sumus odiosi sanctis. Probatur primo scripturâ, secundo patribus, tertio ratione, quia amant Deum, & in se, ac aliis peccatum oderunt, quarto comparatione Abisai, quinto gratiarum actione.

II. AT enim verò, amor ardentissimus, & zelus ferventissimus, quo sancti inflammati fuerunt in hoc mundo, non est nisi glacies, & tepor respectu amoris, quo flagrant erga Deum in cælo, & zeli, quo erga eius gloriam
Exod. 32. v. 28. ardent. Tu præsumis offendere Maiestatem Divinam, quia tibi imaginaris, quod sancti, ob aliquod pensum precarium, quod quotidie iis pendis, te contra eius iustitiam defendent. Bellè sane; dummodo illis Deus per suam misericordiam instillet illam cogitationem, si iis donet voluntatem, nam alias sunt tui inimici, & tibi malum mortis volunt, tanto te odio prosequuntur, quanto amore, & affectu flagrant erga Deum. Illi dicunt cum Davide: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Psal. 138.

Virgo sacerrima dicit in scriptura: Eccles. 24. *Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris,* v. 24. dilectionis ergo probos, timoris erga improbos. Angeli, & sancti appellantur bellatores, & milites Dei, ergo bellum gerunt, non contra probos, quin potius iis suppetias ferunt, iis excubias agunt, eos protegunt, sed contra improbos. Hinc David: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Hebræus legit: *Cone malach, Adonai savit, liureau, Castrametatur Angelus Domini.*

III. Et quidem Sanctus Gregorius huiusce rei caussam assignat; cum Lib. 34. Moral. c. 16. enim, sancti sint uniti Deo, & absorpti, ac hausti ab essentia Divina, nil aliud possunt velle, quam ille velit, nil aliud amare, quam ille amet, in nullo alio delectari, quam in quo ipse delectetur, nil aliud odisse, quam quod ille odio prosequatur. Addit porrò idem sanctus: Si quandoque contingat quod Virgo, & sancti se opponant iræ Divinæ, & precibus eius vindictam cohibeant; cum nemo eius iræ resistere possit, id inde provenit, quod Deus illis inspirat, & dat voluntatem orandi pro nobis, quod nunquam fieret, si sequerentur instinctum, quo zelant honorem Dei. Lib. 9. cap. 9.

IV. *Oculi sunt in amore Duces.* Sancti vident Deum clarè, & facie ad faciem, illi cognoscunt clarè, quam sit potens, magnus, bonus, dignus, qui ametur cui serviamus, obediamus, quem veneremur, & ideo necessario affectu, & amore in eum ducuntur, & feruntur, ita ut ab eius amore desistere non possint. O felicem, & optatam necessitatem? Hæc tantum in iis causat horrorem, & aversionem à peccato, quod Deo est contrarium, ut nil sit, quod non velint amittere, facere, tolerare, ut illud destrueretur, & annihilaretur.

Origenes inter alias falsitates, sanctos non esse confirmatos in gratia, sed ab eadem, sicut & à beatitudine posse excidere. Dixit error hic est crassus; sed tamen si hoc esset verum, si sancti forent in periculo offendendi Deum, meo iudicio, nullus eorum esset, qui nō diceret: Mi Deus mecum fac quodvis, solum subduc me huic periculo. Tuà si ita lubet me priva glorià, proscribe me è tuo paradiso, in abyssum me inferni deturba, patiar omnes ignes, & gehennas, quæ sunt, potius, quam sinas me labi in aliquod peccatum. Et quia peccatum oderunt non solum, nec principaliter ex amore concupiscentiæ, sed ex amore Dei, ita illud timent, & oderunt, non solum in se ipsis, sed & in aliis; & quidem tantum habent horrorem, & timorem, dum es in procinctu peccandi, ut si Virgo, tuus Angelus Custos, & alii Sancti possent impedire, ne in illud consentires, dato, quod adhunc effectum, deberent necessario privari suà beatitudine, & deliciis paradisi, & reverti ad hunc mundum, ac tolerare omnia tormenta, & martyria, quæ tolerarunt, omnia hæc libenter subirent, dummodò ita Deo luberet.

Peccatum adeo iis displicet, ut nisi status beatitudinis eos redderet imortales impassibiles, morituri essent præ tristitia, quando unicum solum patratur. Quando peietas, Deipara moreretur præ dolore, Angelus præ tristitia, & omnes Sancti præ displicentia, nisi beatitudo obstaret. David erat homo fragilis, sicut nos; sed tam intensè amavit Deum, ut tantam conceperit displicentiam, quando patrabatur aliquod peccatum, ut pedes vix eum tulerint, sed totus factus fuerit pallidus, exhaustus, tædio, & anxietate deiectus. Scriptura hoc dicit, nec mentiri potest. *Tabescere me fecit zelus, quia obliti sunt uerba tua inimici mei.* Psal. 118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psal. 38. v. 20. *Qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.*

Et sane Deiparæ, ac aliis Sanctis idem contingeret, dum peccas, si talium qualitatum capabiles forent, quomodo ergo tu putas, quod ob exiguas preces, quas ad eos fundis ex proprio amore, tibi propit i erunt? Plales ait, illos sibi magno honori ducere, quod laudent Deum, & celebrent eius elogia, interim tamen etiam eodem tempore magnam gloriam esse censent, quod suas promant querelas, suas iniurias vindicent, ac irà animati sint contra eos, qui illum offendunt. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in* Psal. 149.

in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

In parabola Evangelica, mox ut z'zania apparuerunt in campo Patrisfa- milias, servi ei dixerunt: *Vis, imus, & colligimus ea?* Iuxta explicationem Salvatoris zizania significant perversos, servi Angelos, & Sanctos. Quæso te, observa eorum modum loquendi. *Vis imus, & colligimus ea?* Non dicunt, licetne nobis ea evellere sed ut eamus ad ea evellenda; ut significent promptitudinem, quà desiderant, & vellent eradicare peccatores, nisi Deus eos impediret, & hoc, ne triticum cum zizaniis eradicarent.

Matt. 13.

Regum 3.

V. Agunt uti egit Abisai pro David. Hic Rex dum declinaret persecutionem sui filii, obvium habuit quendam è suis subditis nomine Semei; hic homo in solentissimus statim cœpit Davidem conviciis fodicare, & lapidibus impetere. Abisai Davidis summus militiæ præfectus, iusto furore illi succensus, gladium evibravit, & dixit. Ergone liceat cani mortuo adeo impunè suum Regem, Dominum meum conviciis lacessere? Ego statim eum capite minuam, ut discat revereri suum principem, in quocunque tandem statu sit. Et id fecisset, nisi David clementiâ suâ Regiâ, & patientiâ solitâ eum absterruisset.

Tu facis sicut Semei, tu Deum tuum iniuriis, blasphemiis afficis, tu eum persequeris. Et quis es tu? Homo, nihil, canis mortuus, vermis terræ, Sancti id vident, & iustè zelantes gloriam sui principis, inflammantur irâ contra te. *Ministros suos ignem urentem.* Eodem momento, quo in peccatum consensisti, illi te absorberent abysso, illi te contererent, ac in pulverem redigerent, nisi Deus per suam clementiam eos cohiberet, ita ut intercessio sanctorum pro nobis, sit effectus bonitatis Divinæ.

Hæretici adeo sunt bardi, ut imaginentur sibi, quod dum nos rogamus Sanctos, ut placent iram Dei, nos Sanctos magis clementes esse agnoscamus, quam ipsum Deum, Et sane hic error nil omnino facit ad rem. Sancti nos in abyssum præcipitarent, quando sumus in pravo statu, nisi Deus illos contineret, quia magis zelant gloriam Dei, & ab illa plus utilitatis habent, quam à nobis. Quod si ergo Deum rogent pro nobis, id ideo est, quod nostram sperent emendationem, idque Deus iis inspirat, & illos urget, ut pro nobis intercedant.

VI. O mi Deus, & quam non hæc est pietas, misericordia, patientia invincibilis! Meritò cum Davide dicere possumus. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos,* nisi tu esses nobis umbra, & scutum, nos ipsi, qui tibi bellum movemus, sancti, & omnes creaturæ à nobis vindictam repeterent, sed, tu eos coerces, idque ex merâ tua pietate, & clementiâ. *Scuto bonæ voluntatis.* Et ideo sis semper benedictus. *Confitebuntur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicent tibi.* Tot momentis, quot viximus in statu peccati mortalis, tot benedictiones, tot mille milliones laudum, & gratiarum actiones, immò quot possunt omnes Sancti,

& creaturæ, vos tibi grates pro tanto beneficio referant.

Sanctus Chrysostomus in homilia de Sancto Meletio Patriarcha Antiocheno refert, quod iniustè fuerit condemnatus per Imperatorem Valentem hæreticum Arrianum in exilium. Gubernator itaque Antiochenus iussa Imperatoris capessens, eum in sua rheda extra urbem avexit; populus verò, qui tenerrimè amabat suum pastorem, lapidibus impetebat Gubernatorem.

Sanctus è contra eum pallio suo contexit, & se interiecit, ut eum ab impetu lapidum communiret. Bonus Deus idem facit, dum peccamus, nam nisi sub alis suæ protectionis nos foueret, sancti capita nostra rea, sua fulmina contra re evibrarent, ignis è cælo descenderet, ut nos consumeret, terra sese aperiret, ut nos hauriret, canes nos discerperent, serpentes nos intoxicarent.

PUNCTUM SECUNDUM

Per peccatum sumus primo similes belluis, probatur primo scripturà, secundo sanctis Patribus, tertio inductione. Secundo sumus belluis inferiores, probatur primo scripturà, secundo patribus, & rationibus, quas afferunt, tertio inductionibus, quarto comparationibus.

VII. Dico, quod non solum sancti, sed & animalia nobis bellum moverent; nam ut dicit Vates Regius: *Homo cum in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus.* Psal. 48. Homo dum esset imago Dei, eius vicerex in hoc mundo, Dominus creaturarum visibilium, hanc gloriam non recognovit, suæ nobilitatis oblitus est, per peccatum se depressit, suam præeminentiam amisit, & bestiis sese parem fecit. *Difficile est,* inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, *hominem purum invenire;* hom. 59 in Ioann. ac si diceret, reperire virum, qui completè, & perfectè sit homo, interius quoad animam, & exterius quoad corp⁹ reipsâ, & nō apparenter, est valde difficile. Et profectò quotidie id evenire, cernimus, q̄ suo ævo contigisse testatur Sanctus Gregorius Nyssenus. Circulator quidam, ceu funambulo ut quæstū faceret, ex recreatione, quâ spectantes perfundebat, ex arte suâ ludicra desumptâ, simiam docuit ad choros, & numerum citharæ saltare super funes, utque melius astum tegeret, habitu puellari eam induit, eamque larvâ obduxit; & in scenam eam produxit, ac innumero spectante populo, ad choros eam saltare fecit. tom 2. serm. de nomine Christian. Omnes quotquot aderant saltationem puellulæ parvulæ adeo concinnam mirabantur, & velut prodigium eam proclamabant. Porrò unus reliquis scitior, qui fraudē subodorabatur, in theatrum nonnullas nuces projecit: at enim verò, saltatrix suæ saltationis, ac funis oblita, larvam detraxit, nuces insequebatur, easque fregit, & exploravit. Admiratio desiit in risum, & omnes viderunt eam esse puellam fictam, & veram simiam.

Quod si attentè rem consideres, videbis quotidie hunc lusum ludi. Est nonnemo, quem virum peierares honestis,

nestissimum, sapientem, judiciosum, attamen si penitius eum inspicias, dephrehendes, quod sit bestia larvata, bestia, quæ refert, & exprimit hominem. Id in occasione aliqua cognosces, *Ex operibus eorum cognoscetis eos*, Non indiges nisi nuce, exigua mortificatione, & contradictione, ut videatur quis sit. Si vel in minimo eum offendas, minimum quid ei deneges, non est amplius homo, sed leopardus, leo, & tigris. Origines advertit in sacra scriptura hominem probum, vocari bis hominem. *Homo, & homo natus est in ea, Homo de domo Israel*, ut eum distinguat à peccatore, qui non est homo perfectè, simpliciter, & absolutè, sed est medius homo, bestialis, larvatus, & iudicio hominum, rei ipsâ autem, & coram Deo bestia

Psal. 48. Matt. 7. Hom. 59 in Ioann. Hom. 3. in Ezech. Psal. 86. Ezech. 14. v. 7.

VIII. Quod si insecteris uxorem alterius, aut aliquam aliam creaturam, ut eam inhonores, scis ne quid re ipsâ sis, & coram Deo? Quid de te sentit cælum? In cælo iudicant te esse equum, porcum Epicuri. *Homo equus*; *Equi emissarii facti sunt unusquisque ad uxorem proximi sui*. Quod si in corde tuo foveas venenum alicuius rancoris, invidiæ, odii, tu es vipera, & genimen viperarum. *Genimina viperarum*, si devores viduas, & orphanos iniustè per artem rabalariam, fraudes, contractus iniustos, tu es rabidus lupus. *Iudices eius lupi vesperè*. Famelici sunt, & totâ die famem patiuntur. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

tom 2. serm. de nomine Christian. Ierem. 5. v. 8. Luca. 3. v. 7. Sophon. 2. v. 3.

IX. At enim verò per peccatum non tantum ponimur in numero bestiarum, sed simus viliores belluis. Et sane discertè, & ad vivum hoc scriptura exprimit. Creator, dum proto parentibus nostris dominium, super bestias concederet, usus est verbo æquivoco; nam ubi nos habemus. *Dominamini piscibus maris, & bestiis terræ*, Hebræus textus, qui utitur idiomate Divino habet *Vrdu*, quod nomen est æquivocum, quia potest derivari à *Rada*, quod idem est ac *Quiescentia*, Lamedè, hoc est, quod in coniugatione supprimit ultimam radicalem H, & ita facit imperativum, *Rede Dominare*, *Redu Dominamini*, vel derivari potest à *Iurad*, quod est imperfecti, & vocatur *Devectiva* per Iod, hoc est, quod in coniugatione in principio perdit radicalem *Iod*, & facit imperativum *Red descende*, *Redu descendite*. Quod si utrique adiungas literam *Vau*, quæ est particula copulativa, faciet *Verdu*, *& Dominamini*, *& descendite*, ac si creator voluisset dicere, quod si fideliter meis mandatis obediatis, *Dominamini bestiis terræ*, omnibus superiores eritis; at si peccetis *Descendite*, iis eritis inferiores, viliores, abiectiores, magis deplorandi

Gen. 1. v. 28.

X. Et sanè Sanctus Chrysostomus egregiè dicit, quod si Leones, lupi, & aliæ belluæ immanes sint crudeles, carnivoræ, gulosæ, & effroenes in sua concupiscentia, id tamen non verti eis vitio, cum hoc sit iis naturale, & non vitiosum. Verum dum tu his imperfectionibus laboras, illæ sunt contra tuam naturam, illæ tibi vertuntur vitio, illæ tibi sunt voluntariæ, adeoque in te magis abominandæ. Quodlibet animal habet suam specialem inclinationem. Leo est crudelis, lupus vorax, canis invidus, pavo superbus, gallus lascivus, vulpes astuta, simia ma-

hom. 3. in Ioann. & 23. ad populum.

malitiosa. Verum in te omnia hæc vitia coniuncta reperiuntur, & in reperitur, cloaca, & congeries horum vitiorum. Tu es chimera non imaginaria, & ficta, sed reipsâ, & in effectu. Tu quoddam compositum es ex plurimis immanissimis belluis. Tu es iracundus velut leo, crudelis, sicut tigris, gulosus ut porcus, lascivus, ut gallus, pestilens ut draco. Et quasi non foret satis concipere, & imbibere tincturam vitiorum omnium animalium terrestrium, tu descendis in infernum, & tibi imprimis, blasphemias, invidiam, superbiam, obstinationem, impœnitentiam Dæmonum. Tu magnâ solertiâ conaris emendare pravas inclinationes horum animalium, quia sunt illis naturales, & in fundo eorum essentiæ radicatæ, & infixæ; tu cicuras leones, tigres mansuefacis, elephantes reddis mites, velut oves, tu doces canes, ut concupiscentiam refrænent, & appetitus moderentur irascibiles; & quamvis canis sit sensualis, sicut tu, & tamen non præditus ratione, & iudicio, esto nō habeat liberum arbitrium, tamen suū appetitum cohibet per tua cicurationem.

Quando canis est iuvenis, ille omniā arripit, quæ suo conveniunt appetitui, postquam tamen eum docuisti, quantumvis sit famelicus, attamen à ferculis gratis abstinet, ne fustibus excipiatur. Ex hoc metu appetitum coercet. At enim verò, quid facis tu? Quid quæso agis tu creatura rationalis, voluntate, intellectu, libero arbitrio dotata. Quid agis tu, qui es Christianus? Tu non possis addiscere, ut tuam concupiscentiam cohibeas, qui hoc doces tuum canem? Quomodo tu non abstineas ab ingluvie, helluationibus, lasciviis, choreis, non ex metu fustium, sed suppliciorum æternorum? Canis tuus non moderatur tantum appetitum concupiscibilem, sed & irascibilem. Dum sine causaeū verberas, contra te non insurgit, si tui similis esset, contra te rebellaret, se defenderet, & te invaderet.

At quia eius es Dominus, ideo se deprimit, & humiliat ante te, nullam repetit vindictam, sed unam tantum edit vocem quærulosam. Tu è contra, qui adeo Deo es obligatus, tu contra eum insurgis, eum blasphemas, eum injuriis lacessis, tu eum renegas, quamvis nec minimum malum tibi inferat, nec malum tibi verbum dicat, quin potius bonis repleat.

XI. Deinceps non possumus amplius dicere: *Comparatus est iumentis, & similis factus est illis*, sed *deterior factus est illis*. Nulla bellua plus bibit, quam appetat, vix unum aliud eiusdem speciei occidit, vel se ipsum enecat, quod tamen plures homines faciunt. *Serm. de nomine Christiani. 1. cor. 1 v. 49.*

Quo nemore unquam,
Expiravit aper maioribus dentibus apri
Africa tigris agit, rabida cum tigride pacis,
Foedera perpetua. *Iuvenal.*

Nulla est bestia, quæ tot committat bestialitates, quam committant

tant Christiani, & hoc in ipso matrimonio.

XII. Sanctus Chrysostomus optimè dicit; quis tam parum sit rationalis & sensu communi destitutus, qui induceret in palatium, vel conclave Regis unum porcum? Quomodo ergo tu tibi persuadeas, quod in cælo empijreo, in palatio Dei, in triclinio eius admittenda sit aliqua anima, vitiosior, immundior, bestialior ipsis belluis? *Foris canes, & impudici.* Addit Sanctus Gregorius Nyssenus: Quod si magistratus alicui pictori, vel sculptori mandasset, ut sculperet, aut depingeret statuam, vel effigiem Regis, si illum sculperet, vel depingeret turpiter, & deformiter, nonne Regem offenderet, & magnum promereretur supplicium, & esset in caussa, quod illi, qui nunquam vidissent Regem, iudicarent eum esse edeo turpem, & deformem? Professio, & obligatio Christiani hæc est, ut sit imago Iesu Christi inquit Sanctus Paulus, ut illum in seipso, in sua vita, in suis verbis, operibus exprimat; quod si hæc imago sit monstruosa, turpis, tetra, an non est opprobrium, & dedecus sui exemplaris? *Sicut portavimus,*
Serm. de nomine Christiani. *imaginem terrestris, ita & portemus imaginem cælestis.*
1. cor. 16. v. 49.

PVNCTVM TERTIVM.

Per peccatum sumus servi Diaboli, probatur primò scripturà, secundò patribus, tertio ratione, quarto experientià.

XIII. Immò plura sunt dicenda. Tu non tantum per peccatum redderis odiosus sanctis, & fis similis belluis, immò ipsis peior, dum subdis te imperio, & tyrannidi Dæmonis. Sanctus Paulus dicit, & nos nimis sæpe id videmus, quod te tractet velut suum mancipium, pro libitu suo. Anima electa totaliter regitur à Sancto spiritu, & motionibus Divinæ gratiæ, & dicit cum eodem: *Domine, quid me vis facere?* E contra anima reproba omninò tradita est potestati Dæmonis, & eius voluntati consignata. *Act. 9.* Quod si velit, ut vadat ad popinam, vadit, si ad choreas, ad prostibulum, paratissima est. An vult ut arroganter respondeat suis parentibus, ut in uriis, & conviciis lacessat vicinos? En parata est. Eccur Lucifer in Evangelio vocetur princeps mundi? Apostolus insuper addit Dæmones esse rectores, & potestates mundi; XRATOPES, hoc est animarum mundanarum. *Ioann. 12.* Et hæ sunt minæ, quas Deus iis intentat sub metaphora Regis Aegypti: Tu inquit me non vis suspicere, & obedire velut tuo legitimo Domino, sed faciam, ut servias Tyranno crudeli, ut ita experimento discas, quata sit differentia inter meum dulce regimen, & eius dominium inhumanum. *Ephes. 6. v. 12.*

XIV. Nam ut inquit Sanctus Hilarius; *Omnis in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est. Et ubi Deus non est, illic Diaboli locus est,* qui insidians, *atque obsidens, ubi adeundi oportunitatem habuerit, tanquam vacuam domum occupat, quæ ei, Deo iam discedente, sit tradita.* A quo quis *superatus est,* inquit. Petrus, *eius & servus est.* Quam primum anima consen-

sentit in peccatum mortale Deus eam deserit, Diabolus verò, qui continuò vigilat, dum eam videt desertam, & derelictam, conatur eam expugnare, & intrare Et quidem iusto titulo.

XV. Nam iure Gentium, & lege apud omnes Nationes receptâ, victus fit servus victoris, adeoque quamdiu resistis eius tentationibus, es eo superior, nec te capere potest. Verum, dum liberè ei consentis, ille te expugnat, ille te debellat, & iugo suo subiicit, tu fis eius manceps, & servus.

A quo quis &c. Venundatus es, inquiebat Vates Elias ad Regem Achab, *ut faceres malum.* Tu coegisti misellum Naboth, ut iniustè vende et suam vineam, & ita venditus es, ita loquitur; quia si patres aliquam iniustitiam, vel aliquod peccatum, tu inis aliquem contractum tacitum, vel transactionem illicitam cum Dæmone. Da mihi illam voluptatem, illam recreationem, illam summam pecuniæ, & tibi dabo meam animam, fac ut adversam partem periurio vincam, inimicos meos hàc vindictà subiugem, competentes mecum hoc beneficium, per simoniam excludam, & tuum me vasallum facio.

3. Reg. 21. v. 20.

XVI. Et sane experientia nimium monstrat, quod sis servus, & manceps Dæmonis. Tu quandoque gemis sub hac tyrannide, tu conaris illam excutere, tu propositum, vel velleitatem habes hac miseriâ te expediendi, & tamen nunquam illo iugo te expedis, quia vinctus es, & te tenet captivum. Imminet quadragesima, adest Pascha, tu aliquam audis concionem, quæ te Peaulisper tangit. Confiteri debeo, inimico reconciliari, non vivendum est instar Athei. Vicinus tuus morte obruitur subitaneâ, & statim aures tibi tinniunt, & audis, si tibi id eveniret, absq; ullo processu essem damnatus. Hanc coquam mittere debeo, iubilæum instat. Viden quam bellam habeas occasionem te cum Deo conciliandi, & debita, quibus illi obstrictus sum diluendi. Sacerdotes ab omnibus absolvere possunt, nil restat, quam ut confitear, ut restituam aliena, ut satisfaciam huic pauperi, ut è pravo statu discedam. Tu nil efficies, inquit tyrannus, & Dominus, nil facies, quia ego omnia obstacula adhibebo, ego te tam arctè ligabo; ego faciam, ut illi pellici adeo adhæreas, & colligeris, ego faciam, ut tam fixè bonis illis immersus sis, ut adeo sitias vindictam, ut te expedire non possis.

CONCLVSIO

Comparatione ruinæ animarum destructioni templi ex Chrysostomo, recapitulatio per lamentationes Ieremiæ.

XVII. Sanctus Ieremias, dum iam sub oculos haberet miserias, quas prædixerat, & quod immineret destructio Ierosolymæ, & templi, sufficientes, non invenit in suo capite lacrymas, quibus illas dignè deploraret. Ille præconio publico decantari iussit lamentationes, quæ corda emollirent

sinea

ſaxea, ſiquis eas attente, & ſpiritu pietatis, quo dotatus fuit hic ſanctus vates, audiret. Et ſane magnam anſam habes idem faciendi ſcribit ſanctus Joannes Chryſoſtomus ad quendam ſuum amicum, nomine Theodorum, qui in peccatum lapſus erat. Ego non conſpicio ruinam templi materialis, ex petris, & lignis constructi, ſed video deſtructionem templi ſpiritualis, & vivi, in quo maieſtas Divina magis baſilice, & deliciosè habitat, quam in cælo ſtellato. Non cerno, quod è templo auferantur imagines Cherubinorum fabricatorum ex lignis olivæ, non video arcam fœderis auro puriſſimo veſtitam ex eo deportari, ſed video, quod è templo ſpirituali abſportetur aſſiſtentia Cherubinorum, & Angelorum cuſtodum, & ex illo auferatur præſentia Filii Dei, qui eſt verum propitiatoriũ mundi. Non cerno quidem, quod hoſtis ex eo rapiat candelabra aurea ardentibus lampadibus ornata, ſed quod privetur luminaribus cæleſtibus, quæ ſanctus Spiritus per ſuam gratiam in illo accendit.

Non quidem conſpicio altare thymiamatis, & in cenſi everſum, ſed quod in ara tui cordis nullæ amplius preces Deo offerantur, quæ bonum ſpirent odorem, quin potius meræ ibi cernuntur diſtractiones, tui animi aberrationes cogitationes vanæ, & ſtultæ de mundo. Non quidem video, menſam panum propoſitionis, vacuam conquaſſatam, ſed tuas manus eleemoſynis ad paſcendos pauperes non repletas. Hæc Chryſoſtomus de lapſu miſerabili ſui amici Theodori.


XVIII. Et ego quoque ò animæ Chriſtianæ, quæ lapſæ eſtis in peccatum vos lugere, & deplorare debeo, ego iiſdem lamentationibus, quibus Ieremias urbem infortunatam deflere queo: *Omnes amici eius ſpreverunt illam, facti ſunt ei inimici.* Deipara, quæ alias fuit veſtra mater, non agnoſcit vos amplius tanquam ſuos infantes. Et qualis ipſi foret honor, eſſe matrem talium abortivorum? Ubi eſſes, ſi fuiſſes mortuus in ſtatu gratiæ? Papæ, quam non eſſes felix. Angeli tuam animam, velut animam Lazari deportaſſent in ſinum Abrahæ. Sancti tui amici tibi obvii proceſſiſſent, & ad ſuum habitaculum te deduxiſſent. Quod ſi moriaris in hoc ſtatu, ſancti te abigent velut in dignum eorum conſortio, Angeli refugient velut porcum Epicuri: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Tu paſcebaris ferculis Regiis, tu comediſti panem Angelorum, tu toties paſtus es carne Deificata Ieſu, pretioſo corpore Dei, & tamen non obſtante, quod adeo honoratus eſſet, tu te mutaſti in belluam immundam, in immunditiis, & ſpurcitiebus te infarciviſti: Quamvis non communicaſſes niſi ſemel; attamen tu deberes tibi cavere à tuis noxis.

Quid ergo non fiet, dum patebit, quod *Amplexati ſunt ſtercora*, Quod ſi hæc ſpecilla, ſeu conſpicilia tuæ Paſſionis conſuleres, quod ſi miſeriam tuorum bonorum temporalium, quæ amas, immunditiem, & ſqualorem creaturarum, quas adoras, tu tibi ipſi eſſes in horrore, tu morereris prætædio, & faſtidio, tu videres, quod eſſes è nu-

mero bestiarum brutissimarum, immundissimarum, fœdissimarum, immò porcis ipsis turpiorem. Inimici tui hoc bene vident, sed te irrident. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha eius.* Irrident festivitates tuas, quas transigis in conviviis, deliciis, Choreis, ac aliis recreationibus sensualibus, ac si forent festa Bacchi, Priapi, vel Veneris. Irrident tuas confessiones, tuas communiones indignas, tuas devotiones exteriores, quæ non sunt nisi larvæ, & spectra devotionis. Tu te æstimas felicem, & putas te quiescere in centro quietis, eo, quod fortuna tibi arrideat. Pauculas habes opes, & tuæ proles sanæ sunt.

Hostes deriserunt. Spiritus maligni te irrident, sciunt quippe nil esse infelicius peccatore felici in hoc mundo. Tu tibi imaginaris, quod sis contentus, & quietus futurus, dum illam puellam in tuas partes traxeris, dum illud officium emeris, postquam adieris illam hereditatem *Deriserunt.* Illi sciunt, quod concupiscentia, ambitio, avaritia nunquam dicant sufficit, sed quod semper plura, ac infinita quærant. Mihi crede, servituti adeo crudeli valedic, jugo adeo infami, & te indigno, te exime. *Ierusalem, Ierusalem convertere ad Dominum Deum tuum.* Solus Deus est tuus legitimus Dominus, ille solus est tuus Rex naturalis, ille solus te creavit, conservat, redemit, ille solus te debet possidere, illum solum tu debes adorare, amare, illi tantum ex totò corde servire, quia ille solus gloriam infinitam, beatitudinem cælestem tibi rependere potest

AMEN.



SERMO

SERMO TRIGESIMUS QUARTUS,

PRO DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Peccatum depauperat, deturpat, & cruciat animas.

Misereor super turbam, quia non habent, quod manducent Marci 8.

EXORDIUM.

QUæstio exagitari potest, an liceat compati omnibus, qui non habent, quod manducant, & quidem non videtur, quod debeamus iis compati, qui per nimiam ingluviem, luxum, intemperantiam ad incitas redacti sunt, cum enim illi per propriam culpam in illam egestatem sese coniecerint, non videntur illi compassione digni. Verum, quamvis hoc ita sit, de iis, qui corporaliter sunt pauperes, nec habent cibos corporales, tamen magnâ compassione videntur illi digni, qui spiritualiter pauperes sunt, & omnibus virtutibus orbati, ita ut nullum cibum spiritualem comedendum habeant, & hoc, quia in illo statu non solum sunt pauperes, sed etiam valde cruciantur. Sed quinam sunt tales? Omnes illi, qui peccant; nam peccatum depauperare, deturpare, & cruciare animas eorum qui peccant, hac concione ostendam.

Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ Tob. 12.

1. UT in cordibus nostris generetur sanctum odium erga peccata, & pœnitentia adminus imperfecta, & non interessata, nos hisce diebus consideravimus, quomodo peccatum, nos reddat indispositos erga Deum, & creaturas; hodie itaque damna videbimus, quæ nobis infert, & quidem tria principalia, quæ erunt tria puncta nostri discursus, primum nempe, quod nostras animas depauperet, & spoliet omnibus bonis, secundum, quod eas deturpet, omnemque atum decorem diluat, tertium, quod eas cruciet, earumque quietem turbet.

Dum superbus Holofernes vellet obterere populum Bethuliensem, casta, & generosa Judith hanc funestam tragœdiam impedivit per suum heroicum actum, qui eius nomen æternitati

consecravit. O sacerrima virgo, tu per hanc devotam matronam designaris. Damna, quæ nobis infert peccatum, sunt incomparabiliter maiora, quam clades, quâ Holofernes afficere voluit urbem Bethuliæ. Si tibi placet, oppone te hosti adeo crudeli tuorum miserorum famulorum, ut tibi dicere possimus, uti dixerunt Judith: *Tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*, vel sicut Angelus tibi dixit, *Ave Maria*.

IDEA SERMONIS.

Exordium. Nihil timendum in hac vita, quam peccatum, quod spoliat, maculat, cruciat animam.

II. QUædam nobilissima, sanctissima matrona nomine Olympias, Diaconissa Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ postquam cum marito suo Nebridio vixisset in virginitate, & suum tempus, curas, media, personam impendisset in opera pietatis, & misericordiæ, dum acri persecutione impeteretur ob veritatem, & justitiam, epistolam scripsit ad suum venerandum prælatum, & patrem spiritualem sanctum Joannem Chrysostomum, eumque rogavit, Deo pro illo supplex fieret, & hanc gratiam postularet, ut Christiane, & patienter miserias suas tolerare posset. Sanctus porrò Doctor inter alia sic ei respondit. Domina, tu falleris, dum mihi scribis, quod tuas recenseas calamitates, nam nullas habes, nec potes habere, nisi velis. Et quam quæso calamitatem tibi quis inferre possit? An tua bona fisco addicent? Et quid hoc aliud est, quam quod tibi auferant tædiosa pondera, & te liberent molestâ curâ ea conservandi, & ab obligatione illa bene expendendi? Dic solum, an verum thesaurum puta gratiam Divinam, tibi adimere queant? An te ex urbe, & domo tua proscribant? Et quid hoc aliud est, quam quod conspectura sis diversas provincias, de quo Deo conqueri nō potes, dum plures magno sumptu, ex mera curiositate eas lustrant? An te illuc relegare possint, ubi bonum tuum Deum invenire non queas? An te occidant? Et quid oro, hoc aliud est, quam quod paulò citius te cogant solvere aliquod debitum, quod tamen citius, vel tardius tibi solvendum est, & tibi inferant illam mortem, per quam intres in veram vitam, in vitam beatam, & immortalem? Quæso te, unius tantum, quod tibi dixi, & nunc repeto, considere: *Vna tantum res est pertimescenda, peccatum, hoc verbum continuo vobis occinere, non destiti.* Epist. ad Olympiadē.

Et merito hæc Sanctus hic prælatus pronunciavit: Peccatum magis timendum est, quam paupertas, quam exilium, quam mors. Timendum potius est, quam omnia mala, tanquam causa, radix, origo omnium malorum, quibus possumus involui; nam præterquam, quod nos reddat odiosos Deo, hostes sanctis, similes bestiis, mancipia Diaboli, uti vidimus heri, hoc discursu vobis ostendam, quod tria gravia damna nobis inferat, quod nos depauperet, maculet, cruciet.

PUNCTUM PRIMUM.

Peccatum spoliat bonis acquisitis, quod probatur scripturâ, Patribus, ratione, secundo impedit acquirenda.

III. SAnctus Apostolus Paulus scribens suo Charissimo Discipulo Timotheo, eumque instruens, quomodo cuicunque regulam suam præscribere debeat, qualiter Christiane in sua vocatione vivere possit, inquit: *Præcipe divitibus huius sæculi non superbè sapere.* Sanctus Chrysostomus sapienter observat, Apostolum non dicere tantum, *Præcipe divitibus*, sed divitibus huius mundi; quia duo sunt genera divitum: Nempe divitum huius mundi, & divitum mundi Christi Jesu. Similiter duo sunt species divitiarum, puta spiritualium, & temporalium. Temporales sunt aurum, argentum, census annui, hereditates, quas optime Salvator vocat fallaces, quia non dant id, quod promittunt; implent quidem scrinia, sed non corda, eum, qui illas possidet, non reddunt meliorem, sed sæpe peiorem, non satiant appetitum, sed eum acuunt, & augmentant, non quietant animum, sed eum magis turbant. *Epist. ad Olympiad.*

Veræ opes sunt divitiæ spirituales, & cælestes, Thesauri gratiarum, dona sancti spiritus, gratiæ infusæ, cumuli meritorum, quos anima corrogavit per frequentationem Sacramentorum, per praxin bonorum operum: *Gloria, & divitiæ in domo eius* canit Psaltes loquens de justis. Et sanctus Paulus: *Habemus Thesaurum in vasis fictilibus.* Peccatum porrò mortale animabus omnem aufert Thesaurum, omnes ei opes adimit, omnibus hisce bonis eam spoliat, & ad extremam egestatem reducit. Quod si homo justus cedat foro, hoc est si peccet, & committat aliquot crimen, omnia eius bona opera oblivione sepelientur. Ita Deus per Ezechielem. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur*, & Salvator in Apocalypsi ad Episcopum Laodicææ: *Dicis, quia dives sum, & nescis, quia pauper es, & cæcus, & nudus, & miser, & miserabilis.* *Psal. III.* *2, Cor, 4.* *Apoc. 3, v. 17*

IV. Audiamus insuper Laurentium Justinianum: *Unius* inquit *peccati consensu immensas anima amittit homo divitias:* Insuper Seneca cuidam amico scribens, testatur urbem Lugdunensem suo tempore adeo fuisse magnificam, & opulentam, ut plurimæ domus palatia esse viderentur, & quælibet quamcunque urbem ornare, & ditare posset; Nihilosecius, ignem unica nocte tantam edidisse stragem, ut die sequenti nemo videre potuerit, quo loco tam basilica urbs constructa fuerit, ita ut nonnisi nox inter tam vastam urbem, & campum cineribus oppletum, intercesserit. Et concludit. *Denique diutius illam tibi periisse, quam periit narro.* En eius verba: *Multas civitates incendium vexavit, nullas abstulit &c. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas possent, una nox stravit, & in tantâ pace Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quæritur: una nox interfuit inter urbem maximam, & nullam. Denique &c.* *Epist. 91.*

V. Hoc damnum nequit conferri damno, quod peccatum mortale animæ infert. Et qualis amabò est comparatio inter quasdam merces aureas, & holosericas, aliqua ædificia marmorea, & lignea, & thesauros inæstimabiles gratiæ Divinæ, qui constiterunt pretioso sanguine Filii Dei? Habeat anima tot thesauros gratiarum, quot omnes sancti possiderunt, quot Christus JEsus potest promereri, si amor sensualis solum eius cor invadat, si consentiat alicui peccato mortali, quodcunque illud sit, omnes sunt destructi, & perditi. Inter animam ditissimam, & opulentissimam, & pauperrimam, quandoque tantum una nox, una hora, unum momentum interesse potest; solum mediat unus consensus in peccatum.

VI. Nemo potest simul esse Dei amicus, & inimicus, dignus vitâ, & morte æterna. Minimus gradus gratiæ sanctificantis nos reddit Dei amicos, & dignos vita æterna. Econtra unicum peccatum mortale, nos constituit DEI inimicos, & dignos morte æterna, unde & consequitur gratiam, & peccatum mortale opponi, nec sese invicem compati. Hinc id deplorandum est in hac materia, quod bona non tam faciliter acquirantur, quam amittantur, damna citius, quam nihil perficiuntur, & incipiunt, reparationes sensim fiunt. Urbs una nocte potest incinerari, non autem reparari, nam ad hoc plures requiruntur anni, & magni labores. *Quidquid longâ series multis laboribus*, multâ Dei indulgentia struxit, id unus dies *spargit, ac dissipat. Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, rerumque nostrarum, si tantâ celeritate repararentur cuncta, quanta finiuntur. Nunc incrementa lentè exeunt, festinant in damnum.*

Una anima Christiana acquirit merita, & habitus virtutum per plurium annorum spatium, per jejunia, eleemosynas, orationes, pœnitentias, mortificationes, receptionem Sacramentorum. Verum, mox ut consentit in peccatum mortale, omnia illa, quæ sensim per tot labores, & tot bona opera acquisivit, amittit. Quomodo ergo nos non concipiamus odium, & indignationem contra maledictum peccatum?

Quadam die, funesta fama ad aures Darii Persarum detulerat, Athenienses occupatam urbem Sardicensem Lydiæ metropolim incinerasse. Rex ab hoc nuncium tantâ ira efferbuit, tantumque odium contra eos concepit, ut arcum manibus prensans tetenderit, & sagittam versus cælum eiaculatus fuerit dicens; Deus hanc mihi gratiam præsta, ut vindictam ab Atheniensibus repetam. Præterea, omni die mensæ assidenti, à quodam aulico, ter hæc altâ voce sibi ingeminari voluit; Serenissime, memento Atheniensium. Utinam apprehendere possemus horrenda damna, quæ nobis peccatum infert, sanè calentissimas preces, quas ad Deum mittimus, ideo præcipuè funderemus, ut gratiam impetraremus, quâ vindictam ab hoc incendiario, ab hoc abortu naturæ, ab hoc hoste Dei, & hominum, repetere possemus.

VII. At

VII. At enim verò, peccatum plura præstat; Nam non solum nos spoliat meritis habitis, sed & impedit, ne nova conquiramus. Adeo est detestabile in aliqua anima, ut hæc se ditare, non possit, nec unum obolum acquirere. Verum quidem est, quod preces, eleemosynæ, & alia bona opera in statu peccati mortalis facta, ad aliquid conducant, quodque aliquando possint, quamvis non semper, nec infallibiliter iram Dei ad aliquod tempus prorogare, obtinere auxilium, & gratiam faciendi pœnitentiam, misericordiam Dei attrahendi, ut convertamur, unde in statu disgratiæ non debent omitti, quin potius augeri; attamen gloriam essentialem, præmium æternum, nec in minimo promereri possunt.

1. Regum 4. v. 10. Narrat liber primus Regum, quod postquam Infideles ceperunt Arcam fœderis, eamque in castra Philistæorum adduxissent, quædam è matronis Israelitarum gravida hoc funesto nuntio audito, tanto obruta fuerit dolore, ut ante tempus parturire inciperet, dumque feliciter masculum enixa esset, & adstantes eam excitarent, ut spiritus resumeret, & lætaretur, eò quod jam liberata esset, Deusque illi filium donasset, illa nec minimum solaminis admittere voluit, quinimmò, tota desolata ob arcam captam fuit, suamque prolem vocavit *Ichabod*, id est *Ingloriam*, & addidit: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.*

Gratia sanctificans est vera arca fœderis, nam per eam Deo reconciliati, & confœderati sumus; dum hac gratiâ es privatus, dolenter dicere potes: *Translata est gloria de Israel.* Omnis tua gloria, omnes tui thesauri, omnia tua bona tibi ablata sunt. Quod si in hoc statu tu parias actiones masculinas, generosas, heroicas, & homines tibi dicant: Filium peperisti, tu non habes causam gaudendi, sed has insignes actiones debes vocare, *Ichabod*, id est, inglorias, quia nec atomum gloriæ cælestis tibi producere possunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

Peccatum maculat animam probatur primo scriptura, secundo patribus, tertio experientia, quarto ratione, quinto comparationibus.

VIII. Anima Christiana per peccatum mortale adeo spoliata, necessariò est deformis, & fœda, velut arbor sine foliis, rosetum sine rosis, astrum sine radiis, caput sine crinibus:

Turpe pecus mutilum, turpis sine frondibus arbor
Et sine flore frutex, & sine crine caput.

Nam gratia sanctificans non solum est thesaurus animæ, sed & est pulchritudo, lustrum, perfectio; ita ut anima, quæ hoc nitore est illustrata, adeo sit formosa, & elegans, ut oculos delectet creatoris, qui ad eam inquit: Quã pulchra es amica mea! quã pulchra es! Profecto nitor adamantis, ac aliarũ gemmarũ, fulgor stellarum, facies argentea Lunæ, splendor Solis, nec alia ulla pulchri-

chritudo quantumvis excellens tibi comparari potest. At enim verò, mox ut peccatum mortale, hanc animam tangit, statim eam maculat, deformat, & turpem, ac fœdam reddit.

IX. Hæc veritas in lege naturæ jam manifesta fuit? Nam unus ex amicis Job loquens de iis, qui Deum offendunt, huic viro sancto dixit: *Denigret pulchritudinem eius primogenita mors.* Et veluti duæ sunt vitæ in hoc mundo, vita nempe corporis, & vita animæ; Ita scriptura quoque agnoscit duo genera mortis, puta spiritualem, & corporalem. Spiritualis est peccatum, temporalis, transitus ex hac vita. Porrò antiquior ex his duabus est spiritualis; Nam anima Adami prius est mortua spiritualiter per peccatum, quam corpus damnatũ in mundo fuerit, ad mortem temporalem. Prima mors spiritualis, animæ nitorem omnino diluit. Propheta Ieremias admirans elegantiam justorum, quos vocat Nazareos, hoc est Deo consecratos, inquit: *Candidi facti sunt Nazarei eius, candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, saphiro antiquo pulchriores.* Verum, dum similiter considerarет eos, qui hanc formam, gratiæ per peccatũ mortale amiserunt dicebat: *Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti.*

Iob.18.v.13.

Thren. 9. v.9.

Ioel.1.v.17.

Vates Ioel ulterius progreditur, & inquit de iis, quod non solum omni venustate nudati sint, sed & quod *computruerunt ut jumenta in stercore suo.* Malachias eos etiam comparat fimo, & stercoribus, & hoc ut exprimat horrorem, quem Deus concipit erga insolentias, & abusus, qui committuntur diebus festivis. *Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.*

X. Sanctus Augustinus volens nos absterrere à peccatis venialibus, quæ tam libere committimus, inquit: *Illis peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & horrenda scabie deformem faciunt, ut eam ad amplexus sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* Quod si hæc faciant peccata venialia, à fortiori id agent mortalia, cum unicum solum sit plus odiosum, detestabile, & suppliciis dignum, quam decem millia venialium.

Aug. serm. 93. de sanct. & hom. ultima ex fo.

XI. Et quomodo amabo, peccatum non sit grandis macula coram Angelis, qui sunt adeo puri, & coram Deo, qui est ipsa puritas, cum sit odiosa fœditas coram ipsis hominibus imperfectioribus, & viciosioribus? Vis ut tibi hoc ostendam? Viden, & accipe famulum, & ancillam in domo alicuius heri, ille amandatur ad agrũ tempore pluvioso, domum redit totus lutosus, conspurcatus, madidus, an ideo infamis fiat? Sine parumper, ut veniat ad bonam societatem, & audacter loquatur. Ancillæ jubetur, ut stabulum purget, manus, pedes, vestes fimo, & stercore perfusæ sunt, an propterea in publicum non audeat comparere? Ideo in ruborem detur?

Pona-

Ponamus postea illum famulum deprehendi in furto, & ideo eam dimitti, demus illam ancillam committere fornicationem, & uterum ferre, an oculos levare audeant? An cervice erectâ incedere præsumant? An non totâ vitâ erunt odiosi, humiliati, vilipensi, & infames? Quod si iis in quodam consortio dicas, ah, quam lutulenti tunc fuistis, nec minimo rubore afficientur; sed si iis dicas post viginti annos, tu commisisti furtum, tu fuisti imptægnata, statim pudefient, & præ mœrore morientur. Ex hoc confectum videmus vitium in hoc mundo, juxta mentem ipsorum vitiosorum grandẽ maculam esse.

Aug. serm. 3. de sanct. & hom. ultima ex fo.

Axioma est Philosophicum, experientiâ demonstratum, nempe quod quò major est perfectio, eò privatio etiam deformior sit, & quò creatura est excellentior, eò etiam corruptio horribilior sit. *Optimi corruptio pessima.* Pomum putridum gravius olet, quam lignum putrefactum, cadaver bestiæ magis fœtet pomo putrido, homo mortuus deteriorẽ spirat olentiam, quam cadaver bestiæ. Gratia Dei qualitas est excellentissima, anima rationalis creatura nobilissima, & bellissima; unde privatio illius, corruptio hujus debet esse turpissima, deformissima, & odiosissima.

XII. Nescio an sciatis id, quod paucos ante annos in Hollandia accidisse ferunt. Amstelodamum est emporium celeberrimum in toto mundo. Mercator quidam maurus, ceu Aethiops, qui ibidem mercatorem agebat, captus fuit amore cujusdam Hollandæ, illam duxit in uxorem, ex ea suscepit prolem nigram sicut ipse. Dum Aethiops aliquamdiu negotiorum causâ abfuisset, & hac ac illac fuisset profectus, dum quandoque domum rediret, infans, qui nonnisi vultus candidos videre solebat, ad ejus conspectum consternabatur, clamabat, & sese abdebat, ac matrem inclamabat dicendo, mama, mama bestia venit. An meritò hæc dixit? Nonne ad risum videntes, & audientes concitasset? Hunc Aethiopem horruit, cum tamen esset ejus parens, & quidem adeo similes inter se, uti sunt duæ guttæ aquæ.

Tu sane hunc infantem imitaris. Si sermo incidat de Diabolo, tu de eo loqueris cum contemptu, tu eum vocas nequam, Spiritum pravum, bestiam execrandam. Econtra Filium Dei asseris tuum esse Patrem. *Vos ex Patre Diabolo estis.* Tu similis ei es non minus, quã duæ guttæ aquæ tu es niger, fœditus, monstruosus, ab abominabilis, nõ minus quam ille; immo plus. Quid Diabolo nigredinem affricuit? Peccatum, unicum solum peccatum, peccatum cogitationis, vellismus erat, unica sola cogitatio Angelum in Diabolum mutavit. Tu commisisti plusquam quinquaginta peccata, ergo niger es sicut quinquaginta Diaboli, aut uno diabolo quinquagesies nigrior.

Ioann. 8. v. 44.

XIII. Quod si ad hanc veritatem te reflectas, si pulchritudinem animæ in gratia constitutæ, & fœditatem illius, quæ est in peccato, videre posses, tu imitareris martem scythicam, ceu murem ponticum. Hic tam impensè amat suum candorem, tam solicitè conservat suam puritatem, & nitorem, ut malit mori, quam in minimò contaminari. Venatores ex una parte cingunt ejus cavernam, ex altera patte objiciunt agge-

rem quendam ex fimeto, & luto, ille prius irruit in lanceas, & hastas, quam ut currat in fimum, & ita vitam suam salvet. Ille pro symbolo eligere potest: *Malo mori, quam fœdari.* Hinc ejus pellis tenerrima ornat regias summas ipsorum principum, & Monarcharum: *Beatus vir, qui inventus est sine macula.* Felix ille, qui in sua vita hanc regulam prædestinatorum pro maxima habet: *Malo mori quam fœdari, prius moriendum, quã peccandum.* Si mus ponticus in fimeto se abderet, contaminaretur quidem, sed interea evaderet cuspidatas hastas, & lanceas, quas venatores illi objiciunt.

PVNCTVM TERTIVM

Peccatum cruciat animam, probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio ratione.

XIV. E Contra si vos fimeto peccati immergatis, non solum eas conspurcatis, sed & vos irruitis in cuspidem conscientiæ, quæ vos continuò cruciat, & tormentat. Propheta hunc cruciatum comparat dolori, quem experitur femina parturiens. *Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Tu quidem buccinis ad ludicra certamina descendis, tu te recreas, tu in ludos te effundis, verum hæc omnia speciosa videntur, sed intus aliter se habent, nam scis, quod intus, & in corde nonnisi extremis labris gustes dulcedinem voluptatis, quæ acerbitati
Psal. 10. conscientiæ, & timori mortis, apprehensioni judiciorum Dei commixta est. Ipsimet poetæ hanc veritatẽ agnoverunt.

Pœna autem vehemens, & multo sævior illis
Quas aut seditius gravis invenit, aut Rhodamanthus
Nocte, dieq; suũ gestare in pectore testem,

& Jurisconsulti: *Ex quo quis sceleratissimum consilium cepit, exinde quodam modo suâ mente punitus est.* Mox ut pravam elicuisti, actioné, aut aliquod peccatum mente concepisti, jam habes intra te partem adversam, qui contra te litigat, testem, qui nequit mentiri, judicem, quem nequis refellere, carnificem, quẽ nequis effugere, conscientiam, quæ te accusat, quæ contra te testatur, quæ te condemnat, quæ te torquet. Id Deus minitatur per Isaiam: *Ponam Babylonem in possessionem ericii.* Anima peccatrix est vera Babylon, filia confusionis, tota turbata, & confusa in sua conscientia, in sua vita, in suis actionibus, in sua familia. Deus eam subiicit tyranni ericii, punctionum, & corrosionũ synderisis, quæ eam continuo lancinat.

L. Divi marci cod. ad legem Iuliam. majestatis

Isaie. 14. v. 23.

XV. Hinc Augustinus: *Iussisti Domine, & sic est, ut pœna sit sibi omnis inordinatus affectus.* Dicit *Iussisti*, quia hic infernus conscientiæ, est effectus iustitiæ Divinæ, quæ condemnat animam peccatricem ad hanc pœnam inevitabilem.

XVI. Et quidem iustissimè, nam inquit Iurisconsultus: æquissimum est, ut atrocia crimina puniantur in eo loco, in quo sunt commissa, Constat autem, quod primò, & principalius in corde peccata committantur, de eo enim, ut inquit Filius Dei exeunt pravæ cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiæ, ergo in anima, & corde primo, & principaliter debent

Capital. SS. famosis ff. de pœnis

beat puniri: *Poena sit sibi inordinatus affectus.*

Matth. 15. v. 19. XVII. Et en aliam rationem huius veritatis. Omne id quod est inordinatum, est in statu violento, omne autem violentum cruciat. Quod si vel scintillam habeamus iudicii, sensus, quod nil sit adeo pacatum, tranquillum, deliciosum, jucundum, felix, quam anima, quæ est grata Deo, quæ affectus suos habet ordinatos, passiones attemperatas, quia est quidam paradisus terrestris, hortus deliciarum, convivium continuum. *Mens justi juge convivium.* Econtra nil est adeo inquietum, infelix, in se turbatum, quam homo Dei inimicus. Is quidem potest ridere, jocari, hilarem se ostendere, gaudere, sed est risus sardonicus, gaudium, quod non penetrat cor, nam anima ejus non est in suo loco naturali, quia est in statu violento, nec quieta esse potest. Quamdiu brachiũ est disruptum, tu non solum nil bene facere potes, sed et continuò doles, quia non est in suo loco naturali. Status hominis naturalis in eo consistit, ut pars inferior sit subjecta parti superiori, caro spiritui, Spiritus rationi, ratio Deo. Quando una affectio inordinata hunc ordinem rumpit, quando passiones turbantur, quando caro, & sensualitas negant obedientiam debitam Spiritui, & Spiritus eam, quam debet rationi, anima est tota turbata, inordinata, diffracta, est in statu violento, & necessario est in quodam inferno. *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis. Quis Deo restitit, & pacem habuit?*

Proverb. 15. v. 15.

Iob. 7. v. 20.

Iob. 9. v. 4.

CONCLVSIO.

Per recapitulationem, primò per comparationem, secundo per lamentationem Ieremiæ.

XVIII. NVnc Viden, qualem paupertatem, fœditatem, cruciatũ tibi peccatum afferat. *Vagenti peccatrici, populo gravi iniquitate.* Mihi videor videre rusticum opibus terrenis turgidum, sed judicio, & sensu communi inopem, unus ex vicinis eum ducit ad popinam, & ex amicitia, & liberalitate pro eo solvit, sed apparenter, & tantum ut eum decipiat, & in suas partes trahat, nam si parum hilarior sit, si tria, vel quatuor vitra vini ultra morem epotarit, eum rogat ut se vadem velit constituere in illo contractu inito, ut aliquam pecuniam velit dare ad censum, & hic misellus id non audet denegare, ut pote alteriam obligatus. Advocatur Notarius, & quia nil amplius agendum est, quam quod dicat ita, & subscribat, putat se nil agere; cum tamen interea appetit mediam mensuram vini, in magnum se conjicit debitum, omnia sua bona acquisita, & acquirenda obligat, immo suam personam obstringit pro solutione totius summæ. Sed quid fit? Dum sensim pensio excrescit, suo damno experitur, quid egerit dum solutio ab eo repetitur, dũ mobilia auferuntur, & omnia bona creditori adjudicantur, dumque quandoq; vult ire ad suum prædium, vel vineam, ut fructus de more colligat, hoc non permittitur, cum eius bona iam vendita sint, ut creditoribus satisfiat. Et tandem manus in eum iniiciunt, & in carcerem detrudunt, ubi lacrymis suum errorem luget.

Isaia. 1.

Tu imitaris hunc idiotam, cum tamẽ sapiens haberi velis. Tu putas te nil facere, quando patras peccatum mortale, & hoc ideo, quia est actio transeuns, nec advertis ad inconvenientia, quæ ex illo sequuntur. An scis qualem jacturam incurras? An scis, quid alienes? Quo te abdices? Maximo, ditissimo, pretiosissimo, nobilissimo in cælo, & in terra. Tibi hoc nihil esse videtur, quia ut periurium committatur, non oportet nisi ut levetur manus, ut subsignetur injustus contractus, duo tantum, vel tria oportet scribere verba. Sed an scias, quid hoc sit? Nil aliud, quam si tibi dicerem, ego nolo esse amplius Filius Dei, frater Christi, Sanctuarium sancti Spiritus, amicus Virginis, Angelorum socius, civis Sanctorum, heres paradisi, membrum vivum ecclesiæ. Quin potius volo esse Dei hostis, ejus partis desertor, objectum ejus iræ, inimicus Salvatoris, odiosus Virgini, & sanctis, membrum Antichristi, aurum Dæmonum. Ego cedo omnibus bonis spiritualibus, ac meritis huc usque acquisitis, ego me reddo mancipium Diaboli, confœderatum hostibus Dei, eorum me trado potestati, animam meam, & corpus ad carcerem obligo, me obstringo ad ignem æternum, oppignero meam legitimam paradisi, ut fruar voluptate, & fine à me intento. Ego magis æstimo hanc voluptatem, potius gratificari volo illi perverso, parum argenti possidere, quam obtinere omnia bona, quæ mihi potest præstare.

XIX. Cogor itaque continuare meas elegias lugubres, lamentationes justissimas, & clamare cum Jeremia, & deplorare non devastationem urbis Jerusalem, sed ruinam animæ Christianæ quæ mortaliter peccavit: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, egressus est à Filia sion omnis decor ejus, defecit gaudium cordis nostri. Va nobis quia peccavimus; propterea mœstum factum est cor nostrum.* Habes hic compendium mei discursus.

Manum suam misit ad omnia desiderabilia ejus. Hostis omnia tua pretiosa abstulit, jam sunt decem, quindecim, viginti anni, quibus frequentas sacramenta, virtutes exerces, missam quasi quotidiè audis, quolibet mense communicas, stipem erogas, & alliis operibus pietatis, & charitatis vacas. O thesaurum gratiarum, ærarium bonorum operum, cumulum meritorum! Sed eheu. Vnus perversus, unus satrapas Diaboli te trahit in consensum peccati, & statim omnia hæc bona amittis. O Horrendam jacturam! Nonne multo satius esset, quod in lemurem, & spectrum incidisses, quam in hunc abominabilem, qui tantam cladem edidit? Quid pretiosius virtutibus Theologicis, cardinalibus, donis Spiritus Sancti, filiatione Dei, iure ad gloriam cælestem? Fides in tua anima est extincta, spes omnino sopita, charitas mortua, dona Spiritus sancti ablata, virtutes Cardinales destructæ, quod si aliquæ remanserint, illæ non sunt supernaturales, & Divinæ, sed humanæ, & morales.

Egressa est à Filia Sion omnis decor ejus: Illa anima, quæ fuit adeo decora, ut videatur Deus non habere oculos, nisi ut eam intueantur: *Firmabo super te oculos*, nec habere os, nisi ut eam laudet: *Quam pulchra es amica mea, formosa mea, speciosa mea, facies tua decora*, cor

nisi

nisi ut eam amet, *Apponis erga eum cor tuum.* Hæc anima totaliter est conspurcata, deformata, decolorata, odiosa, abominabilis, horribilis, execrabilis, *Egressus est à Filia Sion omnis decor ejus.* Dicit omnis decor, ut comprehendat nitorem animæ, & corporis. Dum fuisti in statu gratiæ, anima tua fuit adeo gratiosa, tam pulchra, & perfecta, ut gratiæ, nitores, & perfectiones in corpus redundarint, & sese diffuderint. *Oculi tui columbarum.* Oculos habebas columbinos, simplices, modestos, plenos misericordiâ, & dulcedine, tu non respiciebus virtutes proximi, nisi ut eum honorares, vitia, nisi ut iis condoleres; nunc autem habes oculos vulturis, qui obtutus nullos emittunt, nisi ut proximum inficiant, cor tuum inquinent. Tu aliorum perfectiones non intueris, nisi ut eas illis invideas, non conspicis imperfectiones, nisi ut eas perstringas, nitores ejus non aspicis, nisi ut appetas, deformitates, nisi ut eas pungas. Sanctus pudor tingebat tuas genas, frontem, & oculos, nunc autem effrons es velut filia meretricis: Antea de te dicebatur: *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici.* Nunc autem: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Labia tua* Erant velut *vitta coccinea*; non se aperiebant nisi ex amore Dei, aut charitate proximi, ut per calentes preces ligarent manus justitiæ Divinæ, aut ut vicinos nexu perfectæ amicitiæ colligarent. Nunc vero aperiuntur, ut blasphement Sanctum Dei nomen, ut famam hominum lacerent, & proscindant. Antea caput tuum erat solium quoddam modestiæ, simplicitatis, & gravitatis Christianæ, nunc *caput tuum sicut carmelus*, Sed nunc in ipsis Ecclesiis magis Gyratur, quam penula, ceu index ventorum, non solum movetur ad quemlibet minimum strepitum transeuntis. Manus tuæ erant adeo innocentes, & puræ, ut magnâ fiduciâ eas ad Deum Levaveris: *Levans manus puras*; Nunc autem horres ea præsentare Deo, *quia sanguine plenæ sunt*, omnino maculatæ sunt injustitiis, rapinis, percussionibus, actionibus infamibus.

Tuum cor antea exæstuabat consolationibus Spiritus Sancti, nunc autem refertum est funestis accidentibus: *Secundum multitudinem dolorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, Nunc autem inter ipsas summas delicias mærore refertum est. Potes nunc dicere. *Defecit gaudium meum.* Nullum amplius gaudium solidum habes, nullam veram quietem, nec ullum experiris diem prosperum, nullum gustas bolum, qui non habeat admixtum absynthium, Furiæ tuæ conscientiæ te diu, noctuque exagitant, passiones tuæ inordinatæ misellum tuum cor dilaniant uti vultur promethei. Injuria illa, quã intulisti illi orphano, illi viduæ, illi pauperi puellæ, est velut sanguis Abel, qui vindictam contra te clamat, & vindictã à te per remorsus tuæ conscientiæ, repetit. Tu continuò times, ne in hac actione tu continuò anxiaris ne vincaris ab illo perverso, cui tã sæpe restitisti, tu cõtinuo torqueris ne ille te prodat, & te ad vivum depingat, continuo tu gemis, quia ab illo non potes te expedire. In tua prosperitate vix dulcedinem gestas, quia scis, quod non diu durabunt, & quod Deus te spoliabit tuis bonis, quæ adeo insolentem te reddunt.

In tuis adversitatibus, es impatiens, fastidio-

fastidiosus, tetricus, tibi & aliis insupportabilis, quia nil reperis, quod te quietet. Extra te nil aliud est, quam adversa, intra te, nil nisi malitia. *Non est quo exeas, quia dura sunt, non est quo intres, quia mala sunt.* In conversatione non es contentus, semper est aliquis, qui tuæ naturæ non conveniat, nec cui non invideas ex malitia, vel antipathia. Dum solus es, tristitià coniiceris, quia in prava societate non potes lætari, eum tamē semper apud te sit, quem perversum esse nosti: *Cuiquam cum malo bene esse non potest, quisquis autem malus est, malè secum est.* Tibi vivere molestum est, eò quod tuis votis frui nequeas. Tu mortem apprehendis tanquam finem tuarum deliciarum, tu times iudicium, tanquam sentētiam tuæ condemnationis, tu consideras infernum, ad quem velut ad diem æternitatis lentè properas, tu respicis paradisum, tanquam divitem hereditaté, ad quam nullum ius habes. Hæc si non sentias, induratus es, stupefactus es, spiritualiter insensibilis, adeoque es in monumento inferni, suburbio damnationis.

Dicamus ergo cum Ieremia, quia maiorem causam habemus: *Væ nobis quia peccavimus*, væ nobis, si deinceps peccemus. Mi Deus, Mi Deus, ne amplius hoc permittas, sed potius nos deduc ad mortem, immitte nobis quamtuncunque velis atrocem pœnam, solummodo nos à peccato præserva. Si hanc nobis gratiam præstes, nos te laudabimus, nos tibi grates referemus, nos te benedicemus, nos ex toto corde in cælo, in sæcula sæculorum te laudabimus.

Amen.

SERMO VIGESIMVS QVINTVS.

Pro Dominica septima post Pentecosten.

Peccatum est causa afflictionum temporalium.

Omnis arbor bona, bonos fructus facit Matth. 7.

EXORDIVM.

NEmo dubitat, quin malæ arbores mali etiā surculi sint. Mala utiq; fuit arbor lignum scientiæ boni, & mali, quia primos nostros parentes, eiecit ex paradiso, denudavit gratià iustificante, & iustitia originali, subiecit eos pœnalitatibus huius vitæ, Adamum vitæ laboriosæ, Evam doloribus partus, & tandem morti temporali. Et quamvis illa arbor sublata sit, nos tamen non debemus putare, quod surculi sint meliores, qui ex illa arbore processerunt, & pullularunt, nempe peccata actualia, quæ post peccatum oraginale comittimus, non inquam putemus, quod sicut peccatum originale in protoparentib⁹ nostris causa fuit, non solū mortis æternæ, & privationis gratiæ, ita etiā peccata actualia, quæ nos committimus, tantum nos privent gratia, & reddant Dei inimicos, quia uti hac concione cum Auctore ostendam, peccatum est causa afflictionum temporalium, quia Deus ob illud punit in bonis, honore, & vita.

Multa flagella peccatoris Psal. 31. v. 10.

I. Damna

I. Damna spiritualia, quæ peccatum nobis inferũt, & de quibus egimus diebus antecedentibus, plusquam sufficientia sunt, ut nos moveant ad poenitentiam, & detestationem peccatorum commissorum, attamen, quia animæ mundanæ sunt totæ sensuales, nec ab aliis moventur, quam ab iis, quæ cadunt sub sensum, oportet hodie afflictiones temporales sub oculos ponere, quas Deus sæpius immisit, & quotidie in pœnam peccatorum immittit, & quidem, primo personis privatis, secundo civitatibus, communitatibus, provinciis integris, quas aliquando affligit bellis, peste, fame ob peccata unius tantum hominis.

Et quidem, ô sacratissima Virgo, Iustitia Dei sat frequenter mundũ his flagellis involueret, nisi tu hoc impedires, nam tuus devotus famulus sanctus Dominicus quadam die conspexit tuum Filium summoperè succensum, has tres lanceas suppliciorum dictorũ evibrantem, te vero eius vindictam cohibentẽ, & per incantationem tuæ eloquentiæ, & intercessionem maternam eius indignationem suaviter placantem. Supplices te rogamus, ut has preces in gratiam eorum continues, qui ante tuos pedes iugiter prostrati, te cum Angelo salutant *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Iustitia Dei est timenda.

II. VNus è non ultimis amorosis effectibus Divinæ misericordiæ erga homines est, quod eos sat tempestivè moneat, & in mentem revocet, uti communiter assolet, rigores suæ Divinæ Iustitiæ. In hunc finem principaliter amandare, & instruere consuevit suos Prophetas. Et quidem illi, qui non sunt abligati nisi ad villas, regna particularia, provincias, sic orsi sunt suas minas: *Onus Ninive, onus Babylonis, onus Aegypti.* At enim verò, quandoquidem Propheta Ieremias in mandatis habuit cunctis nationibus, & toti orbi supplicia per peccata promerita intimare, in exordio sic eum est affatus: Propheta, quid tu vides? *Virgam vigilantem ego video.* Iustitia Divina, quamuis quandoque sit virga lignea, quandoque ferrea, attamen semper est virga vigilans. In hoc mundo communiter est virga lignea, virga dulcis, & paterna, nam eâ utitur, ut suaviter castiget suos filios, eorumque actiones pueriles emendet.

At enim in altero mundo est virga ferrea, velut loquitur in eodem loco Ieremias ahenum, vel olla bulliens, quæ conterit, comburit, tormentat, & cruciat animas reprobas per totam æternitatem. Semper porrò est virga vigilans, quia oculos semper habet apertos, ut observet omnia peccata, quæ committuntur, nunquam obdormescit, sed assiduò vigilat, ut infallibiliter puniat sine respectu personarum peccata, in hoc, vel in altero mundo. Alia versi pro tò *Virgam vigilantem*, legit, *Baculum amygdalinum.* Testatur Albertus Magnus Virgam, vel ramum amygdalinum cervicali impositum arcere somnum. Sit ut sit, nam non me vexo, an hoc verum sit, id solum scio, quod si anima Christiana semper secum haberet, vel ut melius dicam in sua apprehensione hanc virgã amygdalinam, hanc virgam vigilantem, sane non ita dormitura foret in utramq; aurem, quando est in statu peccati mortalis. Porrò

Porrò ut somnum ab anima peccatrice arceam, & impediã ne obduretur in peccato, ego hodiè peccatoribus offero hanc virgam amygdalinam, hanc virgã vigilantem, ei sub oculos ponam afflictiones temporales, quas justitia Divina in pœnam suppliciorum decrevit. In duas vero eas divido classes, nempe in privatas, quas immittit hominibus privatis, & in publicas, quibus afficit urbes, & integras communitates, & hoc ob unicum tantum peccatum, & quidem tale, quod non videtur adeo enorme.

PVNCTVM PRIMUM.

Deus puniuit personas particulares poenis temporalibus, in bonis Ezechiam, in honore Oziam, in vita Onan.

4. Regum 20. v. 12. Ysaia. 39. v. 1.

III. Porrò e millenis unũ tantum huj⁹ rei exemplum adducam. Et primo quidem Rex Ezechias, qui parem non habuit in pietate, & ideo sæpe laudatur in sacra scriptura, ob peccatum in bonis temporalibus punitus fuit. Ac dũ morbo fatali decumberet, ab eo prodigiosè curatus fuit, in hunc quippè finem vatem expressè ad eum amandavit, utque eum de convalescentia securum redderet; cursum ſtitit astrorum, & solem retrogredi fecit. Tam conspicuus fuit, ut Berodach Rex Babyloniorum ad eum legatos ablegarit, qui munera ei offerrent, & ob sanitatem recuperatam ei cõgratularentur. Ille dum ita se honorari videret, inflari cœpit, & efferri, & ut suã majestatem ostentaret, opes suas exposuit, & legatis his aurum, argentum, thymiamata, vasa pretiosa, suppellectilẽ opulentam, aulæa rara, & exquisita, quæ in sua Regia, & scriniolis asseruabat ostendit. Et quidem certum est, uti etiam tenent Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius hoc peccatum non fuit unum è gravioribus, sed tantum peccatum vanæ gloriæ. Et quia Deus in suis servis maximam exigit perfectionem, & specialiter iis, qui illi valde obligati sunt, misit ad eum Isaiam, qui Dei jussu hæc ei dixit. Eccur hi legati in hanc advenerũt urbem? Hi sunt legati Regis Babyloniorum, qui ex parte ejus me visitarunt, ego iis ostendi meos thesauros, nec aliquid rari, vel pretiosi in aula mea iis occultavi. Viden, quam insigniter Rex Iudææ, princeps unus adeo Deo obligatus, hos legatos receperit. Pro eo, quod eos debueras ducere ad templum, iisque deprædicare Deum, & ejus Divinas perfectiones, & illos occupare in operibus Religiosis, quomodo in id incubuisti, ut iis ostentares tuos thesauros? Nunc quæso vos sententiam Dei audire. Omnis tua suppellex expilabitur, omne aurum, & argentum, quod tui antecessores huc usque corrogarunt, & quidquid habes in aula tua, tibi auferetur, & in Babylonem unde illi legati venerunt deportabitur, & tu, cum tuis prolibus illuc captivus abduceris.

Lib 4. in marcionem. Hieron: in hũc locum. Ambros. in Psal 118.

Nunc te compello: quomodo ergo stupore percellaris, quod ad incitas redigaris? lites, cessiones fori, cautiones, negotiorum jactura tuas facultates misit in Babylonem, hoc est in confusionem. An scis, quomodo evanuerint? Numerus tuarum prolium, & expensarum, ac onerum augmentatur, tua econtra fides, emptorum ad tuam officinam frequentia, annui proventus minuutur,

& quasi

& quasi annihilantur. An tu sis hujusce rei caussa? Quando omnia tibi prosperè successerunt, tu fuisti superbus velut pavo, continuò tuam caudam rotasti, fastu turguisti, tuam magnificentiam, ostentasti; Deus autem, qui superbis resistit, ut te humiliaret, omnibus te spoliavit, & arma tibi ademit, quibus eum oppugnasti.

IV. Secundo Deus Oziam punivit in honore. Hic Princeps regnare cœpit decimo sexto ætatis anno tam feliciter, & prosperè, ut plures, easque insignes reportarit victorias, ille exercitum ter centum mille virorum eduxit in campū, eum armis, pecuniâ, commeatu abundè instruxit, ille tempore pacis, & belli adeo fuit fortunatus, ut fama ejus totum repleverit mundum. Dum adeo esset potens, & magnificus, cor ejus in ejus ruinam, teste scripturâ elevatum est, ille munus sibi usurpavit, quod ei non conveniebat, ille sanctuarium intravit, thuribulum arripuit, ut Deo thus adoleret. Magnus sacerdos Azarias eum cohibiturus dixit: Serenissime, quantocius hinc abeas, hic tuus non est locus, hoc tuum non est officium, nam thuris adoletio solorum sacerdotum, & Levitarū est. Ille hunc monitorem sprevit, & suæ inhæsit præsumptioni, & ex eodem tēpore Dei ultrix manus eum invasit, leprâ eum percussit, pudore, & confusione plenum eum è templo ejecit, è Regia, & metropoli eum proscripsit, totâ vitâ leprosus mansit, & in domo campestri vitam suam ab hominibus sequestratus transigere coactus fuit. Dumque viatores transeuntes, interrogarent, quis in illo habitaret leprosorio, responsum acceperunt, quod in illo habitaret Rex

2. Paral. 26.

Ochozias, qui Deum ambitione præsumptuosâ offenderat.

V. Quoad pœnam vitæ sanctus Paulus testatur, quod si aliquis in priscâ lege duobus, vel tribus testibus convinceretur aliquam legem Moysi datam violasse; morti addiceretur; & nequis diceret id fuisse factum ratione status, & ut posteris daretur exemplum, in lege naturæ legimus ultricem manum Dei nefandum crimen, quod Onas Filius Patriarchæ Iacob contra finem matrimonii, qui est bonū prolis commiserat cū sua uxore morte tēporali punivisse, per quam funesto itinere transivit ad mortem æternam. *Eo, quod rem detestabilem faceret* in flagranti crimine extinctus est.

Heb. 10. v. 28. Gen. 38. v. 10.

PVNCTVM SECVNDVM.

Deus inflixit tria flagella ob unum peccatum, famem ob Saulis, pestem ob Davidis, malum successum in bello ob Achab. Hæc tria flagella multis provinciis nostro tempore inflixit.

VI. ATenim verò id unum vel me maximè angit, quod videam in scriptura Deum ob unicum peccatum à quodam particulari patratum integras communitates ærumnis temporalibus involuisse. Considero itaque, quod eodem tempore visum fuerit, quod fame, peste, bello in populum animadverterit. Quoad famem, quandoque conspicim⁹ quandam misellam matrem gravati tribus, vel quatuor parvulis, qui dum panē petunt, nil aliud expectare possunt, quā lacrymas, & aspectus compassionis. Vidimus quandoque miserum populum avidissimè appetiisse panem furfureum,

aut glandes,vel grana cannabis, cursitasse per campos,& herbis instar bestiarum se pavisse, ut vitam languidam sustentaret. At Deus ultra progreditur, ille aliquid dixit, quod ego non auderē dicere, nisi ille id prius dixisset, unde non debeo vereri, quod ego post eum illud dicam. Ille populo suo minatur, nec ejus minæ vanæ sunt. Dicit itaque, quod si ejus mandata non sit observaturus, quod famem adeo atrocem sit immissurus, ut domicella, quæ antea fuit, adeo tenera, & delicata, ut humeris famulorum se portari fecerit, tam dira fame coacta defectu aliorum ferculorum comederit illuviem secundinarū,) quæ egrediuntur de medio feminum ejus & secundinam, cui infansin ejus vtero involutus fuit, idque latenter, ne maritus suam partem haberet. Et an non meritò crines nobis arrigi deberent, ad solam nominationem peccati,quod justissimè tale supplicium promeretur?

VII. In peste, quâ grassante cogimur amittere consanguineos conjunctissimos, amicos intimissimos,quandoque conspectum fuit, & signanter. Mediolani tempore Sancti Caroli Borromæi parvulos ad ubera matris hærentes contagione mori. Miselli illi infantes sugebant ubera, sed nil attrahebant, ubi alias inveniebant refocillationem vitæ, tunc inveniebant mortem, inclamabant matres, sed illæ nil respondebant,utpote, quæ nec visū, nec vitam habebant. In bello cuncta impunè grassantur vitia, dissoluti, & perversi vexillis explicatis debacchantur,& ampullantur,virtuosi conculcantur,justitia vilipenditur, crudelitas exercetur; in bello nulla spectatur iñocentia infantū, nulla debilitas feminilis, nulla canities senum, nulla castitas Virginum, nulla sanctitas sacerdotum, auctoritas legum,majestas templorum,& ut verbo omnia dicam,bellum est mater famis, & avia pestis; nam pestis procedit à fame, fames vero à devastationibus, quæ in bello fiunt.

VIII. Postquam hæc consideravi, mecū sic discurri: Ergone fieri possit,quod De⁹ hominē crearit,primario ut eum talibus miseriis subjiceret? Nequaquam, quia nimis bonus est, & nimium afficitur creaturis sibi charissimis, ut eas tot ærumnis conficiat,si non sint reæ. Vnde patet per peccatum ianuam apertam, & has miserias in mundum invectas. Et quidem invenio ex sacra Historia, quod Deus ob unicum peccatum, & quidem, quod non videbatur adeo enorme,integram communitatem uno ex his tribus flagellis affecerit. Et primo quidem secundus Liber Regum recenset tempore Davidis famem integro triennio populum Dei exercuisse. David ut eius causam cognosceret,oraculum consulvit, à quo audivit eam immissam ob fidem Gabaonitis factam à Saule violatam. En ergo rei eventum,uti eū liber Iosue commemorat. Postquam Gabaonitæ magnum progressum, & felicem successum armorum Iosue,& populi Israelitici intellexissent,dum iis se non posse resistere viderent,id consilii arripuerunt,quod postea Lysimachus suis dedit, nempe alligarent cuspidi hastæ pellem vulpis, aut leonis,casu quo illa esset nimis brevis, & viribus deficientibus ad stratagema recurerent,induerent nempe vestes laceras, & tritos calceos, panes sumerent siccos, & mucidos, & ad Iosue tanquam

2. Regū. 21

quam ablegati irent, ac dicerent: Potentissime Domine, per tua heroica facta cognovimus potentiam tui Dei, & benedictionem, quà tuis armis favit, & quomodo in tui gratiam Regē Aegypti, & alios Reges obtriverit, nos à nostra gente ad te ablegati sumus, ut tecum fœdus ineamus, si ita suæ visum fuerit majestati. *Iosue. 9.*

Placet dicebat Iosue, nisi forsan sitis Amorrhæi, quorum terram nobis Deus donavit, Nequaquam Domine replicabant, tales sumus; nam è partibus adeo remotis venimus, ut vestes, & calceos, quos in egressu novos induimus, jam ferme attriti sint, & hi panes mucidi, quos recentes in commeatum, dum abiremus, nobiscum sumpsimus, uti vides. Iosue simpliciter fidem iis adhibuit, credens eos sinceros, & veraces sicut ipse, & ideo fœdus cum iis statuit, & seriò promisit bellum iis nullum à se inferendum. Illi, qui quandoque dicunt, si nil aliud exigatur, quam extendere digitum, jam res est nostra, hic attenti sint. Quod si scias, quid sit levare digitos, tu potius eos dentibus discerperes, quam ut pejerares, etiam ob rem dubiam. Plurimo elapso tempore post hoc fœdus initum, nempe, post quatuor circiter sæcula, Saul Rex populi Dei creatus, exiguum scrupulum habuit, quod fœdus adeo antiquatum, & vetus violaret, nullum censuit esse crimen, si fidem infidelibus datam, mendaciis extortam frangeret, & ideo bellum contra eos movet, Deus porrò mortuo Saul revelavit hanc famē esse immissam ob periurium, & fidem Gabaonitis à Saul non servatam. David itaque eos adiit, & humiliter sic eos allocutus est. Qualem exigitis satisfactionem? Nos nullo respondebant indigemus auro, & argento, hanc perfidiam extirpatione memoriæ, & propaginis Saul ulcisci decrevimus. Tu septem ejus nobis consigna proles, quæ apud te sunt, ut eas in furcam agamus. David illos misit, patibulo eas appenderunt, & fames cessavit. *Et reconciliatus est Deus terræ post hac.* *2. Regū. 21*

IX. Secundo habemus quoque exemplum de peste. Historia omnibus nota est, & sæpius e pulpitis, declamata, ego succinctè eam narrabo. Davidem quadam vice spiritus vanæ incesserat gloriæ, & ideo numerum eorum, qui armis ferendis pares essent, recésere voluit. Itaque contra suasum summi Archistrategi, & consilii Bellici, populum numeravit, sed postea hujus errati illum pœnitui, ejusque veniam oravit. Sed quid effecit? Propheta Gad jussu Dei ad eum mittitur, & trium optionem ei dat, eligat nempe famem, pestem, aut bellum in pœnam sui peccati. Ille elegit pestem, quæ sexcentas, & decem mille animas depopulata est, per gladium Angeli à Deo missi. *2. Regum. 20.*

X. Vltimo habemus cladem acceptam in bello. Iosue Dux populi Dei urbem Jericho arctâ obsidione cinxit, eamque adeo pressit, ut mœnia ad sonum tubarum solo æquata sint. Ille jussu Dei edicto proclamarat, omnia igne, & ferro vastarentur, nullâ quacunque re illæsâ servata. Res revera admiranda, sed tamen vera. Inter tot bellatores, in tam bella occasione se ditandi, & spoliis onerandi, unus solum fuit avarus, & inobediens, Achan quippe, dum in quadam domo, reperiisset palli- *Iosua. 7.*

pallium coccineum, & regulam auream, aliquotque massas argenti, sic secum ratiocinari cœpit. Me hercule nimia jactura foret, si hæc incinerarem, in necessitate iis uti potero. Et ita papilioni suæ illa invexit. Porrò hic obiter observo, quod ubi textus Latinus testatur eū abstulisse regulam auream, Græcus apud septuaginta habeat linguam auream ut discatis, quod dum aliquid furamini, dum injustè alienum, aurum, argentum, hereditatem alterius detinetis, illud detentum, ac ablatum nil aliud esse, quam linguam, quæ vindictam, & justitiam contra vos clamat, quæ iram, & maledictionem Dei in vos, & familiam vestram deriuat.

Iosue expugnata urbe Iericho, dum urbeculam quandam nomine Hai oppugnare decrevisset, exploratores emisit, qui locum explorarent, qui reversi dixerunt: Serenissime Princeps, non meretur, ut totus exercitus eam cingat, est arx quædam prædonum, pro jentaculo sufficiet, manipul⁹ militum solum illuc ablegandus est. Ille tres mille viros selectos expedivit, iis in jussis dans, ut eam suæ potestatis facerent. Incolæ urbis erumpunt, & bonum numerum obsidentium trucidant, reliquis fugà sublatis, ac ita generosam victoriam referunt. Phui, proh dolor! Quid est hoc? Nos clangore buccinæ vastas expugnamus urbes, quomodo ergo urbecula tam parva nos irrideat? Deum iratum esse oportet. Ille solo adstratus toto die ante arcam procumbit, capita cinere perfundit, & veniam rogat. Sed
Iosue. 7. v. 13. Quid Deus respondit? *Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.* Iosue itaque statim forte explorare eum, qui Deum offendit, conatur, & deprehenditur reus esse Achan ex tribu Iuda. Eum coram se citat, eum interrogat, dumque confessionem sceleris ab eo elicuisset, ejus congregat proles, pecora, suppellectilem, tugurium, & postquam eum lapidibus jussit obteri, omnia ejus igne hauriri jussit, *Et hoc modo aversus est furor Domini ab eis.*

X. Sed quid vobis recenseo bella, fames, pestes, ac alias ærrumnas, quibus judicia Dei sæpe homines obtrivit? Quid in hunc finem quæro historias antiquas, 4. Regum 6. v. 25.
sive sacras, sive profanas? Quid vobis narrem, quod urbe Samariæ oppressâ tā atrox desævierit fames, ut parum stercoris columbini, venierit quinque argenteis, & feminæ proprios infantes devorarint? An non horrendissimos hujus justitiæ Divinæ effectus vidimus nostro sæculo, nostris diebus in confinibus, & quasi ante januas nostras, in Lotharingia, Campania, Picardia, comitatu libero Burgundiæ? An non conspeximus Parisiis nobiles harum Provinciarum, qui annuè decem mille libras numerabant ex proventibus ad incitas redactos esse, ut stipem rogent? Nonne visum est, quod canes, & infantes avidissimè vorarint carnes crudas equorum ex morbo defunctorum? Nonne conspeximus cæmiteria excubitoribus munita, ne vivi mortuos effoderent, eorumque ossa devorarent?

Noster Chirurgus Nancejæ nostris Patribus quadam vice funestum casum narravit, quam propriis oculis à se conspectum eadem die contestabatur. Heri inquebat, in tali domo venam cuidam inci-

incidi, dumque sanguinem aliquamdiu asservatum, ut medico ostenderetur, in plateam effudissent, vidi quandam puellam honestè vestitam, ita ut non videretur esse pauper, sed honesti civis filia, illum sanguinem colligentem, ac avidissimè sorbentem, non minus ac si vitellam ovi, aut ostream exsorberet; adeo fames desæviit. Nonne hoc vos horrore percellat? Inter omnes perfectiones Divinas, Deus suam bonitatem, dulcedinem, & misericordiam infinitam, vult majori fulgore radiare, & magis laudari, ac glorificari: *Confitemini Domino* quoniam bonus. Nihilosecius tamen ille tantum rigorem ostentat erga suas miseras creaturas, ut non solum illum exerceat, sed & narret in suis scripturis. Et quæso vos cur hoc? μίαν γλῶτταν χρεσίω. Nil adeo immensitatem Bonitatis Divinæ manifestat, quam atrox punitio peccatorum. Peccatum; cum sit tantum malum, cum sit offensa tam altæ, sanctæ, excellentis, amabalis bonitatis, & maiestatis, ut summam promereatur pœnam. Si nos lumen haberemus, quo cognoscere possemus quid si Deus, quanta sit eius bonitas, quid sit peccatum, quanta sit eius malitia, nos diceremus Deum esse Sanctissimum, iustissimum, adorandissimum, amabilissimum, dum hunc rigorem exercet, dum eius supplicia multò inferiora, multo dulciora, improportionata sint, respectu malitiæ, quam dicit offensa.

4. Regum 6. v. 25.



PUNCTUM TERTIUM. MORALE.

Non punimur his flagellis, quia servamur æternis, quæ multò graviora sunt si comparentur primo poena pœnis, secundo culpa culpis, tertio persona personis, quarto status statui.

XI. At enim verò, aliquis mihi forsan dicet, ego alias multò graviora, & enormiora patravi, quam ea, quæ tu recenses tam atrociter fuisse punita, & quidem valde multa; interim Deo sint grates, nec minimâ affectus adhuc sum pœnâ, nec minimâ sum confectus afflictione, nec minimum sum passus in meis bonis, honore, sanitate, vita, sed feliciter evasi ærumnas belli, pestis, & famis. Quid dicis? Tu ob hoc gloriaris, quia ignoras veritatem quandam solidissimam, & utilissimam, quam Sanctus Paulus ad Corinthios scripsit. Iudæi erant homines stupidissimi, carnales, toti terrei, eos Deus in nullum alium finem conservavit, quam ut essent figura populi Christiani. Hunc populum, quamdiu Divina observavit mandata, bonis terrestribus replevit: *Bona terræ comedetis.* Econtrà, ut ea trangressus est, peste, fame, bello uti vidimus in eum desæviit. Verum enim verò nos sumus in lege gratiæ, legè plane cælesti, & spirituali. Quando nos exactè, & religiosè eam servamus, ille non assolet bonis temporalibus nos munerare, sed præmium nobis in altero mundo reservat.

1. Cor. 10. v. 6.

Rursus, si adeo simus pravi, ut eius leges violemus, eumque offendamus, ille ordinariè nos non punit temporaliter, sed

sed cum crimina nostra sint graviora, & suppliciis digniora, ille nos pœnis, tormentis, & flammis servat æternis. *Qui non obediunt* inquit sancti Paulus scribens Thessalonicensibus *Evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas.* Et ad Corinthios eodem capitulo bis dicit, quod supplicia temporalia, quibus diximus Iudæos à Deo obtritos, tantum fuisse umbras, imagines, figuras eorum, quæ manent, & expectant pravos Christianos. An tu frontem exporrigas, quod post plurima patrata peccata, quæ necdum per pœnitentiam diluisti, nullâ adhuc sis pœnâ affectus? Tu teipsum fallis, tu te decipis, nam necdum evanuit, qui laqueum, & manicas manibus gestat, necdum omnis sol occubuit, merces tua te manet. Afflictiones, quas tibi recenseo, quæque videntur tibi, adeo esse horrendæ, solū sunt lineamenta, & exiguæ delineationes earum, quæ tibi sunt præparatæ.

2. Thes.

XII. Bellum, fames, pestis, & aliæ afflictiones, de quibus egimus, non sunt nisi guttulæ iræ Divinæ. *Stillavit super nos maledictio*, illæ vero, quæ tibi manent in altero mundo, sunt torrentes furoris ejus: *Spiritus ejus quasi torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum.* Illæ non sunt nisi talitrum, *Manus Domini tetigit me*, hæ verò sunt grando, fulmina: *Si acuero ut gladium fulgur meum, interficiet eos manus mea.* Illæ sunt virgæ betulinæ, *Arguam eum in virga furorum*, istæ vero sunt virgæ ferreæ: *Reges gentes in virga ferrea.* Illæ sunt correctiones patris tranquilli: *Flagellat autem Filium, quem recipit*, istæ vero sunt castigationes judicis severi. *Vlciscens Dominus, & habens furorem.* Illæ sunt punctiones, & solicitationes tenere alicuius amici, *Ego quos amo, arguo, & castigo*, hæc vero sunt plagæ fotales inimici: *Plagâ inimici percussi te.* Illæ sunt effectus Divinæ misecordiæ: *Corripe me Domine non in furore*, hæ vero sunt flagella, quæ Deus nobis immittit, ut cor abstrahamus à bonis terrenis, sicut trituratores paleas flagello separant à granis: *Ego in flagella paratus sum*, hæ vero sunt dentes acuti, qui transfigunt, & penetrant usque ad animam: *Heu, heu Domine, pervenit gladius tuus usque ad animam.*

Dan. 9. v. 11. Isaia. 30. v. 28. Iob. 19. 2. Deut. 32. v 91. 2. Regum. 7. v. 14. Apoc. 19. v. 15. Heb. 12. v. 6. Nahum. 1. v. 2. Apoc. 13. v. 19. Isaia. 30. Ierem. 10. v. 24. Psal. 37. v. 10. Ierem. 4.

XIII. Præterea peccata, quæ committimus, multò enormiora, veniâ indigniora, punitione digniora sunt, utpote facta ex majori cognitione, ingratitudine, & malitiâ, quam culpæ veteris legis. Quod si puniverit Ezechiam eo quod absque scandalo, ex mera, eaque exigua vanitate quà thesauros suos ostentavit, quid quæso non faciet illis, qui scandalosè denudant, & ostentant sua brachia, & ubera, qui fuco illiniunt verba, vultus stibio pingunt, capillos crispant, genas poliunt, lascivos discursus trahūt, in gestib⁹ sunt leves, ut amorem alicujus venentur, & in junioribus, qui eos respiciunt, lascivas cogitationes producant? Quod si Ozias totâ vitâ Leprâ percussus fuerit, ideo solum, quod devotione indiscreta mun⁹ sacerdotale arrogarit, Quomodo non tractabuntur illi, qui munus assumunt Episcopale, qui appellationes justas repellunt tanquā abusus, & impediunt, ne sacerdotes vitiosi suis officiis, & beneficiis, quæ per sacrilegia execrabilia exercent, exuantur, quomodo ergo tu non punieris, qui famam sacerdotum denigras, qui

qui eorum functiones irrides, eorum devotionem turbas, per tuum mundum muliebrem, vestes pomposas, vultum fucatum. Tu magis es temerarius, quam Ozias, quia ille fuit Rex, tu plebeja, ille fuit princeps religiosus, tu indevota.

Templum Salomonis non fuit nisi figura, & umbra nostrarum Ecclesiarum. Chorus ecclesiæ, non est aliud, quam Sanctuarium, quod solis presbyteris fuit deputatum. Sanctus Ambrosius ex illo proscripsit Imperatorem Theodosium, tu autem temerariè illũ chorum intras, non ut adoleas incensum velut Ozias, sed ut illud recipias; Quod si Onan punitus sit morte subitaneâ in flagranti delicto, & statu damnationis, quia aliquem defectum cum propriâ uxore commisit; Qualem tu non expectes damnationem, qui facinora adeo abominanda committis, impuritates adeo dissonas contra naturam, brutalitates monstruosas cum feminis alienis? Quod si Deus immisit famem, & occidit septem proles Saul, eo quod juramentum ab antecessoribus præstitum violarint, idque post quadringentos annos; Quid fiet illis, qui patrant tot perfidias, perjuria, qui ementiuntur tot fraudes, qui tot falsa testimonia comminiscuntur? Quod si Deus peste vasallos puniverit David quia ex vana gloria populum numeravit, quid non erit iis, qui populum perdunt, expilant viduas, & orphanos per fraudes, per cessiones fori, per monopolia injusta, oppressiones tyrannicas?

2. par. 26. v. 4. Quod si Deus exercitui prosperos subtraxit successus, & ob unicum furtum, quod leve videbatur, jusserit lapidari Achan, quid non faciet illis, qui tot, et tam enormia patrant? Achan inimicos spoliavit, tu furaris subditis tui Regis, tuo hospiti, tuo concivi. Achan violavit tantum edictum positivum, tu agis contra legem naturalem. Achan servavit id, quod debebat comburi, tu comburis id, quod deberet servari. Achan abstulit id, quod non omnibus poterat servire, tu vero aufers id, quod bonis est necessarium.

Quod si Deus non pepercit Ezechiæ, qui ei, & Reipublicæ tot servitia præstiterat, quomodo parcet ei, qui illum totâ vitâ offendit? Quod si non pepercit Oziæ, qui laudatur in scriptura, eò quod illa fecisset, quæ Deo grata fuerunt, *Fecitque quod erat rectum in oculis Domini*, An parcet illi, qui transgressus est omnia ejus mandata? Ille non condonavit Onan nepoti magni sui servi Abraham, quomodo ergo condonabit illi, qui est nepos, & imitator illius, qui deprædatur viduas? Si non pepercit Saul, qui fuit Rex sui populi electus, & consecratus ejus mandato, quomodo parvo ignoscet Regulo, qui non est promotus, nisi per suam ambitionem? Quod si non respexerit David, qui fuit homo secundum ejus cor, quomodo suspiciet eum, qui semper fuit ejus hostis? Si non ignovit Achan, qui humiliter suam culpam est fassus, quomodo ignoscet illi, qui reticet sua peccata, & de iis non pœnitet? An minus te puniendum putas, eò quod vivas in lege gratiæ? An nescis Sanctum Petrum dicere, quod Deus

Deum non esse acceptorem personarum, uti testatur sanctus Petrus? An ignores sanctum Paulum asserere, quod Deus in puniendo non attendat ex qua natione, quis sit oriundus? An te fugit, Deum uti perhibet David non esse mutabilem, sed semper manere eundem? Quod si adeo atrociter castigavit illa peccata, quæ nobis videntur esse tam exigua, & veniâ digna, quomodo non animadvertet in tua crimina adeo enormia, & execrabilia? Quod si irremissibiliter eos puniit, qui peccarant in lege Moysi adeo rudi, & imperfecta, ut Sanctus Augustinus dicat: *Iubebat non juvabat*; Quid non faciet eis, qui peccant in lege Christiana, in qua tot præbet gratias, lumina, sacraméta, auxilia? Quod si adeo severus fuit in hac vita, quæ est tempus veniæ; quid non faciet in altera vita, quæ ēst tempus Iustitiæ, & punitionis? Quod si adeo rigorosus sit in hoc mundo, qui est locus misericordiæ; Quid non aget in inferno, qui est locus iustitiæ, & vindictæ?

Rom. 10. v. 12. Psal. 101. v. 28.

CONCLVSIO

Malum, & amarum est peccare, ut inquit Ieremias.

XVI. S*cito ergò, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum, & non esse timorem Dei apud te. Scito, & vide* Nos quidem scimus per scripturam, & lumen rationis, quod peccatum mortale sit enorme malum, causa, & origo plurium malorum; sed & nostris oculis idem conspeximus, & diebus nostris probavimus. & luximus, per bella, quæ tot populos fame enecarunt, domos exciderunt, templa profanarunt provincias devastarunt, hæ ærumnæ, & similes sunt effectus, & punitiones peccatorum. Iustitia Dei per Turnum oberrat mundum, tuus Turnus veniet. Auditores, vester Turnus veniet, nec scitis, quod vobis maneat; nam si id sciretis, crines vobis arrigerentur. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Deus manu sua vindici gestat calicem quendam plenum vino absynthiaco, scyphū refertum aceto, illum nunc huc, nunc illuc effundit. in pedemontana Provincia, Caralonia, Germania; *Veruntamen fax ejus non est exinanita*, hic calix necdum est evacuatus, ad huc satis in eo continetur, ut vos affligere possit, quia in fundo calicis remanent fæces; & illud, quod ēst maximè amarum.

Malum, peccatum necessariò debet esse grande malum, & in eo latere debet enormis malignitas aliqua qualitas odiosa, aliqua in Iustitia monstruosa, quod Deus igne, & sanguine illud persequatur, odium, quo illud persequitur Deus, debet esse infinitum, & incomprehensibile, cum enim sit adeo misericors, nequiret ob unicum solum peccatum iustissimè tot populos pœnis adeo atrocibus plectere.

Malum est, & amarum. Cum peccatū sit causa tot acerbitatum, necessariò amarum esse debet. Quod si tu innocenter pestem, & absque ulla consideratione, & culpa induxisses, nonne valde ægrè hoc ferres? Tu non es Christianus, nisi firmiter credas peccatum mortale esse gravius malum peste. Peccatum lethale est causa pestis, sterilitatis, famis, & mortis, ergo gravius malum his quatuor esse debet. Causa continet proprietates, & qualitates sui effectus sive bonos, sive malos, idque eminenter. Nonne hæc

est

est consequentia, Medicus præscribit venæ sectionem, ut curetur febris, ordinat cauterium, ut defluctiones distrahantur, ergo febris est grauius malum, quam incisio venæ, & defluxio, quam cauterium? Ita similiter bona est consequentia, Deus, qui est ipsamet sapientia immittit pestem, & famem in remedium peccatorum, ergo peccatum est gravius malum peste, & fame. *Malum est, & amarum reliquisse te Dominum.*

Et non esse timorem Dei apud te. Timeamus Deum timeamus Deum, & placemus ejus iram, si velimus obtinere misericordiam. Ille tria flagella immittit, ob tria genera peccatorum à nobis commissa. Bellum, quod proficiscitur ab hominibus immittit in poenam peccatorum, quæ commisimus contra proximum, verbi gratia inimicitias, usuras, detractiones. Pestis, & alii morbi, qui veniunt è nostro corpore, infliguntur in pœnam peccatorũ, quæ comisimus contra nos, ut est gula, ebrietas, libido. Fames, quæ venit ex parte Dei, immittitur ob peccata, quæ imediatè, & directè patravimus contra ipsum, utpote in devotio, blasphemiæ, perjuria. Faciamus itaq; pœnitentiam per tria opera, quæ satisfaciunt pro tribus generibus peccatorum, pro peccatis, erga proximum commissis per eleemosynas, & opera misericordiæ; per jejunia, & mortificationes carnis, pro peccatis commissis in nostrum corpus: per humiles, & ferventes precces pro peccatis directè comissis contra Deum. Hanc gratiam rogemus, & dicamus cum Ecclesia: *Cordibus nostris quæsumus Domine gratiam tuam benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntariâ cohibentes, tẽporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis, per Dominum nostrum Iesum &c.*

SERMO TRIGESIMVS SEXTVS.

Pro Dominica octava post pentecosten.

Peccatum mortale mortem nostram reddit infelicissimam.

Quid faciam? *Lucæ* 16.

EXORDIVM.

PRisci præ foribus tẽpli solebant inscribere illud decantatissimum dictũ *Nosce teipsum.* Si ego autem à vobis aliquam gratiam postulare deberẽ, illa esset hæc, ut quilibet ante fores mentis, & conscientiæ suæ scriberet hæc: *Quid faciam?* Hoc enim est sanum, & irreprehensibile verbum, quod maxime est necessarium, ut quis perveniat ad beatitudinem. Interroga ergo te ipsum sæpe *quid faciam?* Vt, salvari possim, ut salutem obtineã? Et responde tibi. Nemo potest salvari, nisi perseveret finaliter in gratia Dei, & moriatur Dei amicus, quia ab illo momento pendet æternitas, quia si in illo momento fueris in gratia Dei, salvaberis, si vero fueris inimicus Dei damnaberis. Quid ergo factu opus, ut bonum momentum obtineas? Declinare à malo, & cavere peccatum, quia peccatum facit, ut mortem pessimam habe-

habemus, uti hac concione cum Auctore ostendam.

Mors peccatorum Pessima Psal. 33. v. 22.

I. Postquam jam consideravimus, quomodo peccatum sit causa belli, pestis, et famis ac aliarũ afflictionum, quibus quandoque premitur mundus, nunc ponderanda sunt mala æterna, quæ nobis adfert: porrò ut rem apprehensione dignam bene apprehendamus, oportet quatuor considerationes instituere. Prima est, quod peccatum mortale faciet nos defungi pessima morte, secundo, quod nos exponat severitati, & rigori judicii Divini, Tertiò, quod nos privet fœlicitate cæli, quarto, quod nos mittat ad æternitatem infelicem. Hodie itaque vates Regius, & Divus sanctus Bernardus nobis per tria argumenta efficacissima ostendent, mortem peccatorum esse pessimam. Addisco ex libro Genesis, quod Eva nostra prima mater fuerit vocata, mater viventium, & meo sensu id factum est ô sacerrima virgo ut à te distingueretur. Illa potuit quidem succurrere suis prolibus in vita, sed non in articulo mortis: Verum tu ô Beatissima Virgo & mater viventium, morientium, & mortuorum, tu tuis devotis assistis in vita, tu eos solaris in hora mortis, tu illis succurris post mortem in flammis expiatricibus. Tibi ergo dicam cum uno magno tuo servitore: quæso te fac me tuum mancipium, ut sim sub tua tutela, ut participem aliquid de tuo privilegio, & ut suprema hora meæ vitæ, à qua dependet æternitas sit in tuis manibus, idque precor in honorem momenti felicis Incarnationis Dei, in quo Filius Dei est factus homo, & tu mater Dei, uti Angelus ejus tibi promisit, dum te salutavit his verbis: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS

EXORDIVM.

Videtur quod mors non sit poena peccati, explicatur quomodo sit poena, peccatum est centrum mortis.

II. STipendium peccati mors, stimulus mortis peccatum. Quod si sit aliquis, qui non est bene instructus in principiis fidei Catholicæ, & doctrina Theologica is difficulter calculum suum adjunget huic pronunciato sancti Apostoli Pauli. Aristoteles dicit, quod nomen sit definitio brevis, quæ incompendio continet essentiam, naturam, proprietates rei, cui imponitur. Si consideremus nomen, quod tres linguæ principales imposuerunt homini, videbimus quod tam in statu innocentiæ, quam post peccatum fuerit semper subjectus morti. Hebræis homo idem est ac metim similiter mortuus etiam apud eos idem significat ac metim, cum hac solum diversitate, ut quando metim significat hominem, scribatur cum *Scheva*, quæ sunt duo puncta, quorum unum ponitur super aliud: quando vero significat mortuum, tunc scribitur cum *Tseré*, quod significat duo puncta unum post aliud. Nec sine mysterio, ut nempe significetur inter homines vivos, & mortuos non esse magnam differentiam; nempe hanc, quid inter vivos, & mortuos solum interponantur duo puncta, quorum est unum supra aliud. Et quidem primum in nonnullis altero superius est. Vnum est Rex, alterum plebeus. Vnum est Dominus, aliud vasallus, unũ est herus, homines differunt tantum in punctis. In natura, & literis initialibus sunt similes. Similiter quando erunt metim

Rom. 6. v. 23.
1. Cor. 15. v. 59.

merim secundum alteram significationem, quando erunt mortui, tunc non amplius eorum nomen scribetur cum *Scheva*, sed cum *Tsere*, hoc est unũ punctum erit post aliud, quia nemo amplius erit Rex, nemo subditus, nemo Dominus, nemo servus, sed omnes in sepulchris erunt æquales:

Mors sceptra ligonibus æquat.

III. Apud Græcos porrò homo significat *Beato*, hoc est mortalis, & inde deducitur *ambrosia*, quia credebant, quod redderet eos immortales, qui illâ vescebantur. Latini dicunt Homo, quod duplicem potest habere ethymologiam, quarum utraque significat hominem esse corruptibilem, quia si *Homo* derivetur ab *Homo*, Aristoteles statim dicet: *Vnum quodque resolvitur in ea ex quibus cõstat*, quod; quod libet naturaliter vadat ad locum sui originis, extra quem omnia sunt velut in statu violento, adeoq; & in ipso statu iñocentiæ anima naturaliter tendit ad Deũ, & cælũ sua principia.

Igneus est illi vigor, & cælestis origo.

Corpus è contra vergit ad terram, è qua est compositum. Et ideo possumus dicere ante peccatum: *Terra es, & in terram ibis*. Quod si homo derivetur a verbo Græco. Quod idem est, tunc etiam insinuatur, quod sit corruptibilis, quia in homine plura contraria reperiuntur, est enim compendium, & habitaculum quatuor primorũ elementorum, aut ad minus quatuor qualitatum elementariarum; nam in eo est humidum radicale, calor naturalis, humor biliosus, & melancholia, sanguis, & pituita, quæ constituunt micracosmum. Hinc aliquis dicet, & inferet, quod hæc homini in mẽtem vocent suam corruptibilitatem, cũ juxta axioma Philosophicum, omne id quod componitur ex contrariis interitui sit subjectum, cum frigus, & calor, humiditas, & siccitas, etiam ante peccatum contraria fuerint.

Frigida pugnabant calidis, humẽtia siccis

Ex quo patet, quod dum hi quatuor hostes in corpore humano continuò inter se pugnant, tandem per hoc bellum intestinum debeat violari pax, quodque sensim calor naturalis consumat humidum radicale, adeoque vita abbreviatur, & tandem extinguatur, quæ vita iuxta philosophum nil aliud est, quam *permãsio caloris in humido.*

IV. Omnes has difficultates diluit Theologia respondens: Hominem, ut Scholæ loquuntur consideratum in puris naturalibus sine ullo dono supernaturali esse naturaliter mortalem obrationes allegatas, non minus, quam alia animalia; cum tamen per beneficium creatoris, per privilegium particulare status innocentiæ, & justitiæ originalis, dispositione quadam admirabili conservandum fuisse in perpetuo vigore, & flore ætatis ac ditandum fuisse gratuito dono immortalitatis; Nam creator in paradiso terrestri plantavit arborem mirã, arborem vitæ, vel ut legit textus Hebræus, *Hets* Hacajim, arborem vitarum; in qua nempe unitæ, & quasi infusæ fuerunt omnes virtutes, proprietates, & bonæ qualitates aliarum arborum. Arborem, quæ reipsa fuit arbor arborum, planta plantarum, fructus fructuum, restauratio hominum, bonus delicatus, succus, & medulla terræ, quæ qualitates quatuor elemẽtates poterat coercere in bona temperie, vulnera humidi radicalis restaurare, calorem naturalem reparare, vices subire cibi, & potus, omnes defectus corporis humani corri-

corrigere, vires debilitatas animare, vitam in pristinum vigorem, & florem reducere, & perfectam sanitatem conservare, donec assumeretur in cælum absque mortis incursione.

At enim verò, cum illi hoc donum datum sit sub conditione, si mandatum Dei observaret, quando malâ suâ sorte illud est transgressus, amisit hoc donum gratuitum, privatus est hac prærogativâ immortalitatis, ita ut hoc modo mors sit illi pœna, & stipendium peccati. Verissimè ergo dicit sanctus Paulus, quod mors sit stipendium peccati, nec enim mors ullum haberet aculeum, ejus sagitta non esset cuspidata, nec ullo modo aculeata, nisi homo peccasset. Et ita pro eo, quod latinus legit *stimulus mortis peccatum*, Græcus substituit κέντρον δὲ θανάτȣ ἁμαρτία, centrum mortis est peccatum, mors itaque prodiit è peccato velut suo centro. Quando ipsa pervenit ad hominem, qui non habet peccatum, illa non sistit, quia non invenit suum centrũ, sed transit, nec magnum damnum infert, amplius pura magis, quam elementa extra suum centrũ, & multum vitæ cum est admittum habet: *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: Absorpta est mors in victoria, ubi est mors stimulus tuus?* Verũ dum mors venit ad aliquem, qui est in statu peccati, tunc quiescit velut in suo centro, perpetuò ibi manet, est pura, nil vitæ habens admixtum: Et sicut omnes, aquæ fluunt ad mare, quod est earum elementum; ita & anima, quæ ex hoc mundo discedit è statu peccati, est diribitorium omnium mortum, civilis, corporalis, spiritualis, & æternæ. Hinc Bernardus explicans illa verba psaltis, *Mors*

Psal. 48. v. 11.
1. Cor. 15. v. 15.

peccatorum pessima, insignem instituit gradationem: *Mors in mundi amissione pejor in carnis separatione, pessima in vermis duplici corrosione.* En itaque tria puncta mei discursus.

PVNCTVM PRIMUM.

Mors peccatorum est mala in mundi, ceu bonorum mundanorum amissione, probatur primo scripturà, secundo Patribus, tertio rationibus, quarto comparationibus.

V. IDem vates Regius alibi ait: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Dum vides aliquem, cui secunda arridet fortuna, qui ditatur, promovetur, qui annuos auget proventus, qui suam domum exaltat, qui eam illustrat, ne eum quæso admireris, ne ei invideas, ne eum ideo proclames beatum, quia si sit vir probus, seipsum infelicem censebit, ut enim inquit Augustinus: *Nihil est infelicius felicitate peccantium.* Nil est miserabilius, quam si peccator floreat in hoc mundo. *Quoniam cum interierit non sumet omnia.* Ipsi tandem moriendum est, citius, vel serius, & maximam gustabit pœnam in morte, dum hæc bona adeo amara deserere debebit, & quæ ipse tantâ avaritiâ servavit. *Psal.*

VI. Idcircò inquit Sanctus Chrysostomus, quod Filius Dei in Evangelio comparet divitias spinis: si habeas spinam manu apertâ, illa non pungit; si autem manum comprimas, illa pungit, & elicit sanguinem, prædestinati quandoque providentia Dei inquit Sanctus Augu- *Luca. 8. v. 4.*

Iob

gustinus hoc permittit, ut ostendat inquit sanctus Augustinus, quod ipsa ea det illi, cui vult, verum ipsi has spinas habent in manu aperta, quia illas divitias voluntariè impendunt in servitium Dei, in pauperes, in sustentationem familiæ; hæ spinæ nec in minimo eos pungunt, nec sanguinem eliciunt, neque trahunt in peccata. *Libera me de sanguinibus.*

Psal.

VII. At econtra, reprobi in hoc mundo habent has spinas manibus compressis, sentis eos cruciat, causant in iis mille curas, angores, scrupulos, inquietudines, pavores, & sicut in extremitate spinæ est cuspis quæ pungit; ita in possessione divitiarum finis, & ultimus usus affligit; *sine dolore* inquit Augustinus, *non amittitur, quod cum amore possidetur.* Tu valde angeris, & odis amittere involuntariè id cum oblectatione plurium, quod injustè acquisivisti per oppressionem, & ruinam plurium. Quando homo justus, & probus lecto fatali affixus jacet, totus mundus dolet, & ait rem esse dolendam, quod talis altor pauperum, tutor viduarum, Pater orphanorum, afflictorũ consolator, oppressorum refugium moriatur. Econtra, si avarus dives ultimæ lineæ admoveatur, nemo non gaudet, non enim amplius opprimet viduas, orphanos nõ conculcabit, debiles nõ subjugabit, eleemosyna aliqua erogabitur in pauperes, stipendium solvetur famulis, & creditoribus satisfiet, presbyteris aliquid dabitur, Notarii lucrabuntur aliquid, dum ejus proventus annotabunt, sartores atras vestes conficiendo, aliquid conquirent, toti mundo melius erit.

Iob. 20. v. 11. VII. *Divitias, quas devoravit, evomet.* Quãdo sangui suga se sanguine infarciit, medici, ut eum eliciant, & minuant eam ponunt in cinere. Idem evenit diviti avaro, hic est quædam sanguisuga insatiabilis, ille per emptionem decretorum, & sententiarum, Monopolia, usuras palliatas, technas aulicas, sanguine pauperum se infarcivit. Dum hic veniet ad cineres tumbæ, fit tristis, & valde illubenter dimittit id, quod antea tam tenerè amarat; idque quia videt, quod divitias debeat linquere iis, qui summè lætantur ob ejus mortem, ut opibus ejus possint frui, easque profusè elargiri, quas ipse tantâ avaritiâ, tot laboribus, tot peccatis acquisivit. Saul uti fasti regii commemorant, postquam à Deo jussa acceperat, cum valido exercitu moveret in patriam Amalæcitarum, earumque Regionem plane devastaret, omnia in flamma, & ferro perderet, nullo homine servato, illam expeditionem aggreditur, summumque belli Archistrategum Agag in captivitatem abstrahit 1. Regum. 15. v. 22.
eique nescio, an ob rationem status, vel aliam causam vitam donat, omni populo prius occiso. Propheta Samuel nomine Dei eum acerrimè perstrinxit, dumque ante exercitum jussisset duci hunc principem infelicem, eum, uti factũ fuerat aliis, in partes discerpi jussit. Agag, qui teste scriptura homo erat crassus, & obesus, quique hanc decretoriam sententiam non expectarat, suspirando dixit: *Siccine separat amara mors?* Mundus agit velut Saul, mors sicut Samuel. In impositione vectigalium, tributorum, onerum soli pauperes gravantur, & soli plebei discerpuntur, grandes vero divites, primarii elabuntur per fraudes, artem rabulariam, minas, aut alias vias. At enim verò ii coram Deo non

eximuntur quia æque ac pauperes punctatim dissecabuntur, corpus ex una parte, anima ex altera, eximunt quidem se à substantia, sed non eximent se ab accidentibus mortis, & dicent cum Agag: *Siccine separat amara mors?* O mors, quã es in humana! siccine me separas à meis oplentis prudiis, à meis basilicis ædificiis, à meis conclavibus tam pretiosis aulæis, vestitis, à meis cubilibus tantâ suppellectile instructis, à meis hortis adeo deliciosis, à meis villis tam jucundis, & aliis creaturis, quas in hoc mundo adoravi? *Mors peccatorum mala in mundi amissione.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Peior in carnis separatione, probatur primo scriptura, secundo patribus, Tertio Historiis, quarto comparatione.

Ecclef. 41. v. 1. VIII. P*Eior in carnis separatione. O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto &c.* inquit Spiritus Sanctus. O quam acerba est mors homini, cui omnia in hoc mundo ad votum succedunt, qui affluit deliciis, qui suis appetitibus gratificatur, quid nil habet adversi? Quod si sola memoria mortis sit ei adeo amara, quid non erit de ejus præsentia adeo funesta, & inevitabili?

Hom 1. in ep. 2. ad cor IX. Egregiè inquit sanctus Chrysostomus: Tu nec in minimo angeris, quando te spolias, & exvis tuâ veste, maximè quando est trita, lacera, & dissuta, vel ut eam tradas sartori resarciendam, & resuendam, ut postea eâ commodius uti queas; at si aliquis vellet te exvere pelle, ille te magno afficeret cruciatu, quia pellis adhæret corpori, non vestis. Viri justi nullum sentiunt renitenciam, quod debeant se exuere suo corpore, quia nec in minimo animæ eorum adhæret aut agglutinatum est; nam laboribus summè est attritum, abstinentiis, & vigiliis extenuatum, austeritatibus, & mortificationibus debilitatum, corpus iis oneri, & fastidio est. Hinc lætantur, dum eo exonerari debent, quia certam habent spē, quod sit reformandum, quod à Filio Dei pulchrius, sanius, agilius sit reddendum. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam: Quoniam tu Domine in spe singulariter constituisti me. In malitia sua expelletur impius, sperat autē justus in morte sua.* Anima impii è suo corpore violenter ejicitur, cum dolore ab eo separatur, quia ei conglutinatur amore, & ideo debet separari à corpore, quod adeo amavit, suavitus est, adoravit. *Psal. 4. proverb. 14. v. 32*

X. Historiæ profanæ nos docent, quod dum quidam nobilis Hispanus nostro sæculo in venatione feram quandã insequeretur, & intra densum nemus vestigia ejus prosequeretur, quendam cantantem gratiosissimè, & suavissimè audierit: viam itaque iniit, quam viderat tritiorem, tandem vidit quendam misellum prope quandam casam, leprâ omnino tectũ considentem, manu habentem frustilla suæ carnis, quæ per eã dissolvebatur: quæ defluxerant. Primo intuitu sumo horrore fuit perculsus putans se spectrũ videre: sed Spiritus recolligens, gressus prosequitur, ad eum venit, eum comiter salutat, eum interrogat, quænam sit illa vox, quam audivit, an ipse cantarit? Imo inquit Domine, ego ipsemet cantavi, mea est illa vox, quã audivisti. Et quomodo excipiebat nobilis tot ærumnis oppressus possis tam suaviter cantillare? Domine respondit, ego

ego considero inter me, & Deum nil aliud interponi, quam parietem quendã luteum, nempe meum corpus, dum hic paries ablatus, & diritus fuerit, ego Deo unitus ero, dumq; video quotidiè hunc parietem magis, & magis labefactari, ego lætor, & præ gaudio canto. Econtra sanctus Bonifacius Martyr, ad Germaniam, cujus est Apostolus à Gregorio secundo amandatus, quique floruit circa annum septingentesimum; in quadam epistola, quam ad quendam amicũ dedit, memorat, quod egerit cum quodam, qui miraculosè vitæ redditus fuerat, ab eoque audierit, quod post judicium Dei, & pœnas inferni nil adeo timuerit, nec nil animam ejus adeo cruciarit dum ex hac vita migravit, quam quod viderat suum corpus, cui iam sepulchrum aptatum erat. Estne possibile inquiebat illa anima, quod ego tam stolida, fuerim, ut Deum meum amore hujus putridi cadaveris offenderim? Siccine ob hanc cloacam potui ludere meam salutem, & toties peccare? Ergone, ut hoc fimetum stercorarium, ego lectos molles, linteamina subtilia, cibos delicatos præparavi? Ergone tantum potui gerere curam hujus corporis, cui jam non dantur pro domo nisi septem pedes terræ, pro cubili, & conclavi tres, vel quatuor asseres, pro veste, linteamen media ex parte tritum, pro sociis vermes, & pulueres?

Psal. 4. proverb. 14. v. 31

XI. Fuit, cum viveret Antiochiæ inquit sanctus Chrysostomus, nos possumus dicere, in tali urbe nobilis quædam Domicella, quæ incolebat quandam domum conductam, è qua brevi discedere debuit. Hæc domus incommodissima erat, & ruinam minabatur, ad minimum ignem, quid in ea excitabatur, tota fumo replebatur, ita ut nihil videre quis posset, & ubique nil esset nisi cloaca, & fimetum. Et tamen hæc Domicella adeo barda fuit, ut nil aliud cogitarit, quam hanc domum, in nil aliud incubuit, quã ut eam resarciret, dealbaret, ornaret, & aulæis vestiret, illa omnes vires ad hoc applicuit, tot bona ad hoc impendit, tãtum consumsit temporis in reficienda hac domo, ut seipsam negligeret, & sui ipsius negligeretur. Tu vidisses eam pallidam, macilentam, exhaustam, parcè comedentem, dormientem, malè vestitam. Nonne fuit stultissima, & stupidissima?

Hæc Domicella est tua anima, nobilissima, soror Angelorum, imago Dei, heres cæli, illa moratur in corpore velut domo, vel ut melius dicam, tanquam in casa, ceu lugurio, quam conduxit precario, & è quâ citò debet discedere. *Velox est dispositio tabernaculi mei, non palatii.* Hæc domus molestissima, & summè incommoda est, ad minimum ignem iræ, vel concupiscentiæ, qui in ea accenditur, quia est tota tenebrosa, nil in ea est nisi fumus, nil vides, quia non apprehẽdis sequelas, & pravos affectus tuarum passionum; hæc domus corporis referta est spurcitiebus, & sordibus, ubique rimas agit, ille catharrus, qui defluit è capite, illa glarea, ceu lapis, qui in renibus gignitur, illa defluxio, quæ decidit super pulmonem ruinam minatur; & tamen illa misella anima adeo pauper judicio est, ut circa nil aliud occupetur, quam circa corpus, nil aliud cogitat, loquitur, agit, quam quomodo rimas hujus domus reficiat illam

1. Pet. 1. v. 14.

illam paviat, trullo cruftet, gyplo gypfet, illam ornat, illuftrat, coloribus tingit, & tantum tempus infumit, tantum auri impendit, ut fui ipfius obliviſcatur, bona negligat opera, raro fumat cibos fpirituales, fanctam fcilicet Euchariſtiam, nil æſtimet fuã falutem. An non hoc eſt ferere fpinas pro fine tuæ vitæ? Nonne hoc eſt reddere tuam mortem felicẽ, ob divortium quod inter te, & tuam carnem, quam adeo fuaviatus es, intercedet? *Pejor in carnis ſeparatione.*

PVNCTVM TERTIVM.

Peſsima in vermis duplicis corroſione, primo ob bona omiſſa, ſecundo ob mala commiſſa.

XI. **P***Eſſima in duplicis vermis corroſione.* Tertio, mors peccatorum eſt peſſima ob remorfus conſcientiæ, qui illum rodent, ob bona opera neglecta, & prava commiſſa. Sanctus fpiritus hujuſce rei nobis in fancta fcriptura egregiam ideam exhibet. Dum David per defertum declinaret perfecutionem Saul, dirâ fame cum fuis preſſus fuit; unde cum moneretur non procul inde hominẽ opulentũ eſſe, qui ei fummè erat obſtrictus, quodque convivium domi fuæ inſtruxiſſet, eò quod oves ejus tonderentur, ille nonnullos fervos ad eum ablegavit, qui nomine fuo humiliter rogarent, huic eius indigentiæ fuccurreret & aliquam annonam mittere dignaretur. Hem, quid vultis vos? Quis eſt iſte David? Scio ego, quod fit Filius Ieſſe? Quid nobis fit cum his petulantibus, & vagabundis fervis, qui fervitio Domini fui valedixerunt, & non niſi mihi caput obtundunt? David dum hoc reſponſum audiret, fancto cœpit zelo, & furore incendi, & quadringentis viris fecum fumptis, hunc ingratum

1. Regũ 25.

adiit, ut eum internecioni daret. Et niſi Abigiſai uxor Nabal matrona prudentior fuo marito, illicò Davidi occurriſſet, & coram eo adſtrata munera obtuliſſet, domus eius devaſtata fuiſſet. Mane infequenti, vino iam digeſto, uxor ei fuum erratum apervit, & iniuriam fub oculos pofuit, quam Davidi irrogarat, & periculum in quod fe conieecerat; ille vero ad huius auditum adeo conſternatus, & percuſſus eſt, ut fanguis intra venas alguerit, & ille ſtupefactus fit velut lapis, ita ut paucos dies extinctus fit: *Emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* Tu noſti, quam devinctus fis tuo Deo, tu fcis quãta bona inæſtimabilia, gratias, generales, particulares, naturales, fupernaturales in anima, & corpore tibi præſtiterit. Non ignoras quoties, & quã inſtanter exiguam à te poſtulet gratiam, ut te convertas, aut illas mittas fimultates, ab illis deſiſtas injuſtis litibus, ebrietatibus. Ille ad te fuos ablegat fervos, puta prædicatores, qui te rogent (uti ego nomine ipſius de facto facio) & tamen tu eum repellis. O te ingratum; pro eo quod votis, & poſtulatis ejus deberes annuere, tu eum offendis, tu eum blaſphemas, tu peccata patras, quæ ei infinitè diſplicent. Tu es unus Nabal ſtultus, tu à paſſionibus tuis ebrius es, tu malum non apprehendis, quod facis. Verum in hora mortis, cum tuæ paſſiones erunt frigidæ, & tui oculi aperti, tũc videbis majeſtatem ejus, quẽ offendiſti, tuã vilitatem, & indignitatẽ, tuorum criminum enormitatem. Ego tibi cogitandũ linquo, in quo ſtatu fis futurus, quãdo non videbis in te euntem parvulum paſtorem, uti fuit David, fed Deum exer-

exercituum, non stipatum quadringentis viris, sed munitum millione Angelorum, & quidem non ut tuam domum destruat, sed ut tuam animam æternaliter damnet. Hoc est, quod tremorem incutit peccatori, inquit Gregorius, exitus ex hac vita eum trepidatione percellit. *Exire de corpore trepidat, & quem contempsisse se meminit, judicem formidat.*

XII. Hoc verbum *Iudicem formidat*, mihi id crebrò in memoriam revocat, quod vidi in carcere. Quod si intres carcerem, advertere potes incarceratos esse in duplici differentia, nonnulli in vincula acti sunt ob criminalia, quia nempe enorme scelus commiserunt, alii sunt vincti ob caussam civilem, ut pauperes, debitores, aut cæsores lignorum ex Silva vetita. Revera valde differunt hi incarcerati. Incarceratus ob caussam criminalem, conjectus est in profundam foveam, in quandam latebram inter tenebras, inter sordes, manicis, & compedibus est constrictus; Quamprimum minimum strepitum audit ad ianuam carceris, ille consternatur terrore, quia timet, ne adsit præfectus causarum criminalium, qui ei sententiam ferat, ne veniat lictor, qui laqueum collo induat. Alter vero, qui in carcerem conjectus est ob civilem caussam, ille non est vinculis constrictus, ille est in loco lucido, in aula carceris, aut in cōclavi aliquo, ille potest ambulare. Quando audit pulsari ad januā, gaudet, quia sperat aliquem ad esse consanguineum, qui fidejubeat, vel solvat pro ipso, & quod veniat eum liberaturus.

Idem agitur cum animabus reprobis, & electis. Verum est, quod ambæ sint
Iob. I. v. 15. in corpore velut in carcere, nam Job dixit: *circumdedisti me carcere*, verum cum magna differentia. Anima reproba est rea, accusata, & convicta de crimine læsæ Majestatis, illa ligata, & vincta est funibus pravarum consuetudinum: *Funibus peccatorum suorum constringitur peccator*, tota immersa est sordibus, & immunditiei suorum criminum, illa nil cogitat nisi de cibo, potu, deliciis carnalibus, illa jacet in tenebris. Quod si loquaris de majestate Divina, de Divinis perfectionibus, de mysterio incarnationis, illa nil videt, nil audit. Quando Filius Dei pulsat ad ejus januam, Quando minimo morbo obruitur, quando mors ipsi intentatur, trepidat & timet, ne judex eam veniat condemnaturus, quod Dæmones manus sint ei injecturi, eamque ad infernum abstracturi.

Anima electa velut debitrix ob debitum protoparentis in hunc carcerem conjecta est, ac ideo est in quodam conclavi superiori, & luminoso, nequaquam demersa in ventre, ac sordibus sensualitatis, illa ambulat, & sese exercet in contemplatione. Ita explicat sanctus Augustinus illa verba Davidis: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus mea.* Quando symptomata morbi ad ejus portam pulsant, illa gaudet, putans adesse Filium Dei, qui fidejussit, & solvit pro ea, ut liberet eam ex illo carcere. Id testatur meus seraphicus Pater Franciscus, qui ultimæ lineæ admotus, magna cum confidentia dixit: *Educ de custodia animam meam, me expectant justi, donec retribuas mihi.* Id testatur Psal. 14.
sanctus Hilarion, qui fato proximus dixit: eja anima mea, egredere audacter ex hoc corpore, quid times, octaginta

annis Deo servivisti; & ei præsentari timeas? Testetur, id sanctus Martinus, qui morti proximus spiritui maligno animosè dixit: Quid adstas cruenta bestia, abi hinc, nil hic agendum habes, nil funesti in me reperies.

Charissime, an idem dicere possis, an dicere possis in hora tuæ mortis: mi Deus, me expectant justi, ut me munerent? Quid egisti purè ex amore Dei? Qualem elicuisti actionem virtuosam, excellentem, heroicam, perfectam, pro qua possis præmium postulare? An dicere possis: Sexaginta annis amavi bonum Deum, eique fideliter servivi? Forsan dicere poteris, non numero triginta annos, menses, hebdomadas, dies, horas, quibus Deo servivi, sicut debui. An dicere possis Dæmonio, nil funesti in me reperies? Forsan dicere poteris, sunt triginta, viginti, quadraginta anni, quibus Deum offendi, & Diabolo servio. Quia scis, quod Dæmon, plura ex suis operibus in te reperiet, nempe rancores, inimicitias, arrogantias, inobedientiam erga parentes, blasphemias, maledictiones, quæ sunt opera Diaboli?

CONCLVSIO.

In morte undique peccatori objecta timoris Expenduntur verba Christi, *Facite vobis amicos.*

XIII. IN quonam tunc non eris timore? Quemnam non senties angorem, apprehensionem, illi resistendi, quem adeo offendisti? Imaginare tibi, quod sis in illo articulo, sicut quandoque eris: Quocunque oculos coniicias, reperies objecta pavoris, timoris, & mœroris. Si suspicias in cælum, vides Deum tuum judicem; ille infinitè est potens, nec aliquis ei potest resistere, ille infinitam habet scientiam, ita ut nec minimum ei possis cælare defectum, ille infinitè est bonus, & hostis juratus tuorum criminum, ille infinitè est misericors, sed tu ejus misericordiâ es abusus, ille infinitus est, justus, & tu infinita ei debes, ille est ipsamet veritas, ille dicit nil coinquinatum intraturum in regnum cœlorum, tu verò totus sordidus es. Quod si oculos coniicias inferius, vides infernum, qui est præfurnium furni, in quo æternaliter debes jacere. Si respicias ad dextram, boni Angeli lugent tuum infortunium, deplorant tempus, quod insumpserunt te monēdo, & reprehendendo: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.*

Si respicias ad sinistram, vides Dæmones, qui urgent justitiam, qui solicitant prolationem sententiæ, qui prætendunt tuam animam velut ad eos pertinentem, & quam iis toties donasti. Si oculos retroiicias, tu post te relinquis mundum, & scis, quod nil amplius cum eo habeas agere, nec amplius tibi quid agendum cum ejus relationibus, novellis, delectationibus, ludis: *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Si ante te respicias, tu vides tuos consanguineos, tuos amicos, qui injusto timore, quo meritò times te puniendum ob peccata patrata, nec minimum solatiū affundere possunt: *Non est quo exeas, quia dum sunt, non est quo intres, quia mala sunt.* Si temetipsum intres, tua conscientia ad repræsentationem

tionem scelerum patratorum atrociter suo remorsu te cruciat; illa tibi in mentem reducit omnes puellas à te defloratas, omnes viduas expilatas, & spoliatas bonis, & honore, omnes rusticos deceptos, & oppressos; peccata, quæ antea tibi videbantur esse parva velut grana arenæ, illa nunc tibi videntur magna velut montes, quia non amplius illa conspicit perspecilla fallacia tuarum passionum.

Extra te vides tuas opes, quas cogeris relinquere tuis prolib⁹ degeneribus, ingratis heredibus, qui eas prodigent. Si respicias prǣterita, lugebis bonas occasiones tam stultè amissas, quibus poteras tuam salutem lucrari. Vtinam in missione fuissem confessus, utinam à lite injusta destitissem, utinam pellicem ejecissem, utinam devotior fuissem, jam enim mihi benè foret. Si Præsens spectes, videbis tuum corpus, quod tam delicatè habuisti, quod erit fossa vermium, pars putredinis, tuam animam, quam adeo neglexisti, quæ sistetur coram tribunali tremendo Filii Dei. Si respicias futura, vides extensionem æternitatis interminabilis, & infelicis; ad quam ibis, nunquam regressurus.

XIV. Quæ cum ita sint, rogo te, crede mihi. sequere consilium, quod tibi dedit Filius Dei in Evangelio: *Facite vobis amicos. Facite.* Deus non est contentus bonis propositis, byssinis verbis, sed vult opera, & effectus: *Opera enim illorum sequuntur illos: Reddit unicuique secundum opera sua.* Nunc fac, quæ tunc, fecisse velles; tunc velles, & optares te plures missas audivisse, parentibus obedientem fuisse, extra proximum, clementem, pœnitentiam egisse. *Facite vobis.* Tu nimis multa facis, sed non tibi domus, quas tot impensis construis, lis, quam tam ferventer prosequeris, bona, quæ tam sollicitè corradis, sunt pro tuis heredibus. Eleemosinæ, quas erogas, injuriæ, quas remittis, missæ, quas audis, tibi manent. *Facite vobis amicos,* fac tibi amicum magnum illum Deum, ad quem vadis. Quomodo audebis te illi sistere, eum in faciem contueri, adesse familiaris, ab eo lautè haberi, cum tota vita ejus fueris inimicus?

Luca 9. v. 9

Fac tibi amicum Jesum Christum, qui dicit in Evangelio: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis:* Ille jubet, ut benefacias inimicis, ne ulli inferas injuriam, ne jures, sed sis patiens, & mitis. Fac, ut ejus sis amicus. Fac tibi Virginem amicam, fac, quæ debes in confraternitate Rosarii, scapularis, ac aliis sanctis confraternitatibus. Fac tibi amicos sanctos, eos cole, lege eorum vitas, honora eorum festa piis exercitiis. Fac tibi amicos pauperes, eos bonis; consilio, pecunia, servitio juva. Fac tibi amicas animas purgatorii, audi missam, fac eleemosynam pro illis. Si hæc feceris, dum ex hoc mundo ibis, ibis ad locum, ad quem præmisisti commeatum, in quo fecisti notitiam, ubi invenies amicos, qui te recipient in tabernacula æterna Amen.

SERMO TRIGESIMUS SEPTIMUS.

Pro Dominica nona post Pentecosten.

Peccatum nos exponit veritati, & severitati judicii Divini.

Venient dies in te Lucæ 19.

EXORDIUM.

PRofectò, Auditores non magis hodiernum Evangeliũ nobis pertimescendũ videtur, quã tormentũ quoddã explosũ, aut hostis, qui bombardam quidem habet, sed pulvere caret, & globo, quia arbitramur hanc prædictionem Christi jam expletam in destructione Jerusalem, unde videmur dicere, quod non venient dies isti in nos. Verum meo sensu, si aliquid nos terret, est hoc Evangelium, video enim, quod illa, quæ prædicta sunt hodiè Judæis impœnitentibus, etiã verificanda sint in omnibus peccatoribus, qui vel hic in peccato mortali spiritualiter moriuntur, vel postea morientur in fine hujus vitæ, ut enim destructio Ierusalem est typus perditionis peccatorum, & sicut illius incolæ undequaque angustiati fuerunt ita & peccator undiquaque angustiabitur, quia ut hodiè ostendã, peccatum mortale nos exponit justitiæ, & severitati Dei.

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate Lucæ 21, Matt, 24.

I. Sanctus Apostolus Paulus volens Corinthios efficaciter trahere in fugam peccatorum, & praxin solidarum virtutum, in memoriam iis reducit hunc articulum fidei, qui unus est è primævis notionibus Christianismi, nempe, quod omnes quadam die comparebimus coram tribunali Dei, ut quilibet prout gessit in corpore, sive bona, sive mala recipiat. Hoc est secundum è quatuor novissimis hominum, quod debemus considerare, ut concipiamus horrorem, & abominationem erga peccatum mortale; quod nos exponit veritati, & severitati judicii Divini. Vnica solum circumstantia hujus judicii, mihi aliquod solamen instillat, quod nempe Salvator nos judicabit quâ homo, uti ipse ait in Evangelio: *Omne judicium dedit Filio, quia Filius hominis est*; hoc est ô sacerrima Virgo, ille nos judicabit quatenus tuus est Filius, & qualem tu eum potes placare. Leges humanæ vetant feminis ne agant advocatas, & hoc forsan ideo, ne suis blanditiis corda emolliant judicum. Verum tuus Filius, qui non nisi

2. Cor. 5.

nisi coactè, & illubenter punit, qui desiderat placari, & ad misericordiam flecti, parcit, dum tu peroras pro peccatoribus pœnitentibus, qui ad te recurrunt, uti nos humiliter facimus, dum coram eprostrati dicimus. AVE MARIA.

IDEA SERMONIS

EXORDIUM.

Iustitia Dei est ejus veritas quadruplex, nempe essentiæ, cognitionis, locutionis, operationis, eas exercet in judicio, ut docet sanctus Joannes Apoc. primo.

II· DOctores Theologiæ, qui suas sententias fundant in verbis sacræ scripturæ proponunt hanc quæstionem, an nempe veritas, & justitia in Deo sint eadem omnino perfectio, cum sinonyma, & univoca sint in sacra scriptura. Angelicus sanctus Thomas expressè respondet affirmativè: *Iustitia Dei est ejus veritas*, & id probat diversis locis scripturæ, in quibus veritas pro justitia sumitur, & misericordiæ opponitur, utpote effectus habens contrarios; ut videre est Psalmo vigesimo quarto, trigesimo nono, octuagesimo tertio, quarto, octavo, & centesimo decimo tertio, ac alibi. Verum, quid est veritas Dei? Quid significatur hoc verbo *veritas*? Ne interroges velut Pilatus, qui à Christo rogavit, *Quid est veritas*? nec expectato responso abivit. Quatuor sunt species veritatis, veritas essentiæ, veritas cognitionis, veritas verbi, & veritas operationis. Veritas essentiæ,

I. P. quæst 21. art. 2

quam Theologi vocant veritatem objectivam, quia est objectum intellectus, est convenientia creaturæ, cum idea suæ essentiæ, quam creator ab æterno in suo intellectu divino concepit. Nos discurrimus de operibus naturæ conformiter ad convenientiam, & analogiam, quam reperimus in operibus artis, & rebus artificialibus.

Illa artificialia quippè dicimus esse vera, quæ sunt conformia fini, quem artifex in sua idea juxta regulas artis concepit. Vna exigua Ecclesia in charta, vel cera delineata, non est vera Ecclesia, sicut est hæc, in qua nunc prædico; quia idea Architecti, & regulæ architecturæ præscribunt templum debere esse ex lignis, vel lapidibus, aut alia materia in tantâ longitudine, latitudine, aut aliis dimensionibus, Ecclesia autem in cera delineata nil tale habet. Idem est in operibus naturæ; idea naturæ humanæ, quam Deus concepit in suo intellectu Divino, præscribit, ut homo sit compositus ex corpore, sanguine, anima rationali, & ideo nos omnes sumus veri homines, quia sumus ita compositi. Homo pictus non est verus homo, quià nil veri corporis, sanguinis, carnis, aut sanguinis habet.

Veritas cognitionis, quam vocant formalem, eò quod intellectus eà informetur, & vestiatur, est conformitas intellectionis cum suo objecto; quod si concipias tuum maritum esse in templo eo tempore, quo est in popina, clarum est, nec indiget explicatione, quod cognitio tua non sit vera. Veritas verborum est conformitas dicti, cum cogitatione, & conceptu, si judices tuum vicinum esse probum, & dicas eum esse malum, menti-

mentiris, nec veritas in tuo dicto est, *Mentiri est contrà mentem ire.* Veritas operationis, quæ alias vocatur fidelitas, est convenientia actionis cum promissione. Hæ quatuor veritates sunt perfectiones simpliciter simplices, hoc est non sunt mixtæ aliquâ imperfectione; adeoque æquè sunt in Deo, ac in creaturis, immò in eo sunt prius, excellentius, eminentius. Et quidem in Deo est veritas essentiæ; nam si ideo inquit sanctus Thomas creaturæ sunt veræ veritate entis, quia aliquo modo sunt conformes essentiæ Divinæ, & ideæ, quam Deus habuit de iis ab æterno; à fortiori essentia Divina est vera, veritas prima, primitiva, radicalis, suprema, quia est forma exemplaris, idea, prototypon, principium omnis esse. Veritas itaque essentiæ in Deo, ut propriè loquamur, nil aliud est, quem ipsa Divina essentia, quatenus continet in se omnes perfectiones possibiles, & intelligibiles, & ita est regula, idea, exemplar totius esse.

1. Part. q. 16. art. 5.

Secundo est in Deo veritas cognitionis adeo certa, & infallibilis, ut nec in minimo falli possit, nam in nobis error, & falsitas procedit ex eo, quod noster intellectus vel nec percipiat nisi mediantibus sensibus, qui sæpe eum decipiunt per repræsentationem, vel nil cognoscat nisi per discursum, & ratiocinationem, quæ sæpe ex præmissis falsis falsum infert, adeoque falsa est, vel etiam sæpe infert falsum ex præmissis veris. Deus autem omnia cognoscit seipso, per unicum actum purissimum, simplicissimum, simpliciorum actu, quo nos cognoscimus prima principia. Tertio reperitur in Deo veritas verborum, nam nunquam hæc deviant ab ejus mente, loquitur prout intelligit, nec potest mentiri, sicut non potest non esse Deus, adeo aversus est à mendacio, ut puniat omnes mendaces. *Est autem Deus verax. Impossibile est Deum mentiri. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Vltimo in Deo invenitur veritas operationis, quia nunquam violat promissa: *Quæ procedunt de labis meis non faciam irrita.* Tanta est convenientia inter ejus dicta, & facta, ut ea sint sinonyma in sacra scriptura: *Dabar, videamus hoc verbum, quod fecit Dominus.*

Rom. 3. v. 4. Heb. 6. v. 18. Psal. 88.

Hæ quatuor species veritatis, quas adoramus in Deo, sunt velut quatuor columnæ, quæ sustinent lectum ejus justitiæ, vel ut melius dicam, sunt quatuor consiliariæ, quæ sedent in ejus tribunali, & jus dicunt omnibus reis. Veritas essentiæ decidit casum juris, veritas cognitionis casum facti, veritas verborum pronunciat sententiam, veritas operationis eam exequitur. Et sanè, id ad stuporem benè docuit sanctus Joannes Evangelista, in quadam visione mystica, quam recenset in principio suæ Apocalypsis. Ille vidit verbum incarnatum Jesum Christum nostrum Salvatorem, ille habuit capillos albos instar civis, oculos scintillantes velut flammæ ignis, ex ore ejus prodibat gladius ex utraque parte acutus, *vox illius tanquam vox aquarum multarum*, quæ decurrent in torrente: circumstantiæ hujus visionis ad

Cap. I. v. 13

ad vivum, exprimunt quatuor veritates, de quibus loquimur. Crines habet albos instar nivis, en veritatem essentiæ. Oculi scintillant velut flammæ ignis; en veritatem cognitionis. Vocem habet susurrantem velut torrens, en veritatem operationis. Verbum de qualibet loquamur, & videbitis magnam differentiam inter Deum, & homines; quoad decisioné juris, quoad cognitionem facti, quoad prolationem sententiæ, & ejus executionem.

PVNCTVM PRIMUM.

Varitas essentiæ ostendet gravitatem peccati Divinis perfectionibus oppositi, quod significatur Apoc. primo, v.14. *Caput ejus, & Capilli candidi sicut nix.*

III. PRima differentia est, quod homines in hoc mundo sæpe non judicent juxta gravitatem criminum, quia pro regula sententiarum habent leges, & edicta Principum, quæ juxta enormitatem scelerum non statuunt pœnas, sed juxta damnum, & ruinam, quam Reipublicæ inferunt. Herus, qui deflorat, & infamat ancillam gravius peccat, quã ancilla, quæ committit furtum domesticum, & tamen iustitia humana gravius punit furtum ancillæ, quam adulterium heri. At in iustitia Divina ius dicitur iuxta gravitatem criminum, & hæc gravitas mensuratur iuxta oppositionem, quam habent peccata cum perfectionibus Divinis. Quærunt Theologi, an iudicium universale futurum sit de die, vel nocte, nec quæstio hucusque bene decisa est. Nos porrò habemus ex scriptura in pluribus locis, quod tempus iudicii vocetur dies. Psalmo quadragesimo, & quadragesimo octavo vocatur dies mala, & alibi apertè vocatur dies Domini; nam quamvis sol sit obscurandus, & alia astra caligine obducenda, attamen illa dies lucidissima erit, & iudicium, illud fiet in magna claritate, alacritate, quæ procedet à corporibus gloriosis, claritate spirituali, nempe lumine interiori, quo nos cognoscemus perfectiones Divinas, & nostras imperfectiones. *Deus manifestè veniet; illuminabit abscondita tenebrarum.*

Diximus veritatem essentiæ Divinæ In Deo nil aliud esse, quam ipsam essentiam, quatenus est cumulus, & thesaurus omnium perfectionum conceptibilium. Verum quidem est, quod reprobi non sint visuri facie ad faciem essentiam Divinam, & eius perfectiones, sed tamen cognoscent clarè, & evidenter, quod essentia Divina sit infinitè perfecta, & dotata numero infinitarum perfectionum, videbunt esse oppositionem naturalem, nec essentiam infinitam inter Deum, & peccatores, inter eius perfectiones, & peccatum; *Mane astabo, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Erit cum stabo ante tuum tribunal, id significat tò *Astabo*, & qualicunque hora id fiet, illa erit pro me matutina. Hebræi tempus matutinum vocant *Bohel*, quod derivatur à Bahal, & significat discernere, distinguere, quia mane, dum oritur aurora, incipimus ea discernere, quæ de nocte non vidimus.

Quam-

Quamdiu sumus in hoc mundo, degimus in tenebris, nos quidem audimus prædicari veritates fidei, sed eas non videmus. *Fides ex auditu.* Habemus fidem, sed non evidentiam. *Argumentum non apparentium.* Et ideo res fidei nos acriter non pungunt, eas parum apprehendimus, parvum, vel nullum effectum in nobis producunt. Verum, dum stabimus ante tribunal Dei dicere poterimus: *Sicut audivimus, sic vidimus.* Dum hoc mane orietur, tunc incipiemus videre, quæ tantum ex media parte credidimus, nos tunc ea apprehendemus veluti magni momenti, quæ nunc nobis non curanda apparent. *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Tunc clarè videbimus Deum esse infinitè potentem. Tunc videbimus, quanta sit audacia contra eum insurgere. Infinitè est sapiens, qualis ergo non erit stultitia ejus monita sprevisse? Est infinitè bonus, qualis ergo debet esse malitia ejus offensa? Est immensus, ubique præsens, qualis ergo non erit impudentia tot levitates coram eo patrasse? Est infinitè justus, qualis ergo non erit temeritas ejus vindictas non timuisse? Est infinitè misericors, qualis ergo non erit cæcitas ejus gratias nõ ac quisivisse? Est infinitè liberalis, qualis ergo non erit ingratitudo ejus abusum esse beneficiis? Est infinitè perfectus, & ipsi est impossibile, immò impossibilissimum, quod grata habeat, approbet peccata, & minimam imperfectionem voluntariam impunitam linquat.

Psal. 41.

Videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, videbimus tantam esse antipathiam, & contrarietatem inter Deum, & peccatorem, ut sese compati non queant, & quidem minus, quam ignis, & aqua, lux, & tenebræ, forma, & privatio. *Neque habitabit juxta te malignus.* Hebræus legit *lo jegurtz*, *non hospitabitur.* Peccator nec per transennam poterit esse tecum. *Non resurgent impii in judicio.* Hebræus legit. *Lo jatumu, non stabunt, non subsistent.*

Psal. 9. *Psal. 2.*

Hoc erit horrendissimum, maximè formidandum, insupportabile, Deo præsentari cum peccato, causam habebimus tremendi, præ horrore rigendi, dum videbimus solem offuscari, lunam tingui sanguine, stellas è cælo decidere, fulgura continuò corruscare, tonitrua suo boatu nos stupefacere, gladios ubique evibrari, terram tremere, mare inundare, animalia mugire, rugire; ululare, feras sylvestres è speluncis suis prodire, & totum mundum inverti. Quo non horrore percelleris, si unum tantum horum portentorum videas? Omnia videbis, nec de hoc dubites, verbum Dei non potest mentiri, tu illa videbis, & mille alia, quæ recenset, & præ timore arefces. *Arescentibus hominibus præ timore.* At enim verò, omnia hæc nihil erunt in comparatione puncti, quod tracto. Omnia hæc prodigia horrenda, *Initia sunt dolorum*, inquit noster Assertor. Id quod magis apprehendes, quod sufferre non poteris sine dolore inconceptibili, est coram Deo infinitè perfecto comparere cum minima imperfectione.

Luca 24.

Ecce venit Dominus exercituum inquit Propheta, *& quis poterit cogitare diem adventus ejus?* Non dicit, *Quis volet*, sed *Quis poterit?* Adventus Filii Dei ad judicium adeo erit formidandus animæ peccatrici, & tanto timore cruciabitur,

Malach. 3. v. 2.

bitur, eò quod illi debeat præsentari, ut sola consideratio hujus rei intolerabilis sit, quia non poterit subsistere in ejus præsentia. *Quis stabit ad videndum eum?* Filius insuper Dei sic nos monet: *Attendite vobis, ne corda vestra graventur crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, ut digni habeamini stare ante Filium hominis.* Non dicit, ut possitis evadere flam̃as inferni, societatem Dæmonum, carcerem tenebrosum, sed ut digni sitis, qui compareatis coram Filio hominis; nam reliqua supplicia collata angori, & pœnæ, quam experietur peccator, quod debeat sisti Deo infinito, puro, & sancto in peccato mortali nil sũt. Hoc fuit ostẽsũ in visione sancto Joanni. Vidit Deum habentem caput instar senis, capillos albos sicut nix, & ad hujus conspectum adeo fuit conterritus, ut ceciderit in terram velut mortuus.

Psal. 9.

Luca. 23. v 34.

Psal. 2.

Hic candor, qui est naturalis nivi, significat puritatem, sanctitatem, veritatem essentiæ Divinæ, quæ consistit in hoc, quod nil habeat admixtum ex non esse, & ex nihilo. Cum peccator hoc viderit, clarè cognoscet hanc Divinam essentiam è diametro, & infinitè opponi peccato, quod est horribile nihil, dumque videbit se maculatum peccato, non poterit subsistere ante Deum, videbit se esse indignum, ut Deus ei januas cæli aperiat, & eum permittat intrare. Potius se abdet in abysso inferni, ibique libentius æternaliter permanebit, quam quod tam exiguo tempore sit coram Deo, vel cum minimo peccato. *Ibunt hi,* non dicit *Proiicientur, trahentur*, sed *Ibunt in supplicium æternum.*

Luca 24.

Malach. 3. v. 2.

PVNCTVM SECVNDVM.

Oculi ejus tanquam flamma ignis. Veritas cognitionis, quæ intimas radices actionum intuetur.

IV. SEcunda veritas est, veritas cognitionis, quæ denotatur per oculos fulgurantes velut flamma ignis, quos sanctus Joannes Filium Dei conspexit habere. Quantumvis sis oculatissimus, tamen plura sunt, quæ oculos tuos subterfugiant, quia lumen, per quod vides, non est in tuo oculo, sed in objecto, & si lumen extinguatur, aut subducatur, objectum non videtur. Si autem lumen, per quod vides, foret in tuo oculo, & ex illo derivaretur, uti dicitur de Imperatore Tiberio, tu omnia videres etiam inter densissimas tenebras. In tribunalibus hominum, quamvis judices sint æqui, justi, irrefragabiles, docti, judiciosi, veri Areopagitæ; attamen queunt falli, quia non vident per lumen iis inditum, sed juxta informationem partium, testium depositionem. Deus vero habet lumen in suis oculis, oculi ejus coruscant sicut ignis, ex se, & per suam scientiam infinitam judicat, nec potest se fallere, aut falli. *De vultu tuo judicium meum prodeat.*

Hinc sanctus Augustinus devotissimè dicit. *Tu scis Domine, unde veniat spiritus, ubi sit, & quo vadat, & utrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur; & non tantum intentionem; sed etiam radicis medullam intimam, disertissimà veritatis tuæ Luce colligis, numeras, contueris, consignas, cumque hæc diligenter considero ingenti timore*

perturbor; quia magna nobis est indita necessitas, juste recteque vivendi, quippe qui omnia facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. Viden paulisper tulipas, rosas, narcissos in area plana, nil est adeo gratiosum, jucundum, coloratum, gratum oculis, sed paulisper intuere radicem, ex qua pullulant, quia nil est adeo terreum, distortum, ingratum, quam illa sit, viden illas betonicas, seu veronicas coronarias, aut lilia, nil est adeo odoriferum, sed olfac scapum, ceu caulim, & nil adeo malè olebit. Tu adstas altari, tu sacrum magna cum reverentia celebras, nil gratiosius; magis odoriferum, & acceptius Deo, & hominibus est illà actione. Quod si celebres eo fine tantum, ut capitellum lucreris, aut devotus habearis, nil est adeo vile, terrestre, & malè olens apud Deum, quam hæc prava intentio. Tu tuam privignam continuò objurgas, agitas, vexas, & hoc ut ejus emendes defectus, uti tu dicis, ô insignem radicem, ô sanctam intentionem! sed Deus oculo linceo intuetur medullam, ille videt, quod hæc inclinatio ad corrigendum, & imprecandum proveniat, ab aliqua aversione naturali, quam habent novercæ erga privignas. Tu bis, vel tertiò accedis tuum Patrem spiritualem, apparenter, & ut tu judicas, ut ab illo instruaris, sed reipsâ hoc fit, vel potest fieri ex sensualitate, adeo latente, & secreta, ut tu illam non discernas, sed Deus eam videre tantum possit.

Quando hæc considero, ingenti timore perturbor, video quod obligemur, nostra facere maxima cum cautela, intentione purissima, cum omnibus circumstantiis requisitis, quia illa facimus. *Ante oculos judicis cuncta spectantis,* qui omnia librat, omnia lustrat, ponderat, examinat, an non minimus nævus in opere lateat.

PUNCTUM TERTIUM

Ex ore ejus gladius utràque parte acutus. Vox locutionis, quæ in divitibus, & pauperibus punit qualibet peccata; gravia, & levia, interna, & externa.

V. ET sicut cognitio Divina semper est conformis veritati sui objecti, ita ejus, verba, & sententiæ, quas profert, sunt semper conformia veritati cognitionis. Sanctus Evangelista vidit ex ejus ore procedere gladium ex utràque parte acutum. Justitia humana ex una tantum parte scindit, ponit solum reos debiles, parvos, pauperes, omni patrono carentes; magnis econtra divitibus, potentibus, qui patronos habent, parcit. Deus econtrà ex utràque partè scindit, ille neminem acceptat, sed omnes sive pauperes, sive divites, quos reos invenit, punit. Justitia humana tantum punit crimina exteriora. Iustitia vero Dei tam exteriora, quam interiora, dispositiones cordis, affectus, desideria, inclinationes voluntarias. Quod si abstulisses quinque solidos, homines te ob furtum quinque solidorum punirent, esto plus abstulisses, si plus invenisses; aut quia timebas, ne hoc adverteretur. Verum Deus punit ob illam summam, quam voluisti accipere. Homines puniunt tantum enormia scelera,

lera, quia *De minimis non curat prætor*; Verum, justitia Divina etiam punit minimos defectus, peccata venialia, verba
Matt. 2. otiosa, cogitationes inutiles. Iustitia humana punit peccata positivà, & non peccata omissionis, sed Deus utraque castigat, & damnat eos, qui occiderunt, & eos, qui permiserunt mori mendicum fame, eum non pascendo,
Mich. 2. v. 1. aut pauperes languère inopià. Iustitia
Matt. 25. hominis tantum scindit ex una parte, quia occidit corpus, non animam, confiscat bona temporalia, non æterna, pri-
Ierem. 1. v. 10. vat creaturis, non creatore. Ieremias clamat: *Heu, Heu Domine pervenit gladius tuus usque ad animam.* Et sanctus Iudas ait, ignem illum temporalem, qui consumsit sodomitas in hac vita, fuisse initium ignis infernalis, quo comburentur in altera.

Verbum Dei semper est conforme ejus cognitioni, ille videt, quod in quolibet peccato sint duæ dissonantiæ, nempe aversio à Deo, & conversio ad creaturas, ideoque pœnâ duplici damnat peccatorem, pœnà damni: *Discedite à me*, pœnâ sensus; *Ite in ignem æternum.* Ille scit quod peccator offendat majestatem infinitam, adeoque mereatur pœnam æternam, & quia non est capax pœnæ infinitæ in activitate, ideo eum damnat ad pœnam infinitam in æternitate.

PVNCTVM QVARTVM.

Vox ejus tanquam vox aquarum multarum. Veritas operationis, quæ prolatam sententiam exequitur.

VI. IVstitia hominum sæpe pronuntiat sententias, quæ non mandantur executioni, quia reus appellat, quia libellum porrigit supplicem, quia elabitur è carcere, quia princeps eum absolvit: Iustitia Dei nullam fert sententiam, quæ non mandetur infallibiliter executioni. *Opera manuum ejus veritas, & judicium.* Psal. 110.

Veritas operationis in Deo est conformitas operum cum suis verbis. Vox ejus non est similis tonitru, quod tantum tonat, non sono campanæ, aut clangori tubarum, qui nullum producunt effectum, sed torrenti, qui dum sævit, & strepitum edit, vastat, & proterit, ripas perrumpit, pavimenta, & vias stratas evertit, aggeres deiicit, & quævis obvia, perdit, conterit, & annihilat. *Vox ejus tanquam aquarum multarum.* Vox Dei idem agit, quod torrens, quam primum pronuntiat aliquam sententiam; statim eam exequitur. Reprobis dicet: *Ite maledicti*, & hoc dicendo eos præcipitabit; ita ut nulla creatura, neque in cælo, neque in terra, effectum horum verborum suspendere possit. Nil tunc juvabunt intercessio Deiparæ, preces sanctorum, actus submissionis, lacrymæ pœnitentiæ, proposita emendationis, orationes humiles, & ferventes, quæ revocare, minuere, suspendere, alterare illam sententiam per totam æternitatem sæculorum possint. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Psal. 118.

✠) (o) (✠

CONCLVSIO.

Paraphrasis illorum verborum, tunc videbunt Filium hominis, &c.

VII. T*Unc videbunt. O Tunc*, quam amarum es animabus mundanis, quæ non amant nisi *Nunc*, tempus præsens, futurum, quia tempus futurum iis est fatale, & funestum. *Videbunt.* Tunc vestræ videbunt hypocryses, proditiones, vestræ cogitationes stultæ, vestræ molitiones ambitiosas, peccata commissa in occulto, immundities, abominationes, bestialitates. *Videbunt.* Tunc apparebunt vestræ insignes occasiones, quas stultè elabi permisistis, dum tamen iis salutem operari potuistis, inopes, quibus subvenire potuistis, prædicationes, quas potuistis audire, sacramenta, quæ recipere, indulgentias, quas lucrari, bonos, quos imitari potuistis. Quod si ego illi viduæ in illa lite opitularem manum porrexissem, si meum vicinum ægrotum visitassem, si illam puellam levem, cohibuissem, ego gratiam Dei promeruissem. Si tali concioni interfuissem, dum ivi spatiatum, ego fuissem tactus, & emendatus, si ego tali fuissem confessus, qui me non novit, ego non fuissem absolutus.

Videbunt. Videbuntur probi, qui tecum vixerunt in eadem urbe, in eadem parochia, in eadem platea, ejusdem tecum conditionis, & status, ex eadem familia commorari, & sedere in aere, inter sanctos prope nostrum Salvatorem: *Obviam Christo in aera*, dum tu repes super terram inter reprobos apud Dæmones. Hem dices, quis hoc putasset, quod illa paupercula femina, quæ tam parum habuit apparentiæ, quod ille opifex, qui videbatur esse adeo simplex, quod ille meus servus, quem tractavi velut vermem terræ, ad tantum evehendi fuissent honorem? Siccine ego, qui fui consiliarius, Thesaurarius, Abbas, qui adeo fui doctus, sapiens, judiciosus, in æstimatione mundi, sim vilipensus? Tu mea paupercula ancilla, tu me prudentior fuisti; dum meæ restitisti voluntati sensuali, meæ importunitati impudenti, si tu votis meis annuisses, ego te perdidissem, tu mecum fuisses damnata, bene ergo fecisti, quæ meum servitium deserveris. Charissima mater, tua non est culpa, quod tecum non sim salvatus, tu sæpius perstrinxisti meas vanitates, tu sæpius me rogasti, ne conversarer amplius cum illo adolescente, qui me deturbavit in præcipitium. Amantissime parens, ego sine dolore te aspicere non possum, eheu, mea solum est culpa, meus est defectus; quod tecum non sim beatus, si ego tibi obedivissem, dum meas punivisti petulantias, dum jussisti, ut orarem, ut irem ad confessionem, ut vitarem prava consortia, jam salvus essem.

Videbunt Filium hominis. Quam non fuerunt exanimati, & consternati Filii Jacob, dum postquam suum fratrem Joseph tam malè tractassent, & vendidissent, coram eo constituti viderunt eum esse Proregem Ægypti, audiverunt ab ipso hæc verba: Ego sum frater Joseph, quem vendidistis in Ægyptum? In quonam non eris tu angore, & apprehensione, quando videbis Filium Dei, quem toties offendisti, & contempsisti,

psisti, stipatum suis Angelis, in gloria sui Patris splendoribus radiantem in solio suæ majestatis, in suo tribunali justitiæ sedentem, ut te damnet? Quomodo non eris exterritus, dum audies hæc verba: Ego sum tuus salvator, quem tu vendidisti pro uno imperiali, pro falso testimonio? Ego sum ille, quem tu ejecisti è corde tuo ob unam voluptatem bestialem, cujus vultum per tuas blasphemias prostitisti, quem per tua sacrilegia, & impudentias conculcasti? *Videbunt in quem transfixerunt.* *Ioann.* 19

Filium hominis Gaude: (alloquitur sanctus Augustinus animam electam:) *qui nunc est tuus advocatus, tunc erit judex tuus.* Ille tuum ius novit, ille scit puritatem tuarum intentionum, amorem tui cordis, sinceritatem tuorum affectuum erga se. Ille ô virgines devotæ, qui modo est vester sponsus, tunc erit vester iudex, ille vobis tunc erit favorabilis, ille recordabitur deliciarum, quas eius amore sprevistis, mortificationum, quas amplexatæ estis, persecutionum, quas amore eius tolerastis. *Filium hominis*, hoc est Filium virginis. Sed qualem non sentient dolorem, qui eius neglexerunt servitium, nam eius mater eum placasset, & eum tibi reddidisset propitium, & favorabilem, dummodò quotidiè ejus recitasses coronam, si in confraternitate Rosarii, & monte Carmeli tuum fecisses?

Venientem in nube. Lectus eius iustitiæ erit nubes, ex ea fulmina, & grandines in reprobos pluet: *cum potestate magna*, potenter vindicabit iniurias, quas ei irrogasti, rigorosè suos hostes puniet, ita ut nemo illi resistere queat. *In nube*, nubes quæ destinabit, & stillabit roseum mel, dulcedinem, gratias, benedictiones in prædestinatos. *Cum potestate magna, & majestate.* Hæc maiestas Divina, hic Rex cæli, & terræ regaliter tractabit suos amicos, illos replebit gaudiis, deliciis, opibus, & felicitatibus æternis. Amen.

SERMO TRIGESIMUS OCTAVUS

Pro Dominica decima post Pentecosten.

Peccatum mortale nos privat felicitatibus cæli.

Publicanus à longe stans, nolebat oculos ad cælum levare Lucæ 18.

EXORDIUM.

V. VArias adducunt rationes sancti Patres, cur Publicanus noluerit, id est non fuerit ausus ex verecundia, humilitate, & reverentia oculos in cælum leva-

levare, Eccur hoc? Nonne melius fuisset oculos in cælum levare, ut ita misericordiam consequeretur, & magis animaretur ad pænitentiam, & contritionem eliciendam? Sanctus Chrysostomus respondet, ,cum oculos in cælum levare noluisse, *Quasi* se indignum æstimans, qui cælum, ubi Deus gloriæ residet; respiceret, quare dimissis in terram oculis sese humiliabat, & meritò, quia quomodo ille cælum auderet aspicere, qui nullam porportionem, & convenientiam cum cælo habet; publicanus erat peccator, & ideo oculos ad cælum sublevare non fuit ausus, quia peccatum mortale nos privat felicitatibus cæli, & nullo modo nos aptos relinquit, ut cum beatis in cælo habitare possimus, ut cum Auctore hac concione ostendam.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, Psal. 14.

II. In hac sententia formidanda, quam Filius Dei pronuntiabit in judicio contra reprobos, duas pœnas possumus observare, pœnam damni, & pœnam sensus. Pœna damni, per quam eas longè à se abiicit, & à Regno cælorum proscribit, exprimitur hisce verbis, *Discedite a me*; pœna sensus, per quam eos condemnat ad flammas inferni, hisce, *In ignem æternum*. Prima eò est grandior, quò minus apprehenditur. Vt tamen eam apprehendatis, ego hunc discursum dividam in duo puncta. In primo conabimur per quasdam conjecturas cognoscere immensitatem bonorum, quæ sunt in cælo, ponderando locum in quo erimus, societatem, qua fruemur, actiones, quibus occupabimur. In secundo ostendam vobis per easdem ponderationes, quod dum committimus peccatum, nec vivimus in hoc mundo, sicut debemus, nulla sit apparentia, quod unquam illis bonis fruemur. Possumus viâ rectâ concedere ad cælum, sed tamen nequimus aliter intrare, quam per portam, hoc est per tuam sanctam mediationem, O sancta, & Benedicta Virgo. Id disce ab Ecclesia, quæ te quotidiè in suis devotis præcibus vocat *Januam cœli*. Sicut Jesus descendens è cælo, per te voluit intrare mundum, ita nos in exitu ex hoc mundo te indigemus, ut cælo admittamur. Et hæc est causa, cur sperare debeamus, quod nempe sis porta omnibus ad te confugientibus patens. *Per via cæli porta manes.* Pauperes, & divites, magni, & parvi, innocentes, & pœnitentes intrabunt in curiam cœlestem, si ad te confugiant, sicut nos modo devotè facimus, te salutando: AVE MARIA.

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Deus destinavit homini tres habitationes pro triplicis exercitio vitæ, pro vegetativa, sinum matris, pro sensitiva, hunc mundum, pro rationali, paradisum, & quantò secunda antecellit primam, tantò tertia secundam.

II. NOnnulli Discipuli Aristotelis, dum

dum considerant magnam diversitatem actionum, quas exercemus in hoc mundo, ausi sunt adstruere; tres dari animas in homine, vegetativam, sensitivam, & rationalem. Et quidem hoc punctum in Philosophia bene deciderunt, & velut indubitatum habetur, quod esto homo non has tres animas in sua forma specifica, & essentia haberet; attamen eas contineat eminenter, & in virtute, ita ut omnes proprietates, & qualitates earum habeat, & distinctè, ac diversis temporibus omnes earum actus eliciat. Ad hunc effectum Deus homini tres mansiones assignavit, ut particulariter has tres vitas exerceret, sinum matris, hunc mundum, & cælum empyreum. In sinu matris elicit actus vitæ vegetativæ, nam nutritur, & crescit velut plantæ, & natura eum præparat ad actiones vitæ sensitivæ, nam ideo format in eo sensus, & membra. In hoc mundo perfectè producit actus vitæ sensitivæ, quia videt, comedit, ambulat velut animalia, & gratia eum disponit ad vitam rationalem, & ideo in hunc finem in eo efformat facultates, & potentias. In cælo empyreo elicit actus vitæ rationalis, quia cognoscit, contemplatur, amat, possidet Deum velut Angeli. Et sicut secunda mansio est incomparabiliter nobilior, commodior, optabilior primâ, nempe mansione mundi, mansione sinus materni; ita tertia est incomparabiliter nobilior, commodior, optabilior secundà, nempe cælum empyreum mundo.

Supponamus, quod aliquis embryo in utero matris habeat usum rationis, & quod communicet ibi suos conceptus, & hæc anima loquatur, cum anima suæ matris, hoc inquam supponamus, nec erit dubium, quin anima matris eam sic affetur: charissima filia, Locus, in quo modo es, non est nisi miser carcer, attamen in hoc te solari debes, quod non diu sis in eo mansura, quia intra paucum tempus egredieris, & intrabis domum valde amplam, spatiosam, pulchram, commodam, & incomparabiliter magis gratam, quam sit locus in quo modo es. Tu commoraris in arcto ergastulo, in tenebris, in quodam antro, post tuam nativitatem incoles domum amplam, luminosam, & vigesies, centies, millies vastiorem locum habebis, quam sit locus, in quo modo es. Tunc ambulabis per conclavia, hortos, atria vasta, & spatiosa, areas, & campos latos, nunc sola es, nec cum alio, quam mecum agis. Post nativitatem tuam, cresces, ages cum aliis, conversaberis cum tuis fratribus te natu majoribus, cum aliis. Nunc solum crescis, & imperfectè nutriris, absque ulla voluptate, sensu, motu; sed cum edita fueris in lucem, tu usum habebis sensuum, tu videbis insignem solem, qui est in cælo, flores venustas, qui sunt in hortis, tu percipies musicas concinantes, tu comedes fercula delicata, fructus saporosos, dulces, sapidos, gratos ex omni genere.

Quod si mater hæc omnia loqueretur ad suam prolem, illa nil horum crederet, nec vellet exire ex hoc antro, diceret non esse aliam vitam, nec locū, quam eum, in quo est; aliam domum de qua est sermo, esse incertam, & dubiam, quod nos vocamus nativitatem, illa appellaret mortem, illa apprehenderet deliquia, & alia accidentia successiva

in

in suo ortu immensum sentiret dolorem, dum ex illa pelle, quæ eum cingit, exire deberet, non minus, quam nos valde cruciamur, dum nostrum corpus, & nostra bona deserimus, comprehendere nequiret, nec aliquis ei bene explicare posset, quid sit lumen, sol, flores, horti, & quomodo omnia illa fiant, quia horum nil simile vidit, quidquid ei mater diceret, reputaret somnia, & fabulas, ac figmenta, & tamen nos videmus ea esse verissima, & quamvis experientia ea non monstraret, tamen evidenter ratione naturali id demonstrare possemus, si polleret usu rationis, possemus namque ei dicere; si semper debeas concludi intra viscera tuæ matris, eccur natura, quæ nil facit frustra, tibi efformaret membra, si nullum esset lumen, nullus sol, flores, cibi, eccur haberes sensus, quos natura tibi dedit, ut posses frui his obiectis? cur haberes pedes, linguam, oculos, aures, si non deberes incedere, loqui, videre, audire?

Ecclesia, quæ est tua mater tibi dicit, quod hic mundus sit quoddam antrum cælo collatum valde arctum, dum exiveris ex hoc carcere, quod sis ad mittendus cælo, quod infinitè est grandius, delitiosius, pulchrius, quam terra, quod fruiturus sis conversatione Angelorum, lumine gloriæ, essentiâ Divinâ; quod eum sis visurus facie ad faciem, quod eo gaudebis, quod eum amabis, quodque eum perfectè possidebis. Verum enim verò, tu hæc non credis, tu dicis, quid est cælum empyreum, quid sunt Angeli, quid est lumen gloriæ, quid est essentia Dei? Tu putas quod hæc sint arces in aere fabricatæ, & tamen sunt verissima, & quamvis nemo tibi bene possit explicare quid sint, quia nemo est in mundo, qui ea vidit; attamen reipsâ sunt, & existunt, & si habeas vel granum judicii, validis argumentis tibi ostendere possumus, quid sunt. Tu habes intellectum, cuius obiectum sunt res merè spirituales, & à materia separatæ, voluntatem, quæ nulla satiatur re finita, sed quæ infiniti capax est, inclinationem, quæ tendit ad vitam æternam, & durabilem; cum ergo nullum sit obiectum spirituale in hoc mundo, nulla creatura infinita, nulla vita æterna; cum natura, & gratia nil faciant frustra, & illæ tibi dederint hunc intellectum, hanc voluntatem, hanc inclinationem, consequitur, quod debeas habere alium locum post hanc vitam, locum in quo tuæ potentiæ possint reperire suum proprium obiectum, & exercere actus proprios suæ naturæ.

Homo itaque in sinu suæ matris vivit sicut planta, postea vero dum incipit aliqualiter moveri, & sentiri, nascitur, & in hoc mundo perfectè sentit, & movetur, quod est proprium animalibus, dein incipit parum intelligere spiritualiter, & contemplari Deum, & intrat cælum, in quo vivit vitâ intellectuali, & perfectâ sicut Angelus: *Erunt sicut Angeli Dei*, Ille exit è prima habitatione deficiente nutritione, sed urgentibus fortioribus sensibus, & motibus, quam unquam ante habuerit. E secundo egreditur deficiente sensu, & motu, sed robustiori spiritu, & ratione, quam unquam ante. Exitus è primo loco vocatur nativitas, è secundo similiter ab Ecclesia ortus appellatur: *Natalitia sanctorum*, quia exit,

exit, ut intret tertium locum gratiosiorem, excellentiorem, feliciorem, quam duo priora loca.

PVNCTVM PRIMVM.

Considerat locum, societatem, actiones beatorum. Locus primo est spatiosus, secundo purus, tertio ornatus. Societas beatorum est gratissima primò ob pulchritudinem corporum, secundo ob excellentiam animi, tertio ob dominium animæ in corpus. Actiones Beatorum sunt jucundissimæ, primo in intellectu visio Dei, secundo in voluntate fruitio, & adimpletio omnium desideriorum, tertio in memoria recordatio, & laus à Deo bonorum operum.

III. Tres circumstantiæ summè faciunt ad pulchritudinem, & amœnitatem unius domus, ut nempe sit ampla, munda, ornata, & variegata. Hortus tunc æstimatur, quando viæ sunt elegantes, largæ, longæ, ita ut exitus non videatur, quando semitæ non sunt lutosæ, Petrosæ, quando in eo nullæ sunt sentes, si topiariis sit ornatus, arbores concinnè, & eleganter per quincuncem digestæ, plures domunculæ, planci, flores, & virores encausticè picti.

Magna est differentia, vel ut melius dicam, oppositio inter virtutem, & vitia. Vitium est via larga, strata, declivis, ducens ad abyssum, ad carcerem profundum, arctum, obscurum incommodum. Sancta Teresia quodam die vidit locum in inferno sibi paratum' nisi Deus per suam misericordiam eam præservasset à peccatis, in quæ ejus naturalis inclinatio nimis levis eam agebat. Illa nobis ansam præbet, nobis imaginandi illum locum veluti quandam cavernam, & antrum, in quo quis sit reclusus, obstructus, conseptus, compressus, conquassatus, ita ut nec in minimo se movere possit ad accipiendum aliquid refrigerii, inter ardores ignis valdè ardentis, & insupportabilis. Virtus econtra est ascensus, & clivum, via arcta, & difficilis quidem ambulatu, sed ducens ad locum largum, sublimem, luminosum, gratum, deliciosum, ad vivarium voluptatis, paradisum cælestem. Propheta Baruch non videtur posse invenire verba, quæ satis expriment ejus vastitatem. *O Israel, quam magna est domus* Dei, *& ingens locus possessionis ejus. Magnus est, non habet finem excelsus, & immensus.* *Baruch. 3. v. 24.*

Astronomi certò, & clarè cognoscunt magnitudinem stellarum, quas vides in cælo octavo in hieme, dum cælum valdè serenum est, & id ostendunt per demonstrationes evidentes, ita ut nulla sit, quæ non sit major totà terrâ, & eas distinguunt in sex diversas magnitudines. Illæ porrò, quæ sunt ex primæva, & magnitudine notabiliori, sunt centies, & septies majores totà terrà, & tales sunt septemdecim. Illæ quæ sunt ex secunda classe, magnitudinis sunt vigesies quater, majoris terrà, & tales sunt quadraginta quinque. Illæ, quæ sunt ex tertia classe, sunt sexagesies, & bis majores, & tales sunt ducentæ, & octo.

Illæ, quæ sunt ex quarta classe, sunt quinquagesies quater terrâ majores, & tales sunt sexaginta quatuor, illæ, quæ sunt ex quinta classe, sunt trigesies, & quinto majores terrâ, & tales sunt ducentæ septemdecim. Aliæ, quæ sunt ex sexta, & ultima classe, sunt decies octies majores terrâ, & firmamentum, in quo hæ stellæ sunt inclusæ in circuitu, & superficie convexa superat terram quingentis vicibus, quingentis decem mille leucis Germanicis. O admirabilem vastitatem, ô largum campum, ô longam viam, in qua possumus ambulare! Et tamen cælum empyreum incomparabiliter est majus, nam sicut globus cælestis, quo est altior, eo est vastior, & spatiosior, cælum empyreum maximum esse debet, cum inter hoc, & firmamentum interponantur adhuc duæ sphæræ cælestes, putà cælum crystallinum, & primum mobile.

Apoc. 2. v. 8. IV. De ejus puritate audiamus, quid dicat Apocalypsis: *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum, ipsa civitas aurum mundum, fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata.* Structura ejus tam gratiosâ varietate, crustis, & emblematibus auri, & argenti picta est, ut nemo eam intueri possit, sol est adeo pulcher, ut Anaxagoras dixerit nil esse in mundo, quod eum contemplari possit. Firmamentum tam insigni varietate stellarum est distinctum, solum est pavimentum beatorum, & via domus cælestis. Quod si pavimentum sit adeo elegans, splendidum, micans, variegatum, quid non erit dicendum de contignationibus, muris, columnis, & aliis aulis, suggrundiis, podiis?

V. Quod si locus sit deliciosus, profectò societas longè voluptuosior est. Tria sunt, quæ aliquam societatem summè reddunt gratam, pulchritudo corporum, vivacitas animi, bona gratia corporis, & spiritus eorum, qui in illa sunt. In aliquo conventu sola elegantia vultus te fascinat, ut loqui non possis, in convivio, quod instituitur die festo, optimum condimentum, & oblectamentum est, si quis placidis, festivis, lepidisque discursibus, narrationibus convivas exhilarare possit. In una chorea, comœdia id nos delectat, si videamus dexteritatem saltatoris, aut actoris, quando dexterè, & concinnè movet, & flectit suum corpus, quando illud accommodat, & aptat rei, quam exhibere vult, verbo, quando gratiosos gestus edit. In cælo erimus in societate sanctorum, ubi corpora post resurrectionem stupenda pulchritudine erunt dotata. Tu tam solicitè curas tuam pulchritudinem corporis, ergò eam quære, quam debes, ei procura pulchritudinem, non transitoriam, non fluxibilem, quæ cum tempore marcessit, quæ à morte, & vermibus consumetur, sed pulchritudinem, durabilem, perfectam, & permanentem. Propheta Isaias, dicit, quod post judicium, *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Isaiæ 10. v. 26. Matt. 13. v. 43. Et Filius Dei dicit, *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Et alibi, *Erunt sicut Angeli Dei.* Sanctus puer Celsus conspexit Angelum prope sanctam Julianam, sanctus Valerianus alium conspexit prope sanctam Cæciliam,

am, sanctus Romanus alium prope sanctum Laurentium, & ita fuerunt admirati, ut statim fidem amplexi sint, & Martyrium subire parati fuerint, sperantes, quod semper tam perfecta pulchritudine fruituri essent; Quid enim non hauriemus solatii, dum milliones eorum videbimus pulchritudinis tam diversæ, cum omnes juxta doctrinâ sancti Thomæ specie differant?

V. Fruemur conversatione Sanctorum, & Angelorum, qui tanto ingenio, scientiâ, eloquentiâ sunt præditi, ut si maximi Doctores hujus mundi, & facundissimi oratores hujus mundi iis collati, nil aliud sint, quam balbutientes infantes, & rustici grossi, ac ignorantes. Nos erimus in societate Sanctorum, qui absoluti erunt Domini suorum corporum, qui cum iis facient, quidquid volent, qui unico momento ab oriente in occidentem, septentrione in meridiem concedere poterunt, qui è terra in cælum, è cælo in terram, uti volent, tam velociter, ac cogitant pergere, quibunt. *Vbi volet spiritus* inquit sanctus Augustinus, *protinus erit, & corpus.*

VI. Et quid faciemus in loco adeo delicioso, in tam grata societate? Occupabimur jucundissimis. Intellectus summè gaudebit, quia Deum videbit, eo delectabitur. O voluptatem, ô delectationem! ô supernam beatitudinem! Aristoteles ad verum gaudium dicit tria requiri, excellens objectum, potentiam vivam, & puram, ligamen inter objectum, & potentiam arctum. In hac delectatione objectum est essentia Divina, quæ continet omne bonum: *Ostendam tibi omne bonum,* animo concipe omnes creaturas possibiles, & imaginabiles, omnibus imperfectionibus eas denuda, exprime, & fac quintam essentiam ex earum bellis qualitatibus, excellentibus proprietatibus, perfectionibus optandis, Deus interim infinitus infinities iis major est. O quale est gàudium, quo afficitur quis ex fruitione hujus objecti! Intellectus, qui eo fruitur, est potentia viva, activa, immaterialis purus, unio, quæ inter Deum, & ipsum erit, est arctissimus omnium nexuum nexus post unionem hypostaticam, uti statim videbimus.

(margin: ...10. v. Matt. ...43.)

VII. Et Deus, non tantum erit unitus intellectui beato, sed & voluntati cum omnibus potentiis animæ rationalis, omnibus facultatibus spiritus. Hinc Augustinus: *cum adhæsero tibi ex toto me, jam non erit labor, neque dolor,* & Sanctus Gregorius Nazianzenus Beatitudinē dicit θέωρία τῆς ἁγίας καὶ βασιλικῆς τριάδος. Contemplatio sanctissimæ, & Regiæ Trinitatis, animam, illustrat, & sese totam, commiscet spiritui beato; immò omnes appetitus voluntatis erunt satiati, omnes inclinationes cordis erunt contentæ. Greg. Naz. orat. 15.

VIII. Memoria delectabitur in rememoratione omnium actionum illustrium præteritarum, nam Deus omnes repetet, & elogiis honorificis condecorabit. *Laus erit unicuique à Deo.* Nectar, & ambrosia animarum generosarum est gloria, tu adeo delectaris, si ab hominibus lauderis, ut nisi scias, id fieri adulatorie, nec seriò integrè, & totaliter non possis esse contentus,

tus, nec tuum gaudium esse plenum, quia si non seriò te laudent, ut eorum laudatione delecteris, si ostendas eam esse gratam, te irridebunt. In cælo scis, quod Deus te laudet seriò, & verè, quia cognoscit, & perspectam habet veritatem, tu potes appetere illam eandem, & in ea delectari absque periculo ullius vanæ gloriæ, immò te ipsum laudare. *In Domino laudabitur anima mea*; Hebræus legit. *Ithalel*, *laudabit se*, nam verbum est ultimæ conjugationis, Psal. 33. quam vocant *Ithpaël*, & Regula dicit, *Ithpael* in sese factum reflectit *agentis*. Tu tuas laudes recensere potes, & consequenter tuum gaudium non erit incompletum, sed completum: *Gaudium vestrum sit plenum*, & hoc æternaliter. Viden quæso magnum verbum, quod infinitum augmentum addit omni ei, quod est in cælo. Minimum epulum, & convivium, si æternaliter duret, nec unquam consumatur, & minuatur, infinitè appetibile est. Quid ergo non erit, cum fueris in viridario deliciarum, in domo voluptatis, quibus collata viridaria, & palatia, non sunt nisi exigui camini? Quale non erit gaudium frui honoratiori, deliciosiori, gratiori societate imaginabili, repleri, & inundari torrente voluptatis in anima, & corpore, intellectu, & voluntate, omnibus facultatibus, & potentiis? Esse certum, quod hic torrens nunquam sit exsiccandus, hæc societas nos delectatura, & recreatura sit per omnia sæcula, quod nunquam migraturi simus ex hoc loco quietis deliciarũ? *O sancta Sion, ubi totum stat, & nihil fluit? O securum, & felicem statum, ubi nec dignitas typhum, nec inæqualitas Zelum, nec familiaritas contemptum, nec assiduitas fastidium, nec veritas odium parit? O beatam vitam, in qua est perpetuò flos juventutis, qui non marcescit, decor pulchritudinis, qui non tabescit, vigor sanctitatis, qui non hebescit, torrens voluptatis, qui non arescit, ardor charitatis, qui non tepescit.*

Felicitas sanctorum est grata, & certa, unus alio major, & proximior Deo est, quam alter, nec tamen hæc dignitas eos reddit arrogantes, inæquales sunt in gloria, & beatitudine, nec tamen idcirco invidia eos stimulat, quotidie simul agunt, nec tamen sese invicem contemnunt, continuò deliciantur, nec tamen ideo ullâ molestiâ afficiũtur, cognoscũt clarè, & narrant id quod cogitarunt; dixerunt, fecerunt in hoc mundo, unus contra alium dum vixerunt in hac vita, nec tamen ideo sibi succensent, vel adversantur. *O Beatam vitam &c.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Ex iisdem considerationibus probatur peccatorem obstinatum immeritò sperare beatitudinem. Ex primo, an qui toties peccavit obtinebit locum, quem Angelus unico peccato perdidit? Ex secundo, an coinquinatus audebit sociari beatis, tam sanctis, & puris? Ex tertio, an Deus volet uniri in æternum animæ tam impuræ? secundo, an voluntatem contemnentium se faciet? tertio, quid laudabitur in peccatore, cum laus erit unicuique à Deo?

X. AT enimverò, quale non erit tormentum, infelicitas, mors, esse

esse privatum tali vita? Vos Charissimi Auditores eâ privabimini, nisi vos privetis voluptatibus sensualibus. Vos certè arcebimini ab hac beatitudine, nisi vitam emendetis. Illæ rationes, quæ vobis ostendunt magnitudinem hujus gloriæ, eædem vobis monstrant, quod si vivatis sicut facitis, eandem sperare non queatis. Considera, an si ita vivas, sicut vivis, ad cælum perventurus sis, quia si habeas sensum communem, dices. Si sim adeo perversus sicut modo sum, ego ad cælum non pertingam, nec id æquum est? Et quidem primo, in quo loco eris in cælo? An in loco Angelorum? Non, quia nulla anima cælo admittetur, nisi ut occupet sedem, quam unus Angelus per suam culpam amisit. Sanctus Anselmus, & Bernardus id evidenter, & fusè ostendunt, en compendium eorum discursus. Creator in initio mundi produxit magnum numerum spirituum Angelorum, qui urbem Regalem, in qua sedem suam Deus collocavit, incolerent, in eam tamen noluit eos admittere, nisi eam prius mererentur per actus humilitatis, amoris Dei, & submissionis, quo se ejus submitterent majestati; Verum dum tertia pars Angelorum ex superbia peccaret, Deus eos è cælo præcipitavit, & flammis æternis addixit; cum itaque videret plures sedes spirituum Angelicorum vacuas, homines ad beatitudinem creavit, ut ita ruinam hanc restauraret, & hierarchias cælestes instauraret, & compleret. *Vt ædificentur muri Jerusalem implevit ruinas.* Vbi Sanctus Bernardus. An indifferenter admittet homines, *in illud beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter admisit? non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? qualem putas hominem esse oportet, qui repudiati locum Angeli sortiatur plane immunem ab omni iniquitate?* Sanè si Gubernator provinciæ, vel arcis alicujus ob unicā proditionem exveretur, an unus in ejus locum sufficeretur, qui quinquaginta commisit? Non sanè. Idem ergo est in Deo, nam, qui ob unum peccatum Angelos ejecit, quomodo admittat homines, qui commiserunt plura?

Lib. 1. cur Deus homo cap. 15. Bernard. Serm. in. vigil. A. Nativit.

X. Et quæso te, cum quibus eris in cælo, si Deus te intra illud admittat? An cum Virgine? an cum sancto Joseph, sancto Ioanne Baptista? An eris inter Martyres, Apostolos, Anachoretas, Virgines? An intra eorum societatem admitteris, an eorum gloriâ frueris, an eorum delicias, & gaudia participabis? Quid? Tu blasphemus, Apostata in fide, vindicativus, porcus Epicuri, frequentator cauponarum, oppressor viduarum admittaris, ad chorum sanctorum, qui fuerunt adeo devoti, humiles, patientes, casti, sobrii, charitativi? An adeo fores effrons, impudens, ut eorum te societati ingeras, & te iis immisceas? An tu nebulo, blatro, ganeo, saltator, impurus, & levis, libertinus, te auderes societati sanctę Agnetis, Agathæ, Cæciliæ, Catharinæ, quæ, adeò fuerunt castæ, modestæ, solitariæ immiscere?

Tu quamvis vadas ad nuptias alicujus rustici, tamen scis quod debeas ad illas ire polita, compta, vestibus melioribus induta, & si mater tua illas tibi

 nolit

nolit dare, dicit, nolo ire, malo hic manere, quam ad illas ire. Quid agitur in cælo? celebrantur nuptiæ, quas Pater æternus instituit suo Filio, & suis amicis. Hoc est, quod Salvator dicit in Evangelio, & sanctus Joannes in Apocalypsi: *Beatus, qui vocatus est ad nuptias Agni.* Non vis itaque ire ad nuptias unius rustici, nisi sis bene ornata, quomodo ergo vis, quod tua anima, quæ tota est incomposita per tuas passiones inordinatas, quæ est nigrior carbonibus, quæ est magis fœtida, quam volutabrum porcorum, admittatur ad nuptias Regis cælestis? An sit matrona honesta, & proba in urbe, quæ semper secum puellam levem habere velit? An sit homo probus, qui semper vellet adesse uni venefico, proditori, aut alii perverso? Quomodo ergò tu velis, quod Filius Dei hanc injuriam irroget suæ matri, suæ Reginæ, sanctæ Margaritæ, & aliis virginibus, ut tu in earum sis comitatu? Tu inquam, quæ es filia vaga, puella levis? An putes, quod hoc dedecore afficiet sanctum Joannem, Stephanum, Martinum, ut æternaliter sis in eorum societate, tu qui es prædo, expilator, direptor boni publici, equus admissarius, & porcus Epicuri?

Matt. 22. v. 2.
Apoc. 19. v. 9.

XI. Sed quid facies in cælo, quando ibi eris, sicut speras? Qualis erit tua occupatio, tuum opus? Intellectus tuus videbit Deum, illo frueris, illum intueberis facie ad faciem? sed, dic sodes, scisne, quid sit frui Deo? Hoc nil aliud est, quam quod Deus tibi immediatè sit unitus, & conjunctus. Doctores id sciunt, nec à Theologis in dubium trahitur, quod nempe nulla species intellectualis, aut alia qualitas interponatur inter beatum, & intellectum, & inter unionem inter Deum, & animam. Et quamvis lumen gloriæ disponat, elevet, confortet intellectum beatum, ut capax reddatur operationis Divinæ; attamen nulla creatura est fibula, vel ligamen unionem inter Deum, & animam connectens, quin potius ipsa essentia se ipsam insinuat, & serpit per omnes sinus, & anfractus animi, essentia sese applicat, unit, colligat, agglutinat intimè, immediatè, profundè animæ independenter absque ulla creatura. Deus complectitur, & stringit animam valde arctè, ille sese includit in illa, ille cor conglutinat cordi, spiritum spiritui, essentiam essentiæ. An tu audeas hunc magnum Deum tam viliter, tam indignè, tam immundè per tôtam æternitatem hospitari? Si tu videres animam tuam in illo statu, in quo in statu peccati mortalis versatur, videres, quod adeo repleta sit sordibus, ut sit aqualiticus suum, cloaca hospitalis, sentina navis. Et tamen essentia non se conglutinat animæ, nec ei sese includit per unam horam, d em mensem, sed per millenos milliones annorum. Quænam ergò hujus rei sit apparentia? Audi unum Gentilem, qui plus rationis, pietatis, & judicii te habet. *Quis sit summi bonus locus quæris? Animus, qui nisi sanctus, ac purus est, Deum non capit.* Deus in illo alias habitare nequit. Hinc Augustinus: *Virtus animæ meæ, intra in eam, & coapta eum tibi, ut possideas sine macula, & ruga.* Summe Deus, quandoquidem anima mea sit creata, occupa eam, eum tibi apta, & dispo-

Epist. 81.

dispone, eam tuæ Divinæ essentiæ para; quia eam non poteris possidere, si vel minima in ea sit macula. Quomodo ergò tu putes, quod hic magnus Deus sese tibi ostendet, & te beabit, hospitabiturque in tua anima, quæ est cloaca peccatorum, & sordium? O cæcitatem!

XII. Et in voluntate, quomodo eris dispositus? Illa erit contenta, & satiata: *Voluntatem timentium se faciet.* (Psal. 144.) Deus omnes tuos appetitus quietabit tua desideria complebit, quidquid voles, faciet, nil faciet, quod noles; nam alias non fores perfectè beatus; si enim aliquid contingeret te invito, non esses omnino contentus, & quod si non fores contentus, non fores perfectè beatus, cum beatitudo sit status perfectus, in quo omnia bona collecta sunt. Nunc vide paulisper, si vel scintillam rationis habeas, an possis sperare, quod Deus per totam æternitatem sit facturus tuam voluntatem, dum tu in tuæ vitæ potissimo tẽpore, ejus voluntatem facere non vis? Quænam, quæso, est ejus voluntas? Id tibi dicet ejus Apostolus. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* (1. Thess. 4.) Vult ut sitis sancti, ut vivatis Christianè, virtuosè, sanctè, tu vis, ut Deus per totam æternitatem impleat tuam voluntatem, & nil tibi deneget, quomodo ergò audeas per totam vitam illud facere, quod ipse non vult, quod ipsi infinitè displicet, quod summè abhorret? An hoc sit esse præditum judicio, & ratione?

XIII. Verbo, memoria sanctorum recordabitur insignium actionum ab iis gestarum. Beatitudo appellatur gloria, quia datur velut laus, gloria, merces, corona gloriæ, actionibus virtuosis, & heroicis. *Laus erit unicuique à Deo.* Deus panegyricum sanctorum faciet non solum in generali, sed cujusvis sancti glorias in particulari deprædicabit. *Vnicuique.* Ille laudabit Apostolos ob labores exantlatos, ille celebrabit Martyrum patientiam, Religiosorum austeritates, Virginum puritatem. Quid autem in te laudare poterit? An dicet, talis fuit devotus, humilis, sobrius, patiens, liberalis erga egenos, zelosus in cultu Divino? An talis Filia fuerit casta, modesta, sapiens inter homines, charitativa, reverens parentem, obediens matri? Quod si hoc diceret, nonne te in ruborem daret, cum tua conscientia tibi contrarium dictet, & totus hoc sciat mundus? sanè hoc nil aliud foret, quam si in aliqua chorea, aut conventu aulæ, Rex manibus prensaret quendam nobilem, qui mille meticulosas, & viles, ac infames actiones fecisset, & diceret; videte Herculem hujus sæculi generosum virum, cor masculinum, & heroicum, validum instar gladii. Nisi hic nobilis, sit omninò truncus, præ pudore morietur, & dicet se à Rege irrideri, quod sit factus scopus, in quem omnes jacula sarcasmorum ejaculentur. Verum enim verò, quod si argumenta tam valida, & evidentia hoc non persuadeant, convincat vos sacra scriptura, quæ dicit; *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (Psal. 14.)

✠) (o) (✠

CON-

CONCLVSIO.

Ostenditur quam sit felix sors prædestinati.

XIV. DAvid porrò respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Duo requirit, ut quis ingrediatur cælum, ut nempè quis evitet malum, & faciat bonum, abstineat à peccatis, & exerceat virtutes; nec enim unum sine alio sufficit. *Quis habitabit?* Quis nostrum erit tam felix, ut cælum inhabitaturus sit? An hic forsan non nemo sit, qui adeo sit futurus felix, fortunatus, à Deo benedictus? si ego scirem unum solum in hoc auditorio adesse, si unicum solum præsentem esse cognóscerem, ego me felicem judicarem, quod in ejus præsentia prædicare possem, magni beneficii loco reponerem, quod aliquid conferre possem ad ejus profectum spiritualem, ego devotissimis osculis notarem, quidquid tetigisset, suppellectilem, quâ fuisset usus, terram, quam calcasset, ego passionatè appeterem illum honorem, ut prope eum esse possem, ego ante pedes ejus me prosternerem, ego lacrymis tenellis eos perfunderem, ego non possem dicere quà consideratione, contemplatione, admiratione ejus felicis sortis, ego ei congratularer. Ego ipsi dicerem, tuum est me instruere, loquere tu, & ego tacebo, non sum dignus, qui solvam corrigiam tuorum calceorum. Ergo ne tu à Deo adeo sis benedictus, ut aliquo die inter beatos commoratu-rus sis? O tuam felicem sortem! millies sit benedictus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Et quænam est illa felix mater, quæ edidit in mundum unum prædestinatum? Felices labores, quos in sumpsit, te educando. O quam benè sunt impensi! Felix terra, quæ te sustinet, meritò floribus sterni deberet, pavimentum, quod tuos gressus honorat aulæis, & tapetibus vestiri deberet.

Felicem aerem, quem hauris, meritò perfundendus omnibus perfumationibus Arabiæ esset. Felicem panem, quo vesceris, auro potabili, nectare, ambrosia, & quidquid thesauri pretiosi est in terra, eo est nutriendus, & tractandus. Et quid tu non mereris, qui es dignus Deo? *Invenit illos dignos se: millies,* & infinities millies, benedicta sit tua vita sancta, & virtuosa, quæ te ad talem gloriam disposuit? Benedicta tua felix mors, quæ tibi erit portus, ut intres vitam æternam; Benedictus, sit tuus intellectus, qui quondam clarè, & facie ad faciem essentiã Divinã contemplabitur, Benedicta sit tua volũtas, quæ eum amabit, & per æternitatẽ possidebit, Millies sit benedictum tuum sanctum caput, quod sancta Trinitas diademate gloriæ coronabit toto orbe spectante, benedictæ, & felices sint tuæ manus, quæ semper palmas insignia victoriæ gestabunt, benedicti sint tui pedes, quæ te ducent ad campos Elysios, ad societatem Angelorum, Benedicta, & millies benedicta sint membra tui corporis, potentiæ tuæ animæ, facultates tui spiritus, quæ transfigentur, & penetrabuntur, replebuntur, saturabuntur omnibus deliciis, voluptatibus gloriæ, felicitatis, & beatitudinis Sap. 3.

dinis

dinis æternæ. Hæc ego dicerem huic animæ electæ, si eam cognoscerem. Interim vobis omnibus dico Auditores, vobis, vobis, vobis, qui per gratiam Dei laborabunt, & se violentabunt, ut sese expediant è statu peccati, suas passiones doment, mandata Dei servent, & juxta Regulas Evangelii vivant: *Violenti rapiunt illud. Violenti rapiunt illud.* Deus, cui sit honor, gloria, laus, benedictio in sæcula sæculorum. hanc nobis gratiam præstet Amen.

SERMO TRIGESIMUS NONUS.

Pro Dominica undecima post Pentecosten.

Peccatum mortale nos ducit ad æternitatem infelicem.

Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

EXORDIUM.

QVandoque quæstio est proposita, quid esset in orbe felicissimum, varii, varia proposuerunt, quæ felicissima esse judicarunt. Ego illum felicem, & beatum judico, qui non offendit in lingua, verè ille est felix, qui ita refrænat linguam suam, ut in nullo offendat. Sed cur hoc? Quia summam infelicitatem evadit. Summa infelicitas est damnatio, & pœna gehennæ, tum quia Deus est severus, Dæmon qui est carnifex crudelis, tum quia homo, qui est reus, est debilis, tum quia pœna est pura æterna, & multa. Hæc damnatio incurritur per quodlibet peccatum mortale, & quia facillimè delinquimus in lingua, facilius quoque ducimur per peccatum linguæ, quam per ullum aliud ad damnationem, unde ille felicissimus est, qui facilius summam evadit infelicitatem, quod ne fiat, & ne dicere possimus, væ quia locutus sum, ideo cum Auctore ostendam, quanta sit pœna inferni, ut ita facilius difficultatem, coercendi linguam superemus.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, Matt. 25.

I. Quemadmodum consideratio æternæ felicitatis, est acutus quidam stimulus impellens animas electas ad exercitium virtutis, ita recordatio, & apprehensio æternarum miseriarum est forte, & validum frænum, quo animæ mundanæ se refrænare, & cohibere debeant, ut abstineant à peccatis, & detestentur commissa. Hoc est ultimum motivum excitans ad pœnitentiam, quod hodie à me vobis proponendum est. Sanctus Joannes Chrysostomus ait, quod misericordia agat ostiariam inferni,

ni, nec ullum linquat intrare, à quo bene habita, & suaviata est. Idem de te dicere debemus, ô sanctissima, & Beatissima Virgo, Mater misericordiæ, Infernus est status mortis, tu vero es nostra vita: Infernus est locus amarus; tu vero es nostra dulcedo: Infernus est locus desperatorum; tu vero es nostra spes. *Vita, dulcedo, & spes nostra salve.* Vt ergo præservemur per tuam intercessionem ab æternitate infelici, permitte, ut tibi præsentemus illam salutationem, quæ te disposuit, ut esses mater Dei, & misericordiæ, AVE MARIA.

IDEA SERMONIS.

In sententia damnationis consideratur judex, carnifex, reus, pœna.

II. Hodie Auditores mei amantissimi ex justa, & legitima caussa possem dispensare in modo meo ordinario, quo methodicè tracto de meo argumento, & totam œconomiam mei discursus in certa puncta partior. Quomodo enim quis queat servare ordinem, dum agitur de loco misero, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* At quia discursus, quem hodiè institu o, debet venire à Deo, *quæ autem,* sunt verba sancti Pauli, *à Deo sunt, ordinata sunt*, ego hunc discursum in quatuor partes dispertiar. Vt autem per aliquam conjecturam cognoscamus, quam formidanda, & horrenda sit sententia damnationis, quę in morte in omnes reprobos feretur, ego quatuor ejus circumstantias pondero; qualitatem

Iob 10. v. 22. Rom. 13. v. 1.

nempe judicis, qui illam fert, qualitatem Dæmonis, qui eam exequitur, qualitatem rei, qui pœnas tolerat, qualitatem pœnarum, quæ inffliguntur.

PVNCTVM PRIMUM.

Iudex est Deus, cujus severitas probatur, quia est magnus, potens, sapiens, bonus.

III. Ille qui sententiam fert est judex supremus, justissimus, severissimus, rigorosissimus, immutabilis, inexorabilis, inimicus capitalis, & juratus implacabilis viciorum, cujus plurimum interest in hoc negotio, qui simul est judex, & pars; verbo ut dicam, quidquid dici potest, Deus est judex. Deus est in omnibus, quæ facit, in omni suo esse, in omnibus suis perfectionibus, tam in justitia, quam in misericordia infinitus, incomprehensibilis, inconceptibilis: *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Nemo est, qui possit comprehendere severitatem judiciorum Dei, nemo est, qui penetret caussas, quæ eum bile inflammant, quia nemo comprehendere potest, quam magnæ, & multæ sint ejus perfectiones adorabiles, quas peccatum mortale offendit. Deus est magnus, ergo est timendus; est omnipotens, ergo est timendus; est summè sapiens, ergo est timendus: omnes hæ consequentiæ sunt legitimæ, & optimè deductæ, & quidem illatæ ex scriptura: maximus est, & formidandissimus; *Terribiliter magnificatus est.* Quod si sit magnus, nil facere potest quod non sit magnum, nam opera-

Psal. 89. v. 12.

operari sequitur esse, & inter operari, & esse semper est convenientia & proportio. Magna causa effectus nequit habere mediocres; magna sunt beneficia ejus liberalitatis, magnæ sunt ejus promissiones, & minæ, magna sunt ejus præmia, magna supplicia, quæ infligit.

Eccles.1. IV. Timendus est, quia est omnipotens: *Potens, & metuendus nimis.* Quando causa infinita vult aliquid destruere, illa illud potest annihilare, sicut illud è nihilo traxit. Deus est agens infinitum, infinitè potens, & activum. Vnde tibi pensandum linquo, quem non dolorem, quam non destructionem, quam non annihilationem producat in anima reproba, quando brachium suum cunctipotens in illam exerit, quando eam in suo furore conterit, quando eam destruit per tonitru, & fulmen suæ vin-*Matth.10. v.28.*dictæ? *Nolite timere eos* inquit Assertor, *qui corpus occidunt*, circa animam verò nihil possunt, illum timete, qui corpus, & animam potest mittere in gehennam. Præterea loquens per Isaiam de loco infelici, ad quem reprobi relegabuntur *Isaia 9. v.40.* inquit. *Erit humus ejus in sulphur, & terra ejus in picem ardentem, nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus, ut redigatur in nihilum.* Et per *Ezech. 2. v.19.* Ezechielem: *Nihil factus es, & eris in perpetuum.* Et quod admirabilius est, ille vivificat, & occidit; *Ego occidam, & ego vivere faciam*; nam ut aliquis continuò moriatur, eum vivificat, annihilando conseruat, ut æternaliter annihi-*Deut.32.*letur. Quod autem non loquatur de afflictionibus hujus mundi patet, quia subdit: *Et non erit, qui de manu mea possit eruere.* O quanta est miseria esse, & non esse simul? vivere, & continuò mori, simul conservari, & annihilari, Esse habere, ut continuò illud perdatur, vivere ut aliquis moriatur! Hoc esse timendum inquit salvator: *qui potest perdere, hunc timete.*

V. Tertio timendus est, quia est in- *Psal.138. v.4.* finitè sapiens: *Ecce Domine, tu cognovisti omnia.* Ille perfectè cognoscit altitudinem incomprehensibilem suæ majestatis, quantum debeat honorari, amari, timeri, quam insolens sit temeritas eum offendere, quantum supplicium mereatur talis arrogantia. Infinitè est bonus, & ideo principaliter est timendus. Et quamvis videatur hoc esse paradoxum, tamen Spiritus sanctus infert hanc consequentiam: *Quis non timebit te Domine, quia solus pius es?*

Et quidem principaliter non timeo, *Apoc. 15. v.4.* ejus potentiam, majestatem, justitiã, sapientiam, sed ejus bonitatem. Infinitè est bonus, ergo directè, necessariò, infinitè ei contrariatur malitia. Essentialiter est bonus, ergo ex se, & conditione sui esse, debet se opponere peccato, quod est verum malum. *Accipiet ar-* *Sap.5.v.15* *maturam zelus illius.* πανοπλίον. Zelus est amor ardens, & passionatus, amor, quẽ debet suæ bonitati; & omnibus suis perfectionibus, eum cataphractâ armabit, ut eas defendat, & peccatorem, qui omnes eas offendit, puniat.

PVNCTVM SECVNDVM.

Carnifex est Dæmon, qui est crudelis, fortis, infatigabilis, inflexibilis.

VI. QVod si itaque bonitas Divina Deum obliget ut sententiā severam pronunciet erga animam reprobam, malitia excitat Dæmonem, ut eam crudeliter exequatur. Ille bile, & irā contra Deum exæstuat, & quia ei nil nocere potest, suum furorem evomit in misellam animam, quam habet in sua potestate. Velut enim panthera, dum non potest nocere homini, rabiem suam in ejus imaginem effundit, eamque repertam dilacerat, ita inquit sanctus Basilius, Dæmon suum furorem, quo prosequitur creatorem, in creaturam evomit.

VI. Executor est justitiæ fortis, & potens, unde quidquid potest, agit. Si exipias potestatem Dei, & Angelorum bonorum, nulla est potestas in mundo, quæ ei comparari potest; inquit sanctus vir Job. Et quid quæso quandoque non agit, quādo ille se immiscet igni cælesti. *Immissiones per Angelos malos*, quando ex aere cum fulmine terram impetit? *Vocantur potestates aereæ*? Saxa diffringit, metalla liquefacit, marmora conterit, & quælibet obvia destruit, cogita, quam dirè tractabit animam reprobam, quæ consignata fuerit ejus potestati. Est spiritus infatigabilis, qui nunquam exhauritur, qui nunquam obdormiscit, qui nunquam desistit à malè agendo, nunquam fatigatur, nec aliud facit. Commune fert adagium, Deus me præservet ab homine, qui unum tantum agit, à fortiori itaque dicere debemus, Deus me præsevet à Dæmone, qui unicā tantum re occupatur. Spiritus malignus aliam non habebit occupationem, exercitium, diversionem per totam æternitatem, quam ut animas damnatas cruciet, in hoc omnes ejus ibunt vires, exerentur nervi, omne robur collocabitur.

Job. 41. v. 21.

VII. Est spiritus inflexibilis, proprio inhærens cerebro, passionatus, & rei cœptæ inseparabiliter insistens. Sanctus Chrysostomus ait: *Hostem habemus perpetuum, ac fœderis nescium.* Hostem habemus implacabilem, inexorabilem, qui nunquam fœdere pacis, aut armistitii illigari se sinit. Quando per milliones annorum te cruciarit, tu per aliquot dies feriationem, & quietem rogabis, sed ille nec unius diei, horæ, quadrantis, imò momenti cessationem, aut feriationem indulgebit idque per totam æternitatem. O me miserum! Vtinam mandata Dei servassem, nunquam meam voluntatem faciet Dæmon. Ego tam sæpius tuæ satisfeci voluntati, dum voluisti, ut irem ad cauponam, ad prostibulum, ad loca infamia. Quando voluisti ut me ulciscerer, ego id feci; ego toties tibi gratificatus sum, & tu in re tam exigua votis meis aunuere non vis, tu quietem per quadrantem horæ, ut parum quiescam, non vis indulgere.

hom. 60. in Gen.

PUNCTUM TERTIUM

Homo, qui est Reus, est debilissimus, quod probatur primo scripturâ secundo Patribus, tertio ratione.

VIII. ET sanè Judex adeo severus, & rigorosus, carnifex adeo inhumanus, & inflexibilis sunt contra reum miserum, debilem, inermem, nudum, abjectum velut vermem terræ, ut meliori jure possit dicere, quam Iob: *Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? Ecce non est auxilium mihi in me.*

IX. Amici Dei inquit sanctus Isidorus, tantas habebunt vires, & robur, ut minimus eorum totam poterit excidere, & evertere terram; econtra reprobi ex inferno adeo erunt debiles, & languidi, ut non poterint vermiculum, qui eorum corpora corrodit, capere, & repellere.

X. Qualitas eadem, fortiorem impressionem facit in spiritu debili, & pusillanimi, quam in spiritu forti, & generoso. Eadem pœna incomparabiliter est gravior corpori tenello, & delicato, quam robusto, & indurato; infanti, quam viro, feminæ, quam militi vigoroso, membro sauciato, & læso, quam sano, & integro. Supponamus, quod crus alicujus sit totum vulneratum, aut confractum per lapsum, adeo is erit sensibilis, ut nec minimum tactum sufferre possit, timebit quemlibet appropinquantem. In hac abysmo miseriarum, Reprobi sunt adeo delicati, languidi, & sensibiles, ut nil supportare queant, minimus dolor iis sit dolor parturientis, ita ut seipsos tolerare non possint. In anima erunt adeo tetriti, & impatientes, in corpore ita quassati, & læsi, ut videantur vas esse fictile, quod virgâ ferreâ contritum, in terram proiicitur. *Reges eos in virgâ ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Comminuentur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida.* *Psal. 2. Isaia 30. v. 14.*

PVNCTVM QVARTVM.

Poena, quæ est pura, multa, æterna.

XI. NIhilosecius anima adeo abjecta, corpus adeo debile, & delicatum, tormenta horrendissima tolerare debebit, quæ quis concipere possit. Perversus Epulo duobus verbis hoc expressit, ille sapienter loquitur, quia experientiâ hoc didicit. Ille appellat infernum locum tormentorum, centrum, & elementum suppliciorum. *Ne veniant in hunc locum tormentorum.* Hæc duo verba propriissimè qualitatem, quantitatem, durationem harum pœnarum exprimunt. *Luca 15.* Elementa in suo centro sunt pura, & habent suas qualitates in summo gradu, nil est, quod eos in minimo debilitet, vel minuat. Omnia elementa tendunt ad suum centrum, & undique congregantur, velut in eorum loco naturali, ibi sistunt, & quiescunt, quia nullum habent contrarium, quo turbentur, & oppugnentur. Et sicut in cælo deliciæ sunt puræ, quia illud est locus eorum naturalis, & centrum, ita ut nec minimam habeant admixtam pœnam, & tristitiam: *Absterget Deus omnem lacrymam*; ita & in inferno dolores sunt puri, absque ulla

ulla conjunctione, commixtione, spe minimæ consolationis, aut refocillationis miseræ animæ præstandæ. Deus nec minimam ejus audiet supplicam, nec in minimo animæ votis annuet, quæ in hoc mundo sanctam ejus noluit perficere voluntatem.

Nos videmus, quod damnatus Epulo obtinere non potuerit, ut ad se mitteretur Abraham, minimum non potuit obtinere, ne quidem guttam aquæ. Dolores sunt adeo vivi, acuti, ut summum verticem sensibilitatis attingant: sunt adeo grandes, ut magnus Doctor magno fundamento innixus dixerit, quod si pœna unius tantum damnati divisa foret, & distributa inter omnes homines mundi, unus plus pateretur, quam omnes Martyres, & qui ultimo supplicio affecti sunt, unquam tolerarint.

XII. Et quidem dolores adeo magni, in omnibus potentiis animæ, in omnibus membris corporis, in omnibus sensibus interioribus, & exterioribus, non erunt pauci, sed valde multi. Intellectus cognoscet præstantiam, & excellentiam bonorum amissorum. Videbis vilitatem, & nihileitatem creaturarum, quas adorasti, & ob quas tanta bona lusisti, & hæc cognitio summè te affliget. Memoria te cruciabit per recordationem insignium occasionum, quas habuisti, ut te posses salvare, & stultitiam, quâ eas elabi permisisti, ut stoliditatibus, & nugis tuis te occupares. Voluntas tua rabie, & furore agitabitur præ stomacho contra eos, qui aliquid contulerunt ad tuam damnationem, tu sævies contra tuum socium, qui te duxit ad cauponam, contra illam puellam, quæ tibi blandita est, contra illum dissolutum, qui te seduxit, contra tuum confessarium, qui tibi indigno non denegavit absolutionem, contra tuos parentes, qui te non castigarunt, contra teipsum, contra sanctos, contra omnes creaturas, & contra ipsum creatorem.

In parte inferiori animæ habebis passiones adeo vivas, & ferventes, appetitus sensuales adeo effroenatos, & violentos, quam unquam ante, nec in minimo iis satisfacere poteris. Quodlibet membrum corporis dolore quodam, & morbo particulari affligetur nullo excepto, & omnia immersa erunt stagno cuidam igneo, & sulphureo pessimè olenti, & fœtenti. Scriptura hoc dicit, unde vel id credendum, vel Christianismo renunciandum. Ignis erit adeo penetrans, ardens, vivus, intensus, ut ignes mundi illi collati, picti sint. Et sanè verissimum est, quod si hominem quendam extraheres ex inferno, eumque per aliquod tempus proiiceres in clibanum, in quo funduntur campanæ, totum vivum, & postea eum extraheres, & eum collocares super mensam, ubi esset ignis depictus, profectò ignis illius mensæ pictus, ei non videretur esse adeò dulcis incomparatione ignis clibani, quam ignis clibani ei futurus sit, respectu flammarum infernalium. *Apoc. 2.*

Et ratio est evidens, da uni infanti sex mensium cultrum, vel pugionem, & suppone, quod hic infans hoc pugione aliquem leniter cædat, da eundem pugionem viro forti, & robusto, qui

qui alium etiam cædat, an non dices, quod cæsio infantis plagam infliget, quæ picta sit, si comparetur cũ plaga inflicta ab homine forti, & robusto? Ita sanè, nam infans paulisper tantum attigit, delibavit, sugillavit cutem, cæsio autem hominis profundè infixit mucronem, penetravit, sauciavit ad interiora usque, & exta, & viscera vulneravit. Idem est de nostro igne, & de igne inferni. Substantia ignis propriè non cruciat, sed ejus calor, & qualitates excessivæ, nam hæ sunt instrumenta substantiæ per quæ operatur, & agit. Verum ignis infernalis est instrumentum Dei, est gladius acutus, quo utitur, ut exerceat suam justitiam contra miserum reum, qui abusus est ejus misericordià. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima. En utrumque ignem, substantiæ nihil est contrarium, si acuerout fulgur gladium meum.* Deut. 32. v. 22.

An non jam dicetis, quod substantia ignis, qui est creatura, sit quasi manus infantis, quæ solum attingit corpus, si conferatur brachio validissimo, & terrifico creatoris, quod penetrat, & pervadit corpus, & animam, usque ad interiora, & viscera? *Heu, heu Domine, pervenit gladius tuus usque ad animam.* *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum* inquit Sapiens: ac si diceret: Ignis hujus mundi est quasi inermis, qui non habet sufficiens robur, & vires, ut animam damnatam, juxta ejus demerita urat; verum creator per suam potentiam infinitam, per potentiam obedientialem creaturæ, supplebit ejus defectum, vires ejus augebit, ejus activitatem armabit. Ierem. 9. Sap. 5. v. 18.

XIII. An unquam vidisti fundi campanam? Dum hoc metallum funditur super formam, si quinque, vel sex guttæ stillarent super nudum pedem, quem non sentires dolorem? Quale ergo non erit tormentum, si manus, pedes, brachia, caput, totum corpus, & anima, æternaliter, æternaliter, æternaliter immersæ essent illi clibano, in quo campana funditur? Ego, non satis hoc repetere possum, non satis queo hoc apprehendere. Hoc verbum nil aliud est, quam infinitum auctarium addere omnibus pœnis, quas hucusque recensui, & infinitis aliis, quas recensère non possum, uti ipsi Gentiles agnoverunt.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum
Omnia pœnarum percurrere nomina possem. Æneid, 6.

Porrò, ut aliqualem notitiam assequamur, supponamus, quod Deus dicat alicui diviti, qui vixit inter nos, & qui modo est damnatus. Tu pro eo, quod debuisses redimere tua peccata per eleemosynam, te delectasti coacervando frumenta, eorum aspectu, & corrogatione in granario te recreasti, ego etiam granarium facere volo, sed non eo modo, quo tu, ego illud replere volo in gratiam tui, ego in uno modio volo accumulare omnia grana tritici, siliginis, speltæ, avenæ, farris, & aliorum frumentorum, quæ unquam fuerunt super terram à creatione mundi. Volo, ut una testudo unum granum

num accipiat, illudque deportet ad extremitatem mundi ad Antipodes, hucque revertatur; post reditum vero, ut vires reficiat debilitatas ex itinere, centum mille annis quiescat, & postea aliud granum accipiat, illudque deportet ad eosdem Antipodes, & ita successivè alia eò advehat. Et postquam omnia ista grana devexerit, tunc ego tibi condolebo, tunc misericordiam tibi faciam, & te ex inferno liberabo. An non putares hoc nil aliud esse, quam huic misero illudere? Tu nihilominus certò tibi persuadeas (cum nil verius sit) quod hic miser hanc gratiam summi beneficii loco habiturus esset, & ex toto corde Deo gratias acturus, & majori gaudio foret perfundendus, quam tu, si quis modo te eveheret ad solium Gallicum, & Monarchiam totius mundi; nam quamvis tanto tempore damnati in inferno mansissent, quantum testudo illa insumeret in illis granis asportandis, & centum mille annis diutius, nil fuisset factum, & reordiri deberent.

Hem Auditores, Hem Auditores, quid cogitatis? An hoc creditis? An sensum habeamus communem? Quod si hanc veritatem non credimus, cur venditamus nos esse Christianos? Vbi est nostra fides, ubi est nostra Religio? Si hoc credimus, ubi est noster sensus communis, quod non apprehendamus rem, quæ adeò est apprehensione digna? Magnum quoddam ingenium dixit, quod si attentè consideremus æternitatem, nos in stultos migraturos. Et quidem verum dixit. Alius addidit, cum non minori fundamento, nos esse stultos, ne fiamus stulti per considerationem æternitatis. Quod si aliquis mihi dicat: Pater Reverende, tu mehercule stultus es, tu nullum habes judicium, tu nullam potes amittere rationem, nec fieri stultus, dum scis, quod sis in periculo æternæ damnationis, putarem, quod ei replicarem, tu rem acu tetigisti, tu verum dicis: *In æternum Domine, permanet verbum tuum.* Hæc verba Ecclesia nostro ori sæpè instillat, & ego dum cantantur, illa considero. Mi Deus, verbum tuum semper manebit. En ergo verbum quoddam Dei. *Tribulatio, & angustia omni animæ facienti malum*, hoc verbum semper subsistet. En verbum unum Dei; *pars peccatoris, est stagnum ignis, & sulphuris ardentis*; hoc verbum Dei semper subsistet.

Psal.118.

Rom.2. v.9. Apoc.21.

CONCLVSIO.

Continens primò scripturam, secundò Patres, tertiò figuram, quarto historiam.

XIV. Ecclesia meritò addit, *Gloria Patri, & Filio, & spiritui sancto.* Auditores gloria sit Patri, benedicamus, laudemus, glorificemus eum, grates ei referamus, eò quod miserit suum Filium, ut nos ab his tormentis liberaret; nam sine hac misericordia, certò fuissemus damnati. Gloria sit Filio, qui nos per suam

ſuam mortem, & paſſionem redemit. Et profectò quam bene eſſet impenſa eius mors, ſi vel unicam ſolam è noſtris animabus liberaſſet, nam adeo illæ pœnæ ſunt horrendæ Auditores chariſſimi, amate, amate Jesum, ſed ferventer, ex toto corde ob tantum beneficium. Et quid non debemus agere, ut cooperemur eius amori, & conemur animas liberare è periculo tanti mali? Gloria Spiritui ſancto, qui nobis has pœnas manifeſtavit. Eheu, tot ſunt in Tartaria, China qui nil de iis ſciunt, & tamen turmatim in illas labuntur. Tam ſæpe tibi ponuntur ſub oculos, tam ſeriò, tam certò, an ergo non eris bardus, ſi eas non coneris effugere? Ille dicit per Iſaim. *Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus inferni?* Ille

Iſaia 33. v.14. Matth. 25. Marci 9. v.44. Apoc. 20. v.10.

dicit in ſancto Matthæo. *Ibunt* nempe reprobi *in ignem æternum*, & in S. Marco *vermis eorum non extinguetur, & ignis eorum non conſumetur.* Ille dicit in Apocalypſi, qui cruciabuntur in ſæcula ſæculorum.


XV. Ad hæc verba tam clara, tam certa, nil aliud poteſt reſponderi, quam quod Deus ſit bonus, Deus ſit miſericors. O te miſerum! An non vides, quod dum Deum facis miſericordem, facias eum mendacem? *Dum miſericordem aſſerere volumus* inquit Gregorius, *mendacem, quod nefas eſt, prædicamus.* Nunquid inquit Auguſtinus *erit falſus promiſſor, ut tu ſis impunitus peccator?* Miſericordia eius nullatenus adverſatur eius juſtitiæ, nec bonitas eius veritati, ille optime ſciet, quomodo has perfectiones coaptet, & miſericordiam ſuam exhibeat erga electos, qui eius timuerunt juſtitiam, & ſuam juſtitiam erga obſtinatos, qui eius abuſi ſunt miſericordia. *Væ quibus* exclamat Euſebius Emiſſenus, *quibus hæc prius experienda ſunt, quam credenda.* Væ illis, qui prius, ibunt ad infernum, quam illum credant! Tu non credis illas pœnas, tu illas non times, tu nil facis, ut eas effugias, ſed quadam die eas probabis, & tunc erit nimis ſero.

Tu dicis, concionator bene poteſt clamare, ego tamen nec plus, nec minus faciam. Ille invehitur contra popinas, ludos, proſtibula, choreas, convivia, fraudes, ego tamen popinas frequentabo, ludam, helluabor, ſcortabor &c. Verum eſt Prædicator clamat, ſed erit, cum tu etiam clamabis, inclamabis cum divite damnato: *Et ipſe clamans dixit, Pater Abraham, miſerere mei.* Luca 16. Tu clamabis non per miſſionem, & quadrageſimam, ſed æternaliter, nec Deus plus, vel minus habet. Mihi compatere, nec amplius te offendam: *Fili recordare,* Gen. 37. v.22.

XVI. Id tibi eveniet, quod evenit filiis Iacob: Illi nudaverunt ſuum fratrem Ioſeph, illum miſerunt in ciſternam veterem, eum vendiderunt Iſmaelitis, mœrore confecerunt ſuum miſerum parentem. Ruben eorum frater natu maior eos rogavit, ne Ioſepho aliquid nocumenti inferrent, illi eius monitiones ſpreverunt. Sed quid evenit? Dum à Deo caſtigarentur, & in Ægypto premerentur, Ruben iis in os obiicit: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis? en ſanguis eius exquiritur.* Gen 42. v.22. Deus vindictam repetit. Vos teſtimonio veſtro falſo, contractu injuſto, mentita ſignatione, in-

justâ appellatione, vel prolongatione processus nudastis innocentem. Tu crudeliter tractas innocentem tuam uxorem, tu negligis tuas proles, tu retines aliena; Parochus tibi dicit, *nolite peccare in Christum.* Ne jures, Filiole, ne tuis parentibus sis inobediens, tu perdes. Sed quid? Tu hoc non credis. Sed quando hoc evenerit, tunc tibi dicit, nonne dixi tibi, nonne te monui?

XVII. Imitare deberemus illum Religiosum, de quo mentionem facit Ioannes Climacus. Hic narrat, quod dum visitaret monasteria, invenerit quendam bonum, & devotum Laicum, qui in culina centum Religiosis, absque hospitibus advenientibus, quamvis nullus eum juvaret, magna patientia, humilitate, charitate, mansuetudine omnia peregit, magna cum quiete, & recollectione animi, & continuò lacrymas sparsit. Sanctus Ioannes Climacus caussam harum lacrymarum ab eo postulavit, qui ei respondit: Hic ignis in culina mihi in mentem revocat ignem infernalem, nec lacrymas cohibere possum, quando cogito de miseris animabus, quæ in illo uruntur. Quando es prope ignem, tu deberes tuum digitum tam prope admovere, quantum potes, & hæc tecum loqui: Quod si deberem manum integro die in hoc igne tenere, quid non agerem? Quid non vellem deserere, quid non vellem pati, ut illum extrahere possem? Quomodo ergo ita vivam, ut corpus & animam præcipitem in ignem atrociorem, non per unum diem, mensem, annum, sed in æternum? Profectò mea juramenta, meæ ebrietates, injustitiæ in illum me ire cogent. Mi DEUS, hanc mihi dona gratiam, ut ab illo præserver. Deberes rogare tuum confessarium, ut tibi injungeret hanc pœnitentiam, nempe ut tribus, vel quatuor vicibus in septimana dicas. *Descendant in infernum viventes, ne descendant morientes.* Illi, qui per cogitationem sæpe ad eum descendent in vita, illi ad eum non descendunt in morte, verum hic descensus serviet iis pro semita, per quam adscendent ad cognitionem beatitudinis animarum electarum, quæ liberæ erunt ab his miseriis, & quæ fruentur deliciis, & felicitatibus omninò contrariis, in loco felici, ad quem nos conducat Pater, Filius, & Spiritus sanctus AMEN.




SERMO

SERMO QUADRAGESIMUS.

PRO DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN.

De peccatis venialibus.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Lucæ 10.

EXORDIVM.

REvera Auditores magna est hæc quæstio; *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Sed quid Christus respondet ad eandem? *Diliges Dominum Deum tuum.* Sed quis est ille, qui diligit Deum? Ille ut alibi dicit idem Christus, qui servat eius mandata, & præcepta: *Si quis diligit me* inquit *Sermones meos servabit.* Hoc est, mandata mea, & sic respondit adolescenti Matthæi decimo nono: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Hoc nobis omnibus dicit, ut nimirum servemus mandata, nec tantum mandata magna, ita ut non peccemus mortaliter; Sic enim certum est, quod non possimus venire ad cælum, sed quod simus ab eo excludendi, sed & vult, ut servemus mandata in minimo, quia Deus non est velut Prætor, qui non curat de minimis, quia potius minimas transgressiones à nobis caveri vult, ut ostendit Author in hac concione, ex parte Dei, ex parte peccati, ac ex aliis rationibus.

Qui spernit modica, paulatim decidet Eccles. 19. v. 1.

I. HActenus dicta meo sensu sufficiunt, ut in nostris cordibus horrorem peccati mortalis, & detestationem commissi, generare possint. At, quia animæ devotæ nunquam peccatum mortale committunt, & ego iis magis obligatus sim, quam animabus mundanis, ego me obligatum sentio, ut de peccato veniali, quod est materia communis, quam in confessione afferunt loquar, & eis adferam motiva, quibus excitentur ad illa detestanda, quia commissa sunt, & ut propositum concipiant, nunquam alias illa committendi voluntarie, & deliberate. Hunc igitur discursum dividam in tria puncta. Primo itaque videbimus, quid sit peccatum veniale, & quod tres peccati venialis sint species, in secundo ponderabimus differentias inter peccatum mortale, & veniale, in tertio causas, cur debeamus veniale evitare.

O sacratissima Virgo, Fideles, ut inquit Concilium Tridentinum piè credunt, quod tu nullum unquam commiseris. Et ideo sanctus Iacobus in sua liturgia te vocat, beatissimam, immaculatam, irreprehensibilem. Et in canticis canticorum vocaris tota pulchra, tota pura, tota immaculata, hoc est exempta ab omni macula, tam mortali, quam veniali. Hinc tam fuisti potens, fortis, valida, ut Verbum Divinum è sinu adorandi sui Patris, in tuum uterum Virginalem, quem benedicimus te salutando. *Ave Maria*, traxeris.

IDEA SERMONIS.

Exordium : Peccatum veniale non negligendum.

II. De minimis non curat Prætor, parum pro nihilo reputatur. Hæc & similia axiomata Iurisprudentiæ sæcularis, & Philosophiæ profanæ non approbantur, nec recipiuntur in doctrina morali Christiana, & justitia Divina. Econtra noster Salvator dicit in sancto Matthæo : *Quicunque violaverit unum ex* Matth. 5. *istis minimis, minimus vocabitur in regno cæ-* Matth. 23. *lorum.* Et loquens Scribis, & Pharisæis, qui scrupulosissimi erant in observandis minimis ritibus, & tamen magis necessarios violabant, dicebat, tam magnas, quam parvas traditiones observandas. Et in Apocalypsi postquam Episcopum Ephesinū opera bona, patientiam, labores pro fide exantlatos deprædicasset, dicit, sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primum reliquisti quod intelligendum est de peccato veniali.

PUNCTUM PRIMUM.

Peccatum veniale quid sit, & est triplex ex sancto Paulo, & Divo Thoma, magnum ; mediocre, parvum, quod per lignum, fænum, & stipulam significatur.

III. Peccatum appellatur veniale, quia citius, & facilius dimittitur, quam mortale. Leve quidem est, & parvum, sed hoc respectu, & in comparatione ad mortale, quia in se, in suo esse, & natura est quandoque magnum malum, & valde æstimandum. Dico quandoque, & non semper, quia sanctus Paulus nobis viam ad tradēdam triplicem distinctionem peccati venialis tradit. Vide quæso quo- 1. Cor. 3. modo loquatur hic Apostolus : Super fundamentum fidei nonnulli superstruunt aurum, argentum, ac alios lapides pretiosos, hoc est virtutes solidas, actiones sanctas, & meritorias, opera bona perfecta, & hæc in judicio Dei approbabuntur, laudabuntur, munerabuntur. Alii super illud fundamentum ædificant lignum, fœnum, paleas, hoc est 12. 9. 89. secundum explicationem sancti Tho- art. 2. mæ peccata venialia ; Nam sicut lignum fœnum, paleæ, sunt esca ignis, ita peccata venialia nos ducunt ad ignem purgatorii. Porrò, tres species peccatorum venialium sunt, magna scilicet, mediocria, & parva.

Majora sunt, quæ patras à proposito, deliberatè, voluntariè, alia, quæ patras ex habitudine voluntaria, affectu affectato, & talia sunt illa generaliter quæ

quæ sunt tantum levia ex materia, verbi gratia mendacium iocosum, & officiosum, detrahere proximo, eum conviciari in re levi, vertere dorsum altari, loqui in Ecclesia sine necessitate, leve furtum, absque voluntate furandi plura, aliquem laudare ex vanitate, fallere tempus verbis otiosis, & conversationibus inutilibus. Hæc peccata significantur per lignum; quia sicut lignum tardius consumitur, ita anima, quæ hæc commisit, diutius manebit in igne purgatorii.

Mediocria sunt, quæ committuntur sine pleno, & perfecto consensu, inadvertenter, inconsideratè, & huius generis sunt motus primo primi iræ, invidiæ, pravarum cogitationum, vindictæ, qui negligenter, reprimuntur, & hæc significantur per fœnum, quod non diu manet in igne. Porrò peccata venialia minima sunt, quæ committuntur ex infirmitate, & fragilitate humana, ut verbi gratiâ ex nimio zelo liberius corripere famulos delinquentes, aut ex nimia pusillanimitate connivere, vanam complacentiam habere, in operibus bonis, vanè gloriari ob laudes humanas, esse distractû involuntariè in oratione, sed tamen aliquo modo inculpabiliter. Et hæc denotantur per paleam, nam sicut palea est annexa grano frumenti, nec diu manet in igne, ita imperfectiones sunt conjunctæ bonis operibus, & citò expiantur, & purgantur per ignem purgatorii.

PUNCTUM SECUNDUM.

Differentia inter mortale, & veniale.

IV. Peccatum inquit sanctus Augustinus *mortale uno ictu perimit;* veniale sensim, mortale unico ictu in nobis destruit gratiam Dei, veniale cuniculos fodit, & lente eam exterminat, mortale est mors spiritualis, veniale est morbus, qui disponit, & ducit ad mortem, uti brevi videbimus. *Serm. 29. de verbis Apost.*

V. Porrò pro peccato veniali satisfacimus per pœnitentias mediocres, & ordinarias, sed pro mortali adhibere oportet pœnitentias rigorosas, humiles, preces ferventes, jejunia austera, & extraordinaria, magnas eleemosynas, si media adsint. Audite sanctum Cæsarium Episcopum Arelatensem, qui vixit sexto sæculo. *Hom. 8.* Nos quotidie quotidianos defectus diluimus, per visitationem infirmorum, captivorum, reconciliationem inimicorum, jejuniorum præceptorum observantiam, lotionem pedum inimicorum, frequentationem vigiliarum nocturnarum in matutinis, erogationem eleemosynarum in pauperes, qui domos nostras transeunt, condonationem injuriarum toties, quoties nobis inferuntur. Verum, hæc non sufficiunt, ut deleamus peccata mortalia, quia in hunc finem addendæ sunt lacrymæ, gemitus, prolixa, & continua jejunia, magnæ eleemosynæ juxta nostrum posse, separatio voluntaria à communione Ecclesiæ, & comoratio diutina in tristitia, & lacrymis.

VI. Peccatum mortale meretur pœnas æternas, veniale temporales, mortale nos ducit ad ignem inferni, veniale ad ignem purgatorii, ignem quidem eundem, sed cum hac

differentia, quod ignis inferni duret in æternum, temporalis per tempus, & idem eſt, ſi peccatum veniale quis habeat cum mortali, ſi ex hac vita defungatur, quia tunc punitur pœna æterna; Intelligatis me bene, ſi devivatis in peccato mortali, privati gratia Dei, ſuppoſito quod ſimul habeatis peccatum veniale, puta mendacium leve, verbum otioſum, iram exiguam, dico hoc peccatum veniale puniendum pœna æterna. Ita expreſſe docent ſanctus Thomas, & Bonaventura, & ratio quam afferunt eſt tam clara, ut minimus Theologus eam capere queat: Peccatum veniale, in quo homo moritur, puniri debet poſt hanc vitam, nullum enim eſt, quantumvis parvum, quod impunitum maneat, hoc autem peccatum non punietur in purgatorio, ſuppono enim, quod moriatur in peccato mortali, ergo punietur in inferno. *In inferno* autem *nulla eſt redemptio,* nulla alleviatio, nulla diminutio pœnæ.

1.2. quæſt. 89. art. 2. ad 2. & 5. D. Bon. in 4. diſt. 21. art. 1. q. 1.

Ulterius, pœna peccati tam diu durat, quam diu durat culpa, nam quamdiu aliquis eſt alligatus culpæ, tam diu eſt alligatus pœnæ; Culpa porro venialis æternaliter manebit in anima damnata; Nam nulla eſt culpa, quæ non debeat deleri per voluntatem efficacem, quæ eam retractet, & doleat de ea actualiter, vel virtualiter; tantum autem abeſt, ut anima damnata velit retractare hoc peccatum, & de eo dolere, ut potius velit illud patrare, ſi poſſet; ergo illa culpa ſemper manebit, & conſequenter pœna; Cum culpa ſit origo, & radix pœnæ.

Verum enim verò, comparatione adeo familiari hoc illuſtrare debeo, ut parvus infans hoc capere poſſit. Da mihi aliquem, qui plagam habeat exiguam, aut vibicem in digito. Nil eſt in mundo, quod adeo faciliter curari poſſit, pauxillo unguenti, balſami ſanatur, uno, vel altero die clauditur, quia vulnus non eſt lethale; Sed ſuppone ut talis moriatur cum illa plaga, quod gladio cor eius transfigatur, ſtatim poſtquam in digito illud vulnus recepit, nullum eſt dubium, quin vulnus, illud, quantumvis ſit exiguum, curari non poſſit, ſed tam diu manſurum ſit, quamdiu manebit corpus; quod ſi corpus ſemper duraturum ſit, vulnus etiam perpetuò durabit; Non quod ex natura ſua ſit inſanabile, & incurabile, ſed quia poſt mortem omnia remedia ſunt inutilia.

Animæ in purgatorio vivunt vita gratiæ, & ideo peccata venialia, cum quibus ex hac vita diſ‑eſſerunt, poſſunt faciliter curari, nec puniuntur pœnâ æterna, & balſamum pretioſi ſanguinis, & merita Jeſu Chriſti queunt utiliter applicari. Verum anima damnata, cum ſit mortua ſpiritualiter, nec habeat principium vitæ, quæ eſt gratia Divina, & habeat propter peccatum veniale grave vulnus peccati mortalis, idcirco ob peccata venialia æternaliter punitur, nec ea unquam condonari queunt.

Nullus Chriſtianus habens veram fidem, & ſpem bene fundatam peccat mortaliter. Hinc Auguſtinus. *Quæ nullus bonæ fidei, & ſpei Chriſtianus committit.* Et Tertullianus. *Nullus Chriſtianus*

Sem. 29. de verb. Apoſt. c. 26.

Athenagoras in apolog. sub init.

stianus malus est, nisi hanc professionem simularint. Et *Desinunt apud nos vocari Christiani, qui mali sunt.* Qui peccat ergo mortaliter Christianus tantum est nomine, fictus, simulatus. Sanctus Paulus supra dixit, quod aliqui super fundamentum fidei ædificent aurum, argentum, opera sancta, virtuosa, perfecta, alii lignum, fœnum, paleas imperfectionum, & peccatorum venialium. Duo itaque sunt genera Christianorum, quia non dicit, quod aliqui super fidem ædificent lutum, fimum, sordes peccatorum mortalium, quia verus fidelis nullum tale committit, & ille, qui solicite curat puritatem suæ animæ, & qui vult certam facere suam salutem, is quantum potest, evitat peccata venialia, idque ob varias rationes.

PUNCTUM TERTIUM.

Rationes cur fugiendum veniale, primo: Ex parte Dei, quia displicet, secundo ex parte peccati, quod aliquando ob aliquam circumstantiam est gravius, quam putamus. Tertio ex parte nostri, quia aliquando ducit ad mortale, primo privatione gratiarum, secundo occasione, Tertio dispositione.

VII. PRimo itaque vitari debet, quia displicet Deo. Annon hoc sufficit dicere Animæ, quæ sedet in bono loco? An aliquid addi debeat, ut absterreamur, ne a proposito, & deliberate illa patremus? Displicet Deo, adeoque est malum infinitum. Doctus, & devotus Gerson id tribus validis rationibus sustinet, & probat, quod peccatum veniale libere, & deliberate commissum, sit malum infinitum, & mereatur pœnam æternam, si consideretur secundum se, & in sua natura, non vero per accidens; Nam quod nunc, & actualiter non mereatur pœnam inferni, hoc tribuendum est misericordiæ Dei, qui attentâ nostrâ fragilitate, tantam nobis infligere pœnam noluit. Rationes in Gersone videri possunt, ego eas omitto, ne prolixior sim. Solum adduco unum argumentum ex sancto Anselmo, quod probat peccatum veniale deliberate commissum, esse enorme malum.

3. parte lect. 1 de vita spirituali conclus.

Supponamus Deum creasse centum mille mundos, & quod tu sis Monarcha, Princeps, & pacificus possessor eorundem; similiter quod detur aliquis Dæmon, qui sit tam potens in malè agendo, & destruendo, quam bonus Deus sit potens in bene agendo, & producendo, & quod hic Dæmon ad te dicat. Ego omnes hos mundos destruere volo, nisi unicum leve mendacium committas, si ei consentias, peccas, si non mentiaris, omnes hi mundi destruentur; in hoc casu potius permittenda est destructio, & excisio horum mundorum, immò aliorum infinitorum, quam mentiendum. Ex quo consequitur, peccatum veniale esse valde grave malum, quia non est committendum, ut infiniti mundi conserventur.

Sanctus Paulus ad Ephesios dicit: *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Et

Ephes. 4. *v.* 30. 1. *cap.* 5. *v.* 15.

Et ad Thessalonicenses monet, ne destruamus sanctum Spiritum. Peccatum mortale extinguit in corde nostro sanctum Spiritum, veniale illum contristat. An sit aliquis palatinus in aula, qui vel in minimo, velit contristare suum principem? Quod si Rex suis diceret: Ego nolo, ne aliquis tangat tales fructus, vel flores in meo viridario, ne vel aliquis attingat mala armenia, tulipas, caryophillos, coronarias veronicas, an esset unicus tantum aulicus, qui tam audax esset, ut unum fructum, aut florem decerperet, & diceret suæ Majestati, ego nil molitus sum contra tuam vitam, nec contra tuam coronam?

VIII. Ulterius, peccatum, quod nobis videtur esse leve, & veniale, & quod reipsâ tale est, si consideretur præcise secundum se, potest fieri gravius, & enormius, quam putemus, ratione alicuius circumstantiæ, quæ illud vestit, & notabiliter aggravat, verbi gratia circumstantia quis, ceu illud committentis, quando nimirum est una persona sublimis, quæ magnos favores, & gratias à Deo recepit, quæ plus obligatur eum amare, & ad perfectionem contendere, quam alii. Sic enim Nadab, & Abiu morte puniuntur ob peccatum, quod videtur leve, quia erant Levitæ.

Levit. 10. *v.* 1.

Et sanctus Bernardus ait: *Nugæ in ore sæcularium sunt nugæ, in ore sacerdotum blasphemiæ.*

Secunda causa est inclinatio nostri cordis, aut dispositio voluntatis, quod peccatum nempe leve queat fieri grave, ut si quis detrahat proximo in materia levi, sed cum intentione eius famam graviter lædendi, si quis aliquod poma ex arbore decerpat, sed cum animo magnam quantitatem eorum auferendi, immò ipsam arborem, si adesset facultas. Quia Deus magis spectat cor, quam manum, intentionem, quam actionem, voluntatem, quam effectum. Quinimmò sanctus Thomas vult affectionem, & adhæsionem ad bona propria, quæ non videntur esse nisi culpæ veniales, posse fieri peccata mortalia, si sint nimis excessivæ, & inordinatæ, ita ut quis in illis bonis ponat suum ultimum finem. Tertio, potest peccatum veniale fieri grave ratione scandali, & mali exempli, ut si per peccatum veniale præbeas alteri ansam peccandi mortaliter, ut si pertinaciter in re exigua disceptes contra tuum maritum, sciens, quod soleat blasphemare, si ei contradicatur.

Porrò inter peccata venialia tria sunt principaliter, quæ vestita sunt circumstantiis nocivioribus, pestilentioribus, & pravioribus, ludus nempe, luxus vestium, lites ex pertinacia; & hæc ob plures caussas deliberaté patramus, dant pravum exemplum proximo, eum præcipitant in plura peccata, nos conducunt, & nobis dant, & præbent occasionem peccatorum venialium in magno numero, motus iræ, exiguus excessus in refectione, verbum impatiens, tibi sæpe inconsiderate elabitur. Verum ad ludos imus voluntariè, & deliberate, vestes concinne aptamus, scienter attente, & cum reflexione, litem à proposito, & præmeditate incipimus, & prosequimur, cum applicatione animi, & cognitione caussæ. Tu post prandium, totum tempus pomeridianum usque

que ad decimam noctis ludendo teris. Tu putas hoc nihil esse, quia habes quod apponas; Verum tua neptis, tuus cognatus, qui non habent proventus adeo opimos, sicut tu, exemplum à te sument, & ludere incipient, suamque familiam perdent. Non est nisi vanitas, quæ te pellit, ut te comas, & polias, & curiosè vestias; Verum appetitu vanitatis, tu es laqueus, stultæ juventuti lapis scandali, objectum pravarum cogitationum. *Dum amantur vana, perpetrantur mala, pauca quidem à te, sed multa propter te.* Quod prætendis in illa lite, hoc tuum est; Veruntam parti adversæ præbes ansam plurium fraudum, periuriorum, falsitatum, inimicitiarum, odiorum, detractionum.

Quomodo ergo ludi, luxus, & processus sint indifferentes? Sunt titiones, sulphuratæ plurium malorum, quæ consequuntur. In ludo quippe perdis tempus, pecuniam, conscientiam, tu irasceris, juras, blasphemas, tu te devoves Diabolo. Luxus vestium caussa est, quod sumptus facias cum incommodo tuæ familiæ, quod infleris, & fastu turgeas, quod distraharis in tuis precibus, quod murmures contra sodales, impatiens sis erga domesticos. Hæc lis, quam proximo intentas ob exigua motiva, profectò non est exigua, quia in mille curas te coniicit, in mille itinera Parisios usque te agit, producit aversiones, & dissensiones, & quandoque caussa est ut testes subornentur, judices corrumpantur, contractus serius initi fingantur, scripturæ falsificentur, & mille animæ damnentur. Verbo, quando peccatum tantum veniale est ob levitatem materiæ, fit tamen mortale, si materia augmentetur, & crescat. Et quis tibi præscribere, quis præcisè, & infallibiliter tibi determinare, & decernere possit, quantum debeat excrescere, ut non maneat amplius peccatum veniale, & leve? Quis te assecurare potest, quod furando decem, vel duodecim pecces tantum venialiter, auferendo vero quindecim, vel viginti delinquas lethaliter?

IX. Immò dato, quod hoc peccatum tantum esset veniale ex se, & ex suis circumstantiis, attamen si committatur deliberatè, & à proposito, insensibiliter nos ducit, & vehit ad mortale; Quia peccatum est monstrum, & monstrum monstruosum, hoc est monstrum valde differens, ac difforme ab aliis. Nec sane res ita aguntur in moralibus, & actionibus humanis, sicut in natura, in qua monstra sunt sterilia ex admirabili quadam providentia Dei, non generant sibi simile, in natura animalia, quæ non sunt monstra, parva non producunt magna, leunculi non producunt leones, lepusculi lepores, parvi lupi lupos. At enim verò, in moralibus peccata, quæ sunt vere monstra, & partus contra naturam, generant alia peccata, & ipsa peccata levia, & venialia, sæpe producunt mortalia, & hoc variis modis.

X. Peccatum veniale frigefacit charitatem, hoc est amorem, ut inquiunt sancti, quo Deum prosequimur; Etiam frigefacit amorem Dei erga nos, offendit oculos Divinos, ne nos oculo propitio notare possit, illi displicet, eum irritat, ita ut nobis non bene amplius

plius velit, beneficia tanta non amplius præstet, gratias non amplius conferat adeo grandes, excellentes, pretiosas, copiosas sicut antè. Peccatum mortale nos privat eius gratia sanctificante, & habituali: Peccatum veniale gratiis, & auxiliis actualibus. Et ita anima hoc robore destituta, hoc assistentia particulari privata, relicta suæ infirmitati, & debilitati naturali, faciliter succumbit, & quidem, quod lugendum est, ad primum insultum validæ tentationis.

Cap. 10. v. 16. XI. Peccatum veniale aliquando nobis aufert occasiones operandi nostram salutem, & sæpe nos coniciit in occasiones, & pericula damnationis. Quidam adolescens in sancto Matthæo adiit nostrum Salvatorem, eumque interrogavit quid factu esset opus ad salutem æternam obtinendam? Filius Dei, cum ei dixisset observanda esse mandata; adhuc ulterius subiunxit; *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & sequere me.* (Lucæ 18. v. 16.) Hic adolescens porrò, qui omnia mandata jam observarat, tristis ab Assertore nostro discessit.

Atenim verò, affectus ille, quo erga sua bona propria ferebatur, meo judicio non fuit nisi venialis, nam sanctus Marcus testatur, quod Filius Dei eum respexerit, eumque amarit, & tamen hic affectus eum privavit occasione operandi salutem; Ut enim salvari posset, debuit necessariò cognoscere Salvatorem, credere in Jesum Christum, recipere fidem, & doctrinam Evangelii, & ad hoc fuit vocatus, hæc eius fuit vocatio; Salvator noster (Marci 10. v. 3.) ei quippè dixerat: *Sequere me.* Ille verò totus tristis abiit; Utque ostenderet, quod hic defectus, qui ei videbatur levis, & exiguus, fuerit naufragium eius salutis, Jesus suspirando exclamavit: O quam difficile est diviti Salvari!

Tu die Dominico vadis spatia tum tempore concionis. An hoc sit peccatum mortale? Nequaquam. Verum, hæc ambulatio caussa esse potest, ut ligatus pedibus proiiciaris in infernum. Potest esse, quod tua salus dependeat ab hac concione; Quod Deus à proposito eam destinarit, ut eâ tangereris, & converteteris.

Dina filia Jacob curiositate puellis sat familiari è domo patris exiit, non ut suam formam, quæ erat valde elegans, & excellens ostentaret, non ut ab aliquo adamaretur, aut suaviaretur, non ut adolescentes in sui concupiscentiam pelliceret, sed solum ut videret puellas illius regionis, quas nunquam antea viderat, ut videret, quomodo essent vestitæ, quales essent. Gen. 24. v. 1. Fateor hanc curiositatem fuisse quidem venialem, sed effectus habuit tragicos, & funestos. Juvenis princeps eam solum vidit, eam concupivit, eam rapuit, eam defloravit. Hic raptus causa fuit, ut fratres Dinæ urbem inopinato aggrederentur, illam expugnarent, exciderent, & omnes incolas, ipsum etiam principem cum suo patre gladio delerent, feminas, & puellas innocentes in servitutem abstraxerint, & omnia circumquaque devastarint. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

XII. Verum quidem est, quod peccatum veniale in anima nostra tan-

tan-

tam non edit stragem, nec cladem adeo terrificam, quam mortale, verum est, quod non destruat gratiam sanctificantem, nec habitus virtutum infusarum, tamen talem edit quandoque cladem, & stragem, quod aliquo modo comparari potest maledictis effectibus mortalis. Illud non excæcat quidem intellectum, sed illum offuscat, voluntatem non quidem disturbat, sed liberum arbitrium debilitat, acuit sensualitatem, concupiscentiam accendit, & quod bene advertendum est, generat pravum habitum, qui si fiat fortis, potens, & violentus, parum refert quod productus sit per peccatum veniale, nec negligit producere effectus valde perniciosos.

Revoca in mentem domum aliquam, quæ ante hac magnificentissima, & commodissima fuit, & modò solo æquata sit, & omnino excisa. Quis hoc grande ædificium evertit, & solo æquavit? An forsan machina bellica? Non, quia hæc comuniter aliquas partes mœniorum deiicit, aut aliquam rimam facit. Tu non credes, quod dicam, interim tamen verum est, initium huius stragis quandoque est minimus vermiculus, qui quandoque non est maior, quam sit media lenticula (est musca in æstate, & vocatur, *Tenerrimus ligni vermiculus*) hic vermiculus alligat se trabi ligneæ, ore suo, quod non est maius cuspide aciculæ, secum portat suũ cultrum, malleum, serram, cuneum, ille sensim arrodit hoc lignum, pulvere interim croceo instar auri, & commolito instar floris farinæ decidente; trabe jam excavatâ, sensim rimas agit, faber itaque lignarius, qui trabi insidet, cadit, totum tectum, quod ei innititur, ubique est perpluvium, pluvia penetrat muros, & totum ædificium ruit. Tu oculos huc illucque voluis in Ecclesia, id nihil esse videtur, nec est aliud, quam motio oculorum, tu caput agitas, tu vides pompam unius puellæ, gratiositatem unius adolescentis, hoc objectum exercet tuum animum; Vel enim perstringis murmurando luxum, aut pravas concipis cogitationes, tuus animus excavatur, corroditur, penetratur, bonæ cogitationes destruuntur, & pro eo, quod deberes attendere missæ, aut cogitare de Deo, tu cogitas de mundo, & creaturis. Et ita, postquam amisisti reverentiam, quam debes domui Dei, dum aliquis ad te venit, velitque tecum fabulari, & nugari, tu aures præbes, illa detrahit suo marito, nurum, ancillam perstringit, idque sub prætextu consilii à te petendi; Postquam sermonem finivit de suis domesticis, illa detrahit suis consanguineis vicinis, huic, illi, tu consentis mendaciis, tu tuum addis, & gratiam Dei perdis.

Qui timet Deum, nihil negligit. Unica minima scintilla grande sæpe caussat incendium, minimum vulnus incurabilem sæpe generat gangrænam, minima omissio diuturnam sæpe producit litem. A juramentis itur ad periuria, à mendaciis officiosis ad perniciosa, à verbis ociosis ad facetias, à facetiis ad verba inhonesta, à mendaciis levibus ad graves detractiones, à minimis furtis ad enormes ruinas. Filius tuus incipit furari pomum, postea pullos, dein gal- *Eccles. 7. v. 19.*

gallinas indicat, postea aves, tandem equos, & in fine evadit magnus fur. E contra, si tu evites peccata venialia, à potiori evitabis mortalia, si sis fidelis in exercitio minorum virtutum, tu practicabis maiores, quæ tibi in hac vita merebuntur gratiam, & in altera gloriam Amen.

SERMO QUADRAGESIMUS PRIMUS,

PRO DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

In primum præceptum Decalogi, de fide, prima virtute Theologica.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè Lucæ 17.

EXORDIUM.

NEmo debet mirari, quod hi leprosi steterint à longè, levitici quippe decimo tertio mandatum est, ut leprosi habitent extra hominum societatem, eam potissimum ob causam, ne alios inficiant. Quod quidem semper est observatum, etiam ad nostra usque tempora; Dumque hoc intelligerent hodierni leprosi, non fuerunt ausi Christo appropinquare, sed steterunt à longe, dum sanitatem peterent. Quod si leprosi non sint tolerandi in hominum consortio, quanto minus pravi, qui alios contagione peccati inficiunt; Et utinam hi ab aliis longè semoti essent, sed quod dolendum est, ultro se aliis ingerunt, ut eos inficiant, & sunt non pauci. Præ reliquis autem sunt hæretici, quorum sermo ut cancer serpit, quærens alios seducere, & iis suum errorem affricare; quod ne fiat, ostendam hodie cum Auctore veritatem nostræ fidei, ex modo miraculoso, quo est publicata.

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Exod. 20.

I. CUm Propheta Jeremias mandatum acciperet à Deo prædicandi populo Israel, statim in principio insinuatum fuit ei, missionis scopum, & finem esse evellere, & plantare, destruere, & ædificare, idem fit omni Missionario, & hinc explicatio, mandatorum Dei utrique intentioni accuratè respondet, servit enim, ut cognoscamus vitia, ut illorum accusationem faciamus,

mus, in Confessione, & sic evellantur, servit cognitioni virtutum, ut iis afficiamur, & consequenter radicentur in cordibus nostris; Mandatum primum obligat nos ad actus quatuor virtutum, fidei, spei, charitatis, & religionis. Prima est fidei, quia ut bene, & firmiter radicetur, necessarium est considerare quot miraculis, & modis aliis captum humanum excedentibus, Apostoli eam, & consequenter cultum unius Dei super ruinas Idololatriæ fundarint, juxta illud. *Non habebis Deos alienos coram me.* Isaias, iter tuum in Ægyptum, O Virgo Sacratissima, prædicens subdit. *Ecce Dominus ascendet su-*
Isa. 19. v. 1. *per nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Gratias immortales Deo ter optimo maximo, quo disponente videmus, & experimur prophetiam istam tam feliciter expletam. Ex Ægypto hujus mundi pulsa, & excommunicata sunt idola, eo ipso, quo Filius Dei illum ingredi dignatus est, gremio tuo omnis peccati experti tanquam nube levi portatus, destruere dignare, in cordibus nostris per gratiam filii tui idola omnis affectus vitiosi, & terreni, hac intentione salve, & Ave Maria.

IDEA SERMONIS.

Erat naturaliter impossibile, idololatriam destrui ab Apostolis, & substitui fidem Christianam. Primo quia hoc opus erat arduum. secundo, quia nulla ad hoc instrumenta. Tertio quia multa impedimenta.

II. QUicunque luminis naturalis ductum, & machinas humanæ prudentiæ non dedignatur concedere, cogitur tres principaliores considerationes nos passim à proposito tum distrahere, tum prosecutionem eius dissuadere, vel planè omnem spem boni exitus evellere. Primum si res sit de se difficilis. Secundò, si destituti simus talentis, & instrumentis necessariis ad eius finem assequendum. Tertio, si graves, & notabiles oppositiones prævideamus. Nisi Apostoli omni judicio privati fuerint, vel cælestis subsidii assecurationem habuerint, tres istę considerationes necessarió supprimere debuerunt in ipsis, non solum voluntatem, sed & minimam etiam cogitationem tentandi extirpationem idololatriæ, & plantationem fidei.

PUNCTUM PRIMUM.

Opus erat arduum, primo scriptura, secundo Patribus. Tertio ratione, quia in hoc erat suspitio impietatis, ambitionis, seditionis, stultitiæ. Quarto exemplis, eorum qui nihil simile exequi potuerunt, nempe philosophi, Noe, Iacob, Ioseph, Moyses.

III. CUm antiqui Prophetę prævideruut Adventũ Filii Dei, & effect⁹ incarnationis ejus, eò ipso prædixerunt eum in hoc mundo patraturum mirabilia extraordinaria, inaudita, nihil mirabilius, nihil magis extraordinariũ, nihil cum possibili incompatibilius se-

cundum apparentiam, vel captum humanum, quam iste conatus Filii Dei, & Apostolorum eius. Orator Romanus non sine fundamento ait: rem fore planè incredibilem, nisi quotidiana experientia manifesta esset, quantum consuetudo paulatim invalescens sive in bonum, sive in malum imperium in nos acquirat, & exerceat absoluto quasi præscriptionis jure, ita ut meritò altera natura à Philosophis nuncupetur. Velle igitur universalem consuetudinem per omnia regna, & nationes huius mundi non receptam solum, sed & practicatam totaliter aboleri, est velle mundum universum invertere, & naturam ipsam denaturare.

Consideremus quæso, quo labore, qua potentia, vel authoritate non indigeat is, qui in aliqua Civitate, oppido, Capitulo, vel Communitate etiam Rusticana, vel minimam mutationem intendit introducere? Quoties non debet audire, talem non habemus praxin, id nunquam apud nos fuit moris, novitates nullas admittimus, sed omnes abhorremus, & execramur? Quantæ ergò molis non fuit, velle evellere, vel eliminare non nudam, vel simplicem praxin, sed plurimas maximi momenti antiquissimas, & immemorabiles consuetudines, non in pago, non in oppido, non in civitate, aut Provincia, sed in omnibus regnis, & Nationibus totius Orbis terrarum, & quod caput erat in Romanis, apud quos tanquam oraculum erat axioma, *moribus antiquis Patres Romana, viresque: Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuvat utilitatem, novitate conturbat.* Politicis regula prudentiæ est omnem novitatem, quantumvis speciosam, & apparentem omni semper statui periculosam esse, quamvis nudè una consuetudo pro alia jam recepta etiam conformis, & correspondens illi suggereretur mutationē istam semper odiosam esse. A fortiori, quando introduci videntur aliæ contrariæ non solum, & oppositæ antiquis, sed etiam suspectę de irreligione, ambitione, seditione, & stultitia; De irreligione quidem propter conatū eliminandi cultum Deorum, abrogandi sacrificia, altaria in planum redigendi, & templa Dianæ Ephesi, Appollinis Delphis, Jovis in Capitolio Romæ, persuadetur Deos istos esse dœmonia, oracula ipsorum mendacia, sacrificia esse sacrilegia, sacrificulos impostores. Diciturque Clodoveo, aliisque Regibus, *adora, quod incendisti, incende, quod adorasti*; Ecce quanta mutatio. Advertit S. Augustinus Romanos, qui non solum recipiebant, sed & colebant Deos cujuscunque Nationis sibi subjugatæ, nunquam tamen recepisse Deum Judæorum, ne abstraherentur à servitio, & cultu aliorum, hic tamen idem est Deus, qui ipsis proponitur adorandus cum execratione cuiuscunque alterius divinitatis, & quamvis populo Judaico certum sit eundem esse Deum, quem ipsi adorant, primâ tamen facie in multis discrepant Apostoli illum prædicantes ab ordinationibus ab ipso ante hac datis. Abrogant enim plures observantias, & cæremonias ab ipsomet institutas, ut Circumcisionem, sacrificia animalium, festa azimorum, & huiusmodi, nonne hæc irreligionem, & impietatem redolent?

IV. Ut

IV. De ambitionibus autem, proponitur enim homo, qui regem regum, Dominum Dominantium sese jactitat, qui Discipulis suis promittit, quod sedebunt super thronos judices universi. *Sedebitis & vos super sedes duodecim*; Unde & unus illorum ait: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Signa efficacis rebellionis, quibus meritò obiiciunt illud: *Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt Regem alium, dicentes esse Iesum.*

Matth. 19. v. 18. 1. Cor. 6. v. 3. Act. 19. v. 7.

De seditione etiam, nam si subtilissimus, & disertissimus aliquis Orator facundia sua conaretur familiam aliquam dissidiis ab invicem seiungere seminando discordias inter virum, & mulierem, parentes, & proles, excitando domesticos etiam contra Dominum, & Dominam, quamprimum adverteretur ipsius conatus, detegerentur iniqua molimina, & astutiæ versi pellis eum ut lupum insequerentur. Apostoli autē nostri idipsum tentant, non in una domo, civitate, cōmunitate, vel republica, sed per omnes totius mundi nationes universim, nec in occulto, sed publicè, generosè. Nec inopinatè, sed prævio edicto publico: *Non veni pacem mittere sed gladium, veni enim separare nurum à socru sua. Qui non odit Patrem, & Matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Hæc cum insonarent auribus Patrum, & Matrum familias, merito suis inculcarunt, cavete ab huiusmodi impostoribus seditiosis, Zizanarum seminatoribus, ut à mundi peste.

Matth. 10. v. 35. Luc. 14.

V. Quotquot fuerunt præcepta, seu Concilia Evangelica, tot fuerunt stultitiæ indicia juxta humanam apparentiam, & Gentilium iudicium, *Evangelium Gentibus stultitiam*, exponebant se enim omni dissolutioni absque ullo remorsu conscientiæ, vita ipsorum erat Conviciis, commessationibus, choreis, tripudiis, aliisque huiusmodi sensualitatibus, & carnalitatibus delectari, unicus eorum scopus erat divitiis, & dignitatibus magnifieri, omni possibili modo corporis commoditates quærere, ob quamcunque etiam levissimam iniuriam vindictas meditari. Hujusce farinæ hominibus Apostolicam proponere doctrinam, nimirum, *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hoc inquam velle observari propter amorem hominis pendentis in ligno, idque cum periculo exilii, amissionis omnium bonorum temporalium, Officiorum, Dignitatum, immò & propriæ vitæ post atrocissima, ac intolerabilia tormenta; Nunquid est impossibilia tentare, & propriæ fatuitatis, vel delirii indicia quasi certa prodere? *Gentibus stultitiam.*

Ephes. 5. Matth. 12. v. 36. Matth. 5. v. 44.

VI. Et ut manifestius pateat eiusmodi conatus, vires humanas prorsus excedere, adeoque irritos esse, quis unquam inter Gentiles Socrate sapientior, quem oracula sapientia omnes homines superare dictitabant, cuiusque consilia tanquam oracula æstimabantur?

bantur? Quis unquam intelligentia, ſapientia, facundia par fuit Platoni, qui non ſolum ipſe divinus, ſed & ipſi Dii, Platonica ſi loquerentur lingua locuturi æſtimabantur? Quinam Legislatores unquam tanto judicio, induſtria, & zelo ediderunt fulmina in vitia, & vitioſos, ut Imperatores Romani, quorum artes dicebant, *regere Imperio populos, & condere leges.* Sed quid omnes iſti Philoſophi, Oratores, Legislatores, cum omni hac prudentia, ſapientia, induſtria, fervore unquam effecerunt? Ne vel minimum quidem viculum ad ullam unquam virtutem exercendam redegerunt: Quod ſi à profanis ad ſacra tranſeamus exempla, non deerit, unde miremur, & primum quidem incredulitatem, & duram cervicem hominum, qui Noe contemporanei erant: Videbant enim hominem juſtum, optimæ indolis, ſedatum, judicio plenum, nec poterant dubitare de ipſius ſapientia, qui jam quingenteſimum attigerat annum, nec toto illorum annorum tractu, vel minimo levitatis nota culpabilem invenerant. Minatur terribiliter juſtitiæ divinæ ictibus feriendos, vident admirabilis artificii arcam, ab ipſo fabricari, nec latet ipſos id mandato Dei fieri, ut evaderet pericula diluvii, quæ toti univerſo, minebant, nec poſſunt cum fundamento, vel rationabiliter ſibi imaginari, eſſe panicum aliquem terrorem, qui ipſis incutitur, vel actum aliquem fatuitatis, ſeu delirii, ſpatio enim centum annorum elaboratur, & perficitur arca, nec fatuo proprium eſt, vel ſolitum eundem actum, vel actionem tam diu continuare, tam acuratè perficere opus inceptum, vident omnis generis animantia ex omni parte totius mundi illuc confluere inſtinctu quaſi aliquo ſecreto, non quidem naturæ, ſed ſingularis providentiæ divinæ, ly enim *Baov*, vel *Noak*, indicant, quod ſpontanee, non adducta, venerint ad Patriarcham. Interim perſeverant omnes in incredulitate ſua, ita, ut nequidem unus ipſi aſſocietur, nullus cogitet de Pænitentia, nec ipſi domeſtici, aut famuli ipſius; Tanta eſt hominum contumacia, tanta tarditas in aggrediendis, vel amplectendis iis, quæ ſenſualitati contrariantur, quæ eorum appetitui adverſantur naturali.

Porrò hæc eorum contumacia, impœnitentia, obduratio, vel exinde magis liquet, & eluceſcit, quod Noe quotidie eos exhortatus fuerit ad pœnitentiam, & emendationem vitæ, & quidem verbis adeo efficacibus, & moventibus, cum tantâ energia, & vivacitate, ut ipſa animantia, & lapides, ſi ſenſu polluiſſent, moveri, & flecti debuerint. Quot malleorum ictibus arcam pulſabat, tot ictibus eorum corda percutiebat; His tamen non obſtantibus ipſi in itinere cœpto pergebant, ſcelera ſceleribus accumulabant, & ad illas voces Noe tamquam immobiles lapides hærebant, & velut trunci carentes ſenſu, anima, vita, nullatenus flectebantur, & movebantur, ut de pœnitentia agenda conſiderarent, & de vita emendanda aguerent, aut voluptatis, vas deſererent, & iis ſe expedirent.

Et quantum ad peccatum, de quo Nobis sermo est, puta, Idololatriam, expertus est Iacob, quam difficile sit illud evellere ubi radicatum est, passim in sacra scriptura dilectus, & electus nominetur, ab infantia enim vidit Deum in scala sibi promittentem continuam assistentiam, moratus est plusquam viginti annis in domo avunculi sui, quo tempore vidit, & cum stupore admiratus est Laban virtutes heroicas huius viri, fatetur, & agnoscit se à Deo benedictum, se omni prosperitate, in omnibus gaudere propter servum Iacob, nec tamen potuerunt hæc omnia infidelem istum ab Idololatria sua convertere ad Deum verum. Nec minus infelix fuit filius eius Ioseph, qui non minus, quam octoginta annis Aulicus fuit Pharaonis, agnitus ab ipso Rege, & honoratus ut habens spiritum Dei, & donum prophetiæ, dictitabat ipsum Salvatorem mundi, constituens ipsum dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, ut erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius, prudentiam doceret, nec tamen hæc authoritas, vel æstimatio tantæ personæ tam diuturnæ Idololatriæ vel in minimo nocuit. Nec mirum est, quod hi omnes nihil effecerint, quandoquidem Moyses, qui singulari privilegio admittebatur ad alloquium Dei, idque eà familiaritate, qua inter nos, amicus cum amico conversatur, qui in negotiis politicis huius mundi versatissimus erat, in aula Regia ab infantia educatus, cui commissa fuit conversio Aegypti, commissione tam absolutà, ut exinde denominaretur Deus Pharaönis, in quem finem tam plausibilia, & rara patravit miracula, ut nihil iis posset cum fundamento contradici, & tamen tam parum effecit, ut non solum, non averterit ipsos à servitio Idolorum, sed ne quidem triduanam potuit obtinere licentiam, ut vero Deo exiret offerre sacrificium, nihilominus filius Dei conatur introducere in Ægypto cultum suum, nec solum ibi, sed in universo terrarum orbe, medio Apostolico labore.

PUNCTVM SECVNDVM.

Nulla ad hoc instrumenta, immò contraria, quia erant Iudæi, timidi, ignari, unius lingvæ, pauci, dispersi.

VII. Sed quibus talentis, vel donis naturalibus instruxit istos Apostolos ad efficiendam rem tantæ molis, rem quæ à tot, & tantis viris irritis omnibus omnium conatibus infecta remansit? Nullis omnino, sed potius econtrariò, qualitates ipsorum, nec habebant ullam proportionem cum fine isto, adeo oppositæ sunt, ut non solum alios absterrere debeant, sed & ipsosmet summo afficere tædio, adeoque avertere, & retrahere à prosecutione operis intenti. Sunt enim Iudæi, & volunt Romæ proponere hominem suæ nationis adorandum, sunt homines Idiotæ, plebæi, & volunt magnates, & sapientes huius seculi reddere subditos, non noverunt, nisi lingvam vernaculam, & tamé instruere volunt omnes populos, sunt numero pauci, & inten-

dunt acquirere universum terrarum orbem, qui vel minimum versati sunt in historiis, satis adverterint, quanta tunc temporis erat antipathia inter populos, Romanum, & Iudaicum, cum quanto contemptu, sannis, & opprobriis à Romanis miseri Iudæi despiciebantur, epitheto enim ordinario dicebantur fœtidi, ut enim exaggeretur rei cuiuscunq; fœtor intollerabilis, dicebatur fœtre ut Iudæus, ab aliis vocabantur venditores sulphuris, & ut magis in contumeliam cederet, dicebatur illud, *Iudæi, quorum cophinus, fœnumque supellex,* quasi dicerent, omnia ipsius mobilia consistere in cophino, quo expurgarent plateas Civitatum à sordibus, & fœno, in quo nocttu quiescerent

Nec his obstantibus homines Iudæi natione conantur apud Romanos efficere, ut loco Martis, & Iovis adoretur homo Iudæus, qui ab ipsismet Iudæis suspensus est, nunquid hæc propositio omni sanæ menti, si saltem aliquid iudicij luminis habeat, potius à phantasta, vel hypocondriaco quovis procedere censebitur, quam à viro prudente? Et quamvis Iudæi non essent, sed omnes Romani, nunquam tamen ullus ipsorum habuit usum armorum, suntque animo tam pusillanimes, ut ad vocem ancillæ trepidantes dilectissimum Dominum, & Magistrum suum abnegarint, & deseruerint in extrema necessitate constitutum. Et quomodo domarent Imperium Romanorum, quod sibi subiugavit omnia cætera regna, cum sint homines nullâ politicâ honest. te, curialitate, scientiâ, eloquentiâ, vel intelligentiâ præditi, adeoq; ubi uellent instruere Philosophos meritò replicaretur, *sus docet Minervam?*

Dato etiam, quod quilibet ipsorum sapientiam habeat Aristotelis, Demosthenis eloquientiam; *Nonne omnes Galilæi sunt, & quomodo audiet unusquisque linguâ suâ illos loquentes?* Non noverunt nisi unam lingvã, quarum tamen sunt septuaginta duæ originales ad minus, absque aliis idiomatibus particularibus, quæ in æquali numero sunt cum Provinciis, & civitatibus universi, quonã ergo utentur interprete, ut intelligerentur ab omnibus his?

Tandem *ne Hercules contra duos;* sunt pauci, puta duodecim, vel tredecim ad summum, qui contradicant toti mundo, ipsum arguant erroris, & mendacij in materia, quæ ab omnibus passim sustinetur, cum maximo zelo, & fervore, nimirum Religionis, & quod caput est, pro eo, quod solent alii bellatores, qui omnes vires suas colligunt, & coniungunt, ut cum maiori impetu, & feliciori effectu hostes suos aggrediantur; Hi, quantumvis timidi, imbelles, & pauci separant se abinvicem, ac dilperguntur per omnes mundi nationes, unus enim Italiam, alius Persiam, Indias alter, Phrygiam, & Aethiopia etiam suos accipiunt. Si prædicatio Evangelii esset inuentio humana, & collusio astutè excogitata, nunquam à se invicem separati fuissent Apostoli, sed coniuncti mansissent, ut eo melius, & facilius excogitata sua mendacia conmmunicato semper consilio potuissent confirmare, & stabilire, cum

cum virtus unita sit fortior, nam quandocunque convincendi sunt impostoræ homines, quos suspectos habemus falsitatis, separatim interrogantur, ut fecit Daniel Accusatoribus Susannæ, ut superetur exercitus, vel cohors militum, optimum stratagema est, & efficacissimum, si possit inter illos causari aliquod divortium, & quocunque prætextu fieri; ut ab invicem separentur, quod ipsum prædicavit Horatius. *Addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque prout sequi poterant, aggressus exceperat.* Apostoli prædicant in diversis locis, sermone uniformi, numero solum duodecim, dispergüntur in omnes partes universi, adeoque optatissimum ludum hostibus ludunt.

PVNCTVM TERTIVM.

Multa impedimenta ex parte sacerdotum, imperatorum, Doctorum, Magistratuum, prudentium.

VIII. Concipere igitur rem tam difficilem absque talentis, vel instrumentis necessariis ad intentum finem consequendum, qualitatibus contrarijs, & omninò improportionatis munitos, absque ulla ullius assistentia, profectò chymeram fabricare est, & Aethyopem lavare, esto nihil invenirent resistentiæ. Quid igitur erit, si oppositiones extremas, & invincibiles experiantur?

Si pietas, si potentia, si scientia, si ratio, vel ulla adhuc rerum experientia in hominibus vigeat, hæc omnia unanimi consensu, uno impetu opponent sese tantæ temeritatis conatibus; & primum quidem sacrificuli, ubi viderint Christianismum professioni suæ tam notabiliter derogare, *concitabunt* *Act. 13. v. 50.* in dubiè, *mulieres religiosas, & honestas, & excitabunt persecutionem* in Apostolos: dicendo eos esse homines Apostatas, diabolico incitatos genio, ut ruinam servitij divini procurent, & quidquid mali ipsis evenerit; virorum istorum impietati imputabunt, *Si Tiberis ascendit* *Tertul. Apol c. 5.* *si nil⁹ nō ascendit in arva; si calū stetit, si terra mouit, si fames, si lues accidit, statim Christiani ad Leones conclamabuntur*; Imperatores Romani, Nero, Domitianus, Diocletianus, timentes coronas suas periclitari, præparabunt rotas, acuent gladios, cælum, & terram armabunt, mille suppliciorum genera excogitabunt, & quidquid crudelitas suggeret machinamenti, adhibebunt huiusmodi Imperij Rebellibus, noviq; Monarchæ Prædicatoribus.

Philosophi, & Oratores huius sæculi Porphyrius, Celsus, Simmachus, Iulianus Apostata, & alij advertentes Religionem hanc novam manifestè contradicere maximis in eorum scholis receptis, parabunt calamos, component libros ad disputationes, & declamationes sese accingent, seminabunt pasquillos, Comœdiis, & huiusmodi publicis actionibus, huic sectæ pro virili se opponent.

Magistratus, & Gubernatores Civitatum, & Provinciarum apprehendent hanc novitatem, fomitē fore seditionū, quibus, ut occurrant, edicta publicabunt, ut eā in ipsis quasi in cunabu-

nabulis supprimant, contentum autem eorum erit, ut quicunque Religionem hanc fuerit amplexus, cuiuscunque qualitatis, aut conditionis sit, eo ipso excludatur, & privetur omni dignitate, & officio publico, & ad huiusmodi ineptus impolterum censeatur, quod nulli horum permittatur emere, aut vendere, vel aliquo modo negotiari, in nullo iudicio audiantur, ut ibi aliquid petant, vel exigant iuridicè, ab ullo, ut omnibus permissum sit, & liberum, omnes, & singulos eorum accusare, & iudici præsentare, id poterit servus domino, uxor marito, proles parenti, ita ut in quocunque loco eos invenerint, licitè non solum, sed & impunè eos quocunque modo occidere possint. Ecce quanti cruciatus ex hac consideratione nascentur in corde hominis naturaliter inclinati ad ambitionem? Ecce libertatem, quæ nunquam ulli data est exercenda in parricidam. Cuicunque in animum venerit hanc doctrinam suscipiendi, quot repugnantiæ, quot aversiones, quas contradictiones opponent ratio naturalis, sensus communis, amor proprius? Dum proponitur fides in salvatorem, hominem vilem, & abiectum in ligno suspensum, quod aliquis homo prudens debeat credere ipsius discipulis scopos omnis disgratiæ, reiectitios Iudæorum, scoparios mundi, & quidem ita credere, ut post tres dies à confessione istius fidei quis miserè moriatur, miseras, uxorem, & proles deserens, parentes desolatos, amicos, & consangvineos omni honore privatos, sibi ipsi autem perpetuæ infamiæ, fatuitatis, & impietatis notam indelebilem post mortem relinquat.

Si Apostoli, quorum hæc est intentio, vel minimum Iudicii habeant, facillimè omnes istas difficultates, oppositiones, & adeo innumera huiusmodi apprehendent, supposito enim quod Salvator noster non resurrexit, & prædicatio Evangelica sit aliquod ab ipsis excogitatum figmentum post eius mortem, quare saltem inter se non dicunt, ecce homo iste promiserat nobis tam sanctè se resurrecturum, fefellit nos, quare igitur hunc commendabimus? Quid prædicamus eum cum tanto periculo vitæ nostræ, seipsum non potuit iuvare, nos autem quomodo proteget? Seipsum adhuc vivens non potuit conservare, nos igitur quomodo iam mortuus, ex tot periculis poterit eripere? Ipse toto tempore vitæ suæ non convertit vel unicam nationem, quomodo ergo poterimus nos post eius mortem sola nominis ipsius prædicatione, totum universum lucrari? Præterea non adeo peregrinæ, vel raræ apud ipsos debent esse historiæ, cum velint esse Doctores totius mundi, quin sciant, quomodo excepti fuerint à Concivibus, & Conterraneis suis Socrates, & Plato celeberrimi istius temporis viri, qui aliquam novitatem in Religione introducere attentabant, quomodo ergò non timent idem, & peius sibi eventurum, qui cum sint extranei, conantur totaliter extirpare cultum Deorum, & proeo unici Dei, & quidem Crucifixi cultum suggerere. Norunt quam

quam prona sit natura Iudæorum ad murmurationem, ad rebellionem, qualiter sæpius exceperint suos Prophe-
Num 16. 41. tas, quomodo insurrexint contra Moysen, volentes eum lapidare, visis etiam tot miraculis, ab ipso patratis in ipsorummet gratiam, ducendo eos pede sicco per mare rubrum, impetrando ip-
Ierem. 18. sis manna de cælo, & aquam è petra, qualiter conspiraverint contra Ieremiam, miserint in cisternam, nec ignorare possunt persecutiones, quas passus
Reg. 19. est Elias, cum præsentissimo vitæ suæ periculo, & multò minus eos latere potest, quod nuper propriis oculis, vel saltem auribus perceperunt Ioannem Baptistam, virum nobilem, in utero matris sanctificatum, testante Angelo Dei, habitum passim ut prophetam, eò ipso, quo regulum peccati alicuius coram toto mundo abominabilis, arguere cœpit, non solum nihil lucratum esse sed & ipsum capite vitam amisisse, ipsi quomodo ergo, qui homines idiotæ, & incogniti sunt, unde audent sperare se persuasuros Regibus, ut deserant fornicationes, Deos, quos hactenus adorarunt, pedibus conculcent? *Incende, quod adorasti, adora quod incendisti.* Vel Apostoli erant præditi intellectu, vel non? Si sic, quare non præviderunt, & apprehenderunt istas difficultates? sin minus, quomodo illas superarunt? Vel habebant iudicium, & sensum communem, vel non? Si sic, quomodo attentarunt negotium, quod iuxta omnem humanam apparentiam nunquam poterat in effectum redigi? Sin minus, quomodo tantum negotium sunt executi?

PVNCTVM QVARTVM

Quam mirum quod id fecerint. Primò brevi tempore. Secundò mirabiliter. Tertiò efficaciter. Quartò gloriosè. Morale in eos, qui idololatriam suscitant. Primò in animo indigna de Deo cogitantes. Secundò in corpore per ornatum muliebrem. In corde per inordinatum amorem creaturæ.

IX. Quod autem sint illud executi, & quidem felicissimè, non solum videmus, sed & palpamus; idque brevissimo tempore, & gloriosissimè solâ divinâ assistentiâ muniti; nec potest dici, Ecclesiam primitus propagatam esse armis, & authoritate Constantini, qui eam singularibus facinoribus prosecutus est, quia iam dudum, antequam coronaretur, diversi populi fidem amplexi erant, & cultus Deorum execrabantur, ipse enim primum venit ad imperium in principio quarti sæculi, nimirum anno 306 & Trophymus Rex Burgundiæ conversus est sæculo primo. Lucius Rex Angliæ sæcundo. Donaldus Rex Scotiæ seculo tertio. & Tertulianus, qui ducentis ad minus annis floruit ante Constantinum, asserit suo tempore in Gallia adoratum fuisse filium Dei, nec solum ibi, sed & in Hispania, Anglia, Germania, in Armenia, Persia, Phrygria, & Lybia, in Mauritania, aliisq; Prouinciis, ad quas Romanorum exercitus nondum per- *Tertul. l. adu: Iud: c. 7.*

venerant. Idem in apologia Gentilibus ait: *Externi sumus, & vestra omnia implevimus, Vrbes, Insulas, Castella, Municipia, Castra ipsa tribus, Decureas, Palatium, Senatum, Forum, sola vobis relinquimus templa.* Plinius secundus, qui eodem sæculo vixit, idem ferè in re insinuat Imperatori Traiano, his verbis: *Res mihi visa est digna consultatione, multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus in periculum vocantur, neque enim Civitates tantum, sed Vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.* Id ipsum etiam manifestum erat primo sæculo, nam Iudææ Gubernator, teste S. Chrysostomo, quamprimum intellexit miracula, quæ filius Dei patrarat, Senatui Romano scripsit, hunc meritò Deorum numero adscribendum: Quod ideo recusavit Senatus, quia ipso inscio, authoritate propriâ, Crucifixus iste se curabat adorari, quod indubiè singulari providentiâ divinâ contigit, ne propagatio fidei Imperatorum Romanorum authoritate facta videretur.

Tertul. Apolo. c. 7.

Lib. 10. Epist. 97. ad Traiam.

Chrisost. hom. 16. in 2. Cor.

Ex quo manifestè liquet, & apparet, quod fides nostra propagata, & dilatata non sit armis, potentiâ, viribus, plurium exercituum in campum eductione, urbium eversione, regionum subiugatione, coactione, multatione, & eorum qui illam amplecti nolebant, in exilium eiectione, sed solum prædicatione facta per pauperes, rudes, idiotas, indoctos, ut ita miraculum magis appareret, & liqueret, quantum prodigium sit, quod ille parvus numerus, ita numerum superavit maiorem; quia ut ordinariè res contingunt, maior numerus à minori superari nequit, nisi armis, & ne hoc dictum frustra videatur.

Chrisost. hom. 7. in 1. Cor.

Nonnè ordinaria, inquit, rerum humanarum natura est, numerum maiorem excedere minorem, fortiores supplantare debiles, armatos superare nudos, doctos, & facundos confundere ignorantes, idiotas, & stupidos, leges veteres, & domesticas prædominari novis, & extraneis, eos, qui inclinationibus nostris abblandiuntur, plus nobis persuaderet, & facilius in suam mentem taheret, quam qui ijs contrariantur, vel contradicunt? hic autem omnia contrario modo procedunt. Imaginetur sibi quispiam duodecim milites se videre, qui nec galeâ, nec Thorace, nec gladio, seu bombarda, aut ullo alio huiusmodi instrumento bellico muniti, vel ornati sunt, adeoque potius nomine, quam omine milites sint: Opponantur ijsdem centum millia virorum, quibus ad armaturam à planta pedis, usque ad verticem capitis nihil omnino deest, quorum nullus non sit cordatissimus, & ineundi certaminis, summè avidus. Si duodecim præfati inermes, tantum numerum armatorum auderent aggredi, nunquid meritò argui deberent insanæ audaciæ, & temeritatis? nonne potius æstimandi essent phrænetici, quam generosi, nisi securi essent de assistentia divina infallibili? Quod si tam exiguus numerus multitudinem tam excessivam debellaret, quis non obstu-

obstupesceret ad tam inauditæ rei narrationem? Quid posset excogitari magis prodigiosum? Quid mirabilius? Nihilominus hoc faciunt Apostoli, non sunt, nisi numero duodecim, vel tredecim, nec aurum, nec argentum habentes, scientiâ, authoritate, assistentiâ humanâ prorsus destituti. Econtrâ verò adversarios habent non centum mille, sed plusquam centies centena millia, potentiâ, scientiâ, eloquentiâ, divitiis, authoritate, & generositate optimè munitos: Interim duodecim nostri Idiotæ tantam multitudinem hominum subiugare conantur, ijsque persuadære, ut mutent Religionem, opinionem, doctrinam, omnemque agendi modum. Multitudo autem succenditur irâ, & furore, arctius colligatur, & adunatur adinvicem, pro maiori defensione Deorum suorum, Regum, Legum, doctrinæ, Privilegiorum, & consuetudinum, quibus erant quasi inveterati, & inescati; & quod omnem admirationis modum auget, & superat, si miseri imbelles, hæc paupercula duodena tot millium millia, quantumvis imbellis superat, & convincit. Et quamvis comparatio unius numeri ad alterum tam inæqualis sit, si mansissent coniuncti, potuissent adhuc fortè aliquid attentare, sibique mutuo subvenire, & hosti aliqualiter nocere, sed separantur, disperguntur in varias partes, exponunt se sicut oves in medio luporum, nec uniti potuissent superare, nisi corpus adversarij: Nunc autem superant spiritum, & cor, sibi subiugando, nec obstat, quod difficilius convincatur spiritus, quam corpus, quia resolutiones cordis non tam facile penetrantur, vel ciunto ac arma ferrea. Videmus enim quotidianâ experientiâ, virum quempiam minimâ febriculâ deiici, Corpusque ipsius lectulo affigi, sed omnes afflictiones huius mundi spiritum ipsius movere nequeunt, ut pravas inclinationes, & alia huiusmodi deserat. Non est ullus miles, qui non poterit facillimè tam thoracem, quam galeam suam penetrare, nec tamen ullus est, sive parens, sive amicus, vel consangvineus, nec Prædicator, nec Confessarius, nec minæ, nec promissa, quæ penetrare possint cor eius obstinatum, & voluntatem induratam vitiis, emollire. Quis igitur satis mirabitur hoscè pauperculos captivasse tot superba ingenia, domuisse tot voluntates rebelles, non pugnandò, sed patiendò, non occidendò, sed moriendò, non dandò honores, non distribuendò divitias, sed promittendo contumelias, supplicia, miserias?

Cyrus Persarum Rex, conscribens militem Spartis, his utebatur promissis, quicunque me sequetur, si pedes sit faciam Equitem, si Eques sit, addam ipsi currus, si villas habeat, dabo ipsi pagos, si pagos habeat, dabo ei civitates, si civitates, dabo ei provincias, quantum ad aurum autem, illud ei non numerabitur, sed ponderabitur, quis non alliceretur huiusmodi promissis? Quis non sequeretur tantæ liberalitatis Regem? Nec mirum est, quod eum plurimi sint secuti.

Fili-

Filius autem Dei planè opposito procedit modo, qui vult venire post me, inquit, deserat, quidquid possidet, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, nisi velit à discipulorum meorum numero excludi. Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, omnem persecutionem patiemini, imò & ipsam vitam pro me cum morte commutabitis. Vt verum fatear, multum dipersi sunt hi duo sectatores conscribendi modi, & tanta differentia inter conscribentes, ut Cyrus tantus, ut manifestum est, Imperator, tam raris promissionibus suis Lacedæmonios nunquam potuerit allicere ad suum servitium. Pauperculus autem Salvator noster minitabundis, & rigorosis suis propositionibus, & quidem post mortem tam ignominiosam omnes nationes ad se trahit, nō tantum milites, quales quærebat Cyrus, sed imperatores, non civitates, sed imperia, non ut cum aliis hominibus bellum gerat, sed ut extirpet, & debellet idola, quæ ipsi adorant, Cyrus conscribendo moritur, filius Dei moriendo conscribit, mors Cyri dissipat eius regnum, morte Iesu stabilitur ipsius regnum in omnibus Imperijs. Quis igitur non videat in illius potentia infirmitatem humanam, in infirmitate huius, potentiam divinam?

Repetamus quasi per compendium sparsim supra dicta, ut præferamus Doctorem iustitiæ, non ducibus militiæ, sed alijs Doctoribus, Socrates cum omni doctrina, & æstimatione sua vix tot discipulos ad se trahit, quot procos habet vel unica concubina, esto unicam solum moralem, & naturalem virtutem doceret, filius Dei præcipit virtutes difficillimas, easque supernaturales, trahit post se, & Socratem, & concubinas cum multis millibus procorum. Plato politiam, & reformationem Reipublicæ, quam erat meditatus, ne unico quidem pago persuadere potuit, filius Dei suā introduxit in omnes universi angulos. Imperatorum iussu, omnes Iuris consulti noctu diuque sudarunt in compositione digestorum veterum, & novorum, Codicis, Institutionum, Authenticarum, & Novellarum constitutionum, nec tamen his omnibus, vel in unicam Provinciam pacem, & Iustitiam introduxerunt, quod erat principale ipsorum intentum, Salvator noster suo ævo in omnibus mundi regnis, utramque introduxit, conscripto vili Evangelii libello. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.*

Noë Vir prudens, & iustus, in re, & æstimatione hominum iam à quingentis annis, adhortationibus, & prædicationibus per centum annos continuatis, ne unicum quidem cor humanum movit, ut ingrederetur arcam ad salvandam vitam propriam, Salvator noster vix trigenario maior invitat homines ad ingrediendum naviculam Crucis cum certo vitæ periculo, attrahit tamen ad se infinitatem discipulorum. Iacob spatio viginti annorum ne unicum Laban convertere potuit, Filius Dei integros populos convertit, & plurima millia hominum uno die prædicante

S. Pe-

S. Petro. Joseph non lucratur Dominũ suũ unicum Pharaonem Regem, apud quem tamen in maxima est existimatione, & honore, Piscatores tamen nostri Reges omnes lucrantur, etiam illos, à quibus gravissimas persecutiones patiuntur. Moyses obtineri non potuit licentiam triduanam, ut exiret sacrificare in deserto, quia timebant Aegyptii tribus istis diebus frustrari lucro, quo fruebantur præsentibus Israelitis, Apostoli ipsismet Aegyptiis, & domos, & possessiones deserere persuadent, & exire in desertum, ut ibi vni, & vero Deo sacrificent. Tandem Deus omnipotens tot miraculis in Aegypto patratis in favorem populi sui, tot gratiis, & beneficiis ei præstitis in deserto, & terra promissionis, tot victoriis ejus virtute adeptis, tot Prophetis, ad eum missis, tot minis ei propositis non potuit impedire, quin intra centum annos in idolatriam sæpius relaberentur: Nostri autem duodecim miseri idiotæ, tam efficaciter à tam dedestabili peccato omnes homines retraxerunt in Oriente, Occidente, septentrione, & Meridie, in Asia, Africa, & Europa, ut nunquam in illud relapsi sint spatio mille sexcentorum annorum.

XI. Tẽpore, quo publicabatur Evangelium, ut tanti momenti negotium sinè efficacia ulla esset, misit & Sathan Apostolos suos per mundum, Philosophos subtilissimos, & quantum ad hominem exteriorem non exiguâ virtute præditos, sub specie reformandi homines, eosque reducendi, ad veram virtutum semitam, ut Apollonium, Thianeum, Euphraten, demetrium, Musenium, & alios hujusmodi farinæ, unde Juvenalis *Ingenium velox, audacia prædita, sermo promptus, & Isao torrentior.* *Iuvenal. Satyr 3.* Sed quid lucrati sunt in populis, cum in nullo, vel minimo orbis Angello reliquerint aliquod vestigium prætensæ reformationis? At Apostoli Filii Dei, quorũ ingenium naturâ tardum, modus agendi exterior rusticus, & minimè gratiæ, sermo planè rudis, reformarunt, & cicurarunt.

Nationes maximè barbaras, idque tam gloriosè, ut pro victoriæ hujus nota indelebili Roma mundi caput, facta sit caput Imperii Salvatoris nostri. Imò Roma hæc, cui omnes totius orbis terrarum Monarchiæ incorporatæ erant. Roma, quæ omnium dæmoniorum erat receptaculum, & ultimum quasi effugium, ac singulare præsidium. Roma, à qua promanabant tanquam fulgura, tot sanguivoma edicta contra discipulos Filii Dei, in qua acuebantur fata persecutionum pro largiori messe facienda capitum Christianorum, in qua continebatur Pantheon, compendium omnium fallarum divinitatum: facta est tandem sedes Pontificis Christianorum, jam magis extẽsa, & exaltata in potentia sua per divinã hanc legionem, idque incomparabilius, quam antea omnibus militum suorum exercitibus, quandoquidem pax, crux, & passiones Iesu longè maius Imperium ei acquisiverint paucorum annorum spatio, quam aquilæ hæroica facta, & arma Romanorum spatio septingentorum annorum, & duodecim miseri Piscatores plus conquisierint, *S. Leo. S. Prosper* quam Cæsares, Scipiones, Pompei, & alii hujusmodi authoritatis viri, adeoque *latius præsidet Religione divinâ, quã*

Dominatione terrena. Et, *Roma caput mundi quidquid non possidet armis, religione tenet.* Idque non agnoscunt moderni Acatholici non advertentes, quod eò ipso, quò negant primatum Cathedræ S. Petri, gloriam triumphi Salvatoris nostri obscurent, trophæa ipsius invertant, & præcipuum diadema coronæ illius tollant. Supponamus civitatem quampiam legitimo Domino suo rebellem esse, ad quam Dominus ipse in propria persona ad obedientiam redigendam armata manu accedat, obsideat, invadat, & tandem vi, & impetu armorum sibi subiuget, succedat autem aliquis ex ejus familiaribus, & persuadeat, ut pro majori splendore victoriæ, ejusque æterna memoria domus civica, in qua solebant haberi congregationes, & conventus, ad dãdos, acceptãdos cõceptus, rebellionum contra Regem, dominum suum legitimum, solo adæquetur, nec relinquatur ejus lapis supra lapidem, & ejus loco erigatur columna in forma pyramidis, quæ sit tanquam trophæum Victoriæ Regiæ, & in confusionem perpetuam rebellionis. Omnis homo rebellis erat Deo, eoque repudiato subdiderat se falsis diis, ingreditur Salvator mundum, ut eum sibi subjuget, quod feliciter expedivit operâ Apostolorum suorum, Roma erat tanquam domus Civica totius universi, in qua conveniebant Imperatores, Cõsules, Senatores, ut conspirarent spirarent contra Christianismum, Salvator noster in memoriam, & trophæũ
1. Tim. 3. 15. Victoriæ suæ destruxit Romam Gentilem, & loco ejus erexit Cathedram S. Petri, quæ est *columna, & firmamentum veritatis.* Reges hujus mundi erigunt columnas æneas, vel ferreas, quia Victores evadunt mediis instrumentis ferreis, vel æneis, Salvator noster Romæ erexit columnam veritatis, quia victrice veritate mendacium subjugavit.

Interrogo nuncquemcunque hominem prudentem, & arguo cum D. Augustino. Vel Apostoli receperunt à Deo talentum aliquod, & assistentiam particularem in ordine ad efficiendum tanti momenti negotium, vel non? Si non, quomodo absque ullo talento elaborarunt, quod nec Socrates, Plato, Seneca, Noe, Iacob, Ioseph, vel Moyses cum tot gratiis, & donis tum naturalibus, cum supernaturalibus efficere unquam potuerunt? Si receperint aliquã assistentiam divinam, Doctrina ergò, eorum cælestis est, & Divina. Vel Deus communicavit illis donum linguarum, vel non? Si communicavit, locutus est ore, & sermone ipsorum, adeoque illis credendum est; sin minus, quomodo duodecim rusticani ejusdem nationis exprimere potuerunt conceptus suos sexaginta duabus nationibus diversarum linguarum? Vel patrarunt miracula, vel non? Si sic, prædicant igitur veritatem, quia omnimodo impossibile est Deum vel minimo miraculo confirmare falsitatem si non patrarunt, omnium prodigiorum prodigium est absque miraculo effecisse, quod nec Moyses, nec ullus prophetarum tam multis, & variis efficere potuerunt? Quis igitur non agnoscat Iesum Authorem esse naturæ, qui tot, & tanta fecit, quæ naturæ vires excedunt?

XII. Quandoquidẽ ergò Dei Filius mediâ Apostolorum operâ hoc modo Idololatriam extirpaverit è cordibus hominum, ejusque loco inserverit primum hoc mandatum: *Vnum Deum adorabis*, cordi nobis debet esse salutaris ista monitio, quam in sacra scriptura nobis dat. *Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens.* *Movet me*, ait Aug: in Psal. 80. *quod dixit in te, non enim dixit, à te, quasi simulacrum forinsecus adhibitum: Sed in te, in corde tuo, in imaginè phantasmatis tui, in deceptione erroris tui Deum portabis, Deum tuum recentem remanens vetustus.* Adeoque gratias agit Sanctissimus Doctor, quia sublata sunt idola è templis nostris, utinam & sublata essent de Christianismo; erigitis enim illa de novo in Spiritu vestro, vel in carne, vel in corde, si defectu instructionis, vel negligendo sermones, doctrinas, aut exhortationes, credatis Deum Patrem esse hominem, naturam divinam esse corpoream, manibus, pedibus, aliisque membris corporalibus instructam. Profectò Idololatræ estis, quia quod concipitis, quod adoratis non Deus, sed Idolum est, adeoque Idololatrarum pœnas non evadetis. Divus Augustinus si præsens foret, negaret facilè idola omnia è templis nostris esse sublata, quia plurima adhuc subsistunt, & in Angulis, & in medio Ecclesiarum idola carnis, & vanitatis; *Filiæ compositæ circumornatæ ut similitudo templi.* Quæ os habent, & non loquentur &c. Faxit Deus, ut nec sermones habeant, quibus tempus tam pretiosum ibi fabulando transigant, nec oculos habeãt ad circũ spiciendũ, nec obtut⁹ habeant, quos conjiciunt in illas: Sed, prô dolor, à proposito exornant se, omnesque gestus suos ita disponunt expresè, ut adorentur, quod testabitur ipsarum conscientia. Nunquid omnes fateri debetis, quod si totus mundus cæcus esset, vel in tenebris constitutus, vix velletis vos ornari, immò cum summa negligentia necessarias etiam vestes adhiberetis? Nunquid verè desideratis videri, considerari, laudari, & videntes in stuporem quasi rapere? id est, optatis ut fideles vos honorent, non cogitent nisi de vobis, & vestro decore, ac ornatu, in eo loco, ad quem non deberent accedere, nisi purè, & unicè, ut adorent Salvatorem, de ipso cogitent, circa ipsum occupentur. Nonne hoc est esse idolum? Nonne hoc est, Dagon statuere prope arcam? Ingeniosa, sed malitiosa, immò & diabolica fuit inventio Imperatoris Diocletiani, quâ usus est, ut subditos suos obligaret ad Idolorum cultum, in omnibus enim locis publicis, foris, & plateis civitatis erexerat aliqua, eâ conditione, ut nulli permitteretur aliquid emere, vel vendere in publico, vel clanculo, quin prius adorassent, & exhibuissent Idolo cultum debitum, & exactum. Tentatio prægrandis erat, nihilominus Christiani subducere se poterant vendendo, & emendo secretò in domibus suis particularibus: Sed evadere non possunt, quin occurrant ipsis Idola, de quibus nunc mihi sermo; obligãtur enim adire Ecclesias, audire missã, assistere officio divino, & sicubiq; inveniunt mulierculas, mũdanè exornatas, quæ à proposito in omni loco conãtur reperiri, sive apud altare, sive in scamnis elevatis, in Canonicorum choris, Religiosorum clau-

claustris, tandem in omni loco, & angulo Idolum istud adorandum, & colendum se proponit.

XIII. Si Creaturam quampiam amore inordinato contra præcepta Dei prosequaris, erigis Idolum in corde tuo; si per intemperantiam addict⁹ sis ebrietati, non dico ego, sed S. Paulus, quod *Deus* tibi *venter sit*; si avaritiæ deditus, aurum, & argentum Dii tui sunt, quia ejusdem testimonio, *avaritia est Idolorum servitus*. Si luxuriosus es, carnium colis Idolum, Idolum tua proles est, lucrum proprium, ambitio, & affectus, vel appetitus acquirendi dignitates, & divitias per fas & nefas, *quidquid in dilectionis lance præponderat, Deus est*, ait St. Augustinus: Id ipsum confirmant Tertullianus, & Origines, dum ajunt: Idololatra statuæ argenteæ, vel lapideæ offert granum incensi, tu autem offers massæ carneæ, mulieri impudicæ, quod longè majus, & pretiosius est, teneritudines, & affectus cordis tui, illæ, immolat Idolo bovem, vel ovem, tu autem sacrificas huic creaturæ animam tuam, ejusque salutem, quæ redempta est pretioso Filii Dei sanguine, ille genua flectit in honorem phantasmatis lignei, tu autem deflectis ab eo, quod debes, ut condescendas objecto amato. Tu naturâ integer, justus, æquus, amicus rectitudinis, sed ut complaceas magnati, quem adoras, ut abblandiaris mulieri, quam diligis, pœnitenti; quæ tibi adhæret, permittis te flecti, condemnando innocuum, impunitum dimittendo culpabilem, absolutionem impertiendo repugnante conscientiâ: præstaret flectere genua, quæ naturâ suâ flexibilia sunt, quam conscientiam, & æquitatem justitiæ, quæ inflexibilia esse debent. *Amor enim omnes in se traducit, & convertit affectus*. Quicunque Deum diligit, in illum refert, quidquid agit, quidquid loquitur, quidquid habet, quidquid est. Considera omnes cogitatus tuos, sermones, actiones, conatus quotidianos, & advertes omnia referri in Idolum, quod colis: vel enim referuntur in hoc lucrum, in hunc puerulum, in istam mulierculam, in hanc, vel aliam vanitatem, seu ambitionem, eâ cogitatione expergisceris, eadem indormiscis, nec aliâ interdiu occuparis, ab illa exordium, & finem sumunt omnes tui discursus, nihil tibi in mundo tam charum est, quod non sacrifices promptissimè, nulla est passio, seu inclinatio in te, quantumvis vehemens, quam non sis paratus supprimere, & mortificare in obsequium Idoli tui, flocci facis præcepta Dei, pessundas respectum parentibus debitum, surdescis ad eorum monita, & hortationes, rixaris cum amicis, & vicinis tuis, negligis, quæ muneris tui sunt, & ea, quæ salutem tuam concernunt, nihili facis, lumini, & inspirationibus Spiritus Sanctus contumaciter resistis, ut obtemperes avaritiæ tuæ, ambitioni, sensualitali, nullæ sunt expensæ tantæ, nulli labores, nullæ humiliationes, quas non subeas promptissimè, ut obsequaris Idolo tuo, si Cõfessarius, si parentes, si amici ab eo te retrahere velint, quantumvis rationabiliter passionem tuam inordinatam extinguere, & à præsentissimo interitus periculo te eripere contradicis, *pro aris, & focis*, & ibi finem habet omnis amicitia, charitas & respectus, *amicus usque ad aras. Israel, si audieris me, non erit in te*

Philipp. 3. Coloss. 3. Bern.

Deus

Deus recens. Vnum cole Deum. Qui verus, & unicus est, illi te dona, te cō-secra sine exceptione, hunc ama, hunc lauda, obsequere, time, servias ipsi ex corde, qui solus thesaurus, requies, vita, gloria, honor, & felicitas est animæ, & corporis, in tempore, & æternitate, in terra, & in cælo, ubi te perfectè satiabit, & gaudio replebit fruitio ne gloriæ suæ æternæ. Amen.

SERMO QVADRAGESIMVS SECVNDVS

Pro Dominica decima quarta post pentecosten.

Obligamus Deo nostro ad confirmationem fidei ejus, & destructionem idololatriæ.

Nemo potest duobus Dominis servire Matt. 6.

EXORDIUM.

MIra videntur verba hujus thematis: *Nemo potest duobus Dominis servire.* An non videmus quotidie, quod idem famulus, eadem ancilla inserviat duobus Dominis, puta marito, & uxori, duobus fratribus, Patri & filio? Nonne etiam quis servit duobus consulibus? Ita est Auditores, fateor posse unum duobus famulari, & ancillari, quando non sunt contrarii, quando opposita, & incompatibilia non præcipiunt, si hoc enim fiat, impossibile est, quod aliquis duobus Dominis serviat, sic autem est in proposito; Deus vult esse solus, nec ullam vult Deorum societatem, quia & soli competit ex natura esse unicum, ita ut nullos patiatur, qui ejus Divinitatem suffurentur. Dein ipse mandat ea, quæ sunt contraria cum iis, quæ aliarum sectarum Dii præcipiunt: Deus enim noster mandat, & præcipit virtutes, Dii autem aliarum sectarum vitia, ut hodie cum Auctore nostro in hac concione ostendam.

. *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me Exod. 20.*

I. Da Domine quod jubes, & jube quod uis. Si unquam Filius Dei exaudierit preces rogantium se, in eo profectò id fecerit, ubi rogatur gratia pro executione primi præcepti, ibi enim prohibetur nobis idololatria, & obligamur ad

ad cultum unius Dei; quod per Moysen præcepit, per Apostolos suos adimplevit. Hesternâ consideravimus cum stupore miram,& inauditam ejus expeditionem, hodiè penitius inspiciendum restat, obligatio, quâ ei devincti restamus ex eo, quod hoc beneficio liberaverit nos â tam durâ, tam perniciosâ captivitate, cui similis nec fuit, nec erit unquam. Servitus tunc extremè deplorabilis est, quando circumstãtias habet quatuor, primô si sit vilis, & abjecta indigna qualitate,& improportionatâ cum conditione captivi, utpote, si Rex quispiam in servitutem redigeretur, non regis alicujus, sed culinarii, vel stabularii. Secundo, quando secum trahit aliquam infamiam, nimirum si captivus appliceretur vilibus, & inhonestis occupationibus, ut sunt expurgare stabula, latrinas,& hujusmodi. Tertiò si sit inhumana, quando nimirum cum rigorè,& crudelitate tractantur, ut fit damnatis ad triremes, quartò, quando est inevitabilis, nec ullus affulget modus evadendi, vel libertatem recuperandi. Servitus, quæ tenebat totum genus humanum in captivitate per peccatum idololatriæ, his sequẽtibus, circũstantiis aggravata erat, idque in summo, ut probabitur quatuor punctis sequentibus discursus. Et consequenter quod Salvator noster ab eâ nos tam feliciter, quam mirabiliter eripuit. Non minima tibi devincti sumus obligatione, sed verè maximâ, o piissimâ Virgo Maria, dicit enim Apostolus, & verè, quod quicunque evidenter demonstrat aliquam veritatem, sufficienter omnes errores,& inventiones ei oppositas falsitatis convincit, hinc quando Sol in Hemisphærio nostro radios suos ostendit, eò ipso noctis omnes tenebræ evanescunt, ut iis locum cedant, unde meritò tibi acceptam referimus extirpationem omnis idololatriæ, eò enim ipso, quò oriri fecisti nobis solem justitiæ, unicum,& verum Deum, cultum falsorum Deorum extinxisti, tenebras paganismi, & infidelitatis mirabiliter dissipasti, adeòque sis benedicta *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS

EXORDIUM.

Unitàs essentiæ Divinæ probatur primo ex parte Dei, qui est simplex supremus Dominus, infinitus, secundo ex parte mundi, tertio ex parte nostri.

II. Prima, & principalis perfectio, quam fides catholica agnoscit, & adorat in maiestate Divina, est unitas essentiæ, *Credo in unum Deum*, audi *Israel, Deus tuus unus est.* Profectò præ gaudio exultabit cor nostrum, si consideremus rationes, quibus. D. Thomas eam probat, idque eò magis, si perspiciamus, quantum Dei intersit, quantum mundi, quantum nobis inde emolumentum proveniat. Ecce rationes sublimes, & claras Doctoris Angelici: simplicitas Divina, ejus supremitas, & infinitas ei nullũ hunquã patiuntur sibi supremitas & infinitas nunquam patiuntur sibi parem, eique Tri-

1. q. 11. art. 3. & 4.

tribuunt necessariò & essentialiter prærogativam unitatis, simplicitas quidem, quia quandocunque sub uno, & eodem genere continentur plura individua, manifestè infertur, & irrefragabiliter ibi distinctionem esse, & compositionem essentiæ, & existentiæ, naturæ specificæ, & differentiæ individualis, atqui essentia Divina est simplicissima, purissima, maximè incomposita, minimè indivisibilis, quia si ibi esset aliqua compositio ex substantia, & accidente, vel genere, & differentiâ, seu essentiâ, & existentiâ, vel alia hujusmodi, sequeretur ibidem esse actum, & potentiam, non esse primum esse, nec primam causam, quia necessariò requireretur causa superior, quæ potentiam istam in actum deduceret, non esset supremus omnium existentium, imperium eius non esset absolutum, nec Dominium universale, quia æmulus, vel cōpetitor aliquis posset eius ius cum ipso disputare, & in dubiū vocare, & si non posset superioritatem, & præeminentiam prætendere, posset tamen æqualitatem, & indepēdentiam. *Nec regna sociū ferrè, nec tadæ queunt, omnisque potestas. Impatiens consortis erunt.* Nisi Deus solus, & unicus esset, non foret perfectus, nec esset infinitus in omni genere perfectionis, deessent enim ipsi vel specificantes, vel individuantes alterum Deum, secundum quas ab hoc distingueretur. Vniversum hoc miserè gubernaretur, hi enim Dii diversas habentes naturas, discreparent etiam intellectu, voluntate, potentiâ, possent igitur diversi etiam esse conceptibus, & inclinationibus, unus vellet quod alter nollet, & econtra, unus enim haberet affectum, & dilectionem pro hac creatura, alter econtrà aversionem, & antipathiam, nec esset in hoc mundo talis ordinis pulchritudo, talis concordia, tam prudens oeconomia, tam admirabilis politia, nec tam firma, & tam benè disposita unanimitas, & cohærentia elementorum, aliarumque creaturarum, quam à tot sæculis in iisdem cum stupore consideramus. *Homerus*

Non bona res multi Domini, Rex unicus esto.

Tandem cum Deus sit primum nostrum principium, & finis ultimus, obligamur eum colere, amare, servire, obedire ex intimo corde, quod nunquam perfectè fieret, si duo essent Dii, esse enim velut lapis duo habens centra, ut ferrum inter duos magnetes, ut famulus, qui duobus servit Dominis, Oraculum autem veritatis declaravit neminem posse duobus Dominis servire.

PVNCTVM PRIMVM.

Idololatria est servitus primo vilis colens vilissimos dominos, secundo turpis cogens ad actus turpissimos. Tertio crudelis, quarto inevitabilis.

III. COnsideremus hic igitur à proposito, & admirabimur summoperè stultitias, & compatiemur miseriis, & cæcitati Idololatrarum, qui fuerunt prædecessores nostri, unus enim arripiebat lignum, & ex una ejus parte conficiebat scabellnm, ex alia statuam, antequam genua flectebat eam adorans tanquam Deum suum, cui apprimè posset applicari illud Poetæ.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum
Dum faber incertus scamnum facerè
Malluit esse Deum. (tue Deūve,

Ecce

Ecce quanta cæcitas! Immediatè fecit illam statuam propriis manibus, & ei dicit: à te factus sum. *Quis nescit, qualia demens Aegyptus portenta colverit, Crocodilum; serpentes adorabant, Oppida tota canes venerabantur, Porrum, & cepe nefans violare, aut frangere censebant,* quos argutè Poeta irridet.

O Sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Maxima pars colebat Deos vitiorum patronos, Deas impudicas, monstra, & opprobria naturæ. Jovem, quem asserebant nunc assumere speciem tauri, jam *Iuuenal. satyr. 5.* aviculæ, alias quamcunque aliam formam, quam æstimabat hic, & nunc aptiorem esse, ut puellas accederet, & eò commodius carnis voluptatibus frueretur. Martem, & Venerem, quas dicebant in adulterium lapsos, à Vulcano Veneris conjuge deprehensos, ac subtiliter illaqueatos ad aliorum deorum coronam tractos cum magna confusione, ut congregatis in unum diis risus, & lusus objectum essent. Adorabant Mercurium, quem æstimabant inter latrones maximè esse industrium, immò tantum abest, ut huiusmodi vitia horruerint, vel fugerint, quin potius, ut meritò illis obiicit Sanctus Augustinus, ea repræsentarint publicè in theatris, docuerint in Scholis, decantarint in plateis, & foris. Nam Homerus in hymno, quem composuit in honorem Mercurii cecinit: *Tu habebis honorem super omnes Deos, quod in omnibus locis dicaris Monarchiarum Ecce crucem attendis. Nec te Deus tunc sese illis omnia Eune crepidis inferiora tuis; ajo te Eacida Romanos vincere posse.* Adorabant Deos seductores, & impostores, quorum munus erat homines decipere, oraculis, & sermonibus ambiguis, ut contigit ambitioso Euno, cui oraculum prædixit, quod exaltandus esset super omnes contribulos, & concives suos, quod verificatũ fuit in effectu, quando patibulo affixus, omnia fuerunt crepidis ejus inferiora. Facilè imaginabitur sibi quispiam solos Poetas hujusmodi Deos in libris suis celebrasse, eosque pro sua fingendi licentia, ejusmodi crimina iisdem imposuisse, ut determinatum aliquod objectum fabulosæ fictionis suæ haberent; fallitur tamen quicunque hoc sibi persuasum habet, non enim Poetæ, sed Senatus, Imperatores, & unanimiter totum reipublicæ corpus hos insignes Deos venerabatur, colebat obsequiis accuratissimis, & religiosissimis, quod testantur superba templorum ædificia, quæ ipsis ædificarunt, ut ibidem asservarentur monumenta vitiorum, ob quæ colebantur, totiusque vitæ ab illis transactæ, & sic Romæ in Capitolio cum magnæ veneratione asservabatur *Aegis* quod provenit à Græco αἰξᾶινος, id est, *Cerva*, quod confectum erat ex pelle cervina, in perpetuam memoriam illius cervæ, quæ Jovem lacte suo enutrivit, dum à Matre suâ absconderetur, ne periret, Patre suo Saturno eum ad mortem *Aug. tom. 4. l. 1. de Consen. Evan. c. 23.* persequente. *Nunquid Capitolia Romanorum opera sunt Poetarum?* Ait St. Augustinus, ut templum dianæ Ephesi, Macnæ, Gazæ, Apollinis, Delphisi testantur festa, & sacrificia, quæ instituebant in eorum honorem, de quibus brevi fiet mentio. *Arma Jovis fugiens*

ens & regnis erat ademptis qui genus indocile & dispersum montibus altis composuit legesque dedit latium que vocari maluit his quoniam latuisset totus in oris. Testatur universa Italia, quæ speciali cultu venerabatur Saturnum Patrem deorum, & vocabatur *Latium, à latendo*, quia Deus iste latitavit aliquam diu in istis partibus, ut evaderet furorem Filii sui Jovis, eum persequentis. Non est fictio poetica, sed actio realis, quando alicui procuratur mors, vel actualiter occiditur. Iulianus Apostata præcepit capite plecti duos nobilitate insignes Viros Ioannem, & Paulum, quia parvulum Idolum Iovis adorare tergiversabantur, & ut manifestè appareat, quod & corpore, & mente Idola sua venerabantur, Amarè flevit Michas dolenter incusans latrones, qui Deos ejus sustulerant, cum lacrymis objiciens eis, furati estis Deos, quos tanto labore, & industriâ mihi fabricavi, & adhuc quæritis insani, quare plorem?

IV. Omni Domino debetur honor juxta commune proverbium, addam ego, qualis Dominus, talis honor: Sicut dii, quos adorabant, immundi erant, & infames (ii enim sunt, quos scriptura nominat Spiritus immundos) obsequia, quæ iis præstabantur, cultus, & honor, qui iis exhibebatur, erant infames, & immundi. Chrysostomus, Tertullianus, Minucius, Felix, Lactantius objiciunt Gentilibus abominationes actionum, quas patrabant in solemnitatibus, & sacrificiis deorum suorum, S. Augustinus refert, quod in festo Berecinthiæ, vel Gybele, quam æstimabant matrem deorum, coram ea tam absurda protulerint verba, actionesque tam lascivas, & turpes exercuerint, ut vix reperibilis esset homo tam effrons, sivè histrio, sivè gyrovagus, qui non erubesceret ea exercere coram matre suâ, ipsi tamen ea publicè, eructabant, & faciebant coram maxima multitudine populi utriusque sexus, & conditionis *spectante, & audiente utriusque sexus multitudine.* Offenderem absque dubio aures vestras, si referrem id, quod adorabant in festo Bacchi, testibus Eusebio, & Augustino, qui objicit ipsis, quod in festo ejusdem Dei, quem nominabant etiam alio nomine liber honestissimæ Matronæ, publicè exercebant actiones tam impudicas, & inverecundas, quod nulla sit meretrix sic effrons, quæ non verecundaretur hujusmodi publicè agere, quia & ipsa impudentia in tali casu meritò erubesceret.

3. Ancid. Iudic. 1. lib. contra Gentes Tertull. in Apol Minutius Felis in octavio quotant l. 6, c. 23.

Aug. tom. 4. l. 1. de Consen. Evan. c. 23.

lib. 2. de civil c. q. & 1. & lib. 6. c. 10. lib. 2. de prapar. Evang. 21

Hisce actionibus intendebat divinitatem sibi reddere propitiam, ceremoniæ istæ ipsis erant sacræ: Vnde meritò obstupescens Augustinus, *qualia*, inquit, *sunt sacrilegia, si illa sint sacra?* & qualis fuerit vita eorum, qui tales colverunt Deos, consideret prudens, inventio fuit, sicut summè ingeniosa, ita & malitiosa in summo, quam excogitavit Sathan ad inducendum homines, ut se prostituerent omni generi impuritatis, absque ullo freno, remorsu, vel periculo exprobrationis, quomodo enim magis possent authorizari, vel approbari vitia, quam ea Canonizando, vel ut proprius loquar deificando, & asserendo hæc fuisse Deorum occupationes, in his ipsis eos fuisse gloriatos, nec aliquid committi posse, vel agi ipsis gratias

cius, quam ut solemnitates, & festa principaliora talibus celebrentur actionib⁹? Quomodò potuisset aliquis persuaderi ad honorandum parentes, qui adorabat Jovem patris sui Saturni persecutorem usque ad perditionem utriusque throni, & regni? Quis inimicis suis illatas condonaret injurias, cum adoranda proponatur Iuno, quæ integris sæculis reservarat vindicandam exigui momenti injuriam ab aliquo Trojano adolescente ei illatam? *Sævæ memorem Iunonis manet altâ mente repostum judicium Paridis?* Potuisset nè speciosiorem prætextum pro sua justificatione excogitare, immò pro glorificatione post comissas impuritates, quam illud, quo se excusabat quidam apud Terent: *Quod divos decuit, cur mihi turpe putem?*

Diui Cypr: Greg: Nazian: Ambr: Cyrillus, Athanasius, Lactant: & Aug: idem asserunt, & hoc argumentum fusius prosequuntur contra Gentiles. Gregorius Nazian: *Vt peccatum non solum crimine, sed etiam præclarum, ac divinum censeatur* Cyprianus *Fiunt miseris, & religiosa delicta* Ambrosius *mysterium religionis est incentivum libidinis, qualis est vita sacrificantium, ubi colitur Deorum stuprum. Augustinus, quæ omnia servabit sapiens tanquam legibus jussa non tanquam Diis grata colebat, quod reprehendebat quod culpabat, adorabat.* Si Philosophi, & alii ingenio subtiliores agnoscebant vanitatem, & falsitatem istorum deorum exinde non reddebantur minus culpabiles, nec magis virtuosi, ut enim Seneca à S. Augustino pro eo, ut absterrerent homines ab hujusmodi errore, cujus ineptiam agnoscebant eò magis

Cyprian Epist. 1. ad Donat Nazian: in Sancta lumina Ambros. lib. 1. de virg. Iul. Firtu lib de error pro sana relig. Arneb. lib. 5 Aug. cap. 7. in Iulian Athanas at Cont. Gentes Lactant lib. 1. c. 10. Augustin⁹ tit. 2. de civit. c. 6, 7.

illos confirmabant pravis suis exemplis. Superbus ille Philosophus contra superstitionem apud Tertull: post irrisionem cæremoniarum crudelium, & cultus impudici, quo colebantur dii, ait: hæc omnia sapiens servabit, tanquam legibus iusta, non tanquam Diis grata; & Paulò infra: postquam censurasset conjugia incestuosa Deorum, qui propriis, & Germanis jungebantur sororibus, ut Jupiter Iunoni, Mars Bellonæ, asserit, se eos non adorare Spiritu pietatis, sed magis, ut condescendat, & accommodet se usitariori istius temporis agendi modo. Quo, ut ait Augustinus se summè culpabilem reddidit agendo ob respectum humanum, quod lumine naturæ didicerat esse malum. Apostolus asserit, in pœnam hujus conniventiæ Deum illos dedisse in Spiritū reprobum, passionibus deditos invereсundis, & innaturalibus repletos omni malitiâ, iniquitate, avaritiâ, invidiâ, duplicitate, impuritate, immò absolutè dominabantur illis superbia, arrogantia, contentio, detractio, inimicitia, infidelitas, impietas, immodestia, & quod plus est, omnes utriusque sexus totaliter dediti erant detestabili isti crimini, ob quod olim Deus Sodomam, & Gomorham perire fecit, idque tam impudenter, & publicè, ut dicere auderent, ipsum Iovem hac passione esse affectum.

V. Ecce quales fuerunt prædecessores nostri, ecce quales essemus absque beneficio inæstimabili redemptionis nostræ, non est enim vitius farinæ, & conditionis homo, quantumvis misere, & abjectè, qui tam miserè, & tam crudeliter, tam inhumano tractetur mo-

modo, cum dæmon malitiosus, & infelix in summo sit, homines addixit servituti, non solum impiæ, & infami, sed simul inhumanæ, & crudeli. Aequò prolixior essem, si accuratè hic deducerem crudelitates, & inhumanitates, quas in cultu deorum suorum committebant, legi possunt à curiosioribus apud Tertull. in Apolog. ad Senatum Romanum D. Augustinum, & alios, sufficiat pro nunc nobis scire, iis sacrificatos esse homines innocentes, qualis fuit Astianax Filius Hectoris natu major, Polyxena Filia Præmi, quorum funesta mors latè describitur à Seneca in Trojade sua.

Iustin. c. 1. Apolo 9. lib. 4. c. 6. Paulus Orosius, & Herodotus referunt, Persas in gratiarum actionem, pro beneficiis, quæ putabant se à Diis suis accepisse pro more vivos sepelire juvenes utriusque sexus, tam masculas, quā femellas, ut fecit Amestris uxor Xerxis, quatuordecim Iunioribus, & nobilibus utriusque sexus domicellis Persis, immò sæculo præterito, Mexicani priusquam illuminarentur luminè Fidei Catholicæ, singulis annis horribiliter centum 20000. personas mactabant, & immolabant Dæmoniis. Sed quis non horreat, & obstupescat ad crudelitatem, & barbariem sacrificiorum, quas immolabant Idolo Moloch teste scriptura. Idolum hoc erat statua ænea, cui erant manus, & manicæ ad stuporem latæ, quibus immittebantur parvuli vivi, deinde submisso igne, donec candesceret, sic paulatim lento igne consumebantur parvulæ, & innocentes istæ creaturæ, & ne parentes moverentur ad compassionem infantium vagitu, sacrificuli tympana pulsabant, ut isto strepitu repletæ aures ipsorum, vagitus isti locum non invenirent vi organorum præoccupato, & inde locus iste, in quo diabolica ista sacrificia immolabantur in scriptura vocatur *Tophet*, ab hebraico *Toph*, latinè tympanum, adhuc hodiedum videre est in civitate Arelatensi duas columnas, quibus innixa fuit ara imolatitia hujusmodi infantum, quando S. Trophimus D. Pauli Discipulus illuc venit Evāgelium prædicaturus tantæ celebritatis, tantique nominis, & latitudinis erat hæc ara, ut ab ea denominata sit civitas *Arelas*, vel *Arelate, quasi ara lata*. *Lev. 18. v. 21. 5. Regū 2. v. 10 Ierem. 22. v. 25. Psal. 105. v. 37.*

VI. Et quod summè deplorandum est, impietates, & impuritates istæ, ac crudelitates, iam à quater mille annis mundum invaserant, totamque terram infecerant, immò & in multis partibus Iudææ, ac Palæstinæ usque ad ipsas Hierosolymæ partes. Hic locus, in quo Iudæi isto modo infantes suos conflagrabant, appellatus est Gehennon, unde etiam derivata est Gehenna, quia vallis erat infantium Ennon propè Ierusalem, quod evidenter demonstrat difficillimum, vel si humano modo loquamur planè impossibile fuisse, homines à tanta miseria eripere. Hesterna insinuavi vobis ex fundamento, & demonstravi arduitatem huius operis ex eo, quod nullus ex antiquis Philosophis, nemo ex S. Patriarchis, aut Prophetis, ut pote Noe, Iacob, Ioseph, Moyses, vel in minimo terræ loco potuerunt hunc errorem corrigere, & nunc efficacius, & evidentius demonstro. Videamus differentiam inter Montes Sinai, & Calvariæ, Creator mundi tradit legem huic populo in monte Sinai, in hac lege primum,

mum, quod præcipit, est fuga Idololatriæ, non habebis coram me Deos alienos, & ut cum majori efficacia ab illa absterreantur, mens totius inflammatur cum tonitruis, tubis, & vocibus tam horrendis, ut populus quasi terrore concussus, & consternatus Moysi dixerit, tu loquere nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Attamen non obstante prohibitione tam expressâ, minis, ac terroribus ipso quasi instanti immediatè sequenti populus adorat vitulum aureum, antequam Moyses descendat è monte, & sic sæpius diuersis temporibus relapsus est contumaciter in idem vitium. Econtrà Salvator noster in monte Calvariæ silens crucifixus, humiliatus, illusus, patienter ferens mortem ignominiosissimam extirpat Idololatriam pro semper, nec solum è Iudæa, & Palæstina, sed & ex omnibus Provinciis subjectis imperio Romano, maximè Barbaris, & remotissimis.

Exod. 19. v. 20.

PVNCTVM SECVNDVM.

Probatur quantũ astringamur ad gratitudinem, & bonum usum beneficii, quo Christus hac servitute liberavit, Paraphrasis, verborum sancti Petri vos autem genus electum &c.

VII. AVdiamus igitur D. Petrum nobis hæc dicentem, *vos autem genus electum gens Sancta, populus acquisitionis, regale sacerdotium, ut virtutes annuntietis, ejus, qui vos de tenebris vocavit, in admirabile lumen suum!*

1. Pet. 2. 9.

Genus electum? quantum beneficium, quanta gratia, quam singularis fauor?

Supponamus nos omnes certos esse, quod omnes naves, quæ Rupellà discesserunt jam à quindecim annis, in Canariam, vel alium quemcunque locum, omnes ad unum naufragium passas, ego autem te impedierim, singulis annis, ne simul cum illis iter aggredereris, profectò tantum, ad minus obligationis haberes, te gratum erga me exhibendi, & toties te mihi specialiter devinctum deberes agnoscere, quod naves interea temporis perierunt. Numera si potes, quod fuerint in hoc universo matres idololatræ, non solum à quindecim annis, sed à mille quingentis bis mille, sex mille annis, totidem obligationibus Deo tuo devinctus manes; Anima tua poterat infundi, & tanquam navem quasi concendere, quamcunque ex matribus istis, poteras esse Filius, vel primæ mulieris idololatræ, vel secundæ, tertiæ, quartæ vel centesimæ, poteras esse unus ex illis infantibus, qui immolati fuerunt demoniis, & sic naufragium passi sunt salutis suæ, non in undis marinis, sed in ardente Rogo sacrificiorum qui eos consumpsit, Deus autem te clementer præservavit; ecce quantum ei obligaris? Genus electum, gens Sancta, elegit nos ut essemus Sancti. Sic separavit, te, à tam multis aliis, dubio procul ut vitam degas illorum vitæ difformem; atquid igitur serviet tibi vixisse extra consortium gentilium, fuisse incorporatum Ecclesiæ christianorũ, refe-

refectum ejus sacramentis, pastum verbo Dei, habuisse mille modos, & media te sanctificandi, nisi ibidem vivas, sanctè & conformiter professioni, ac sanctitati Christianismi? Populus acquisitionis, quot labores non subiit Salvator noster, quæ non est perpessus tormẽta, quot humiliationes in se suscepit? quantam copiam sãguinis non effudit? quæ itinera non susceperunt Apostoli? quibus periculis non se exposuerunt? quot martyria ipsi? Quod martyres alii, diversa passionum genera, non tollerarunt, ut nos acquirerent Deo? Nonne ergo te injustitiæ arguas, dum id ipsum agnoscis, & nihilominus te totum alteri, vel mundo, carni, tibi ipsi, vel propriis sensualitatibus totum consecras?

VIII. *Regale sacerdotium* Pagani ut placarent Deos suos, vel in signum gratitudinis pro beneficiis, quæ sibi imaginabantur ab iis recepisse, offerebant sacrificia inhumana, sepeliendo vivos homines, eosque infantes. Verũ autem Deus, aliud non petit, nisi ut offeratur ipsi sæpius Filius ejus unicus Homo Deus sacrificio incrvento, tu autem mavis tempus terere nugando, quam accedere ad Missæ sacrificium, eique offerre holocaustum desideratum. Non exigit ut, falsi Dii faciebant, ut immoles infantes tuos, sed ut eos sanctifices, non quod eos consummas, lento igne, sed accendas in illis, ignem amoris Divini, non quod illos occidas, sed in illis occidas vanitatem, ambitionem, avaritiam, & illis inculces contemptum splendoris, & bonorum hujus sæculi. *Vt annuncietis virtutes ejus*, non deest unde summis laudibus, honoribus, benedictionibus, glorificationibus, & gratiarum actionibus prosequamur Salvatorem nostrum Iesum, propter expeditum tanti momenti negotium. Pater æternus, dicebat Samueli, quicunqne me glorificaverit, glorificabo ipsum & ego, idest efficiam ut honore afficiatur ipse: quomodo magis glorificari, vel quod majus obsequium posset præstari Patri cælesti, nec adorabatur, nec agnoscebatur, in ullo loco totius orbis terrarum, nisi in exiguo angulo Iudeæ, idque sat miserè, proh dolor nimis tepidè, Sathan hostis ipsius juratus, in vaserat thronum ei debitum, & in eo adorabatur pro ipso. Filius Dei Tyrannus hunc exthronisavit, & introduxit cultum unius veri Dei, tam feliciter, tam efficaciter, tam universaliter, ut & ipsi Mahumethani, Arabes, alium non colant, nec ipsimet Iudei, unquam à tempore, adventus Christi in idololatriam lapsi sunt. Quamvis ante illum nunquam in cultu veri Dei per centum annos stabiliter continvassent. Illi non sunt grati pro tanto beneficio. Simus ergo nos, & pro ipso, & pro nobis, nostrum est ipsum glorificare, qui tantopere glorificavit patrem suum, & Elogia ejus celebrare. *Annuncietis virtutes ejus*, & primo potẽtiam qua superavit Sathan fortem armatum, cumque eiecit, è mancipio huius mundi, cuius possessionem iam susceperat. Veteres noluerunt permittere, ut aliquis servo imponeret nomen Aristogyton, eiusque socii, quia Salvatores erant Patriæ à Tyranno oppresso; quare ergo permittes ut famuli, & Domestici tui, ut Blebeus quispiam, abneget Salvatorem nostrum, Sanctissimáque

mortem, quam pro nobis, à tam dira Captiuinate redimendis subiit, ore blasphemo inhonorent.

Secundo prudentiam,& sapientiam, qua apervit astutias huius impostoris, quibus homines oraculis ambiguis, prædicationibus mendacibus, decipie, bat, seducebat.

IX. Tertiò bonitatem, qua nos liberavit, à tanto malo, quantum erat idolorum cultus. Si quis te decipiat monetâ adulterinâ, mercibus, medicinis, contractibus fucatis, & falsis, vel quomodocunque viciatis, irasceris meritò, quia impostura est tibi notabiliter nociva, adeoque sumoperè displicet, & si quis huiusmodi fraudem tibi detegat, ipsi plurimum obligaberis. Deus thesaurus noster est felicitas nostra, remedium, honor, summum bonum, immò nobis omnia est; nunquid ergo summus dolus est, fraus fraudum, omnium malorum pessimum, cunctarumque infelicitatum infelicissimum est, pro vero Deo habere Deos falsos, & adulterinos? quanta igitur, & insolubilis est obligatio, quâ Salvatori nostro devincti sumus cum errorem, & dolum tantum nobis aperuerit, *qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen*? Virtus inquit Seneca in me gloriosior, & maiori laude digna est, quam in Deo cuius natura est virtuosum esse, ego autem labore, & victoria passionum mearum, virtutem acquisivi; Ecce quibus tenebris tunc involutus erat mundus? Et hoc lumen est, quo Filius Dei eum illustravit; *Sine me nihil potestis facere, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, omnis sufficiētia nostra ex Deo est, Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum.*

Cicero docet iniurias pro iniuriis esse reddendas, vim vi repellendam, calumnias calumniis compensandas, en tenebras. Lumen autem: *Diligite inimicos vestros: Vince in bono malum, non reddentes malum pro malo.* Gentilium Doctrina erat:

O cives, cives, quærenda pecunia
Primum est.
Virtus post nummos.

Verè doctrina tenebrarum; Lux vero docet; *Quærite primum regnum Dei.* Quis nostrum poterit sufficienter agnoscere, quis æquivalentes gratias agere Redēptori nostro, cuius ope, benignissimisque conatibus è tenebris eruti, ad lucem accessimus? Benedictus sis in Salvator, benedicant tibi Angeli, homines & omnia quæ sunt, laudent, glorificen te in perpetuum. Auditores dilectissimi diligite Iesum, amate eum pro tanto beneficio, sed ex toto corde diligite, iterū dico, nec sufficienter repeti potest, diligamus Iesum ex intimis medullis animæ, laudemus, benedicamus, adoremus, glorificemus Iesum, gratias agamus ei nunc & per infinita sæculorum myriades. Amen.

SER-

SERMO QVADRAGESIMVS TERTIVS

Pro Dominica decima quinta post pentecosten.

Accepit omnes timor; & magnificabant Deum.

De proprietatibus Fidei

EXORDIUM.

SAnctus Pater Augustinus notans duo esse genera miraculorum, unum, quod intellectum rapit in admirationem, & alterum, quod præterea mouet, & allicit voluntatem ad operandum, quærit, quodnam genus miraculorum conveniens fuerit, ut Christus patraret ad fidem suam Divinam publicandam, & respondet, quod priora minimè congruerint, non vero posteriora; quod si rationem huius quæras, dicit illam esse claram, eò quod fides cum sit circa obscura, dependeat ab imperiò voluntatis, quæ intellectum debet movere ad credendum. Verum meo iudicio alia adhuc potest dari ratio, quâ hæc nempe, quod cum fides Catholicorum debebat esse viva, & non mortua; hoc est vestita bonis operibus, ille debuit patrare non tantum miracula, quæ allicerent tantum intellectum ad credendum, sed etiam voluntatem ad amandum. Et hinc hodie videmus, quod turbæ non solum admiratæ sint, sed & Deum laudarint; Vnde ostendã hodie, quod fides nostra non solum debeat sistere in intellectu, sed et quod debeat opera bona habere adiuncta; hæc enim est eius proprietas.

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, Exodi 21.

I. Considerato inæstimabili favore, quem Filius Dei huic mundo exhibuit eum liberando, & mundando ab idololatria, eumque imbuendo fide, & cultu veri Dei, restat ut discamus, quænam sit vera fides, quænam ejus proprietates & qualitates. Non est cui melius eam assimilem, quam prodigioso isti duci, quo utebatur creator, ut populum Israel in terram promissionis deduceret: ut enim fides vera sit, requirit conditiones tres optimè expressas, per proprietates & qualitates istius ducis.

Primo

Primo erat Columna sic fides debet esse firma, certa, & inconcussa. Secundo hæc columna debet esse columna nubis, nam *in columna nubis loquebatur ad eos.* Sic fides obscura est, & credit quod non videt, cum sit *Argumentum non apparentium.* Tertio columna ista nubis noctu mutabatur in ignem, & fides eodem modo juncta charitati & bonis operibus, debet esse igneæ vivacitatis, & actuitatis. Quandoquidem tractandum mihi sit de fide adversus infideles, nescio ad quem me potius vertam, & utilius, quam ad te ô Gloriosa & benedicta Virgo, cum Filii tui Sponsa sæpius dicat *cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Hinc ex corde dico tibi cum Ecclesia, & peto à te humillimè. *Da mihi virtutem contra hostes, tuos*, & ideo *dignare me laudare te Ave Maria.*

PVNCTVM PRIMVM.

Fides est columna, id est firma, quia fundata super Ecclesiam, quæ est Firmamentum veritatis, quod probatur contra hæreticos, & debet esse firma in nobis.

Prima proprietas fidei est, quod sit, ut columna firma, stabilis, immobilis, irrefragabilis, hinc à Sancto Paulo Apostolo, dicitur substantia, basis, & sustentaculum, sperandorum. Vt autem tantæ firmitatis, & certitudinis sit, niti debet fundamento, summè stabili, & prorsus immobili; fundamentum vero hoc aliud non est nisi Ecclesia, quæ teste Apostolo, ad Timotheū scribente dicit columna veritatis, hic nodus cordigus est, & difficultas difficultatum, quæ unquam disputatæ fuerunt, inter catholicos & à catholicos, quà bene explicatu, necesse est omnes hæreses, evanescere, & in nihilum redigi, vel dissolui, ut fit nivibus à facie Solis. Quæram ab aliquo hæretico, quænam est regula fidei tuæ, quod fundamentum, cui nititur series, eorumque credes? Si quid habeat intelligentiæ, respondebit fundamentum hoc esse verbum Dei; utique bonum; Sed quis te docuit verbum Dei, cum Deus tibi non loquatur facie ad faciem, & os ados, ut fecit olim Moysi & Apostolis? Docet me inquit illud scriptura sacra, non fido enim Hieronymo, Chrisostomo, Ambrosio, vel Augustino, nec Bezæ, aut Calvino, quia Beza, Lutherus, Calvinus Hieronymus, Chrisostomus, Augustinus, homines sunt, & omnis homo quantumvis Sanctus, homo manet, & consequenter mēdatio, & vanitati subjectus, qui me posset fallere, vel ipse falli; si ita res se habeat, jam demonstrabo tibi, luce meridianâ clarius, quod necessariò, ad aliquem te referre debeas hominem, & si hominibus plane non fidas, non solum ignorabis quæ tibi credenda sunt, sed & nihil plane credes. Dicis te velle scripturam sacram, bene est, & ego ipsam volo, & omnis sive Catholicus, sive hæreticus, quantumvis perversus seu versipellis, unquam vixerit in hoc mundo, scripturam se velle clamavit. Vnde scis Genesin, Exodum, Leviticum, Evangelia Sanctorum Matthei, Lucæ, & sancti, Ioannis,

annis, esse scripturam sacram, apparvit ne tibi Deus dicens, hic liber impressus in tali loco est verbum meum, scriptura mea? Ipsa Biblia non dicunt se esse scripturam sacram, & quamvis hoc assererent, exinde redderent se suspecta, cum nequeat quis testari in propria causa, vel, de se ipso testimonium perhibere; perversissimus liber, & absurdissimus hujus mundi; eodem modo posset se jactitare scripturam sacram, & verbum Dei, & tamen ei non crederetur. Hæretici Martionitæ rejiciebant Pentateucum, vel quinque libros moysi, Mantihei repudiabant Prophetas; Albigenses, psalmos, & totum vetus testamentum, Ebronitæ non recipiebant, nisi unicum Evangelium sancti Mathæi; Cerdonitæ unâ parte Evangelii Lucæ erant contenti. Lutherus expunxit librum Iob, Ecclesiasten, Epistolam Pauli ad Hebræos, Iacobi, & Iudæ, secundam Petri, duas optimas Ioannis, ejusque Apocalypsin, quales omnes Calvinus fatetur esse scripturam sacram: Besa nullam recipit partem Evangelii *Sancti* Ioannis, quod tamen Calvinus agnoscit esse Canonicum: nullus est in Bibliorum codice liber, qui non fuerit ab aliquo hæretico rejectus, & repudiatus, quomodo igitur persuadebis eis talem librum esse scripturam, cum scriptura istius mentionem non faciat? Vnde tibi constat Evangelium sanctorum Marci, & Lucæ, qui solum discipuli fuerunt vera esse Evangelia, purum & inviciatum Dei verbum, econtra vero Evangelium sanctorum Bartholomei, & Thomæ, qui fuerunt Apostoli, sint Evangelia, & dicta merè humana. Respondebis quia Evangelium Marci, & Lucæ verè sunt ab ipsismet conscripta, duo autem alia, nec à Bahtholomeo, neque à Thoma scripta sunt, sed falsa sunt supposita. Id quidē verum est, unde tu hoc novisti? ubi in scriptura reperis hoc Evangelium verū, & legitimum, istud suppositum, & Apochriphum; nonne id docet Ecclesia? Non habet originalis unici libri Canonici, unde ergo tibi constat copias autenticas esse, & fideliter collectas? Nonne ad aliquem te referre debes, ut ab illo te eximas dubio? Demum supponamus te certò id scire, vel ex Bibliis, vel ex divina revelatione, hanc esse scripturam sacram; totum vetus testamentum traditum fuit à Deo in lingua Hebraica, aut Caldaica, novum testamentum in Hebraica, Græca, vel latina, præcipua pars mundi, nullam ex istis intelligit, non igitur aliqui videndum tibi est, qui illud tibi prælegat, prælegendo autem nunquit te fallere potest, vel ipse falli? quandoquidem futurus sit homo, nunquid facilè tibi ponet unum *quid pro quo*? qui vel minimum versati sunt in lingua Hebraica, noverunt quanta sit affinitas, & similitudo, inter *Beth* & *Caph*, inter *Chimel*, & *Nun*, inter *Dalet*, & *Resch*, inter *Zain*, & *Nun* finale &c. & prout facile unum scribitur, vel legitur pro alio, defectu advertentiæ, vel visus accutioris, vel ob præcipitantiam calami. Non ignorant etiam, quomodo mutando locum vel minimi punctuli, statim totius scripturæ sensus mutetur: quia inter *Schim*, quod vocant *Iamin*, & aliud quod appellant *Semol*, tantum est differentiâ unici puncti additi vel sinistrum, vel ad dexterum, pedimestius Schim, & interim

maxima est differentia, inter significationes vocis una aut altera istarũ litteram scripta, ug. in Psalmo 118. ubi habetur: *Principes persecuti sunt me gratis*, in Textu Hebraico per transpositionem unici puncti fiet *Scherim*, vel *Serim*, quorum unum significat *principes*, alterum *Cantores*: Sic dicetur *principes* persecuti sunt me, vel *Cantores* persecuti sunt me. idq; non contingit solum in lingua Hebraica, sed etiam in omni alia, sufficit transpositio unius vocis, unius virgulæ, vel puncti, ut fiat sensus omnino contrarius, ut in latino.

Porta patens esto nulli, claudatur honesto.

Si ponatur virgula ante, vel post *nulli*, & in Gallico magna est differentia inter *Ie cherche des perles à vendro*, & *Ie cherche à vendre des perles*; Sufficit mutatio unici accentus, ut mutetur sensus totius sermonis. Sic in Græco tempore Nestorianorum, Catholici asserebant virginem esse, θεοτοκ☉ id est matrem Dei; Hæretici autem dicebant eam θεοςκ☉ id est Filiam Dei, in latino maxima etiam est differentia inter *Leporem* & *Leporem*, & in Gallico *Voyla un Prètre bien indigne*; & *Veyla vn Prètro bien indignè*. Sanior opiniò inter Doctores Hebraicos tanquam certum tenet, quod quando vetus testamentum hominibus fuit datum à Deo, puncta Hebraica, necdum fuisse in usu: Scriptura autem Hebraica sine punctis tam insulsa est, ac foret latina, sine vocalibus. Vt puta si in latino poneretur solumodo *mem* conjicere deberemus an significaret *marem* id est masculum *Merum*, *mirum*, *moram*, *morem*, *morum*, *murem*, vel *murum*, eodem modo in Hebræo si *Daleth*, *Beth*, *Resch*, adjungantur duo *Camets* fiet *clavar*, quod vocem significat, si adjungantur duo *Segol*, fiet *Dever* quod significat pestem &c.

Supposito quod Deus Bibliorum codicem tradiderit, in ideomate Gallico, & dixerit liber hic impressus Genuæ, vel Rupellis, est mea scriptura, verbum meum; iterum dico & probo eam solam non esse regulam tuæ fidei, ita ut ad aliquem te debeas referre. Divus Petrus in illo ipso codice ait, quod in Epistolis Sancti Pauli, aliisque scripturis, multa contineantur intellectu difficilia, quibus ignorantes abutantur in propriam damnationem, observa *propriam damnationem* sunt igitur loca difficilia intellectu, quæ concernunt salutem, quãdoquidem sit periculum damnationis, nonne tu forte unus es ex illis ignorantibus, quem hæc in damnationem trahant? In Bibliis multa continentur verba æquivoca, multæ voces duplicem habentes significationem, ut vox *Leo* quæ significat Salvatorem nostrum aliquando, alias significat Diabolum vel sanctum Marcum Evangelistam vel Imperatorem Neronem vel hominem Generosum, vel Avarum vel Colericum sunt etiam ibi Anagrammata, & Aenigmata quæ ab Hebreis dicuntur *Hethas* quibus loco primæ litteræ Alphabeti *Aleph*, ponunt ultimam *Tau*, & *Tau* pro *Aleph*, secundam *Beth*, penultimã *Schim* *Schim* pro *Beth* & sic consequenter sic *Rex Sesagh bibet post eos* & *quomodo capta est Sesach* id est *Babel* quia ponunt *Schim* pro *Beth* & *Chaph* pro *Lamed*. In Bibliis multi textus, prima facie videntur con-

Apoc. 5.
1. Pet. 5.
Ezech. 1.
2. Thim 4.
Proverb. 30.
Prov. 28.
Prov. 19. & 20.
Ierem. 25. & 26. & cap. 51. v. 4.

conrrariari legi naturæ, rationi, & fidei. Apud Lucam ait Iesus, si quis venit ad me, & non odit *P*atrem, Matrem, Vxorem, Fratres, & Sorores, non potest meus esse discipulus. Ecclesiastes ait hominem, & brutum eundem habere finē, & conditionem utriusque esse æqualē. Mathæus inquit Filium Virginis diem Iudicii ignorare.

In iisdem sunt loca diversa, quæ sibi ediamatro, & sibi contraria & opposita videntur, in libro Genesis enim dicitur Deus tentasse Abraham, Iacobus ait Deum neminem tentare; in Genesi dicit Patriarcha, se Deum vidisse facie ad faciem. Ioannes Apostolus ait, neminem unquam vidisse Dominum; Apud Mattheum ait Iesus Discipulis suis nihil portetis in via, ne quidem virgam. Apud Marcum dicit, nihil portent nisi virgam. Nunc autem amice, quisquis es, qui Spiritum Dei te habere jactitas, quomodo intelligis ista loca, quomodo combinabis contrarietates istas? Quod si non possis ex te id facere, consulendus erit alius, & consequenter concedendum tibi est recurrendum esse ad Ecclesiam, ut ab ea docearis, quæ nam sit vera scriptura sacra, ut illa interpres tuus sit, transferendo eam è lingua in qua à Deo tradita est, in aliam tibi notam, ut explicentur loca difficiliora, sensus ambigui, vel æquivoci, Parabolæ Textus secundum apparentiam sibi contrariantes, & ea quæ ibidem, vel rationi vel fidei opponi existimat humana ratio. Recurrendum est inquam ad Ecclesiam quam Zacharias civitatem nuncupat veritatis, ad Ecclesiam quam quicunque non audierit habendus est ut Ethnicus & publicanus, ad Ecclesiam, cui Filius Dei ait, dabo tibi Spiritum veritatis, qui tecum permaneat in sempiternum; ad Ecclesiam Romanam, cui Paulus Apostolus attendite ad eos, qui faciunt dissensiones vel schismata, id est qui se à vobis separant, non serviunt enim Christo, sed ventri; ad Ecclesiam quæ est ut testatur idem Apostolus firmamentum, & columna veritatis, adeoque manet Ecclesiam esse columnam & basin cui firmissimè nititur fides nostra; sed ut immobilis est, tali fundamento innixa, eodem modo firmari immobiliter debet, ac radicari in cordibus nostris, id est certissimè & absque hæsitatione fidei articulis adhærere debes; Dicitur tibi, hæc refert Seneca Plutarchus, Aristoteles, si non credis parum refert: Si tamen allegetur scriptura sacra, certius esse tibi debet, quod illa dicit, iis quæ oculis vides vel manibus palpas. Certus es quod cras decima antemeridiana dies erit in, Majo futuram herbam super terram, in Junio dies non fore tam breves, quam in Decembri, hæc credis indubiè, & quare? Nisi quia Deus? sic disposuit, sic ordinavit; *Ordinatione tua perseverat Dies, fiat Lux: producat terra herbam virentem.* Atqui contenta in scriptura sacra cum majori firmitate, certitudine & infallibilitate disposuit, quam cursum astrorum, & productionem terræ; cum in Evangelio dicat, *facilius esset Cælum & terram transire, quam unum apicem de lege cadere.* Et consequenter quandoquidem doceat scriptura, omnes fornicatores; Homicidas, Avaros, detractores, &c. non pos-

Apoc. 5.
1. *Pet.* 5.
Ezech. 1.
2. *Thim* 4.
Proverb. 30.
Prov. 28.
Prov. 19. & 10.
Ierem. 25. & 16. & *cap.* 51. *v.* 4.
Luc. 16. 17.

possessuros Regnum Dei, nisi ab hujusmodi vitiis abstineas, certius est te damnandum, quam cras horâ decimâ futurum diem. Dico ab omnibus vitiis, si enim putes Luxuriosum tantum damnandum, cum isti vitio non sis addictus, Avaros autem extra periculũ esse, quia tu es unus ex illis; Fides tua nõ est benè firmata, sed facillat in corde tuo. *Non potest Evangelium ex parte consistere & ex parte nutare, aut enim utrumq; necesse est ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat, ait S. Cyprianus.* Si Luxuriosus damnatur quia Evangelium hoc dicit, profectò liber non erit avarus, cum & ille teste Evangelio damnetur, defectu hujus firmitatis in fide nihil vel exiguum solidi in ea firmamus. Si columna non sit benè firmata, nutat ex omni parte, nec aliquid ei niti vel imponi potest. Si Architecti hujus Templi vidissent aliquam ex ejus columnis nutantem in minimo, nunquam fuissent ausi ei imponere tectum, vel fornicem. Non edificas structuram perfectionis bonorum operum, super columnam fidei tuæ, quia facillat, & nutat aliquâ ex parte. Credis aliquos Articulos, sed sunt plures quibus non adhæres. Exponis in Marinis, vel aliis negotiis mille & plures aureos, quia exinde speras lucrum, decem vel duodecim percentum, non credis igitur filio Dei dicenti, quod quidquid aliquis dederit, vel reliquerit propter ipsum, centuplum accipet; Si certus esses quod pro singulis juramentis, & blasphemiis determinata persolvenda esset amenda, pro singulis injuriis, & contumeliis domesticis tuis illatis, per quinque, vel decem momenta digitum tuum in igne cruciandum esse, abstineres sine dubio. Non æstimas igitur certa esse, quæ habet scriptura, insontem non habebit Deus illum qui sumpserit nomen Dei in vanum, quicunque dixerit fratri suo fatue, reus erit Gehennæ ignis, *probate si estis in fide.*

1. ad chori. 6.

Exod 20. Math. 5.

PVNCTVM SECVNDVM.

Est columna nubis, Argumentum non apparentium. Primò scripturâ, secundo patribus. Tertio ratione, quartò exhortatione.

Secunda proprietas fidei est, quod sit columna, nubis, *in columna nubis loquebatur ad eos*, obscura, tenebris involuta; Philosophorum gentilium est, nihil credere, nisi qvod vident, Aristotelicum est Moysi objicere, *iste cornutus multa dicit sed nihil probat.* Pharisæorum, Capharnaitarum, & Calvinistarum, toties usurpare illud, *quare & quomodo*, quare discipuli tui non lotis manibus manducant? Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Fidelis autem à Christo didicit, beatos esse, qui non viderunt & crediderunt, à S. Paulo Apostolo fidem esse argumentum non apparentium; à D. Gregorio fides est credere, quæ non vides; vere fidelis sentit cum Tertuliano. *Qui fidem quærit, rationem non quærit. Quid Athenis & Ierosolymis, quid Academiæ & Ecclesiæ? nostra institutio de porticu Salomonis est, quæ monet, Deum in simplicitate cordis esse quæren-*

rendum. Cum S. Auguſtino *ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare, demus Deum aliquid poſſe facere quod nos fateamur non poſſe inveſtigare. In hujusmodi rebus tota ratio facti, eſt potentia facientis, tota ratio dicti, eſt authoritas dicentis*, & in his conſiſtit ratio ſubmiſſionis Spiritus, quam debemus veritatibus Catholicis, quia quo majori aliquis ſupra nos pollet authoritate, eo majori nos excedit potentiâ, ſcientiâ, ſapientiâ, experientiâ eo paucioribus verbis indiget, ut ut mentem ſuam nobis perſuadeat. Medicus infirmo, tali laboras morbo, hoc remedium adhibendum eſt, & ſtatum dicenti, acquieſcit infirmus. Artifex thironi ſuo dicit taliter opus hoc expediendum eſt, & non ut tu incepiſti; nec opus eſt ut rationibus probet veritatem doctrinæ ſuæ. Si autem medicus loquatur medico, Artifex artifici, adducendæ ſunt rationes, quibus dicta ſua confirment, Si ego intendam vitii alicvius enormitatem perſuadere, quia te non ſum ſuperior, ſed ſervus humillimus, propoſitiones meas probare debeo authoritate ſcripturæ, ſanctorum patrum, exemplis, ratione, experientiâ, definire, & argumentari debeo diſputandum mihi eſt de genere, ſpecie circumſtantiis, de medio extremitatibus & inconvenientiis hujus vitii, & mille alios modos perſuadendi adhibere neceſſe eſt. Si autem Rex, vel parlamentum quibus ſubes, virtutem præcipiant, vel vitium aliquod prohibeant, non eſt quod adhibeant rationem, ibi ſtat pro ratione voluntas, ſufficit ſic volo, ſic jubeo, & hoc ideo, quia, quò minor proportio eſt inter loquentem, & audientem, eò minorem conatum tenetur loquens adhibere, ut dicta ſua probet, & audiens, facillius credere debet loquenti, atqui inter Deum & hominem eſt improportio, & inæqualitas infinita cum Deus in infinitum nos excedat, potentiâ, ſapientiâ, authoritate, ſcientiâ, ſufficit igitur pro omni ratione, quod ſciamus hæc dicit Dominus, & tunc credendum nobis eſt ſimpliciter, abſque inveſtigatione ulla, vel heſitatione minima, circa veritatem dicti.

Quod ſi malignus Spiritus, menti tuæ ingereret curioſam aliquam cogitationem, vel dubietatem contra fidem, noli cum ipſo diſputare, nec rationes quærere, quibus convincas, vel neceſſites intellectum tuum ad aſſentiendum veritati Chriſtianæ, ſed potius recurras promtiſſimè ad filium Dei dicens mi Redemptor, ignorans ſum, mens mea in tenebris jacet, tu autem vera Lux es, Sol Iuſtitiæ, ſapientia increata, *immitte lucem tuam*, illumina tenebras meas, me totum tibi conſecro ad credendum ea, quæ mihi credenda proponis, per Eccleſiam ſponſam tuam, & ſic conſequenter applica te aliis, diabolus enim ſuperbus in ſummo, videns ſe deſpici, & quod non digneris ad eum attendere confuſus recedit, cave præterea à converſatione cum perſonis, & lectione librorum quibus poſſes occaſionem aliquam dare infidelitati, vel dubietatibus in materia fidei, priusquam librum emas, vel legas, oſtendatur prius vel Parocho, vel Confeſſario tuo, ne forte lateat in eo venenum aliquod quo inficia-

inficiaris legendo. Plato olim dicebat corpus infici per os, animam per aures, addo ego etiam per oculos.

PVNCTVM TERTIVM.

Fides est columna ignis, ardens charitate, & bonis operibus, Primo scripturâ, secundo Patribus, tertio ratione.

TErtia fidei proprietas est, quod sit columna ignis ardens charitate, & bonis operibus. Acatholici hujus seculi ut eo liberius voluptatibus vacent, absque remorsu conscientiæ docent, solam fidem nos salvare, bona opera nō esse ad salutem necessaria, commissis omnibus possibilibus adulteriis, Latrociniis homicidiis modo credas, satis esse Catholici huic non assentiuntur speculativè, licet multi inter ipsos id practicent. Auditores mei in cathedram ascendi ex parte Dei, ut docerem vos viam salutis, Deo dante hoc facio, & bene vobis, si mihi credatis, dico igitur Evangelium nos docere, fidem solam non sufficere ad salutem, vel esse in vera Ecclesia, & nihil mali facere, sed præterea requiritur praxis bonorum operum supernaturalium conformium fidei nostræ, quæ supernaturalis est, *nisi enim abundaverit justitia vestra plus quam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* ait Salvator noster. Et Iacobus in Epistola Canonica *quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* Tu autem amice quæ sunt opera bona quæ tu facis, quæ supernaturalia fidei tuæ conformia quæ facis plus quam Ethnic⁹, aut Phariseus? Lucraris panem tuum quotidianum, laboras domi tuæ, vel foris, ut fert occasio, proles tuas nutris, idem faciebant Ethnici, non abnegas Deum tuum, nec unquam legi Ethnicum ullum Iovem abnegasse. Ingrederis interdum Ecclesiam, id fecit Evangelicus ille Pharisæus, & melius quam tu, agebat enim Deo gratias pro acceptis beneficiis, tu autem sub sacrificio & vesperis, hæres innixus scamno tam mutus, & inutilis, quam ipsum; honoras matrem tuam id fecit & *Plutarchus* homo Gentilis, & utinam tantum suspicias tuam, quantum ille suam. Diligis benefactores tuos, sed ubinam reperitur animal tam ferum, ne dicam Ethnicum, quod idem non præstet, non committis adulterium, vel latrocinium, nec *Pharisæus* ante memoratus, *non sum sicut cæteri hominum raptores, adulteri.* Crede mihi auditor mi, nisi aliud facias, periclitatur salus tua, facienda sunt opera conformia fidei tuæ, supernaturalia, heroica, digna præmio, quod prætendimus labora ut panem tuum lucreris, sed Christianè, sed ut fidelem decet, offeras omni mane Deo tuo laborem istius diei, & ipsi per diem sæpius repetitis jaculatoriis precibus cor tuum, dirige intentionem tuam, in & ad ipsum, educas proles tuas, non quia tuæ sunt, sed quia membra Filii Dei.

Matth 5. *v.* 20. *Iacob.* 2. 14

Luc. 18.

Sal-

Salvatori nostro non sufficit,quod non jures per sacratissimum nomen suum, sed non jures omnino, nec satis est ipsi,quod venias ad templum, sed vult præterea, ut tempus ibidem piis, & christianis exercitiis transigas, actibus adorationum,gratiarum actionum, fidei, spei, & charitatis, non attendas qualiter hi, vel illi sint vestiti, nec solicitus sis quid domi tuæ agatur, sed adores Salvatorem nostrum in admirabili Eucharistiæ sacramento, eum agnoscas, & verearis ut Deum, Creatorem, Conservatorem, Redemptorem, & ultimum finem tuum,gratias agas pro beneficiis per totam vitam tuam tibi collatis, ea sigillatim, & seorsim recolendo, petas remissionem peccatorum tuorum, gratiam ejus,& amorem, ac fugam peccati. Non est contentus tecum licet matrem tuam honores, ut faciunt Ethnici,sed præterea vult ut idem præstes, & in simili honore, servatâ, proportione, habeas novercam, amitam, materteram, Socrum Nurum, affinem &c. Nec sufficit ei quod abstineas ab actu adulterii,sed insuper, consulendus est Confessarius de modo evellendi perversas illas cogitationes corde tuo,quomodo extinguendus ardor concupis-

Matt 5. centiæ,quo caro tua inflammata est, ne lascivis oculis, ut soles, circumspicias & vageris, *Nam qui viderit Mulierem ad concupiscendam eam jam mœchatus est*, non sufficit quod non occidas, sed & ipsa passio coleræ supprimenda est, ne afficias contumeliis, vel injuriosis verbis uxorem, aut domesticos tuos, nam quicunque irascitur fratri,vel proximo suo, aut injuriis afficit reus erit Gehennæ ignis. Non sufficit quod diligas amicos tuos sed etiam inimici diligendi sunt eisque bene faciendum, sed quomodo illis benefacies quos non dignaris alloquio? Si non diligitis nisi amicos, quid facitis plus quam pagani & quale præmium dilectionis prætenditis, ait *S*alvator? cui respondet *S.* Chrysostomus, utinam Domine mi quod in Ethnicis tanquam imperfectionem repræhendis, id virtus esset in modernis Christianis, ut saltem amicos suos diligerent, iisque essent fideles, passim enim amicis invident,eos supplantando,supprimendo ubicunque possunt. Vtinam, ait D. Augustinus, non essent Christiani ferociores, crudeliores, & magis Leonini quam ipsi Leones, nam Leo quantumvis ferox sit alibi, dum tamen revertitur ad Leunculos suos omnem ferocitatem deponit & omnino mansuescit è Leone fit agnus, hic Pater autem familias, in cujus corde radicata deberet esse humanitas, Christianus cum sit id est Christi discipulus, mitis & mansuetus semper crudelis est, semper ferox,semper Leo, & intra,& extra domum, postquam totam impendit diem lenociniis, ebrietatibus, aliisque impudicitiis, domum revertitur, & leone ferocior, jurat, blasphemat, uxorem percutit, proles dictis, domesticos contumeliis, Creatorem blasphemiis enormiter afficit, omnia susque deque vertit. *Si* illi qui non sunt perfectiores Ethnicis & *P*ublicanis, privandi sint mercede, quomodo

do poteſt aliquid ſperare premij, vel quam potius pœnam exſpectabit, qui pardis,& Leonibus,immò dœmonibus crudelior eſt? Creditis in Deum ait S. Iacobus, & bene, ſed ſi nihil aliud facitis, plus non facitis, quam *Dæmones*, qui *credunt, & contremiſcunt*, creditis in Deum, ſed eum non timetis, cum in Eccleſia ipſo præſente committatis mille irreverentias, inſolentias,impudicitias, creditis in Deum, & offenditis illum verbis blasphemis, & abnegativis, idque tam facilè, tam impunè judicio veſtro, ac ſi Deus ſtraminius eſſet. *Oſtende mihi ex operibus fidem tuam.* Certum eſt enim quod ſicut Filii Iſrael ad terram promisſionis pervenire, non poterant, niſi duce divinitus datâ columnâ nubis,& ignis, ſic vobis ſequenda eſt via, quam præſcribit dux fides, nimirum peccati fugam, bonorum operum praxin, obſervantiam mandatorum Dei, ſacramentorum frequentationem, ſi tandem velitis ingredi terram promiſſionis, quæ eſt Cælum Empireum

Amen.

) (o) (





SER-

SERMO QVADRAGESIMVS QVARTVS
PRO DOMINICA
DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN,

De ſpe in miſericordia, & confidentia in providentia Dei.

Cuius veſtrum bos, aut aſinus in puteum cadet, & non continuò extrahet eum? Lucæ. 14.

E X O R D I V M.

QVis audiens hæc verba Dei ſuaviſſima, amplius deſperet? quis in miſericordia, & bonitate Dei non confidat? Si enim Deus ex eo quod Dominus bovem, & aſinum, mox ut in puteum cadit, extrahat, inferre voluerit, quod à potiori ipſe homines in puteum peccatorum, aut aliarum miſeriarum lapſos extrahere ſoleat, profectò nemo eſt, quantumvis ſit magnus peccator, quantumvis ſit miſerrimus, qui deſperare audeat de Dei miſericordia, & confidere in eius providentia. Nec enim illa verba thematis hoc ſolum monſtrant, ſed & vidimus eum feciſse, dum nos creavit, conſervat, & redemit, dum omnia ſuaviter gubernat, & optimâ bonitate regit; de hac igitur ſpe, & confidentia occaſione hodierni thematis agemus, & oſtendemus, quam graviter peccent ii, qui Deo non fidunt, nec ab initio, nec uſque in finem, neque ſoli, ſed creaturis, ita ut auxilium Dei non mereamur.

Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me Exod. 20.

1. SEcunda virtus, quæ nobis in hoc mandato præcipitur, eſt virtus ſpei. Verum ut hanc materiam magis reddamus univerſalem, & utilem toti mundo, iudico conveniens eſſe, ut non ſolum agam de ſpe in miſericordia Dei, de qua peccatores nimium præſumunt, ſed & principaliter de confidentia in eius providentia; & hoc per tria puncta. In primo videbimus, cui innitatur noſtra confidentia; ſecundo errores, quos circa eam patramus, tertio inconventia, quæ inde ſequuntur. O Sacratiſſima Virgo, nos à te hanc virtutem addiſcere debemus. Tu compararis palmæ, quæ exaltatur, & vergit verſus cælum: *Sicut palma exaltata ſum in cades.* In nuptiis quidem canæ Galilææ videbatur Ieſus repellere tuam ſupplicam, dum dicebat, *Nondum venit hora mea*; attamen id te non abſterruit, quò min⁹ ſperares in eius miſericordia, & miſeris ſuaderes, ut agerent

id, quidquid iis commendarent. Et quamvis nos per innumera nostra peccata meruerimus ab ipso repelli; attamen confidentiam non volumus ponere; quia nullum est dubium, quod assistat iis, qui tuo favore materno sublevantur, quam nos imploramus dicendo *Ave Maria*.

IDEA SERMONIS.
PVNCTVM PRIMVM.

Fiducia in Deo fundatur primo in eius potentia, quam videmus in creatione, conservatione, redemptione mundi, secundo in eius sapientia, quæ disponit suaviter, & attingit fortiter. Tertio in eius bonitate.

II. Confidentia, quam sacra scriptura nobis tam instanter commendat, tribus perfectionibus innititur, quas fides catholica agnoscit, & sæpe in Deo adorat, velut eas, quæ providentiam divinam exequuntur, potentiam nempe infinitam, sapientiam incomphrehensibilem, bonitatem ineffabilem. Sanctus Paulus nobis primum fulcrum ostendit, dum dicit: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Deus est omnipotens, & illa, quæ contraria videntur, valde bene concordare potest, ille bene potest agere, ut bona opera exerceatis, non taliter, qualiter, sed abundanter, et perfectissimo modo, & quidem ita, ut semper, omni loco, in omni negotio, de vobis ea, quæ necessaria

2. Cor. 9. v. 8.

sunt ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν Vt hæc verba Sancti Pauli verificemus, & nostra confidentia in fulcro cunctipotentiæ stabiliatur, velut in columna firma, immobili, & inconcussibili, oculos solum aperire debemus, & attendere ad effectus huius omnipotentiæ in creatione, conservatione, & redemptione.

In principio, quando creavit Deus cælum, & elementa, terra erat tota arida, nuda, sterilis, sicca, deserta, inhabitabilis, informis sine floribus, fructibus, arboribus, herbis, semine, horrore, & tenebris involuta. Verum creator fuit tam potens, ut omnes hos errores correxerit, ut hoc chaos sustulerit, & mille venustatibus eam decorarit, mox ut dixit: *Fiat lux, producat terra.* Statim namque visum est quoddam lumen fulgere, quod tenebras dissipavit, terram pinxit encausto gratioso florum, & herbarum ardentium, arbores produxit fructibus onustas, animalia specie diversa.

Gen. 1.

III. Quod si illo tempore vixisses, & vidisses productiones adeo mirabiles, dixisses, viden illustre opus, sed non diu durabit. Hæ creaturæ habent plane contrarias qualitates, una est calida, altera frigida, una sicca, alia humida. Et quomodo aliqua sit apparentia, quod concordent, & longo tempore simul maneant? Bellum inter eas erit continuum, sese invicem destruent, corrumpent, annihilabunt. Aqua extinguet ignem, ignis devorabit terram, terra consumet, & absorbebit aquam. Verum totum contrarium factum est, quia vides, quod Deus per suam cunctipotentiam inter oppositionem

tionem harum qualitatum conservet, quod elementa in bona unione colliget, quod reliquas creaturas, non obstante earum naturali antipathià, & oppositione concordat; quod eas vinciat, confœderet, colliget, coniungat, & cōpositione earum mixta componat.

Frigida conveniunt calidis, humentia siccis.

IV. Sed quid cogitasses, quid dixisses, si Deus suum animum tibi aperuisset circa mysterium incarnationis? Quid dixisses, si tibi dixisset; ego quadam die producam hominem, qui subsistentià carebit proprià? Quid dixisses, unum hominem proprià viduatum subsistentiâ? Ergone possit esse homo, qui non sit homo? Quod homo detur, qui nulla habeat accidentia, manifestam involuit contradictionem; nam homo est substantia, substantia est id, quod ex se, & per propriam subsistit subsistentiam, hæc est differentia inter substantiam, & accidens, quod substantia subsistat per se accidens dependeat à substantia, Quinnimmò plus agam, efficiam, ut hic homo propriam non habeat existentiam, quid? Quomodo hoc possit fieri? Hoc esset producere unum esse, quod non haberet esse, esset esse in aëre tantum, & fictum, esset tantum esse, quod haberet esse in ideis, & in conceptibus agentis. Interim vide hominem, qui non habet propriam subsistentiam, qui non habet propriam existentiam; & tamen tantum abest, quod non sit nihil, accidens, homo imperfectus, sed sit perfectissimus, & excellentissimus hominū, homo Deus, qui nobilius subsistit per subsistentiā alteri⁹, qui realius existit per existentiam verbi, & perfectius, quā si subsisteret in seipso,

Nunc quæso vos ex hac insigni veritate, aliquam veritatem eruamus. Tu dicis mea domus est merum chaos, mea negotia sunt mera confusio, contractus, tutelæ, processus, cessiones fori, omnia mea proposita, fortunam pessumdederunt, & annihilarunt, & quod peius est, nil video lucis, nullum conspicio radium spei. Pater, Maritus, qui me protegere deberent, sunt mortui, creditores undique me premunt, debitores nil mihi soluunt, amici mei me deserunt, & produnt, consangvinei me nō juvant. Confide in Deo, te ipsum illi commenda, eius zela honorem, eius mandata tibi cordi sint, nam eius potentia est infinita, ille omnes hos defectus unico verbo emendare potest, *Solo sermone* inquit Sancta Agatha *restaurat universa.* Si semel dicas, *Fiat lux, producat terra &c.* tu lumen, & ductum reperies, ut tua reficere, & restaurare possis.

Quando omnia tibi succedunt ad votum, quando in tranquillo navigas mari, quando es in summitate rotæ, quis tibi hæc omnia præstat? Quis te in illo statu conservat? An tuus maritus, pater, amicus? An hoc putes? Non credo quod tam perversus sis Christianus, quod adeo sis ignorans, & idiota, ut credas, quod hoc faciant ex se ipsis, propriâ virtute; non, quia id faciunt per gratiam, quam iis Deus donavit, utitur iis tanquam instrumentis, ut tibi benefaciat. Et an Deus cum iis sit mortuus? An suam amisit potentiam, quia tuus maritus amisit vitam? An putas, quod ille sit velut illi perversi scribæ, qui non possunt unam extrahere plumam, quando omnes plumæ extra-

ctæ sunt, vel perditæ? *Qui intulit viro tuo necem, nunquid abstulit Domino potestatem?* Inquit Sanctus Augustinus. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Deus optime contraria potest concordare, ille ea, quæ videntur incompatibilia potest coniungere, ille potest facere, ut sufficiens habeas tempus rogandi Deum, ita tamen, ut nil desit tuis studiis, & laboribus; ille potest facere, ut magnas eroges eleemosynas, & tamen nil deficiat in familia, ille potest facere, ut sis integer, & incorruptibilis in tuo munere, & tamen tuus honor, & fama in nullo lædatur, ut sis humilis, & animosus, zelosus, & pacatus, prudens, velut serpens, & simplex, velut columba.

Tu dicis: Si ego non consentiam genio vitioso huius hominis, qui in magna est existimatione, si ego ei non serviam velut instrumentum, in eius actionibus pravis, & infamibus, si ego ei non sim obiectum, & illicium, Leno in voluptatibus inhonestis, ille me deseret, quia fulcimentum est, & columna unica meæ fortunæ. Si non peierem, ut carius vendam, Si non adhibeam ad ulterinum pondus, Si non retineam petias ex panno, nihil lucrabor nec familiam meam sustentare potero. Apage, apage. An ergo tua familia non subsistat nisi per unum perversum? An tua fortuna non iñitatur nisi peccato, hoc est, vacuo, & nihilo? Profectò hoc debile est fulcrum, misera subsistentia,

Iob.1.v.2. An non Iob dicit, *Tabernaculum impio-*
Iob. 24. *rum non sustinet?* Et rursus, *Elevati sunt ad*
v. 24. *modi cum, & non subsistent?* An non dicit
Isaia. 13, Isaias, *Rapietur sicut pulvis montium à facie*
v. 13. *venti, & non subsistet?* Dic cum devoto 1. Mach. 5.
Machabæo, quomodo poterimus sub- v. 53.
sistere, nisi tu Deus noster nobis succur- Psal. 70.
ras? Et cum Davide. *Firmamentum meum,* v. 3.
& refugium meum es tu.

Quando tua familia destituta erit omni subsistentia humana, illa firmius, & securius subsistet in Deo, & eius potentia infinita. Ego bene video, quid sit quod tuam prosternat, & proterat confidentiam, tu nempe putas, quod potentia Dei nimias trahat moras in aggrediendo opere, tu non consideras, quod eius potentia non sit cæca, quod sit dotata sapientia admirabili, quod attingat omnia fortiter usque ad finem, quod omnia disponat suaviter. An non hoc sit omnia bene, & suaviter disponere ita linquere agere causas secundas, ac si non esset, prima, ac hæc nil ageret? Agere, quod caussæ naturales agant necessariò, liberæ liberè, contingentes fortuitò? An non hoc fortiter est assequi suum finem, facere, ut causæ fortuitæ, contingentes, liberæ non minus infallibiliter, deserviant ad illum finem, ac si essent naturales, & necessariæ? Quod tam effectivè eius voluntas adimpleatur, ac si ipse solus ageret sine earum ministeriò? *Eius consilio militant etiam qui repugnant.* Tu velles, quod Deus quotidie tibi miracula faceret, tu millies noluisti eius divina custodire mandata, & velles quolibet momento violari leges naturæ, & ut eius creaturis violentia inferatur, ut tu præservareris à casibus, quos revolutiones mundi invehunt. Eius providentia adhoc eum non obligat, & mirabilior illa evadit, quando omnia in bonum tuum disponit, absque eo, quod iura creaturarum astringantur.

De

De quodam Imperatore narrant, quod dum olim suos amicos, & familiares vellet recreare, conuivium opiparũ instruxerit in alto oceano, dumq; orbes mundi apportarentur, illi qui sordidi erant, in mare proiiciebantur. Convivæ, dũ hæc viderent, obstupefacti inquiebant: O qualis profusio! Quale damnum! Qualis non est iactura, ita perdere hos orbes argenteos, qui adeo utiles hominibus sunt? Arcanum non penetrarunt, Imperator circũquaq; latentia iusserat expandi orbes retia, quę omnes & scutellas continebant, dumq; convivio finito ad littus appellerent, viderunt omnia salva, insuper & plurimos pisces captos.

Ezech. 12. v. 13 & c. 17. v. 20. & c. 19. v. 4. Magnus Deus comparat suam providentiam reti, *Extendam super te rete meũ*, nam eius providentia plena oculis est, velut rete. Quando adversa fortuna te lacessit, tu iam te mersum putas, & omnia irre cuperabiliter perdita, quod iam iaceas in abysso. Psal. 68. *Veni in altitudinem maris.* Fide Deo, & nihil perdes, providentia te, & domum tuam cingit. *Sperantem in Domino misericordia circum dabit.* Illa omnia colligit, omnia conservat, omnia cũ usura, & auctario prosperitatis reddet.

VI. Tu dicis, quod nullam haberes difficultatem sperandi in Deo, si iustè vixisses, sed quia tam sæpe eum offendisti, tu iudicas te temerariũ, & præsumptuosum, si aliquem favorem ab eo expectes cum propheta eius dicat, Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Psal 50. Id non nego, sed & idem vates dicit. *Sacrificium Deo* (puta gravissimum) *Spiritus contribulatus. Cor contritum, & humiliatum, et humilitatum Deus non despicies.* Quamvis magna, enormia, & multa sint tua peccata, si tamen offeras hoc Sacrificium, si detesteris commissa peccata, si vitam incipias nòvam, in Deo sperare debes, quia basis tuæ fiduciæ débet esse bonitas Dei, non tua probitas, eius misericordia, non tua iustitia, merita eius Filii, non tua. Et quamvis innumera sint tua scelera, tamen eius misericordia nõ est diminuta, eius bonitas non desinit esse infinita, merita Filii eius inexhausta.

PUNCTUM SECUNDUM.

In eam peccamus primò, cùm non soli Deo fidimus, secundò, cum non ab initio, tertiò cum non firmiter usque in finem.

VII. Non crediderim hic aliquem adesse, qui in Deo non confidat, attamen suspicor adesse plures, qui in eo confidunt, sicut ipse mandat. Vult ut ab initio in eo fidamus, ut in eo solo incessanter, & indefetibiliter, in quo graviter delinquimus. *Maledictus inquit per Ieremiã homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Ierem. 17. v. 5. Tu subiectus es huic maledicto, quia fidis tuo hero, tu inniteris ei carnaliter, quia tibi promisit, quod matrimonio diviti te jungere velit. Tu incurris hanc maledictionem, quia confidis in eo, qui est in magna existimatione, quia pro eo, diem sursum versus ementiris, falsum das testimonium, agis monopolam, & alia peccata, & iniustitias committis. Tu fiduciam tuam collocas in tuis prolibus, sperans ab iis tuam fortunam provehendam, dum tale officium, tale beneficium, ad quod incapaces, assecuti fuerint, quod tamen mediis illicitis iis procuras. *Ponit carnem brachium suum.* Tu nudas brachia, tua

ubera, ut hac escâ adolescentem divitem allicias, ergo spem matrimonii tui in tua carne collocat. *Qui confidit in homine.* Tu homo es, quod si ergo in te confidas, tu subiaces huic maledictioni.

Sunt valde pauci, qui non partem suæ confidétię ponant in se ipsis, in proprio ingenio, scientia, pulchritudine, industriâ. Nec est minimus opifex, minimus servus, qui non fiduciam suam collocet in suo brachio, robore, arte, agilitate. Deus porrò vult ut totã fiduciam in eo colloces, & non partem in te. Propheta non dicit, *Maledictus qui totam spem ponit in homine*, sed *spem suam.* Non dicit *In solo homine*, sed simpliciter *In homine.* Deus non vetat ne labores, ut tuam vitam sustentes, ut tuam familiã alas, sed non vult, ut fiduciam tuam colloces in eo, & in tuo labore sed in eo, & in sua gratia. Vult ut labores sub ipso, & non æquè ac ipse, vult ut opereris tanquam eius instrumentum, & non tanquam eius sodalis. Tu quandoque dicis. Ego, si Deus iuvet, feliciter hæc expediturum me sperem. Sane hic modus loquendi ineptissimus est. Vt negotia tua feliciter expediantur, non solum Deus debet cooperari, sed debet pręvenire, oportet ut sit primus, nõ secundus.

In Philosophia dicitur, & experientia id monstrat, nempe, quod opera naturæ sint perfecta, & completa, quia sunt opus Intelligentiæ supremæ, Spiritus Divini, & infiniti: *Opus naturæ, opus Intelligentiæ non errantis.* Ego non credo, quod artifex quantumvis excellentissimus nidum possit construere adeo cõmodum, & aptum ad nutriendos, & educandos pullos, quam construat hirundo, aut Regulus. Quænam est huius causa? Quia Deus nidificat per has exiles creaturas.

Filius Dei dicit in Evangelio, quod Rex Salomon in omni sua magnificentia, & pompâ nunquam habuerit vestẽ tam affabrè, & concinnè factam, ac habet unicus flos, ceu lilium. Et quænam est huius rei causa? En eam. Acu pictores, & sartores confecerunt vestes Salomonis, bonus autem Deus aptavit, & consuit vestem huius floris. *Fœnum agri Deus sic vestit.* Quod si tuæ actiones non fiant, aut tendant ad gloriam Dei, & animæ tuæ salutem, ego nec capillitiũ pro iis dabo. Vt autem cedant in gloriam Dei, & tuam salutem debent esse supernaturales, quia nil naturale tam altum finem attingere potest, adeoque ut supernaturales sint, Deus eas per te velut instrumentum elicere debet, ita ut tantum sis instrumentum, quamvis liberum, & voluntarium, & non agens instrumentale.

Matt. 6. v. 10.

Porrò instrumenti est, non agere per se, nec per propriam virtutem, sed per motionem, & virtutem causæ principalis. Et hinc dum creator dignatur uti instrumento, omnis gloria, & bonus successus debet ipsi attribui, & non instrumento, quia ille non utitur instrumento ex indigentia, impotentia, necessitate sicut nos, sed ex affluentia suæ bonitatis, ex excessu suæ Charitatis, et ipse indifferens est ad illud adhibendũ, vel non adhibendum, ad illud multum, vel parum usurpandum, & ideo potest dare victoriam, quando ei placet, & quidem tam faciliter, & gloriosè per pugnum militum, ac per ingentem exercitum, uti de illo dixit Rex Asa, dum pugnare deberet contra hostẽ, qui nu-

2. Paral. v. 11.

2. Paral. 14. v. 11. merabat qui ingentos mille viros plus ipso. *Non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxiliaris, an in pluribus.* Tua negotia non sortiuntur felicem exitum, non cedunt ad gloriam Dei, & animæ tuæ salutem, quia tu non es instrumentum Dei, sed causa principalis. Ille non est, qui dat virtutem, & motionẽ tuis actionibus, sed tua ambitio, tua avaritia, tua sensualitas. Tu intras Religionem, non prius consulto Deo, an te vocarit. Tu matrimonium inis, nec perpendis, an hæc sit voluntas Dei. Tu litem alicui indicis, nec prius à Deo illuminari petis, ut cognoscas, an sit ad suam salutem. Matt. 6. v. 10.

Immò, quando tua negotia paulisper succedunt, tu inflaris, ampullaris, tu illam gloriam tibi attribuis, quæ tota debetur Deo, quia tu es è numero eorum, de quibus dicit scriptura, quod confidant in propriâ virtute, in se ipsis, & quod innitantur brachio suæ carnis. Tu committis simoniam, ut emas beficium, tu sensuales inis familiaritates, ut hanc opulentam adeas hereditatem, tu mediis uteris illicitis, ut hunc lucreris processum; remediis superstitiosis, ut recuperes sanitatem. Tu tuam, & tuorum negligis salutem, tu tuis mersus, & involutus es negotiis, quia optimam partem tuæ fiduciæ collocas in tuo ingenio, industria, diligentia, prudentia, pro eo, quod te debeas totũ committere sapientissimæ providentiæ Dei.

VIII. Verum enim verò, quod si cõmittas te Deo, hoc tunc prius facis, quãdo à toto mundo deserer is, tunc recurris ad creatorem, quando destitueris à creaturis, Deus autem vult esse tuum asilum, obiectum tuæ confidentiæ, non in defectu aliorum, sed ab initio. Sanctus Ioannes Chrysostomus, advertit, Divinâ providentiâ permittente Patriarcham Ioseph in vincula per calumnias suæ heræ coniectum, duobus annis iis hæsisse. Sanctus Martinus, dum quadam vice flammis undiquaque cinctus esset, quæ eius cubile pervaserant, ad ianuam accurrit, ut tam evidens periculum evaderet, verum dum eam aperire non posset, Dei opem inclamavit ut ab illo incendio liberaretur, sed postea se accusavit, & amarè luxit, quod antequã confugisset ad Deum, eiusq; implorasset providentiam, proprias vires experiri voluerit. *Quærite primum regnum Dei.* Hom. 6. in epist ad Titum tren. 41. v. 1.

Similiter quodam tempore, dum nostri Patres in confinibus Normandię ad missionem irent, quædam devota matrona, ut eos transeuntes uidit, unum eorum insecuta est, casum conscientiæ ei manifestatura. Hæc porrò fuit misella rustica, quæ innocentiam adhuc habebat baptismalem, uti ex eius discursu eruere licebit. Hæc in angulo casæ, ceu tugurii straminе tecto degebat, & fila ducendo vitam sustentabat, partemque panis pauperibus transeuntibus in stipem erogabat. Porrò hunc casum illi Patri aperuit. Quadam die solenni summo mane surrexit, ut ad matutinum in parochia celebrandũ iret, dumque per campum procederet duos lupos iuxta se invicem cubantes conspexit; ad quorum conspectum consternata, pedes relegit, & ad suum tugurium redivit. Verum in regressu, doluit, & seipsam increpavit, dicens: O me infelicem, quæ in Deo non confido, usq; hanc

hanc culpam puniret, accessit illos lupos, terramque prope eos deosculans dixit: Lupi Dei, Lupi Dei, si Deo placet, me devorate, si hoc illi non lubet, sinite, ut vadam ad parochiam. Lupi nil ei nocuerunt, sed illæsa transivit. Quęsivit itaq; an non peccarit ob defectum confidentiæ. Me hercule Sancti aliter illustrati sunt, quam nos, & vident nostras culpas, ubi tamen nos putamus nos esse innocentissimos.

IX. Nos imitamur Sanctum Petrū, nos magnâ fiduciâ incipimus, sed in ipso fervore persecutionis fiducia nostra languere incipit, & deficit. Dum Sanctus Petrus cum Apostolis mare sulcaret, Filius Dei super aquas ambulavit, dumq; eos ad tantum miraculum consternatos videret, dixit, *Nolite timere, ego sum,* Sanctus Petrus statim excepit dicens: *Domine, si tu es, iube me venire ad te,* Veni, inquit, dicebat Christus, & statim coniecit se in mare, & audacter super aquas incessit; at dum ventus vehemētior furere inciperet, ille timere cœpit, & mergi, ac nisi Iesus eum manu prensasset, dicens: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Ille in profundum præcipitatus fuisset. Tu quoque non aliter facis, quia animosè, & generosè quandoque te das actionibus heroicis, & laudabilibus, quandoque proponis ingredi religionem, tendere ad Deum, domum illam deserere, relinquere illud officium, vel beneficium, quod tibi est occasio peccati, at enim verò minimus ventus te retardat, & revocat, unum maledictum, quid dicent? Minima tentatio minatum, unicus, vanus, & mundanus respectus te impedit. Non habes sufficientes vires corporis, & animi ut intres hanc religionem, tu ex illa, egredieris, & ita iudicaberis inconstans, & levis, si exeas ex hac domo, tu perdes tuum stipendium, præmium tuis serviciis debitum, favorem illius Domini, vel Dominæ, si illo officio te abdices, omnes, qui nunc te adorant, nec aspectu te dignabuntur, hunc timorem debes superare. Bono sis animo, tu ambulabis super aquas, tu calcabis hoc furiosum elementum, tu mundum, eiusque contradictiones devinces. Tu non credes, quam fortis, & invincibilis ad hos omnes insultus sit una anima generosa, quæ firmiter adhæret Iesu Christo. Da mihi animam, quæ totam se commisit Deo, quæ in eo solo, & non in seipso, aut aliqua alia creatura fidit, illa patrabit miracula, ubi econtrà, si fluctuemus, si vel parumper circa Divinam providentiam hæsitemus, non sortiemur finem bonum.

Matt. 14. v. 4.

Sanctus Petrus, dum validus ventus sæviret, totaliter non diffidit, quia clamavit, *Salva me,* adhuc aliquam habuit confidentiam, quia Christus illi dixit, *Modicæ fidei,* sed quia dubitavit, cœpit mergi. Ita, ita profectò sola causa, cur non ita potenter iuvemur à Deo, cur non faciamus tam illustria opera, quā vellet per nos operari est, quia magnam habemus de eo diffidentiam. Visne, ut tibi ostendam, quod tua fiducia non īnitatur Deo soli, sed multum innitatur tibi, & aliis creaturis? Supponamus, ꝙ sis æger, & dicas tuo medico. Domine ego tibi fido, tu es vir probus, & expertus, ego sanitatem, & vitam meam tibi cōmitto, nec vel in minimo dubitem, ꝙ me negliges. Porrò si hic tres uncias tibi

tibi præscribat rhabarbari, & tu dicas pharmacopolæ, duæ solum adhibendæ sunt, evacuatione indigeo. Si sibi dicat, hodie non est vena incidenda, quia est dies crisis, & tu opponas, ego hodie venam incidam, ut refrigerer, quia calidior sum, quam heri, & aliis diebus. Quid diceret medicus? Tu quidem dicis, quod te mihi committas, & quod me æstimes expertum, sed an non eos omnes irrides, quibus talia dicis?

Ita quoque nonnunquam dicis in tuis precibus. Mi Deus, ego me totum tibi committo, ego brachiis tuæ providentiæ me trado, at ille dicit in sacra scriptura, non jures, ne carius vendas, non ita anxiè quæras bona mundana, nonnunquam aliquid temporis subduc, & te des precibus, ac Servitio Divino, confessioni, communioni, concionibus. Ne utaris superstitionibus, non mentiaris, ut litem vincas, non committas simoniam, ut obtineas illud beneficium, ne injustitias patres, ut assequaris illud officium, vel hereditatem, solve miseris creditoribus, operariis, servis, tu autem totum contrarium facis. Vade in malam horam, tu Deum irrides, dum dicis, quod te totum Deo comittas, tu confidis in tuo ingenio, prudentia, industria, laboribus.

PUNCTUM TERTIUM.

Hinc fit, ut non mereamur tam præstans auxilium Dei, quod probatur primò scripturâ, secundò Patribus, tertiò ratione, quarto comparatione.

X. *Væ dissolutis corde*, inquit Spiritus sanctus per os Sapientis, *qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.* Væ incredulis, timidis, & meticulosis, qui nil generosi faciunt pro servitio Dei. *Eccl. 2. v. 15.* In sancto Marco capite sexto lego unũ verbum, quod meritò nostrum intellectum capere, & captivare deberet. Evangelista narrat, quod Christus *Non poterat ibi*, nempe in Nazareth *virtutes ullas facere.* Nonne Jesus est verus Deus, & omnipotens? Textus sacer non dicit, quod non noluit, sed quod *Non poterat ibi.* Sed in quo loco? In Nazareth, in dilecta sua patria. In Nazareth, ubi sanctus Gabriel dixerat nil Deo esse impossibile? In Nazareth, ubi Deus duo præcipua portenta patravit, nempe Hominem Deum, & Virginem Matrem? An in Nazareth plura non potuit facere miracula? Tantum hoc est paradoxum, ut ipsemet Christus miretur. Sanctus porrò Marcus caussam assignat; Quod nempe Deus non soleat miracula patrare in gratiam eorum, qui se reddunt indignos. Sed per quid redduntur indigni? Diffidentia eos reddit indignos, illa ligat manus omnipotentiæ Divinæ, illa cursum gratiarum particularium sistit. Jesus educatus fuit in Nazareth, concives ejus eum viderant in simplicitate suæ pueritiæ, in laboribus artis fabrilis, in officina sancti Joseph, illi nullam magnam de eo acceperunt æstimationem, illi eum vilipenderunt, in seipsis confiderunt, & hoc modo miraculis, quæ alibi patravit, se indignos reddiderunt.

Econtrario idem Salvator quadam die hoc sanctæ Gertrudi dixit: Filia charissima, quando una anima se totam mihi committit, & firmiter sibi persuadet, quod ego possim, & velim fideliter ei succurrere, hæc virtus adeo mihi sit grata, ut rapiat meum cor, & suo modo violentiam inferat, quia ex una parte ansam habeo differendi eius petitionem, ob magnum gaudium, quo perfundor, quia video, quod sese mihi committat, & sua merita augeat per suā confidentiam, ex alia vero parte, ego non possum non succurrere ei, quia ad me confugit.

Cap. 11. monilis spiritual.

XI. Et hinc Ecclesia, dum postulat eius gratiam, eius protectionem, ei sub oculos ponit, quod solum in eo fidat, eum rogat, ut hanc confidentiam considerare dignetur: *Quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur: Deus qui conspicis, quia in nulla nostra actione confidimus.* Et sanctus Augustinus dicit: *Vna spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.* Nam ut inquit Seneca, nil est quod aliquem magis devinciat, quam si ei fidamus, & nil nos magis retardat, quod aliquem juvemus, quam si nobis diffidat. *Fidelem si putaveris facies; Habita fides ipsam fidem obligat. Multi fallere docuerunt, dum falli timent.*

XII. Et nonne verum est, quod si tuus servus videat, quod ei non fidas, ex bono corde tibi non serviat, si tua ancilla videat, quod illi diffidas, tibi non sit fidelis? Quomodo ergo putes, quod Deus te velit fideliter juvare, dum videt, quod ei diffidas? Supponamus quod quidam nobilis dicat suæ filiæ viginti annorum. Visne ut te in matrimonio collocem? Et illa respondeat, fac de me quod vis, colloca me, vel non, des mihi nobilem, advocatum, opificem, mercatorem, pauperem, mihi perinde id est, tibi tantum satisfacere volo, quidquid de me disposueris contenta sum, & hoc, quia tu ita vis. An non hic nobilis esset immanior Turca, Arabe, si non esset solicitus, ut filiam suam in bono matrimonio collocaret, & magno eam affectu prosequeretur? Illa mihi fidit inquiet, illa nō vult, nisi quod volo ego, constet quid quid velit, quidquid potero, hoc pro ea agam.

Viden paulisper unam animam, quæ dicat bono Deo, mi Deus, ego sum inops, & misella creatura, imprudens, indiscreta, stupida, ego nil possum, ego nil scio, ego nihil sum, omnia ludo si velim ex me agere, verum tu es meum refugium, mea spes, meum unicum asilum, ego tuam gloriam semper spectare volo, ego volo semper tua servare mandata, tuum timorem, & amorem mihi commissis commendare, in meo statu, id tantum facere, quod tu jubes, & quoad expeditionem meorum propositorum, negotiorum, processuum, fortunarum, sanitatis, salutis, ego tibi fido, & mihi diffido, tu es ter bonus, ter sapiens, ut omnia feliciter gerantur, ure, seca, dispone de me, uti tibi placuerit, sive velis, quod sim æger, sine quod sim sanus, dives, vel pauper, honoratus, vel despectus, afflictus, vel felix, sum contentus, omnia hæc mihi unum, & idem erunt. Ero beatus, & contentus, quia tua sancta voluntas in me, & meis adimpletur. Quod si hæc ani-

anima non tantum illa proferat ore, sed ita sentiat in corde, an Deus illi non sit benedicturus? An non eius negotia sit gesturus, curam eius habiturus? Sane, Christianus non sit, qui aliter de hac sancta providentia sentiat.

CONCLUSIO.

Paraphrasis verborum Ecclesiastici, Habe fiduciam in Domino &c.

XIII. *Habe fiduciam in Domino, & ne innitaris prudentiæ tuæ, in omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Eccl. 3. v. 5. *Habe fiduciam.* Tu fidis uni amico, qui est in gratia Regis, qui tamen nunquam dixit fide mihi, & forsan potest esse, quod gratiâ exciderit, vel jam mortuus sit, aut quod animum mutarit, & amicitiam erga te exuerit; Quomodo ergo non fidas Deo, qui tam evidenter suum amorem, qui nunquam potest extingui, erga te testatus est, qui nequit amittere suam potestatem, qui semper est idem, qui tam asseveranter, & affectuosè tibi dicit: *Non te deseram, neque derelinquam?* Tu non fidis tuo Deo, qui potest, qui scit, qui vult potenter te juvare, dummodo brachiis eius te committas.

Et quidem potest, quia est cunctipotens, eius potentia est infinita. Quod si suscipias expeditionem quandam audacem, temerariam, & periculosam, ut pote duellum, raptum puellæ, invasionem bonorum vicini, tu inniteris basi alicujus magnatis, tu dicis, ille me proteget, ille mihi obtinebit gratiam, faciet ut litem vincam. Quando autem elicienda est aliqua actio generosa pro Deo, & pro salute tuæ animæ, quando diviti etiam tantum vectigal imponendum est, quantum debet, quando condemnandus est is, qui litem in tentat injustè, quando indigno absolutio est neganda, tu times, tu respicis personam. Quænam est caussa, quod non dicas id de bono Deo, quod dicis de hoc magnate? Ille me proteget, ille faciet, ut vincam litem, quam hic dives mihi intentat, ille me muniet contra eius vindictas? Deus tuus non est minus potens illo magnate, est infinitè potentior, & maior illo.

Est infinitè sapiens, ille bene sciet, quomodo tua deducat ad finem, ille destruet tuos inimicos, dic cum sancto Gamaliele: Vel tuæ actiones tendunt ad gloriam Dei, vel non? Si non, non debes optare, ut sortiantur effectum, si sic, bono sis animo, quia sortientur bonũ finem, non permittet, ut de ipso dicatur, quod bene inceperit, sed non bene consummarit, ille tanto est intellectu præditus, ille tot habet valla, tot propugnacula, tot cuniculos, tot aggeres in sua arce, tot milites sub suis signis, ut si sis in eius gratia, quidquid adhibebitur in tui ruinam, cessurum sit in tui conservationem, ut omnis illi, qui tibi movent bellum, mereant eius stipendio, ut tibi serviant.

Est infinitè bonus, nec per capillum potes de eo dubitare, jam insignes probationes huius rei tibi dedit, & tu in materia providentiæ debes formare discursum talem, qualem formavit san-

ctus Augustinus in materia prædestinationis: *An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes eius in Deo ponenda demonstratur, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus, & infelicissimus poneret? Tutiores igitur vivimus, si solum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

De prædest. sanct. cap. 11. & lib. de dono perseverant. c. 5. & 32.

Quod si aliquem haberes amicum in mundo, vel nonnullum intimum, & familiarem, dic mihi, si bonus successus tuorum negotiorum, tuæ fortunæ, tuæ salutis, tuæ felicitatis æternæ, & temporalis dependeret à bona voluntate huius amici, an non esses firmiter assecuratus? Quod si nihil illi constaret te reddere felicem, & beatum, si tantum consisteret hoc in eius voluntate, an non crederes, quod infallibiliter id esses facturus? Verum, an hic amicus tantum unquam affectum erga te contestatus sit, quantum tibi ostendit Filius Dei? An unquam centesimam eorum partem fecit, quæ fecit salvator? An vel solam guttam sanguinis pro te fudit?

Filius Dei tibi omnia dedit, quidquid habes in hoc mundo, ille dedit tibi suam vitam, pretiosum sanguinē, unde nil illi constabit, quod te facias beatum in hoc mundo, & in alio, ille id faciet infallibiliter, nisi illum impedias per tuā diffidentiam, & facias per excessum tuorum criminum, ut perdat suā bonam voluntatē, quam semper erga te ostendit. *Habe fiduciam.*

In Domino. Ille est Dominus, & hoc vult ostendere. Ille quandoque permittit, ut fluctibus circum quaque agiteris, ille divisivit, ut ventileris litibus, miseriis, paupertate, morbis, scrupulis, angoribus animi; Verum si totum te illi committas, cum omnia erunt desperata, cum nullum sit adfuturum remedium, dum in tegula eris tuæ perditionis, in ora extrema ruinæ irreparabilis, ille ictum faciet magistri, actum suæ providentiæ, ille te liberabit ad eius gloriam cum stupore totius mundi.

Ne innitaris prudentiæ tuæ. Hæc fulcrum, & basis est valde debilis, est asser, & tabula putrida, arundo fragilis, fundamentum arenosum, coram Deo agnosce, quod tua lux non sit, nisi nox, tua sapientia, non nisi stultitia, in tuis operibus eius ductum rogita, in initio, progressu, & fine eius misericordiam inclama.

In omnibus viis tuis cogita illum. In hoc graviter delinquimus, hic defectus, est causa omnium nostrorum defectuum, quod nempe tam sæpe, & firmiter non recurramus ad Deum. Tuus filius, qui scribere non scit, non tantum se committit magistro, quando incipit scribere juxta exemplar, sed nec ullum format characterem, nisi magister eius manum ducat, quia alias pro charactere formabit pedem muscæ. Nos magis inepti sumus, ut aliquid faciamus, quod sit pro nobis, quam infans sit habilis ad scribendum, qui nunquam scripsit: Unde, si velis, ut tua feliciter succedant, non sufficit, ut te committas Jesu in initio tuarum actionum, sed & frequenter in discursu, ita ut sæpe ad eum mentem eleves, intuitus affectuosos interiores in eum coniicias, ei tuum cor reverenter offeras, eius gratiam, & lumen roges, Si hoc facias, *Ipse diriget gressus*

sus tuo, ille in perplexitatibus te illustrabit, ille cor tuum in tentationibus solidabit, ille in periculis te tenebit, ille per suas vias te deducet, ille faciet, ut per tuas actiones in hoc mundo obtineas gratiam, & in altero gloriam, AMEN.

SERMO QUADRAGESIMUS QUINTUS.

PRO DOMINICA

DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

De dilectione Dei.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

EXORDIVM.

VUlgare proverbium est, quod amor descendat, & non ascendat. Et ita sanè experientia demonstrat quotidie in hominibus, nam videmus parentes magis diligere suas proles, quam proles diligant suos parentes; Siquidem parentes thesaurizant prolibus, thesauros, & opes iis corradunt, filii autem vix aliquid faciunt pro parentibus, immò sæpe eos persequuntur. Idem contingit in nobis respectu Dei: Nos omnes sumus filii eius, ille nos creavit, ille nos conservat, ille tenerrimè nos amavit, ille nobis immensos thesauros hic in terrâ, & in cælo corrogavit. Nos verò parum eum amamus, parum pro ipso facimus, immò per peccata eum persequimur. Sed quid factu opus, ut magnum hunc defectum in nobis corrigamus, & tenerius eum amare incipiamus? Nil aliud, quam quod animo perpendamus nostram beatitudinem, omne nostrum bonum in hac vita consistere in amore Dei, & quod ipse nullo alio titulo, quantumvis magno magis glorietur, quam quod sit dilectus hominum, hoc est, quod ab iis diligatur, & ideo omnibus modis nos obligat ad amorem suũ, ut cum Auctore hac concione ostendemus.

Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Exod. 20.
Diliges Dominum. Matth. 22.

I. EGo quidem invenio in sacra scriptura, quod creatura rationalis plura obsequia teneatur pendere Divinæ majestati, eiusque perfectionibus Divinis, quod nempe debeat honorare eius potentiam, admirari sapientiam, timere

timere eius justitiam, sperare in eius misericordia, obedire eius supremitati, sub mittere te eius providentiæ, sed non invenio in eadem, quod Deus iis, qui pensitant ei hæc obsequia, promiserit bona æterna, & temporalia, nisi amore sincero, & cordiali ament eius bonitatem. *Neque oculus vidit* inquit Apostolus, *neque auris audivit, neque in cor hominis descendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et ideo Filius Dei venit in hunc mundum, ut nobis abundanter daret vitam, hoc est vitam æternam; Ut autem ad eam nos duceret, dixit. *Diliges Dominum Deum tuum.* Sanctus Paulus dicit hanc virtutem diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Verum & addere possumus, quod hic amor diffusus sit in tuo corpore O Sacra, & benedicta Virgo, nam Spiritus sanctus, qui est amor increatus, & personalis, ille principale opus suæ charitatis, mysterium ineffabile Incarnationis, in tuo utero virginali operatus est, uti tuus Angelus prædixit, quando te salutavit per hæc verba. *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

PUNCTUM PRIMUM.

Perfectio, & beatitudo nostra in cælo consistit essentialiter in visione Dei, sed super terram consistit in amore.

quæst. 3. art. 9.

II. Finis omnium creaturarum, quæ sunt in hoc mundo est homo. Perfectio hominis est anima, animæ perfectio est voluntas, perfectio voluntatis est amor, amoris perfectio nil est aliud, quam Deus. Finis ergo, & perfectio huius mundi est amor Dei. Et hinc Salvator noster, qui summe desiderat, quod omnia opera eius sint perfecta, tam sæpe, & tam ardenter in hoc mundo, hanc excellentem virtutem nobis commendat. Hæc est regina, forma, perfectio, vita omnium aliarum virtutum. Ego bene scio, quod sanctus Thomas loquens de beatitudine animarum beatarum, doceat illam, si præcise, consideretur, non consistere in eius amore, sed in visione, quodque beatitudo non sit actus voluntatis, sed intellectus, qui Deum clarè, & facie ad faciem videt, quod probat, primo ex scriptura, quæ quoties loquitur de beatitudine utitur termino luminis, visionis, & cognitionis, uti dicit Psaltes: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, & Philippus, *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* Psal. 16. v. 15. & sanctus Joannes, *Erimus ei similes, quia videbimus eum sicuti est.* Ioan. 3. v. 2 Et Salvator in terminis expressis: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.*

Et ratio huius hæc est, quod nempe felicitas creaturæ rationalis consistat in acquisitione, & possessione summi boni, quod est ultimus finis. Propriè autem loquendo, hoc non est voluntas, quæ acquirit summum bonum, sed intellectus; Nam voluntas erga summum bonum duas tantum potest elicere operationes, nempe illud desiderare quando est absens, & in illo delectari, quando est præsens. Desiderium porrò non est possessio, sed solum cogitatio, mo-

motio, & inclinatio erga summum bonum. Delectari autem, & gaudere in possessione, & fruitione huius boni, jam supponit illud esse acquisitum, quod fit per intellectum. Quinimmò fruitio, & delectatio, amoris, qui est in voluntate, non est essentia beatitudinis, sed solum effectus, passio ad eam sequens.

III. Verum enim verò, hanc litem ad Theologorum senatum remittamus, ego interim scio, à nullo trahi in dubium, aliud longè esse de beatitudine in hac vita, quia illa principaliter consistit non in cognitione, sed in amore. Et quidem ante omnia necessarium est, quod id competat, & sit proprium summo bono, ut nunquam sit extra sphæram illius, cuius est finis, sed potius, quod omnes ad eum possint pertingere, ac pervenire, quia alias inclinatio, quam nobis indidit natura, esset vana, & frustranea. Hoc admisso, non est muliercula in mundo quamvis simplicissima, quæ nō possit cum auxilio Divinæ gratiæ eum excellentissime amare, cum tamen pauci sint, qui eum videant. Sed quid dico pauci? Nemo est, qui in hac vita eum perfectè cognoscat.

Psal. 16. v. 15. Ioan. 3. v. 2

Aristoteles quantumvis subtilissimo præditus ingenio, & scientia suprema, debuit fateri, quod intellectus vivacissimus, limatissimus, politissimus, lucidissimus, transcendens respectu Divinorum sit velut noctua respectu lucis solaris. *Videbimus eum sicuti est.* Nos eum quidem videbimus, sed eum non videmus. De tempore huius vitæ dicitur. *En ipse stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Ille, qui stat ad fenestram clathratam, seu conspicillum, & curiosè omnia observat, ille videt cuncta, quæ geruntur in platea, & omnia, quæ dicuntur audit; Quod si tu casu eas transeas, & oculos sub leves, tu bene vides, quod aliquis sit ad fenestram clathratam, sed nescies dicere, quis ille sit, quia per conspicillum solum vides aliquot radios visus eius.

Similiter, quamvis Deus sit invisibilis, nihilominus distinctè omnia videt, quæ in hoc mundo aguntur, ille audit omnia, quæ dicuntur, præsens est omnibus factis, & quamvis eum non videamus, tamen bene videmus, quod detur unus Deus, nos bene cernimus aliquot exigua delineamenta Divinarum eius perfectionum, quas creaturis communicavit; Verum non videmus eum in seipso, visio, quâ eum videmus non est intuitiva, sed abstractiva per species alienas, quas haurimus ex creaturis, vel per testimonium fidei, quæ eum nobis repræsentat meliori modo, quo potest, & consequenter, quamvis aliqualem habeamus cognitionem de Deo in hoc mundo; Attamen per illam eum non possidemus, sed solum possidemus unam ideam, imaginem, speciem intellectualem, quam formamus in nostro animo, ut nobis eum repræsentemus; Verum, quando amo Deum ex toto corde, ego ipsum possideo, ille ad me venit, ille in me habitat, ille unitus, & conjunctus est meæ animæ, non solum per gratiam, sed per divinam essentiam; *Si quis diligit me*

me, inquit, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Quod si ergò perfectio, & beatitudo consistat in possessione Dei, qui est nostrum summum bonum, si cognitio, quam de eo habemus in hoc mundo, non det nobis eius possessionem, sed solum possessionem suæ ideæ, quam in nobis efformarat. Si amor, quo eum prosequimur, efficiat, ut ad nos veniat, & habitet in nobis, & donet nobis possessionem, & fruitionem sui in hac vita, antequam possit possideri, sequitur necessario, & per consequentiam infallibilem, quod nostra beatitudo, & perfectio in hac vita non consistat in cognitione, sed in amore Dei.

Admirare ergò sapientiam providentiæ Divinæ, suavitatem gubernationis eius, quod nostram perfectionem collocarit in actione tam dulci, tam delitiosa nostræ naturæ conformi, tam facilè practicatu ab omnibus Personis. Nam ut quis amet, non est necesse, ut sit dives, nobilis, sanus, robustus, doctus, ingeniosus, sed voluntarius. Et quis sit homo adeo miser, indoctus, qui non possit habere bonam voluntatem? Admirare bonitatem Dei, qui tam instanter nobis suum amorem commendavit, nec hoc facit, quia sua interest, quia nostris bonis indiget, multò minus, quia nostro eget amore; Sed id petit, ut simus perfecti, ut simus beati, ille cognoscit, in quonam consistat beatitudo, & felicitas huius vitæ, nempe in amore nostri cordis, ideo omni modo possibili ad eum nos urget, & solicitat.

PUNCTUM SECUNDUM.

Ideo Deus omni modo nos obligat ad amorem suum, primò præcepto, secundò donis, tertiò promissionibus, quartò minis, quintò vi, sextò Philtro.

IV. NOn possumus aliquod cor expugnare, nec efficaciter obligare ad aliquod opus, nisi uno ex sex dictis modis. Porrò Deus omnes illos adhibuit, primò namque amorem præcepit. *Diliges Dominum*, in quem locum sanctus Augustinus: *Quid mihi es? Miserere, ut loquar: Quid tibi sum ego, ut amari te jubeas à me? Et nisi faciam, mineris ingentes miserias, parua est ipsa miseria, si non amem te?* Deus condole mihi, ignosce, si ego, qui pulvis sum, & cinis, audeam tibi loqui: Quid sibi hoc vult, ut jubeas mihi, quatenus te amem? Ergone subdito mandetur, ut amet suũ principem? Filio, ut suum Patrem? Sponsæ, ut suum Sponsum? Pars ut amet suum totum? Creatura, ut amet suum creatorem? Nonne tu meus es Princeps, Pater, Sponsus, totum, creator? Tu mihi magna minaris tormenta, nisi te amem. Et an in mundo sit maior miseria, quam te non amare? Nonne est miseria omnium miseriarum, & ante omnia fugiendum quod quis amore tuo sit privatus? O quanta est misericordia, quod jubeas, ut amem te? Profectò hæc permissio mihi magnus est honos, quæ alias magno mihi foret species piaculi, si hoc non permitteres. Quod si Rex alicui diceret aulico, stude pa-

parumper, ego volo, ut me ames, volo, quod nos invicem amemus, an non es contentus? Quomodo non æstimaret hoc, & quanto id non sibi duceret honori & favori? Unus subditus non auderet dicere suo Principi, Serenissime, ego valde te diligo, quia sarcasmis, & irrisionibus notaretur, traduceretur ut bardus, ut incivilis. Vasallus quidem potest dicere Regi, ego honoro suam Majestatem, ego summo gaudio afficior, quod ei serviam, sed tamen dicere non auderet, ego eam amo. Interim dicere possum non solum sine temeritate, sed cum magno merito meo Deo, ego te amo, immò ipse hoc permittit desiderium & illud amat. Inter alias infelicitates nostras, hæc non est minima, quod viliora, & indigniora magis curemus. Tu invenis plures christianos, qui postquam illuxit Dominicus dies, hodie est dies sancti Matthæi, cras sunt quatuor tempora, vel pascha audiendum est sacrum, jejunandum, præparatio instituenda ad communionem, nam ita jubet Ecclesia.

Interim pauci reperiuntur, immò quasi nulli, qui dixerunt in sua vita, elicere debeo actum amoris Dei, cum tamen hoc sit mandatum Dei, quod magis obligat, quam mandatum Ecclesiæ; immò *Hoc est primum, & maximum mandatum*, est præceptum affirmativum. (Matt. 22. v. 38.) Præcepta porro affirmativa sunt, quæ præcipiunt aliquam actionem, negativa, quæ aliquam vetant, ut impleamus negativum, nil est faciendum, sed solum aliquid omittendum, ita ut observemus præcepta, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, nil debemus facere, sed sufficit, ut non occidamus, non mœchemur, non furemur. Sed non est ita in affirmativis, quia, qui omittit illa, non implet, sed qui elicit aliquam actionem. Præceptum itaque de amando Deo est affirmativum, quod obligat ad actus formales, & expressos, quod si tibi id dicerem quod tradunt Theologi, tu mirareris, & dicta eorum judicares paradoxa, sed ii, qui amant Deum, illa judicant valde rationabilia, facilia, & justa, nam dicunt, quod hoc præceptum obliget quotidie, & semper; hoc est quod semper obligemur ad amorem actualem, vel virtualem, quod semper teneamur elicere actus amoris Dei, vel facere opera ex amore Dei præcepta, & id volunt exprimi, & significari per hæc verba, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima sua, & tota mente tua, ex totis viribus tuis*, hoc est quod teneamur ei reservare omnes nostras cogitationes, passiones, affectiones, actiones; nam si in nostro animo admittamus aliquam cogitationem, si habeamus aliquod gaudium, aliquam tristitiam, aliquam iram voluntariam, si loquamur aliquod verbum, si deliberatè & voluntariè aliquam actionem, quæ non tendat immediatè vel mediatè ad gloriam Dei, clarum est, quod eum non amemus ex toto corde, anima, cunctis cogitationibus, viribus, sed quod peccemus contra hoc præceptum, non quidem semper mortaliter, sed sæpe venialiter. (Vide Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 7. & præcipue 2. q. 100. art 10. in corp. & ad 2.)

Viden quid dicant hi magni Doctores. Sed ad hoc exigerentur plures discursus, & animi dociles, & pacati, ut hæc doctrina bene exponeretur. Interim

terim extra dubium est, quod hoc præceptum quandoque obliget, tu tamen de hoc nunquam cogitas. Tu quidem ad minus qualibet septimana mediam horam impendis in auditione missæ, & hoc ut obedias præcepto Ecclesiæ, quæ hoc mandat, & bene facis, immò si aliter faceres, offenderes Deum, sed dic sodes, unde venit, quod qualibet septimana, quolibet mense, quolibet anno non impendas medium quadrantem horæ in eliciendo actu amoris Dei, ut obedias huic mandato, quod Salvator proprio ore promulgavit? Crede mihi, & credes viro, qui desiderat tuam salutem ex toto corde, At propono hodie, quolibet die exiguum spatium temporis, puta medium quadrantem horæ impendere in exercitio amoris Dei, & quidem certe, & determinato præfixo tempore mane, vel vesperi. Et hoc fieri potest ab omnibus indifferenter sine ulla difficultate, quia sufficit, ut eliciatur interius, sine flexione poplitum, sine intermissione laboris, ita ut nemo hoc advertat.

Quod si quæras, quomodo hoc fieri debeat, respondebo, & dicam id, quod Sanctus Bernardus dixit in alia materia; *nec doceri potest nisi à donante, nec addisci potest nisi à suscipiente.* Quod si aliquis infans diceret, quid factu opus ut amem meam matrem? nemo id ei dicere posset. Possumus quidem exterius eum docere, quomodo debeat ei obedire, servire, exterius honorare, sed non quomodo amare, quia amor est actio vitalis interior, quæ doceri non potest. Quod si aliquis infirmus diceret, quid factu opus, ut reperiam mel dulce? Nonne possemus ei dicere, oportet palatum habere bene sanum, & purgatum? Quomodo debemus Deum amare? Oportet bonam habere voluntatem erga eum. Hoc non docetur, sed exercetur; non exercetur verbis, sed opere. Sunt plures mulierculæ, quæ nesciũt dicere, quomodo debeamus amare Deum, & quid sit hic amor, & tamen bene amant Deum, quia habent bonam voluntatem, & tenellum affectum erga eum; *Nec doceri potest nisi à donante.*

Porrò solius Dei est tibi eum donare. Totum quod tu potes facere est, ut cum ejus gratia te disponas, & renuncies omni eo, quidquid illi displicet, & affectuosè hunc amorem ab eo roges, eum petas à Spiritu Sancto, qui est amor increatus, eum flagites à Christo, tuum cor ponas ad ejus pedes, invoces Virginem, Sanctos Seraphinos, Sanctam Magdalenam, considera bonitatem Dei, ejus perfectiones infinitas, beneficia inæstimabilia, quæ tibi contulit. Per hos, & similes actus disponimur, ut ab eo recipiamus motiones ad illum amorem. Ad hoc obligamur ex illo præcepto, *Diliges Deum tuum*, & quia videt nos esse mercenarios, qui nil facimus gratis, quod adamas cordis nostri sit proprium commodum.

Vulgus amicitias, utilitate probat.

Ille nos cumulat beneficiis, ut ita nos excitet ad illum amorem.

V. Sunt plures, quibus tam difficulter

ter potest satisfieri, ut Deus, quidquid illis fecerit, adhuc tamen eos contentare non possit: Quod si videant aliquem perversè insidere summitati rotæ fortunæ, murmurant contra Divinam providentiam. Quod si namque Deus horreat peccatum, cur non abominetur peccatorem, qui illud committit? Si autem eum abominetur, quomodo hominem adeo scelestum tot beneficiis compleat? Quomodo tot benedictionibus eum, ejus domum, horrea, agros, negotia repleat? cur tamdiu eum servat in vivis? Sed apage cum his nugis; nam si omnes pravi deberent occidi, ubinam tu ante decem annos fuisses? Tu murmuras, quod tali peccatori tanta beneficia conferat, & tamen indignè ferres, si hoc tibi non faceret. Te alloquor, qui es maximus peccatorum. Scias, quod illi pravo, qui eum offendit, benefaciat, sicut & tibi qui contra eum murmuras, ut ejus, & tuum cor tueretur, & hoc facto practicat illud consilium, quod nobis dat per sapientem, & suum Apostolum: *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit potum da illi & sic congeres carbones super caput ejus*; carbones inquam, qui suum amorem accendent. Quotquot beneficia tibi præstat, quotquot bolos comedis, quotquot creaturæ Dei tibi serviunt, nil aliud sunt, quam carbones ardentes, quos congerit super caput tuum, ut te calefaciat in suo amore. Immò quidquid de facto facit, id agit ut te tueretur, quidquid agit escæ sunt, & illicia, ut te capiat.

Prov. 25. v. 2. Rom. 12. v. 20.

VI. *Et si parva sunt ista adjiciet multò majora.* Quod si tibi hæc videantur exigua, si tuum cor tibi præstantius videatur, ille te certum reddit, quod cuncta beneficia, quæ tibi præstitit, & quæ tibi quotidie præstat, nil aliud sint, quam arrhabones, & stipendia magnorum bonorum, quæ tibi præparavit, & quæ tibi spondet, si eum ames. *Nec oculus* quippè *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se*, inquit Apostolus.

Porrò ut aliqualiter ea percipias, utere discursu Sancti Augustini; oculos considerationis tuæ conjice per totum universum, viden omnia superba ædificia, domos basilicas, conclavia opulenta, hortus deliciosos, avens gratiosas, flores diversorum colorum, fructus saperosos, dulces, gratos, conditos, omnis generis, varia delicata, & fragrantia, vocum harmoniam, suppellectilem sumptuosam, canes, aves rapaces ad fallendum tempus. Deus est, qui omnia dat hominibus, sed quibus? Quis est, qui omnibus his bonis magis fruitur? Blasphematores, perversi, impudici, Athei, Turcæ, infideles, qui Deum non cognoscunt, aut Monarchæ Mundi, qui ejus obliviscuntur, & qui eum incessanter offendunt. Porrò si tot bona asservavit suis inimicis, quid non faciet suis amicis? Si sit liberalis in dando, qualis non erit in munerando? Si sit benevolus iis, à quibus offenditur, qualis non erit à quibus amatur? Si sit munificus erga eos, quibus nil dat nisi pœnas, quid non faciet iis, quibus tanta

promisit? In mentem revoca quidquid unquam vidisti, intellexisti, cogitasti, quidquid unquam magni, pretiosi, excellentis, opulenti, magnifici, deliciosi, eminentis potes optare, omnia nihil erunt collata bonis, quæ tibi Deus præparavit, si eum ames. *Nec oculus vidit.*

Et quid quæso est, quod æstimas in hoc mundo? quid est quod hic optas, ut sis contentus, & beatus? An ut habeas tantam scientiam, ingenium, quantum habuit Aristoteles, Plato, Sanctus Thomas? An subtilitatem, eloquentiam Ciceronis, Demosthenis, Isocratis? An venustatem, & gratiam Judith, Esther, Helenæ, & venustæ Paulæ? An sanitatem, & robur Nestoris? An vires, & fortunam Achillis, Herculis, Alexandri? Thesauros, & divitias Phocias, Crœsi, Salomonis? An delicias, & voluptares Heliogabuli, Cleopatræ, Sardanapali? An quid plus desiderare posses, quam sceptrum Gallicum? Regnum totius Europæ, Monarchiam totius Mundi? Verum antequam effluant quinquaginta, immò forsan decem anni, tu habebis hæc omnia. Si velis Deum amare, ejusque mandata observare, nam omnia præmissa possunt videri, narrari, optari, impossibile est autem ea videre, narrare, optare bona magna, quæ Deus promisit, & præparavit diligentibus se. *Nec oculus vidit.*

At enim verò tu illa spernis, quia illa non credis, & hoc est quod eum male habet, dum fidem ejus verbis non adhibes. Tu imitaris Filios Israel, qui *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, non crediderunt verbo ejus, elevavit manum suam super eos.* Ille manum levat, minas intentas, eò quod promissis ejus non credas. Et nonne æmulatur & summè desideret amari, dum gladium jugulo nostro applicat, & dicit, ego te occidam, ego te amabo, nisi me ames? Et hoc non tantum dicit, sed & facit, ille nos æternaliter damnat nisi eum amemus; & ignis infernalis, qui videtur esse excessus suæ iræ, est effectus ejus amoris, & quidem adeo ardentis, ut zelolypus sis, zelolypiamque superet. Lege scripturam & reperies, quod quoties loquitur de hoc igne, illa eam attribuat zelotypiæ, & æmulationi, quam habes erga nos. *Ignis æmulatio, quæ consumptura, est adversarios: In igne zeli mei devorabitur terra.*

VII. Et quia plures sunt, qui non credunt pœnas inferni, nec eas timent utpote quæ sunt futuræ, & invisibiles, ille adhibet minas, stimulos, ut nos excitet ad hunc amorem; Nec hic loquor de illa amorosâ vi, de illa dulci violentia, quam ejus gratia in nobis exercet, de illa inquam gratia, quæ tantam in nos habet jurisdictionem, tam forti pollet efficacia, ut cor nostrum infallibiliter moveat. *A nullo corde duro respuitur,* Heb. 10. v. 27.
quia idcirco datur, ut cordis duricies aufe-ratur. Sed dico, quod Deus nobis man- Sophon. 1. v. 8. & 38.
det, nosque cogat ad sui amorem, sicut cogimus puerum, ad amandum cibum, qui ei displicet. Soror Maria ab Incarnatione

natione, dum adhuc in matrimonio degeret, & Domina esset Achariensis, illa non demulsit, nec blandiebat prolibus, uti hodie fieri assolet, sed prudenter vestigiis insistebat Sancti Bernardi, illa sæpius eas mortificabat, & filias grossis cibis enutriebat, ut eas Carmelitarum rigori assuefaceret, casu quo Deus, ad earum institutum eas vocaret, uti & contigit. Quod si aliqua quandoque aliquod ferculum refutaret, illa omnia ipsi subtrahebat, nec mensæ aliud intulit, quam illud, quod abhorrebat, & ita cogebatur ea comedere, appetitusque sensim iis asuefiebat.

Forsan Deus tecum idem agit, & tu illi gratias agere debes. Ille tibi abstulit tuum patrem, matrem, maritum, filium, amicum, bona, immò omne id, quod amasti in hoc mundo, quia eum non amas ut debes, quem super omnia amare teneris. Ille per suam providentiam subtraxit tibi omne id, quod tuum amorem fovere, & nutrire potest, ut dum cor humanum nequit esse sine amore, tu ad minus defectu alterius objecti eum ames, eique te inseparabiliter conglutinet. O magne Deus, & quid ulterius possis facere ut tibi devincias illud cor, quod tantoperè desideras? Per quam portam intrabis? Tu undequaque illud cingis, nec tamen se dat. Nec tua mandata adeo expressa, nec funes tuorum beneficiorum, nec promissiones Paradisi, nec minæ inferni, inflictiones suppliciorum hanc animam induratam expugnare queunt. *Extremis morbis, extrema remedia.* Quando unus amore captus omnia media attentavit, sed in vanum, si arietem adhibere velit, ille confugit ad fascinum, ille componit Philtrum, ille præbet poculum amatorium, vel bolum incantantem. Christus eodem artificio utitur, ut nostram affectionem expugnet, vîden eum in altari, in tabernaculo, viden hoc fascinum amoris, hoc philtrum naturale, vel ut melius dicam supernaturale. Dicitur, quòd ut philtrum, vel poculum amatorium reddatur potentius, & efficacius, ei debent immitti alique guttæ sanguinis, vel particula carnis illius, qui amat. Ego hoc facio inquit noster Salvator, ego omnem meum sanguinem miscui huic poculo, ego huic philtro admiscebo non unam particulam, sed totam meam substantiam, corpus, animam, Divinitatem.

CONCLUSIO.

Praxis illius consilii, Argue, increpa, obsecra.

VIII. Quid nunc dicitis Auditores, quid nunc cogitatis? An non judicatis, quod Deus post tanta artificia cor nostrum debeat expugnare? An non censetis, quod debeat amari, plusquam omne id, quod in cœlo, & in terra amabile est? Et tamen nil est, quod nō magis ames, quam ipsum. *Amas* inquit optime Augustinus, *pecuniam ò avare, ecce tibi dicit divina sapientia, ama illum tanquam pecuniam, indignum est, injuriosum est, ut pecuniæ sapientia comparetur, sed*

amori comparatur, video enim vos sic amare pecuniam, ut amore illius labores suscipiatis, &c.

Et quid dico, quod Deus conqueratur, eò quod ames pauxillum pecuniæ plusquam Majestatem infinitam? Plus dicam, sed tamen verum, Videtur, quod ei administres materiam invidiæ, ego fremo, & tremo, dum hoc dico, imo præ horrore algo, dum hoc cogito. Tu ansam ei præbes invidendi sudario tui colli, si capax foret. Eheu mi Deus, quid est hoc? Et quousque pervenimus? Et quomodo sua patientia tamdiu nos tolerare possit? Et sane si aliud peccatum in mundo non patrassemus, quam quod tale propositum foveas, profectò, id sufficeret, ut merito à cælo, & terra annihileris. Ille ipsemet hoc dicit; & ego id alias dicere non auderem; si quippe Deus non foret, tu ansam ei præberes, ut Sudario colli tui invideret. *Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fascia pectoralis suæ? Populus vero oblitus est mei diebus innumeris.* Numquid
Ierem. 2. v. 23.
sponsa collaris sui magnam curam gerit, nonne plusquam decies per diem de illo cogitat? Nonne dies integros transmittit, ut mei non recordetur? Nonne mei obliviscitur, ac si nihil essem? Parum dixi asserendo, quod minus ames Deum, quam parum argenti, puellam aliquam, bolum telæ, quia nec in minimo eum amas, nec minimam scintillam amoris pro eo habes. Audi sanctum Joannem, ille nonnisi sapienter loqui potest, ille est amatus Christi
1. Joan. 24. Discipulus. *Qui dicit se nosse Deum, & Mandata ejus non custodit mendax est.*

Tu hoc non cogitas, & tamen id bene scis. Ille prohibet tibi juramenta, rancoret, libidines, invidias, mendacia, furta, & tamen ea committis. Ergo eum non amas, nec minimam scintillam amoris pro eo habes. O miserabilem te, dum amore privatus es! Infelicitas Dæmonum in hoc consistit, & summa miseria est, quod privati sint amore Dei. Privatio amoris est character reproborum, arx inferni, villa damnationis. Inter te, & infernum non mediat nisi tenue filum tuæ vitæ. Morere quando vis, tuus processus factus est, tu sine ulteriori examine damnaberis, & hoc, quia nec scintillam amoris habes. Et an non rebellis es, quod nolis obedire mandato adeo suavi, ingratus quod non ames eum, qui adeo tibi est beneficus, stupidus, qui non traheris tot promissis, temerarius, qui non exanimaris tot minis insensibilis, qui tot afflictionibus non emendaris, induratus, qui tot fascinis, & illiciis non flecteris?

Tu revera habebis quod agas. Tu naturam dementare non potes, nec mendacem facere scripturam. Natura summi boni est unicum centrum, & satiatio cordis, fac quidquid velis, vade, quò lubet, infarcire bonis, & deliciis, quia nunquam eris beatus, nec punctum veræ felicitatis habebis, veri gaudii, quousque perfectè Deum amabis, & cor tuum ad hoc disposueris, ut nolis non amare nisi Deum, & reliqua in vili habere, quod non velis nisi id, quid promovet ejus gloriam, nec fugere nisi peccatum. *Versa, & reversa in dorsum, & in ventrem, & in latera, &*

dura

dura sunt omnia & Deus solus requies.

Tu habebis quod agas, scriptura nunquam mentietur, si namque beneficia, quæ tibi Deus confert non sint carbones ardentes, qui ejus amorem in te accendunt, erunt arisiones ignis, qui te comburent in inferno. Deus hoc avertat. At quia hic amor adeò est tibi necessarius, nec tamen eum habere possis ex teipso, ferventer, humiliter, assiduè eum à Deo roga, si sapis eum flagita à Deo, id adhuc semel repeto, & centies omnibus Christianis in particulari repetere vellem. Si velis salvari, frequenter hunc amorem roga. Dic cum sancto Augustino. *Serò te amavi bonitas æterna, serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova.* Verum præstat, & satius est quod serò, quam nunquam. Ergo mi Deus te amo, ego te amo ex toto corde, ego tibi omnia bona opto. Sed quale bonum tibi optare possim? Quale bonum tibi dare queam, qui es abyssus, thesaurus, oceanus omnis boni in te ipso sufficientissimus, beatissimus, felicissimus, nullius egens? O mi Deus gaudeo, lætor, delector, quid adeo sis perfectus, beatus in teipso, & quod nil tibi possit advenire. Gaudeo, lætor, quod nil tibi queam donare; nam si hoc possem, non esses omnino perfectus. Gaudeo ob laudes, quibus te afficiunt Angeli, & Spiritus beati. Gaudeo ob honorem, quem tibi pendit Beata Virgo; Gaudeo ob gloriam, à Sancta & sacra humanitate Christi; Gaudeo ob gloriam, delectationem, beatitudinem, quam sanctissimæ, adorandissimæ personæ sanctissimæ Trinitatis vobis invicem communicatis.

Et quia nil pro vobis facere possum, nisi addere gloriam aliquam accidentalem, & exteriorem, ego propono ab omni eo abstinere, quod vos offendit, & omne id facere, quod scivero tendere ad vestram gloriam, & anniti ut in proximo, & in omnibus meæ curæ commissis tuus amor, & servitium promoveatur. *En amo te Domine, & si parum est amem validius, sed amem amplius;* quod si forsan te non amem, fac ut te amem si enim hic fueris objectum mei amoris, in Cœlo quoque objectum meæ vitæ, felicitatis, & gaudii eris, Amen.

SER-

SERMO QVADRAGESIMVS SEXTVS pro Dominica decima octava post Pentecosten.

De honore, quem ex virtute religionis debemus Ecclesiis. Transfretavit, & venit in civitatem suam Matt. 9.

AUditores charissimi. Felix vestra foret civitas, si de ea dici posset. *Venit Iesus in civitatem suam. Beatus enim populus* ait David, Psal. 73. *cujus Dominus Deus ejus*, è contra infelix est illa civitas, cui dicitur, *vos non populus meus, & ego non ero vester Deus*, Oseæ Primo. Merito ergo gloriari posses, & gauderes, si de te dici posset, quod sis civitas, & urbs Christi. Sed dicis catholica sum urbs, & Christiana, in Orthodoxa, & avita religione, & fide constans. Verum hoc non sufficit, fides enim sine operibus mortua est, unde ut dicaris civitas Christi, debent in te relucere opera Christi, præcipuum porrò est, ut Zeles honorem Dei, & cultum Ecclesiarum, reverentia quippe erga ecclesias, est unum è præcipuus signis, unde possimus colligere, aliquam civitatem esse Christi, hinc dicitur de paralytico, quod *abierit coram omnibus in domum suam*, meo judicio templum, *magnificans Deum*, de honore templis exhibendo agam in hac concione.

Ego sum Dominus Deus tuus non habebis Deos alienos coram me
Exod. 2.

I. Virtus Religionis, quæ nobis quarto loco primo mandato præcipitur, obligat nos ad colendum ex toto corde summam, adorandissimam Majestatem divinam, non solum in seipso, sed & in omni eo, quod ad ipsum refertur. Ansam habebo in diversis occasionibus loquendi de reverentia, quam debemus sanctis, eorum reliquiis, Sacerdotibus, Religiosis, ac aliis particulariter Dei servitio dedicatis. Hodie solum agam de reverentia, quam debemus Ecclesiis, reverentia inquam, quæ hoc tempore adeo funesto, & deplorando adeo contemnitur, ut domus Dei videatur esse hara, forum publicum, aut alius ex locis prophanioribus,

Augustissimum templum, quod unquam Jesu consecratum fuit, est tuum cor virginale, & corpus immaculatum ò Sancta, & Benedicta Virgo:

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei.

Pater æternus illud ædificavit per suam potentiam infinitam, Filius ejus ideam concepit per suam sapientiam incomprehensibilem, Spiritus sanctus illud sanctificavit, eique benedixit per suam bonitatem ineffabilem, ille inquã, volo dicere, misit sanctissimum Sacramentum, volo dicere corp⁹ pretiosum, & adorabile Filii Dei in Mysterio incarnationis, uti tibi tuus Angelus prædixit, quando dixit, *Ave Maria.*

Pun-

I. Virtus Religionis, quæ nobis quarto loco, primo mandato præcipitur, obligat nos ad colendum ex toto corde summam, adorandissimam majestatem divinam, non solum in seipso, sed & in omni eo, quod ad ipsum refertur. Ansam habebo in diversis occasionibus loquendi de reverentia, quā debemus sanctis, eorum reliquiis, sacerdotibus, Religiosis, ac aliis particulariter Dei servitio dedicatis. Hodie solum agam de reverentia, quam debemus Ecclesiis, reverentia inquam, quæ hoc tempore adeo funesto, & deplorando modo contemnitur, ut domus Dei videatur esse hara, forum publicū, aut alius ex locis prophanioribus.

Augustissimum templum, quod unqam Jesu consecratum fuit, est tuum cor virginale, & corpus immaculatum O sancta, & Benedicta Virgo.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei.

Pater æternus illud ædificavit per suam potentiam infinitam, Filius ejus id ipsum concepit per suam sapientiam incomprehensibilem, Spiritus Sanctus illud sanctificavit, eique benedixit per suam bonitatem ineffabilem, ille inquam volo dicare misit sanctissimum sacramentum, volo dicere corpus pretiosum, & adorabile Filii Dei in mysterio incarnationis, uti tibi tuus Angelus prædixit, quando dixit, *Ave Maria.*

4. Reg. 6. & 7. II. Non mirum duntaxat, sed & incredibilè foret nisi fides intercurreret, id quod scriptura sacra, & Authores autentici de templo Salomonis referunt, de multitudine operariorum, qui ibidē laborarunt; de impensis in eo factis, de vasis & utensilibus, in eo ad cultum Dei adhibitis. In tertiò libro Regum, & secundo Paralipō. inventos esse centum quinquaginta mille, & tria millia sexcentos ex quibus fecit Salomon septuaginta millia qui humeris onera portarunt, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent tria autem mille, & sexcentos præpositos operum populi. Omnes isti laboraverunt spatio septem annorum; ipsa materialia quæ pro fundamentis, adhibebantur, lapides erant pretiosi, singuli longitudinis uiginti cubitorum, decem latitudinis, quinque altitudinis, quinque altitudinis, tam affabrè, & industriè conjuncti, ut vix appareret junctura, ita ut videretur potius unus lapis perfusuram, quam plures conjuncti. Pavimentum erat è marmore albo, & omnia tabulis cedrinis vestita. Tabulatum autem hoc vestitum vel coopertum erat laminis auri mundissimi quæ affixæ fuerunt clavis aureis, nihilque erat in templo quod non auro tegeretur. Erant etiam ibidem Cherubin de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis, & tam admirabilis artificii ut merito dici potuissent *materiam superabat opus.* Tymiama quod coram Tabernaculo comburebatur precissimis compositum erat pulueribus aromaticis. Ideoque expresè prohibitum, ne hujusmodi suffitus usius esset in ullo alio quocunque loco. Sacerdos vel Levita ingrediens templum ut demungeret lampades in manu sua gestabat vas aureum repletum aquâ, ut in eo ex- 3. Reg. 6. 2. Paral. pag. 7.

tiguerentur emuncturæ, ne ullus ingratus odor in loco tam sancto excitaretur. Quis enumerabit numerum, vel æstimabit pretium vasorum, & utensilium, quæ ibidem serviebant. Joseph author gravis, & celebris inter Hebræos refert ibi fuisse viginti millia Turibulorum aureorum quadraginta millia argenteorum mensurarum, quales Moyse *Hin* vocantur, & *Assaron*, aurearum erant viginti millia, & duplicatus argentearum, Instrumentorum Musicorum, quæ naula, & cinnyræ vocantur in usum hymnodiarum, ex electro quadraginta millia, Acerræ quoque aureæ, quibus odoramenta in templum inferri solent, erant numero viginti millia, & alia, quibus deferebatur ignis à magno altari in parvum intra templum situm, quinquaginta millia, Lancium item aurearum ad offerendam in eis similam maceratam ad altare, octuaginta millia, duplum verò argentearum craterarum quoque in quibus similam oleo subigebant, sexaginta millia aurearum & alterum tantum argentearum, Cantharorum autem vinariorum octuaginta millia & phialarum aurearum, millia decem, argentearum alterum tantum. Paratæ erant & vestes sacerdotales in usum Pontificum annumeratis talaribus, & epomidibus, atque logio cum suis gemmis in universum mille. Stolas autem sacerdotales è bysso fieri curavit Rex cum decies mille zonis purpureis, & alias stolas byssinas Levitas, hymnorum cantores numero ducenta millia. Quæ omnia confirmantur in scriptura sacra ubi videre est quãtam David præparationem fecerit pro exstructione templi, qui nihilomi nus post tot impensos labores, operarios, magnificentiam ad huc exclamat; *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini*; possibilene erit, quod tantus Deus; in tam exigua, tam vili domuncula habitare dignetur? erubesco, & confundor super ejus vili ædificio. Rex magne, verè prudens, verè sapiens, multum profectò à Deo illustratus es, si magnitudinem immen- *1. Paral. 28.*
sitatem, & infinitatem tantæ Majestatis *3. Regum: 8. cap. 27.*
agnoscis; quandoquidem omnes hu- *&. 2.*
jus mundi divitiæ, & thesauri in unu *Paral. 6. 18.*
redacti, & in eius obsequium impensi, revera nihil essent respectu ejus, quod ipsi debemus.

III. Hoc autem primo templo à Chaldæis combusto, & destructo, Filiisque Israel à Rege Nabuchodonosor in Babylonem captivis abductis, postquã à captivitate liberati fuerunt in Palæstinam reversi clementia Regis Cyri, sufficiebat ipsis Deo immolare sacrificia, in altari erecto sub dio; sed suscitatur interim inter illos adolescens Aggæus nomine, quem Deus spiritu suo sancto replevit, & dono Prophet: imponit sermones suos in ore ejus, mittitque ad contribulos suos, ut eos ad devotionem excitet, & ad reædificandum templum hortetur. Propheta hic ad duos populi superiores se convertit, Zorobabel Gubernatorem status, Josue summum Pontificem, qui præerat iis, quæ Religionis erant. *Factum est verbum Domini in manu Aggai Prophetiæ ad Zorobabel, Filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum Filium Iosedech, sacerdotem* *Aggæi. 1.*
magnum. Et meritò illos prius accedit

dit eam in iis, quæ amore Dei fiunt, superiores debeant esse primi, & alios bono exemplo præire. *Prævenerunt Principes.* Quando enim illi sincerè aliquid amplectuntur, & cum fervore, eò facilius movetur populus ad idem. Prius alloquitur Zorobabel, ne fortè Provinciarum Gubernatores, Principes, & Magistratus insurgant dicentes: quid nobis cum spiritualibus? temporalia nobis commissa sunt, quæ Religionem, & cultum Divinum concernunt, Ecclesiasticis relinquuntur. *Decere arbitramur Imperium nostrum, subditos nostros de Religione commonefacere, & eos ad placendum Deo instituere*, aiunt Imperatores Theodosius, & Valentinianus in suis constitutionibus.

IV. Providentia Divina speciali factum, quod Princeps iste vocatus sit Zorobabel, quasi *dispergens Babylonem* per allusionem ad ambitiosos illos, qui volentes elevare Turrim Babel, ut procurarent sibi reputationem, & nomen æternum in confusionem acti sunt, & dispersi in omnem terram. Qui cogitant exaltare domus suas, & sic nomen suum in hoc sæculo celebrare, obruuntur confusionibus; qui autem pro domo Dei laborant, cum felici expeditione, benedictionem reportant. Sacerdos magnus, qui cooperatur huic pio negotio, vocatur Iosue, vel Iesus, id est, Salvator, quia nihil animarum saluti utilius, quam curam gerere honoris, & ornamentorum Ecclesiæ Dei. Impii
Isai. 66. quidam Israelitæ, meditantes ædificare templum; à Deo horribili modo rejecti sunt, dum ait, *quæ est ista domus, quam ædificabibis, nomini meo? Hæc elegerunt in abominationibus suis*, quasi diceret, quid ædifidicabitis mihi domũ, erigendo ædificium materiale, cum destruatis abominabili, & scandalosa vita vestra vicinos, quos meritò ædificare deberetis? Econtrà verò Zorobabel & Iosue pietate, & virtute præclari, à Deo solicitantur, ut ipsi templum ædificent. Signum est, quod non sitis in bono apud Deum prædicamento, qui negligitis domum Dei in locis, ubi melius possetis, ubi bona possidetis, relinquitis eam tecto aperto, & ruina minitante, vix pavimento stratam, pulveribus, & aranearum telis turpiter ornatam. Signum autem, quod in bona apud Deum sitis prædicamento, intendatque vobis benefacere, est si comunicet vobis Zelum, & fervorem pro mundiciæ ornamento, & decore domus suæ. Principalis, & potissima ratio, quam allegabat Propheta, ut Zorobabel, & Iosue incitaret ad affectuosam excecutionem Divinæ voluntatis erat, quod *magna foret gloria Domus istius novissimæ plus, quam primæ.* Sed quomodo verificatur istud Prophetæ dictum, cum libro primo Esdræ dicatur, quod ædificato secundo templo Seniores, qui primum viderant, cum suspiriis, & gemitibus, deplorabant differentiam, & im- Aggæi. cap. 2. 10.
proportionem hujus templi cum illo, eò, quod nullo modo accederet ad magnitudinem, pulchritudinem, & divitias illius, quod antè viderant. Propheta autem illis respondet, *adhuc modicum est, & veniet desideratus cunctis* Aggæi. cap. 2. v. 8.
gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Quasi diceret gloriam hujus secundi templi in

hoc consistere, quod ipse Messias illud præsentiâ suâ personaliter condecoraret. Quod argumentum efficacissimum est contra Iudeos qui negant Messiam venisse, argumentum quo, nec omnes simul Rabbini in unum cógregati, satisfacere possent, Aggæus, & Malachias enim, quos tamquam veros, & magnos Prophetas agnoscunt, & recipiunt, prædicunt Messiam venturum in templum ad Zorobabel idificatum, atqui templum istud jam dudum destructum est, ita ut nec lapis manserit super lapidem, ergo Messias de facto venit, & ingressus est aliquando templũ istud, vel Prophetice quæ id prædixerunt falsæ sunt. Marmor, Iaspis, Porphirus, Aurum, Argentum, Lapides pretiosi, industriæ operariorum altitudo & latitudo admirabilis templi Salomonis tribuebant ei multum splendoris, sed omnis ista gloria nulla fuit, respectu illius, quam contulit Messias templo Zorobabel, præsentiâ suâ, quando præsentatus fuit in festo purificationis, quando inventus est inter Doctores ibidem disputans, quando predicavit in eo, & Miracula patravit, quando patrem suum cælestem ibidem adorabat. Audio dicere quandoquidem verum sit, Ecclesiarum nostrarum nullam tam abjectam, nullam tam vitam, vel humilem, quæ non sit incomparabiliter gloriosior, honore & respectu multo dignior, quam unquam fuerint templa Salomonis, vel Zorobabel. Majestas Divina in templo Salomonis tantum erat umbraticè, & figuraliter, in nostris autem est realiter, verè personaliter, & corporaliter. Iesus in templo, Zorobabel non fuit præsens nisi semel in die purificationis in nostris autem quotidie præsens est, per Divinum adorabile, tremendum, Augustissimum sacrificium, quando offerebatur in templo veteri, amictus erat carne mortali, in similitudinem peccati subjectis omnibus naturæ nostræ miseriis, dum autem in nostris offertur Ecclesiis, gloriâ patris æterni vestitus, & ornatus omnibus divinitatis perfectionibus, excellentissimus est. *Tunc ex parte homo, nunc per omnia Deus.* In templo Zorobabel fuit aliquando spatio triginta trium annorum, tantum quasi per transennam, in nostris est continuo noctu diuque non per spaciũ, triginta trium quadraginta quinquaginta vel centum annorum, sed usque ad consummationem seculi, & in nostris propriè templis intelligendum est verificatum esse illud patris æterni pronuntiatum, *erunt Oculi mei & cor meum ibi in sempiternum. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacuit.* Quod si Propheta determinatus, specialiter missus sit omnemque suam impenderit eloquentiã, ut populum induceret ad edificationem templi in quod Messias in terdum, erat ingressurus, Si Salomon tot impensis tanto numero artificum, tantum thesaurum profudit, ut exstrueret templum, in quo Majestas divina habitaret umbraticè & figuraliter, quantæ eloquentiæ orator, quantæ virtutis non exigeretur Propheta, qui populo Christiano, honorem & respectum, templis nostris debitum, debitè exponeret & inculcaret; quas non deberemus adhibere impensas, qua lucra vel solicitudine

tudine non deberent ornari, vel condecorari.

V. Si unica solum in toto Christianismo esset Ecclesia, vellem ipsius pavimentum, stratum esse Marmore, Rubinis, Adamantibus, Smaragdis, & omnis generis lapide pretioso; non sufficeret mihi muros ejus laminis aureis esse tectos, sed totos Aureos vellem. Nunc autem cum tantus sit numerus earum per totum terrarum urbem diffusus, moraliter impossibile est, in singulis servare magnificentiam debitam; utinam tamen hoc ad minus fieret ut in congrua servarentur munditia & honestate, Auditores mei non raro contingit vobis liberales porrigere manus certis Ecclesiis in civitatibus sitis, bene fit & laudabiliter, sed quid movet vos, ut misellis Ecclesiis hinc inde in pagis, ubi bona vestra habetis non etiã vel minimo linteolo subveniatis, *oportet enim hæc facere est illa non omittere?* Filius Dei æquè realiter præsens est æquè adorabilis est in pauperculis istis locis, ac in magnificè & superbè constructis. Si Regi serviretur Parisiis in vasis aureis, juri autem lignes, nimia esset in æqualitas & disproportio. In civitatibus altaribus imponuntur candelabra argentea, ut in iis ardeant candelæ, in pagis adorabile Christi corpus imponitur citoria æneo pretiosissimus ejus saguis, in calice Stanneo, qui minus mundus est, Cantharo, cuigesvis casinarii in civitatibus sunt Casulæ, stolæ, super pelliciâ, triginta, quatraginta & quinquaginta aureorum; in puge autem, vix inveniretur prisera & clumbis Casula. Alba vel stola tam lacera, tam in munda, ut cuique honesto, commiserationem pareant. Longe plus meriti inde refertur si pauperculis hujusmodi locis, succurratur quia minus intercurrit amoris propri minus propriæ minus ptopriæ quæsitionis minusque sit ibi pervulum vanitatis. liberalem te ostendis erga hoc in particularis Monasterium, quare? Quia ibi habes forte filiam, vel filium, aut fortasse confessarium ut dicitur, hæc vel illa tale ornamentum dedit, ecce, quam insignis est pietate. Splendor & Ecclesiarum magnificentia, multum facit ad excetandam in populo, magna divinæ magnitudinis existimationem respectum & reverentiam erga res sacras, Rusticani autem homines passim idiotæ ingenio cætus radioces, sensibus exterioribus potissimũm diriguntur, adeoque magis indident pompa & splendore isto exteriore, ut debitam divinæ Majestatis concipiant æstimationem quam oppidani qui melias sunt instructi subtiliori præditi ingenio.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo propanantur primo generaliter, secundò specialiter, per superbiam, per scandalum, per luxuriam, per invidiam, per avaritiam, per idolaoatriam, per immodestiam, per sacrilegia.

VI. SEd adquit servit tanta cura & solicitudo quid faciunt tot impen-

pensæ, ut ædificentur, & exornentur Ecclesiæ, nisi Deus ibidem glorificetur? non glorificatur autem, sed dehonoratur, & offenditur, si illud de vobis possit verificari. *Domus mea, Domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* *Domus mea* Ecclesia est Domus Dei, qua abutitur quicunque aliquid agit in ea, quod non spectat ad servitium Dei, ea abutitur, quicunque ibi dormit, fabulatur, ambulat, vel hæret absque oratione, vel attentione ad Divina, immò in templo Salomonis, ne minimam irreverentiã poterat Christus Salvator noster pati, quia *non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.*

Marc. 11. 16. *Domus orationis vocabitur*: Ecclesia Domus orationis est, prophanat illam igitur, quicunque actitat ibi aliquid, vel adducit quidquid cum oratione stare non potest, vel fidelium ibidem orantium devotionem interturbare, ut puta, si tam impetuosi clamores excitentur, ut in foro tumultus, alii, vel canes, vel pueros illuc adducendo, quia non solum offendebatur Iesus iis, qui in templo vendebant per avaritiam, sed & illis, qui ibidem emebant Spiritu Religionis, idque ideo, quia strepitus istius negotiationis plurimas in orantibus distractiones causabant.

Ecclesia est domus Dei, Domus orationis, crimen igitur est detestabile eam facere speluncam latronum: *Vos autem fecistis eam speluncam latronum*: Speluncam ait, quia avaritia venditorum occulta, & palliata erat; ego autem dico, vos fecistis eam theatrum latronum, prophanatur enim, & de honoratur, & tollitur honor Deo debitus, committiturque ibidem peccatum apertè, invercundè ante faciem universi.

VII. Theatrum superbiæ. Loquebatur olim per Prophetam Isaiam Dominus; *Gloriam meam alteri non dabo, sed ego eripiam, ait, superbus.* Isaia. 42. 8. Deus tanti facit gloriam suam, ut creaturæ communicanda non sentiat, tu autem illam eripere conaris per ornamentorum tuorum vanitatem. Iesus abscondit se in Eucharistia sub specie buccellæ panis, ut eo confidentius ipsum accedamus, si enim in forma sibi connaturali, & ordinaria se nobis præsentaret, splendore gloriæ suæ nos obfuscaret, ita ut præ timore coram tanta majestate concideremus, nec esset, qui auderet ipsum, vel accedere, vel contemplari i levicula autem assistentibus, licet non ore, corde, & affectu tamen insusurrat, ne detineamini in consideratione hujus sacramenti, ubi nihil apparet, nisi frustum panis; ad me potius convertantur oculi vestri, & plus delectationis, ac voluptatis inde referent, si contemplentur decorem vultus mei, capillorum, & ornamentorum, quæ rarâ industriâ, & proportione concinnata aspicientium oculos, & mentis in stuporem rapiunt. Aug. Serm. 2. v. 6. de tempo

VIII. Illis meritò convenit illud Ieremiæ, *posuerunt offendicula sua in Domo, in qua invocatum est nomen meum, polluerunt eam.* Ierem. 7. 30. Si aliquis pedicis, retibus, vel aliis quibus cunque insidiis conaretur comprehendere apros, cervos, vel alia quæcunque hujus farinæ animalia, quæ Rex usui, & recreatiouis Matt. 5. n. 1553 suæ

tuæ singulariter vult reservata depræhensus, & convictus, non impunè profectò id fecisset: Et si alius pedicam imponeret in loco, vel transitu aliquo publico, quem ii, qui speciali Regis
saia. 42. 8. servitio deputari sunt, continuò terere debent, ut sua obeant munia, non damnaretur ad triremes, nec brevem aut lenem aliquem subiret mortem, sed dirissemis, atrocissimis cruciatibus, criminis tanti pœnas lueret. *Si* filia aliqua publicis in tripudiis, vel comœdiis more mundano sit exornata, sitque fomes concupiscentiæ; coram Deo sumopeè culpabilis est, cum tamen iocus iste, non sit nisi nemus, in quo versantur, Apri, Cervi, animæ brutales, servi Dei autem hujusmodi loca non frequentant: Si tamen cum ejusmodi splendore, & vano ornatu ad Ecclesiam veniat, si altare accedat, si chorum sacerdotum, sive Religiosorum ingrediatur etiam tempore officii Divini, pedicas ponit servis Dei, est objectum iniquarum cogitationum, in loco
Aug. Serm. 2. v. 6. de tempore. quem homines justi vitare non possunt. *Occidit in domo vita* ait, *S.* Augustinus *& Domum Dei transire facit in Domum fornicationum.* Contingere potest, quod inter præsentes, varii varios commiserint actus, fornicationis adulterii, tempore quo in Cathedra ad vos
rem. 7. 30. sermonem habeo, si enim aliquoties puellas, vel mulieres oculo libidinoso, & animo concupiscenti aspexerint; totidem commiserunt vel adulteria, vel
Matt. 5. n. 1553. fornicationse, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eum in corde suo; N. serpantur cogitationes suas, & oculos per vestiarius formicantes* quis scit an non hic vendantur columbæ, an non veniant aliqui expresse, ut virgines vel in verbo capiant, vel ut invicem tempus, & locum conventiculorum assignent? Quã execrabilis impudentia est, in domo Dei patrare, quod vel vilissimus homuncio, non pateretur in sua? *Si* concubinam, vel meretricem aliquam in sequeris usque ad Domum alicujus honesti viri, tustibus absque dubio insigniter te reciperet. Tu autem effrons hujusmodi bestias usque ad domum Dei persequeris. Miror inquit *S.* Chrysostomus quod lateres è parietibus in capita vestra sacrilega, & criminosa non delabantur, & quis capiat in tanta malitia toleranda divinæ longanimitatis immensitatem?

Præterea quot non causantur temerarii iudicia, quod invidiæ, quot zelotyleiæ, quot murmura aliarum contra istâ, est enim inquiunt, Bertha gloriosa, & superba nimis, his enim se ornamentis circumdedit hodiè, ut se mihi ostentaret parem, quo tamen plurimum statum suum excedit, unde enim habet ut illum continuet, nisi vel furto, vel alio turpi lucro id efficiat?

Fecistis eam speluncam latronum. Avaritiâ sacerdotum impiorum, qui non celebrant, nec assistunt officio Divino nisi mediantè certo stipendio, qui non vacant excipiendis confessionibus, nisi ob motiva lucri temporalis. Quam appellabimus simoniam mentalem, si hæc non sit, quid enim aliud est hoc, quam vendere columbam

bam, vendere gratias, & dona Spiritus Sancti? nunquid idem, faciunt quod perfidus iste, qui dicebat, quid vultis mihi dare?

Speluncam latronum. Idololatriâ mulierum infantes suos gestantium; nunquid tanquam idolum colis infantem tuum, dum nihil cogitas, affectas, nisi ipsum, ipse sit unicum occupationum tuarum obiectum, nec solum id à te sed ab aliis eodem modo fieri affectas; Ideo enim curiosissimè vestitum, & ornatum confers ad Ecclesiam, ut ibidem consideretur, cum stupore alii abblandiantur, & in eum tendant cogitationes, quæ circa Deum versari deberent? E centum-sexaginta octo horis, quæ unâ septimanâ comprehenduntur, mediam ad summum tribuis Deo, si intersis sacro die Dominicâ, eoque tempore cor tuum ad huc magis implicatum, & occupatum est, circa fatuam hanc Creaturam, quam circa Deum; si Deum diligeres, pro ut obligaris, si non habeas famulam, quæ domi prolem conservet, custodiendam eam traderes vicinæ tuæ, idem obsequium ipsi reciprocè præstitura, quando sacrificio missæ ei assistendum foret.

Speluncam latronum imamdestiis, & insolentiis, quæ committuntur quando assistitur sacramentis Baptismi, vel Matrimonii, strepitus, stultiloquio, nugis, cacchnnis, osculis, inter utriusque sexus patrinos, Sponsum, & Sponsam in Ecclesia iram Dei elicitis in vos, & prolem, unde simillia à parochis nullo modo deberent permitti; Sed objiciet aliquis, quod ipsimet sacerdotes dum celebrant primitias, osculentur de more suas commatres. Qui sunt autem isti sacerdotes, nisi forte idiota aliquis, qui nunquam, vel superficitenus sacram scripturam aspexit? Instabit fortè allegans illud Pauli: *Salutate invicem in osculo sancto*, verum est, sed inter viros, mulieres, & mulieres, ideoque, ut, bene advertit S. August. Seorsim sedebant in Ecclesiis, nec hodie unquam virgo vel mulier in qua pudor aliquo modo adhuc viget, id permittet, nisi fortè hinc inde effrons aliqua, quæ pudorem omnem inverecunde absterserit.

Spelunca latronum per sacrilegia. & abusus sacramentorum, per confessiones, & Communiones indignas. Scis ne quid sit sacrilegium? Vnum est ex iis peccatis, quæ coram Deo maximè abominabilia sunt, & difficillimè remissionem impetrant: Si latro aliquis, furaretur in Ecclesia paramentorum altaris, Ciborium, vel calicem, nunquid statim exclamares? O impium, ô sacrilegum, comburatur. Tu autem plus mali facis dum ipsa prophanas Sacramenta. Et si id tibi nihil videatur, Pharisæum agis, quia jurat per aurum templi, gravè crimen committit; qui autem per templum jurat, nullo modo peccat; In sensati inquit Salvator, nonne templum Sanctius est auro, cum aurum non sanctificetur nisi propter templum? Matt. 23. 17. Quarè Sacrilegum est furari ornamentum? Quia spectat ad altare: quare illud dicetur sacrum, quod ad altare spectat? quia altare sacrificio deservit: quare sanctum, & tremendum est sacrificium,

quia

quia in eo offertur pretiosissimum corpus Salvatoris nostri Iesu Christi. Corpus igitur, res sanctissima, sacratissima, Augustissima est in tota Ecclesia, tu autem illam prophanas tuis sacrilegiis. Mulierculæ passim illudunt sacramentis, iisque utuntur omnino per transennam; Vigesies spatio unius anni frequentabunt confessionem, & communionem intrepidè ulla contritione, devotione, vel dispositione, solum ut placeant Confessario, ut habeantur pro devotis, & piis animabus. Plebæis, postquam per integrum annum in omni genere peccatorum, tanquam in cloaca sordium sese volutarunt usque ad hebdomadam sanctam, sufficit illa obiter sacerdoti narrare, recitare aliquot Rosaria, vel officia Dei paræ, & sic impudenter, & cum violenti quasi impetu, ut ait, S. Cyprianus, accedunt ad comunionē.

PUNCTUM TERTIUM.

Hæc prophanatio dissuadetur rationibus, primò ex parte Christi, secundò ex parte nostri, tertiò Reipublicæ.

IX. QVo tandem se recipiet Salvator noster, ut liber sit à persecutionibus nostris? offenditur in aulis Regū, & Principum, in officinis, in plateis, in foris, in militum exercitibus, in domibus particularibus, nihil restat, nisi ut in domo sua tutus maneat, quandoquidem *Domus sua unicuique tutissimum refugium, ac receptaculum sit.* Maxima injuria est, quæ homini irrogari potest, & signum juratæ hostilitatis est, si æque ad domum propriam illum persequaris: & hic est locus, in quo Iesus gravissimè offenditur, non enim offenditur in carceribus per superbiam, in choreis per avaritiam, in solitudine per invidiam, in palatiis per luxuriam, per Symoniam in officinis, nec per sacrilegium in popinis, & his omnibus offenditur quotidie in domo propria? Potestnè excogitari irrationabilior injustitia, quam quod templum sit asylus, & locus immunitatis pro omnibus aliis, excepto Domino loci; si fur, latro, vel parricida, quantumvis execrabilis ad Ecclesiam fugiat, ibidem securus est, si autem Iesus, qui ipsa innocentia est, in illa reperiatur, persecutionem non evadit, in Choro, & Altari est tanquam in throno proprio, ut in loco majestatis, & gloriæ, tu autem impudenter ibidem exerces actus hostilitatis inhumaniter tractans tantam personam, horribile committens sacrilegium, quando sacrificas, vel communicas in statu disgratiæ. Nunquid summè deplorandū est, mi Deus, quod ne minimus angulus tibi restet, in quo sis securus, ne vel unicum altare in hac Ecclesia, in hac civitate, Provinciâ, in hoc Regno, vel mundo?

Matt.23. 17.

Et tamen adhuc impunè ista à nobis patrari existimamus? Filius Dei, quem Isaias prædixit nullo rigore, vel turbulentiâ contra quemquam usurum, Filius Dei, quem Ieremias asseruit futurum mansuetum, ut agnellum coram spoliantibus se, Iesus, qui ait, discite à me, quia mitis, sum & humilis corde, Iesus qui ne vel in minimo

conquestus est contra crucifigentes se, qui pro illis oravit, eorumque delictum excusavit, nunquam visus est irasci per totam vitam suam, nisi salomodo bis, idque semper contra peccatum istud, quod tam parvi æstimatis, nimirum contra irreverentias Ecclesiæ. Tunc temporis Hierosolimis, teste Iosepho, vigebant in palatiis tot injustitiæ, tot fraudes in officinis, tot odia, invidiæ, detractiones in domibus civium, tot ebrietates in tabernis, & popinis, tot impuritates in Lupanaribus, & tamen Iesus non apprehendit flagellum, nisi contra negotiantes in templo, qui ibi vendebant, vel emebant victimas pro sacrificiis. Quod si offendatur illis, qui actiones faciunt, quæ saltem alibi permissæ, & laudabiles essent, quid non faciet contra illas, quæ nullibi licitæ, nec tolerabiles sunt? Si irascatur agentibus ea, quæ ad servitium Dei referuntur, quomodo agetur cum illis, qui cultum Dei dehonorant, interturbant?

X. *Mensas nummulariorum evertit*, evertit fortunas, familias, respublicas immittit bella, pestem, famem, & alia mala in pœnam excessuum. *Propter hoc prohibiti sunt cæli super vos, ne darent rorem, & terra, ne daret germen suum*, & paulò supra: *seminastis multum, & intulistis parum*, & hoc ideo, quia Deus non benedicit domui vestræ, qui contemptui habetis domum ipsius. *Ponite* corda vestra super vias vestras, considerate modum vestrum agendi, & videbitis, quam sit irrationabilis, quantum deflectat à semita recta, habitatis in domibus laqueatis, & domus ista deserta, soliciti enim estis, ut domus vestræ bene sint tectæ, interius, & exterius, tam quo ad ornatū, quam ad necessitatem optimè compaginatæ, quis autem curat de domo Dei, quæ in hoc, vel illo pago sita est, cujus tectum sine tegulis per lucidum parietes dissuti, pavimenta dissoluta, ostia sine repagulis? Vultis omnia mobilia vestra non solum honesta, sed curiosa esse, linteamina vestra alba, & nitida in summo, quis autem vestrum suis unquam mandavit domesticis mundare candelabra, lavare linteamina, deponere pulveres Ecclesiæ Parochialis. In domib⁹ vestris non toleratis vel minimum strepitum, nec exiguam immuditiem, vel fætorem; in domo autem Dei ambulatis, quasi in porticu cujusvis palatii, in eam adducitis & pueros, & canes, quorum repletur ejulatibus, & ululatibus, fedatur sordibus, repletur fœtoribus; unde meritò vobis timendum esset, quod contigit Imperatori Alexandro apud Baronium anno 912. qui justo Dei judicio subitanea percussus morte obiit, quia tecto capite templum ingrediebatur. Quod Heliodoro volenti thesaurum templi attingere, qui semimortuus in terram corruit, ibique exspirasset, nisi à suis promptissimè inde fuisset elatus; Quod Pompeio, quia violata immunitate templi Ierosolomitani; nulla imposterum in omnibus negotiis suis usus est prospera fortuna, sed in Phersalico bello devictus, militibus ejus, in terra versus Ierusalem facie cæsi corruerunt, ipse autem, ut notum est, miserè periit.

Aggæi. 1.

2. Mach. 3.

Vos autem hujusmodi temporali pœna


pœna luere non estis digni, quia quotannis reprehenduntur irreverentiæ, & insolentiæ, quas in Ecclesiis committitis, sed frustra, nihil efficiunt predicationes, monitiones, & exhortationes, frustraneæ sunt, & inutiles, induramini sicut cor Pharaonis; interim omnia vobis ad nutum succedunt, divites vobis obtingent messes, & vindemiæ; pinguibus gaudebitis beneficiis, dignitatibus, & officiis lucrativis, quia digni non estis largitione paterna, reservatur vobis furor Dei, *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, in labore Dæmonum, & cum Dæmonibus flagellabuntur*, ait, S. Bernardus inditia horum sunt evidentiâ, Deus enim vobis laxat habenas, tanquam reprobis, additis peccatum peccato, plateæ confitæ sunt locis infamibus popinæ repletæ sunt blasphemiis & dissolutionibus, civitas redundat lusoribus, & nugatoribus, nec est, qui cogitet istos abusus corrigere hinc verificatnr in vobis illud, *aufferetur Zelus meus à te, non ultra irascar tibi.*

XI. *Domine, deexi decorem domus tua*, quid, auditores mei, noceret vobis curare decorem parochiæ, ubi Dominus vobis bona dedit, si interdum Tobalia, Alba, superpellicia mundaretis, casulas, & alia ornamenta lacera repararetis? Quid periculi, quid molestiæ oriretur religiosis civitatum, si vicinorum pagorum corporalia mundarent & Amylo roborarent, prout faciunt corporalibus Ecclesiæ propriæ, quia tamen æquè bene, ac idem consecratur Iesus in Ecclesiis ruralibus, ac in civitatibus, si singula Monasteria Monialium singulis annis duas duodenas corporalium debitè præpararent, paucis id fieret expensis, & serviretur Ecclesiis, ad quatuor, quinque milliaria circumsitis, id insinuate filiabus vestris Religiosis, ut ostendatis vos diligere decorem domus Dei.

Mach. 5.

XII. *Dilexi decorem domus tua ne perdas eum impiis, Deus, animam meam.* Sermo optimè connexionis, & legitimæ consequentiæ signum est, quod Deus te salvandum censeat, dum Zelum pro gloria domus suæ tibi concedit. Bernardinus de Mendoza, Frater Episcopi Aviloæ, æternæ damnationis reus erat propter certum peccatum, cui addictus erat, conversus autem, & salvatus fuit, quia domum suam Deiparæ consecravit, ut ex ea exstrueretur Ecclesia. Quia David intendebat ædificare Domino templum, promissum fuit ei pet Natan Prophetam Sceptrum Regale à domo ejus non tollendum; Salomoni templum ædificanti apparuit Deus, & promisit orationum suarum exauditionem. Zorobabel, qui destructum reædificavit, per Prophetam Aggeum promisit Deus electorum numero adscribendum. Idem fiet vobis, si Zelum, si amorem, si pietatem pro domo Dei habeatis, eruet vos è luto peccatorum, familiæ vestræ benedicet multipliciter, preces vestras exaudiet, vos autem recipiet in consortium, & sodalitatem animarum, quas prædestinavit, & elegit in templo cælestis paradisi.

Libera in vita S. Teresia l. 2. cap. 12.



Ooo 2 SER-

SERMO QVADRAGESIMVS, SEPTIMVS.

Pro Dominica decima nona post Pentecosten.

De juramento, & blasphemia.

Amice, quomodo huc intrasti. Matt. 22.

EXORDIUM.

NVllum est dubiũ, Auditores, quin gravissimè is peccarit, qui intravit ad nuptias non habens vestem nuptialem; quomodo ergò ei non succensuit? Quomodo non signa iracundiæ ostendit; quomodo non juravit, quod eum graviter esset puniturus, quod tamen ipse in mente habebat? Profectò ad hoc sufficientem ansam habuisset, cum enim esset despectus ab iis, qui servos eius ceperant, & contumeliis affectos occiderant, & hic insuper ita imparatus accederet, causam habuit irascendi, & eum acriter excipiendi. Quod si hoc evenisset, in quas non voces contumeliosas, & blasphemas erupissemus? Quomodo cælum, & terram non miscuissemus nostris maledicentiis, & blasphemiis? Quomodo contra ipsum Deum non fuissemus impatientes facti? Exemplum nobis dare voluit, ne absque causa, aut utilitate juraremus, & ne in blasphemias unquã prorumperemus, quia illicitũ hoc est; hac occasione hodie ostendam, in quibus circumstantiis juramentum sit licitum, & quantum peccatum sit blasphemia.

Non assumes nomen Dei tui in vanum Exodi 20.

I. Primum præceptum obligat nos ad redditionem eorum, quæ Deo nostro debemus cogitatione, & affectu, secundum prohibet ne dehonoremus, & prophanemus sanctissimum nomen eius sermone, transgredimur autem præceptum hoc principaliter juramento, & blasphemiâ. *Oleum effusum nomen tuum*; Elogium, quod filio suo dilectissimo in canticis amoris tribuit sacratissima Virgo. Irreverenter, & absque respectu tractans nomen Dei mille maledictiones capite suo ingerit, debito autem honore, & respectu pronuntianti nomen Iesu, oleum effusum est, remedium suavissimum, antidotum contra omne genus afflictionum, cujus nominis etymologiam complevit in cruce, non solum per

per misericordiam erga nos, sed per honorem & respectum erga te, à qua sibi impositum habebat, *vocabis nomen ejus Iesum*, hoc est, quod insinuavit tibi Angelus è verbis expressis, postquam salutavit his verbis, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Licet aliquando jurare.

PVNCTVM PRIMVM.

De juramento, primò, quid sit, secundò, quotuplex, tertio, quas conditiones requirat, quarto cur frequens sit vitandum.

II. Dicet forsitan aliquis, mi Pater, videris velle instituere actionem contra Iuratores, estne ergò Iuramentum essentialiter malum? Nonne interdum & in certis circumstantiis licitum est jurare? Maximè, cum scriptura sacra id permittat, & approbet, sancti practicarint, Deus ipse illius exemplum præbuerit. Propheta Ieremias id permittit, dū ait; *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, & justitia, & judicio.* David ait, *laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Angeli sancti, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli aliquando jurarunt. Angelus in Apoc. Levat manus in Cælum, jurans per viventem in secula seculorum, quod post judicium nullum amplius erit tempus; in Genesi Patriarcha Abraham ait Regi Sodomorum, levo manus ad celsissimam Majestatem Dei, qui possidet Cælum, & terram. In libris Regum Propheta Helyas inquit per Deum vivum, qui hic præsens est, &c. In Epistola ad Galatas Paulus fidelibus, hæc dico vobis coram Deo, & non mentior. Deus ipse, cujus minimum verbum cœlo, & terra firmius est, nihil inveniens se majus, dignatur per se, & per vitam suam jurare, ut in psalmo celeberrimo, quem singulis Dominicis decantamus, *juravit Dominus, & non pœnitebit eum.*

Ieremiæ. 4. v. 2. Psal. 62. v. 11. Apoc. 10. Gen. 14. 2. Reg. 17. Gal. 1. v. 20.

Genes. 22. Ierem. 22. Luc. 1. 73. Psal. 109.

III. Absolutè loquendo verum est, juramentum hoc modo circumstantionatum non esse peccatum quidem veniale, sed potius actus virtutis est, & meritorius, actus virtutis Religionis, cujus munus est Deo, divinisque perfectionibus honorem, & obsequia reddere debita. Si juramentum debitè fiat, eo colitur immensitas Dei, scientia ejus, & veritas infinita, cum vocatur in testem sermonum nostrorum, agnoscimus eum ubique suis adesse creaturis, omnes earum actiones perspicere, omnia, quæ ubique dicuntur, & aguntur, intelligere, & scire, ipsum esse veritatem summam, & infallibilem, totiusque veracitatis fontem, & originem cujus authoritati nitatur, & comprobetur omnis sermo verax. Plures sunt juramentorum species, sed ne forte memoriam vestram obruam, tres solum distinguo cum Theologis, ut sunt *Assertorium, Promissorium, Execratorium.* Assertorium est, quando aliud asseritur, sive præsens sit, sive præteritum, vocando Deum in testem asserti, putâ, dicendo per Deum, hoc tibi dico coram Deo, vel allegando creaturam aliquam, in qua Divina bonitas, vel potentia specialiter relucet, vel ad eum singulariter refertur, ut cum dicis per animam meam, per diem, qui nos illuminat, per ignem istum, sic ait Salvator noster, quod jurare per

re per cœlum sit jurare per thronum Dei; jurare per terram, sit jurare per scabellum pedum ejus.

Alterum promissorium est, cum juramento affirmas aliquid facere, vel omittere, ut. vg. tali tempore debitori tuo satisfacere, hoc opus tali die expedire, Statutis Regalibus te acuratè accommodare, in officio judicis, Advocati, Procuratoris, fideliter supremo Judici veritatem referre, in iis, quæ concernunt læsionem, vel aliquam hujusmodi visitationem, si negotium tibi, tanquam experto committatur. Perjurus es, si taliter jures sine intentione satisfaciēdi, expediendi opus, vel si scias te incapacem, si negligas statuta, quibus te obligasti, vel quæ alias promisisti in rebus magni momenti.

Execratorium juramentum est, quando aliquis in affirmationem sermonis sui, non solum Deum vocat in testem, sed etiam in vindicem mendacii, si veritati parcas, ut putâ, dicendo, Deus me puniat, hoc momento moriar, præfocet me pestis, nunquam egrediar de hoc loco, æternaliter priver visione Dei, tollat me Diabolus, nisi hoc sit verum. Idem est, ac si dicas, mentiar, volo, ut Deus permittat, quod moriar, Diabolus me tollat &c.

Hinc non rarò contingit Dominum id, quod nobis imprecati sumus, permittere, prout Nicephorus Calixtus refert de tribus, qui Narcissum Episcopum adulterii falsò accusarunt, eorum unus juravit se velle mori, si veritatem non diceret, alter eadem conditione se velle cōburi, tertius excœcari voluit, nisi vera esset accusatio deposita. Primus subitanea morte interiit, alter tam domo sua casu decidente scintilla ex lampade succensa, combustus est, tertius pœna utriusque commotus, culpam agnovit, adeoque amarè delicta sua deploravit, ut lachrimis urentibus visum amiserit.

IV. Beatus Ignatius in Vniversitate Complutensi Studiosus, paulò post conversionem suam eleëmosinam emēdicabat à comite Ioanne Luciano pio, & devoto sacerdote, unus autem è præcipuis Urbis civibus sinistrè, & falsò informatus, virum sanctum temerè judicans, sacerdoti ait, Eleëmosinas colligis pro homine isto? qui si ullus unquam meretur comburi, quod si verum non sit, volo ipse ego adustione interire. Eodem die acceptis novis de recens nato infante Hispaniæ nuntiis, ut festivos ignes præpararet, conscendit domus suæ turrim, in qua conservabatur pulvis tormentarius, Deo permittente, scintilla ignis in pulverem labitur, quem unà cum homine succensit, & consumpsit. Ieremias Propheta præscribit nobis conditiones, quæ comitari debent Iuramentum, ne fatale, sed licitnm sit, & meritorium, *jurabis*, ait, *vivit Dominus, in veritate, & justitia, & judicio.* Ierem. 4.

Primò quidem in veritate, quæ circumstantia tam absolutè necessaria est, ut ea deficiente, sis perjurus, quamvis tantum aciculam concerneret. Iterum dico, quamvis tantum aciculam concerneret, non est enim in hoc peccati genere, ut in aliis, ubi levitas materiæ peccatum facit veniale, ut furari duos obulos, in die jejunii mane summere bolum cibi, hic autem levitas materiæ peccati gravitatem non minuit, sed malitiam auget, in majorem enim contemptum Dei cedit, abusus autho-

authoritatis ejus, eumque in testem vocare mendacii ob rem levem, & frivolam, nec solum non debet vetari hujusmodi juramentum, quando fit mendacium expresse, & formale, sed etiam, quando sophisticum & palliatum, Sophisticum autem, vel palliatum appello sermones ambiguos, æquivocos, & duplices significatione, revera enim sunt fallaciæ, & astutiæ, quibus proximus illuditur, & decipitur; non ingens malitia est sanctissimum, & tremendum Dei nomen adhibere, & authoritatem ipsius infallibilem allegare ad decipiendos homines? Nam quacunque arte verborum quis juret, Deus, qui conscientiæ testis est, verba sic accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit: teste SS. Isidoro, & Bernardo, *quacunque arte verborum quis juret, Deus, qui conscientiæ testis est, verba sic accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Quod confirmat S. Augustinus, *non ambigo, non secundum verbum jurantis, sed secundum exspectationem illius, cui juratur, fidem jurationis impleri; unde perituri sunt, qui servatis verbis exspectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Vnde sequitur eos excludi à Regno Dei, illum autem salvari, teste propheta, *qui jurat proximo suo, & non decipit.* Prophanæ historiæ testantur Deum etiam inter Gentiles in hac vita mendacia hujusmodi palliata severè puniisse. Stobeus refert Archetimum Cydiæ reservandam tradidisse summam pecuniæ, paulò autem post cum pecuniis indigeret, eas repetiit, depositarius verò sciens nullos intefuisse testes, aut alio ullo modo depositum posse probari, illud negat, Archetimus citat eum coram judice, refertque se ad illius juramentum, Cydias, quantumvis Gentilis, horret perjurium, licet per falsam solum divinitatem juraret, hinc excogitat hujusmodi stratagema, pecuniam depositam reponit in baculo vacuo, cui innitens incedebat, se infirmum, & debilem simulando, cum autem præstandum esset juramentum, & manus Aræ imponenda, adversario suo baculum tam diu tenendum tradidit, donec ceremonias suas absolvisset, quo facto, jurat se ab Archetimo nummos quidem in deposito accipisse, sed etiam probè, & exacte restituisse, Archetimus tam splendido mendacio ira sucensus baculum, quem tenebat, in terram projicit, quo fracto, detecta fuit fraus, & astutia Cydiæ, qui postea cum à civibus suis exinde ob tantum perfidiam, tot contumeliis, illusionibus, ac sannis affectus fuit, ut præ impatientia, & furore illas ulterius sufferri nesciens, sibi ipsi violentas manus injecit.

Isid. l.2. sententi. c. 31. 12. f. Bern. de modo bene vivendi serm. 32, & retentus c. quacunque arte. 22. & 5. August. Epist. 24. ad Alipsum

Secundò jurandum est in justitia, ne fiat cum intentione decipiendi proximum, vel cum inducendi in aliquod peccatum, nec cum promissione alicujus mali, ut judæi effecerant, promittentes nec bibere, neque comedere, donec Paulum interfecissent, ut si jures te hanc, vel istam injuriam vindicaturũ, te malum pro malo redditurum, te parentes nunquam bono oculo aspecturum, te aliquem locum turpitudinis, vel alicujus alterius pravæ actionis exercẽdæ gratia accessurum, si cum juramento peccatum committere promittens, juramentum peccatum est, non obligaris tamen stare promissis. Tertiò circumstantionatum debet esse juramentum judicio, id est, ob rem magni momenti,

ut

ut sic quis citetur coram legitimo iudice, vel quando promittis consocio tuo fidelitatem, iurare enim leviter, & propter causam nullius momenti, esto non sit peccatum mortale, quando cōcomitātem habet veritatem, pessima tamen est consuetudo, quæ plurimorum inconvenientium causa est.

V. Maxima irreverentia est, & signū exigui respectus erga Deum vocare illū in testem pro re futili, ut si pedissequi Regis in atrio Palatii colludentes ad iudicandum de omnibus eorum tricis, & negotiis, vel rixis inter ludendū occurrentibus, Regem interpellarent, indubiè in pœnam temeritatis suæ insignibus exciperentur fustibus. Præterea volo, ut iuramenta comitetur, & timor Dei, & veracitas pueri, & domestici vestri, audientes vos toties iurare, maledictum istum habitum acquirent, & cum non habeant tantam conscientiæ curā, quantam habetis vos, sæpissimè etiam falsa iuramentis affirmabunt, & vos pro iis luere debebitis.

Tandem esto, non habeas ullo modo voluntatem iurandi contra veritatem, si tamen iurandi consuetudinē assumes, facilè, & inadvertenter interdum falsum iurabis. *Falsa juratio exitiosa, vera juratio periculosa, nulla juratio secura*, ait, S. August. Hinc non licet tibi habitum iurandi acquirere ex eo, quod Deus, & sancti eius interdum iurarint, ait S. Ambros. *his verbis noluit dominus jurare, ne pejeres, juravit ipse Dominus, quia non pœnitebit eum, juret ergò quem sacramenti sui pœnitere non potest. Tu vero noli usurpare exemplū jurandi, qui implendi juramenti non habes potestatem.* Quādocunq, Deus, Angeli, vel sancti eius jurarunt, semper fuit ob gravem causam, tu autem juras propter nugas, rem nullius momenti; sed non advertis, quantâ injuria afficias Filium Dei, & quantam deroges respectui, & submissioni ipsi debitæ pro omni ratione efficaci, qua possemus à jurandi consuetudine absterreri, sufficiat hoc Salvatoris nostri pronuntiatum. *Hæc autem dico vobis, nolite omnino jurare. Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Blasphemia damnatur, primò scriptura, secundò Patribus, tertiò rationibus. Quia blasphemus est pejor Latrone, Homicida, Hæreticis, Turcis, Paganis, Iudæis, Tortoribus Christi, Draconibus, Cane furioso, Dæmonibus.

SI animæ Christianæ, quibus propria salus adhuc aliquo modo cordi est, diligenter curare debent, ut ab omni juramento abstineant, à potiori cavendum est illis à blasphemia, quod vitium adeo detestabile est, ut honestiores, & justiores in scriptura sacra illud vix audeant nominare, cum omnia circa Iob adhuc prosperè agerentur, ejusque proles, diebus, & conviviis alternatim repetitis inter se amicitiam fovebant: at quia hujusmodi conventiones multis peccatis occasionem sæpè tribuunt, vir sanctus pro illis quotidie sacrificium offerebat, *ne fortè*, inquiens, *peccaverint Filii mei, & benedixerint Deo*: Sed dicet vestrum aliquis, an Deo benedicendo etiam peccemus? Respondeo prophetam, nomen benedictionis posuisse, quia maledictionis nomen nimium horrebat. Judæis tam execrandum erat illud vitium, ut quandocunque in-

intelligerent, aut audirent aliquam blasphemiam, lacerabant vestimenta sua, ut ostenderent se non velle esse participes criminis tam enormis, quia illud sumoperè execrabantur, & detestabantur. Non suaderem tibi toties scindere vestimenta tua, quoties audis blasphemias, nimis sæpe id faciendum tibi foret hoc moderno, & depravato sæculo, nec auderem tibi suadere quod. D. Chrysostomus suavit suis auditoribus; quandocunque audieris inquit monstrum aliquod naturæ blasphemare, in signem impingas ei alapam & sanctificabitur manus tua actione ista, obsequium, quod Deo præstabis hoc faciendo, erit tanquam oleum sacrum & untio Sancta, qua consecrabitur manus tua. Non auderem inquam hoc tibi suadere, nisi circa illos, qui curæ tuæ commissi sunt. Si puer, si famulus tuus blasphemus sit, nec alapis, nec fustibus parcas, nec displicebit iste motus iræ Deo, sed meritorius erit, & si alios audias blasphemantes qui non sunt tibi subditi, scindat ad minus cor tuum displicentia tantæ iniquitatis, nec nocebit signo aliquo externo displicentiam demonstrare. Insolentem charitativè adhortare, excellentissimam Dei majestatem, in corde tuo adora, ut actu saltem aliquo honesto, & religioso reparetur iniuria, quam passus est â blasphemo, ut avertatur vindicta Dei, quam blasphemia promeruit: *Quod enim in divinam Religionem committitur, in omnium fertur iniuriam.*

Homil. 1. ad populum Antiocha in fine.

Monach. eod. de hareticis & Manichæis.

VII. Blasphemus est peior latrone, honor enim incomparabiliter prævalet bonis fortunæ, Latro directè solum tollit bona creaturæ, blasphemus aurem, quantum in se est, directè tollit honorē, & gloriam creatori. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir; quis orabit pro eo?*

1. Reg. 2. 25.
4. Reg. 18. 13.
2. Paralip. 3. c. 1.
Isaia. 36.

Sennacherib Assyriorum Rex, colit Idola, cælū dissimulat, iniusto titulo invadit principaliores Civitatis Iudeæ; Deus tolerat, obligat pium Regem Ezechiam evacuare thesaurum templi, ut ab ipso emat pacem extorquet etiam ab eodem ipsus auri laminas, quibus vestitæ erant templi portæ, & Deus non contradicit, violat pacem illam nefariè & civitatem Ierosolymitanam obsidione præmit, & Deus silet. Sed ubi ore blasphemo Deum Israël tangit, cælum tantæ iniuriæ impatiens, Angelum mittit, qui in una nocte centum octaginta quinque millia militum in exercitu eius civitatem Lachis obsidente interficit, civitatem obsessam confusus deserit, in Niniven reversus, â propriis prolibus in templo Deorum suorum, miserrimam, & criminibus suis dignam mortem retulit.

Blasphemus est peior homicida, quod Theologis certū est, ac â Doctore Angelico concluditur, & probatur, cuius ratio non solum evidenter demonstrat malitiam blasphemiæ excedere homicidium, sed etiam patricidium, hoc enim modo discurrit. Morbus corporalis eò periculosior est, quò magis, & propinquius afficit cor, in quo residet principium vitę, sic & peccatum eò enormius est, quò immediatius attingit Deum, qui principium est & fons vitæ spiritualis, atqui blasphemus directè & immediatè attingit Deum, homicida vero, solū offendit Deum in obliquo &

D. Tho. 2. 2. Q. 13. Art. 3 in corp. e. 2. ad 1. & 15. 2. Q. 73. a. 3.

& quasi præter intentionem suam; blasphemus autem â proposito, & vellet homicida, quantum in se est, si posset, satisfacere passioni suæ, etiam sine offenso Dei;

VIII. David Rex committit adulterium, præcipit homicidium iniustissimum, quamprimum culpam suam agnoscit in spiritu humilitatis, & corde contrito à Propheta Natan audit, *Dominus transtulit peccatum tuum, veruntamen quoniam blasphemare fecisti, inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12. v. 14.

Blasphemus peior est Hæretico, plurimi enim inter illos peccant ex mera ignorantia, ab infantia, in falsa ista Religione enutriti, sese in verâ Ecclesia esse existimant, putantq; res suas bene agi hinc aliquo modo videntur excusabiles; tu autem peccas causa cognita, nec ignorare potes, quantum facinus sit nomen Dei blasphemare, dicitur enim tibi in Confessionibus, à Prædicatoribus, ab aliis amicis, parentibus tuis tam affectuosè; quo igitur prætextu, qua larva excusabis temeritatem tuam?

Blasphemus peior est Turcis, non negant enim Mahometem Prophetam suum, nec blasphemant eum, loquuntur de illo cum maxima semper veneratione, imò si aliquis inter ipsos contumeliosis uteretur verbis contra Salvatorem nostrum, non evaderet manus justitiæ, esto non agnoscant illum, nisi ut prophetam magnum; Tu autem qui pro certo scis eum esse Dei filium & Redemptorem tuũ, non erubescis blasphemiis, & contumeliis augustissimam, & infinitam eius Maiestatem afficere.

Blasphemus peior est Paganis, Pagani enim, ut minimum illustrati lumine naturæ, vel cognoscunt, vel coniiciunt se habere verum aliquem Deum, & exinde multis affectionibus honoris, & respectus eius majestatem prosequuntur. Nabuchodonosor Rex ubi vidit Deum Israël, tres pueros in fornace ignis ardentis illesos conservasse ait, *A me ergò positum est hoc decretum, ut omnis populus tribus, & lingva, quacunque locuta fuerint blasphemum contra Deum ipsorum, dispereat & domus eius vastetur.* Daniel. 3. 96.

Blasphemus peior est Iudæis, sententiam hanc profert disertissimus, & doctissimus Philo unus ex ipsis; *Iuraturus, inquit, consideret, quam purus sit animà, corpore, lingvà illa ab iniquitatibus, hoc à piaculis, hac â malidicentia, nefas est enim per os, quo profertur nomen illud Sanctissimum, quidquam turpe progredi.* Lib. Bedual. sub medium

Blasphemus peior est tortoribus Christi, teste S. August. dum ait, non minus ego dico gravius peccant qui blasphement Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris. Si infligeret alapam, vel fuste exciperet Præsidem Aulæ, quando in plateis, vel ruri ambulat, graviter punitetur, si autem id faceret insolens aliquis, quando actualiter munus suum exercet, Liliis, coloribus, & purpura Regis ornatus, crimen illud absque dubio longè enormius, & incomparabiliter maiori pœna dignum censeretur.] Tortores crucifixerunt Salvatorem nostrum, viatorem in similitudine carnis peccati, infirmum, passibilem, mortalem, & expositum omnibus miseriis naturæ nostræ, nunc autem residet in Cœlo Empyreo, in gloria

ria patris, à dextris Omnipotentis, sedens super Cherubin in throno Maiestatis suæ, circumdatus Angelis, & Archangelis, dono immortalitatis clarus, in actuali administratione, & moderamine Cœli, & terræ, nonne summæ esset impudentiæ, temeritatis, & malitiæ arguendus, qui ipsi in faciem spueret, blasphemiis, & contumelijs afficeret?

Blasphemus peior est Draconibus, serpentibus, aliisque huius farinæ bestiis, Propheta venenata hæc animalia invitat ad laudem Dei, *Serpentes & volucres pennatæ, dracones, & omnes abyssi*, & quamvis nec ore, nec mente id facere possint, laudant ipsum tamen suo modo; tu autem rationalis creatura intelligentia, intellectione, lingva, & sermone aptissimis ad laudandum, & glorificandum Deum prædita, pro laude eructas, & evomis in eum virus desperati furoris, execrandæ malitiæ.

Blasphemus peior est cane furioso, canis enim respicit Dominum suum, nec contra ipsum rabiem suam convertit, nec mordet, nec ullum aliud ipsi infert; tu autem misselle rabiem tuam exeris, & exerces, frendens, & spiumans in Augustissimam Maiestatem legitimi, ac supremi Domini tui.

Blasphemus peior est Dæmonibus, si reus aliquis ad mortem condemnatus sit, & prolata sententia, iudicem suum iniustitiæ accuset, aliisque contumeliis afficiat, patienter toleratur, tribuiturque extremæ tristitiæ, & passioni ortæ ex mortis apprehensione, si autem captivus aliquis nedum condemnatus, tempore, quo examinatur, si Præsidi inferret iniurias, vel contumeliosis eum aggrederetur verbis, id maximæ fatuitatis, audaciæ, ac temeritatis foret, quod Diabolus nomen Dei sanctissimum blasphemat, mirum non est, cum rigor suppliciorum illum ad desperationem adiget, sententia ipsius lata est, absque spe remedii, vel revocationis; Sed tu homo Christiane, tu Catholice, qui nihil, vel exiguum pateris, nondum condemnatus, adhuc expectans ab ore, & beneplacito filii Dei decretum definitivum, & irrevocabile æternitatis fœlicis, vel infœlicitatis æternæ, quod tu in tali statu audeas Deo & judici tuo iniurias, & contumelias inferre, rabies est plus, quam Diabolica, plus quam monstrosa phrenesis. Tu, mi auditor, esto in propria tua causa iudex, si enim ignoscis latronibus, Homicidis, Parricidis, Hæreticis, Turcis, Paganis, Iudæis, Tortoribus, Serpentibus, Draconibus, Canibus furiosis, ac Dæmonibus, locum non esse in Regno Dei, negare non potes, quin & tu, qui his omnibus peior ex dictis comprobaris, ab eo certissimè sis excludendus.

Daniel. 3. 6.

Ib. Bedual. b medium

CONCLVSIO.

Paraphrasis verborum Christi: Sit sermo vester, est, est, quod autem amplius est, à malo est.

X. Esto igitur sapiens, intellige, & exequere monitum Salvatoris nostri, *Sit sermo vester, est, est, non, non*, quando aliquid affirmandum est, sufficiat Matt. 5.

tibi dicere, sic est, vel sic non est; nec addas volo mori, vel nolo exire de hoc loco &c. *Quod autem amplius est, à malo est.* Si per iuramentum aliquid addatur, effectus est malæ causæ, & *à malo est.*

Malum istud procedit interdum ab incredulitate audientis, sed *nunquid incredulitas illius fidem tuam evacuabit?* Si nolit credere, viderit, vel omittat.; ipsius incredulitas non debet te reddere Deo inobedientem, si non iures, ipse non credet, si iuras, Deum offendis; quidnam ex his duobus magis timendum sit, ipse iudica.

A malo est, quod sæpissimè provenit â mala fide tua, quia conscientia tibi dictat te non esse dignum, cuius simplici sermoni credatur. *Excusatio non petita, accusatio est manifesta.* Si iures non requisitus, suspectam reddis probitatem tuam, & ostendis tibi non esse fidendum, nisi iuraveris, & per consequens te mendacio subiectum esse, si autem mendacio addictus es, malus es, si malus, tibi credendum nón est, etiam quando iuras.

A malo est. Non raró provenit hoc malum â maledicta lingva tua, quæ est quasi bestia indomita, teste S. Iacobo, nec unquam domabis eam, ait S Chrysostomus, nisi domesticis tuis libertatem facias te reprehendendi; Sicut fera in antro suo iacens, si advertat pluribus se circumdari canibus, prodire non audet: eodem modo effrænis lingva tua, si advertat eam ab uxore, prolibus, vel famulis tuis reprehendendam, non audebit excedere limites honestatis, & timoris Dei.

A malo est. Aliquando provenit hoc malum â pravo aliquo habitu, quem acquisivisti repetitis multis actibus, quam non superabit, nisi specialiter tibi ipsi inuigiles, nisi subeas lingvarum pœnitentiam; pro singulis iuramentis da pauperi Eleemosinam, ora unum *Ave Maria*, lingvam tuam dentibus comprime, evellas capillum è capite tuo, ut suadet S. Augustinus; *violentia pœnitendi, inquit, cedat consuetudo iurandi.* Salutare hoc consilium ridiculum tibi videtur, sed in inferno per habitudinem illam pravam constitutus te illud sprevisse deplorabis. Potestne sanari periculosus, & inveteratus morbus aliquis absque venæsectione, sine medicina dicta, vel aliquo alio remedio? Putasne iniquam illam consuetudinem evellere absque labore, pœnitentia, conatu, vel violentia? Virgis, & fustibus noli parcere, si filii tui iurent, ne tam pravo habitu insanabiliter afficiantur; magnæ mihi consolationi est, si examinanti adolescentem, an non iuraverit, respódeatur, laudes sint Deo, ab isto vitio planè exemptus sum; sed quare? Quia, cum parvulus essem, si solum per fidem meam iurassem, virgis mater mea sangvinẽ à corpusculo meo expressisset; & hoc est esse matrem verè piam verè prudentem, & hoc est amare proles suas, sicut oportet.

A malo est, Sed dicet aliquis vestrum, id facio in vehementi, & primo motu choleræ meę, quo tamen non excusatur, id enim esset atramento se lavare, & dupliciter culpabilis est, & quia cholericus, & quia blasphemus; quod si non corrigatur, experietur etiam Deo colæ-

choleram, & bilem aliquando moveri; sed iustam, sed rationalem, sed adorabilem, & si in ira tua jures, iurabit & ipse in sua; *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*
Psal. 94.

A, malo est, hoc est, *A maligno est*, malum illud à Diabolo oritur, qui odio, & invidia fremens contra Deum lætatur, quod te vel ut instrumento uti possit, ut Deum contumeliis, & iniuriis afficiat.

A, malo est id est, hoc malum oritur à Spiritu maligno, qui ardet invidia contra te, & gaudet, ut hoc filo te alligatum teneat. Tibi ipsimet abblandiris, &, ais in corde tuo, non sum fur, neque luxuriosus, quotidie intersum sacro missæ sacrificio: Sathan istis nundaretur, sed sufficit ei, quod hac solà pravà habitudine te sibi subiectum retineat, & in statũ damnationis.

A, Malo est, hoc est maligno est, huius mali causa est spiritus malignus, qui te criminalem, infelicem, & inimicum Dei, ut ipse est, efficere conatur socium, & participem suarum miseriarum, & pœnarum. Obiectum odii æterni, Deo, Angelis, eiusque sanctis; audi, quid Spiritus Sanctus per os Pauli ad Rom. Ioannis in Apo. & alibi loquatur: Tribulatio, angustia, anathema, ex communicatio, reprobatio, Damnatio, maledicto æterna, ex parte Dei, Deiparæ, omniunque sanctorum, omnibus, qui abnegant Deum. O infelices! qui negatis eum, à quo habetis omne bonum? O detestabiles! qui maledicitis ei, qui omni benedictione dignissimus est? O abominabiles, qui blasphematis mortem Iesu, quam passus est, ut vobis donaret vitam? Anathema, excommunicatio, reprobatio, damnatio, maledictio æterna blasphemis omnibus, falsariis, periuris, falsis testibus, nisi convertantur, & pœnitentiam agant. Mi Deus corrige, & converte illos, illumina mentem eorum, ut agnoscant, quantum perpetrent malum, & abyssum perditionis cui se immergunt, præsta per gratiam tuam, ut pro omnibus blasphemiis & maledictionibus, tibi unquam uspiam irrogatis, tot millia millionum, & infinitæ benedictiones, Laudes, Elogia honorum, gratiarum actiones, & sanctæ acclamationes tibi eliciantur à Sacratissima salvatoris nostri humanitate, à Gloriosissima Virgine Matre, Angelis, Sanctis, omnibusque creaturis, nunc, & per infinitas sæculorum myriades, Amen.
ad Rom. 2. 9. Apoc. 21.



SERMO QVADRAGESIMVS OCTAVS
PRO DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

De obſervantia Dominicæ.

Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Ioann. 4.

E X O R D I V M.

MEritò nobis terrorem iniicere deberet reſponſio illa Domini, quâ Regulo in hodierno Evangelio exprobat incredulitatem ſigna deſideranti. Si enim reprehenditur, qui ante ſignum non vidit, quomodo non reprehendentur, qui poſt quam viderunt ſigna, adhuc tamen non volunt credere, vel aliter vivunt, quam credant? Profectò quod Chriſtus Regulo dixit, nobis poteſt dicere maximè, quando ſumus in templis, iam audivimus multa ſigna in ſacra ſcriptura, in ſacris hiſtoriis quibus Deus illos punivit, qui feſtos dies ut non colunt, non exhibent: iam vidimus, & ſcimus, quod Deus illos velut ſtrictè obſervat, quod illos muneret, qui illos obſervant, illos puniat, qui eoſdem violant, & tamen nos nō deſiſtimus à peccatis in illis templis patrandis, irreverenter in illis nos habemus, porrò ne amplius redarguamur, hodie cum auctore oſtendam, quod ſacra templa venerari debeamus.

Memento, ut dum Sabbathi ſanctifices. Exod. 20.

1. INfinita, & excellentiſſima Dei Maieſtas tanto honore, & cultu digna eſt, quod meritò omnis creatura ſine fine, ſine pauſa, abſque interruptione eius adorationi, amori, laudi, glorificationi vacaret: Sed quia diverſa huius miſeræ vitæ neceſſitates, & occupationes non permittunt tam continuò nobis & ſemper actualiter ſpiritualibus actionibus applicari, Deus unicum nobis in ſeptimana inſtituit diem, nimirum Dominicam, quam ſibi voluit ſacram, totamque ſuo ſervitio applicari Vt melius materiam iſtam pertractem, verba thematis mei ſingula, ſingulis punctis mei diſcurſus explanabo. A te Piiſſima Virgo rarum habemus exemplum pietatis, & obedientiæ, quę teſte vitæ tuę Hiſtoriographo, conſuetudinem habebas ſingulis annis aſcendendi Hieroſolymam ad celebrandum

dum festum in ea, & in domo Dei. *Ascendentibus illis Hierosolyma secundum consuetudinem.* Ibas ut honorares Patrem æternum, filius tuus te ibi honoravit ostendens publicè se tibi subditum, & omnibus inclinationibus maternæ voluntatis tuæ promptissimè accommodatum, honoret igitur & nunc te, nobisque dona, quę per te petimus, concedat. *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

Tribus Punctis pensantur hæc tria verba: Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

PVNCTVM PRIMVM.

Memoria est res valde mirabilis quoad multa valde commoda vitæ civili necessaria, ergò cultui divino mancipari debet.

II. QVicunque cum reflexione, & attentione, proprietates, & merita rerũ ponderabit, in dubiè fatebitur, inter omnia naturæ dona, ea cũ creatore participamus, vitæ civili nihil, utilius commodius, nihil magis admirabile, magisque necessarium esse memoria tam intellectuali, quam sensitivâ. Huius facultatis quasi miraculum consistit in pluribus punctis; primò, quod conservet species, seu perfectas imagines, & similitudines infinitarum rerum, quas interdum vidimus, vel intelleximus. Et quamvis oculos claudas, scis nihilominus, qualiter Sol, Luna, Stellæ constituta sint, & qualiter inter se differunt hæc astra; habes igitur eorum imaginem in memoria tua. Idem dic de igne, aqua, terra, auro, argento, stanno, ære, aliisque metallis, de denario, solido, capitello, scuto, aliisque monetis, de lactuca brassica, aliisque herbis, rosa, clariophilo, cæterisque floribus, de ficu, pomo, ceraso, & eiusmodi fructibus, de pruno, fraxino, fago, Orno, cæterisq; arboribus; de Gallina, noctua, pica, Hirundine, Alaudâ, cæterisque avibus, de carpione Barbo Trutta, Mustela, aliisque piscibus; De Musca, eruca Teredine, Tinea, Blatta, Convolulo, aliisque incestis; de Equo, Bove, Cane, Cervo, Apro, cæterisque animantibus. Habes adminus speciem unius ex individuis istarum specierum, & infinitas alias mihi innominabiles. Habes species, non unius viri, vel mulieris, nec duorum vel trium, sed ingentis numeri, quam in diversis locis vidisti, Idæas acuratissimas plurimorum ædificiorum Aularum, Cubiculorum, Hypocaustorum, Hortorum, Ecclesiarum, Camporum, Pratorum, Civitatum, Vrbium, Oppidorum, Pagorum, in quibus fuisti; habes etiam species omnium mobilium, quibus aliquando & usus, vel alios uti vidisti, ut puta Sedis, Scamni, Mensæ, Scutellæ, Orbis, Togæ, Pilei, Calcei, &c. quod horum omnium imagines habeas, exinde patet, quod scias, qualiter ista omnia sint facta, ꝙ ea possis describere, ac de iis in conversationibus discurrere quod tamẽ nõ posses de phœnice, Crocodilo, Salamandra, & aliis creaturis, quas nnnquam vidisti;

II. Hoc memoriæ miraculum, non solum continet similitudines omnium istarum rerum, sed etiam nomina illis imposita, quod mirum est, â præcedenti multum differens; quia surdus, & mutus â nativitate habet quidem in mente sua species canis, equi, & aliorum, quæ vidit, ignorat tamen illorum nomina; tu autem habes in thesauro memoriæ tuæ nomina istarum creaturarum, & millia vocum aliarum, Gallici, latini sermonis, absque quorum notitia non posses aliis mentem tuam apperire. Nec desunt, qui perfectissimè calleant quatuor, quinque, & plures linguas; Græcam, Latinam, Gallicam, Germanicam, Italicam & Hispanicã, quarum quælibet ad minus continet tria millia vocum; tales igitur habent ultra duodecim, vel quindecim millia vocum, suntque omnes istæ affectæ suis generibus, figuris, declinationibus, casibus, numeris, singulari, & plurali. aliisque formalitatibus, & proprietatibus Grammaticis; aliqui periti sunt in Rhetorica, Philosophia, Theologia, Mathesi, Medicina, & Iuris prudentia, habentque in memoria sua recondita omnia Secreta, Regulas, singula principia maximè omnium istarum scientiarum. De Sancto Antonino Archi Episcopo Florentino refertur, quod cum recipiendus esset, tanquam novitius ad ordinẽ S. Dominici, memoriter recitare potuit totum Ius Canonicum tribus insignibus voluminibus comprehensum.

Miramur quod pictores, & sculptores in minimo spatio depingere, & sculpere possint homines magnæ Staturæ, Ciuitates, Provincias; prout Annulo Regis Pyrrhi, insculpæ erant novem Musæ, & Appollo in medio earum, & tamen pictores isti nunquam repræsentant totam prototypi sui magnitudinem, nec Civitatum extensionem. Hinc potius mirandum esset, quod personæ, quas cognoscitis, Cubicula, Domus, Civitates, Suburbia. & alia loca, quæ sæpius vidistis, in memoria vestra depicta sint secundum omnem figuram extensionum, longitudinem, latitudinem, altitudinem, aliasque dimensiones, optimè enim recordaris Ecclesiam Parisiensium divæ Virgini sacram, maiorem esse tua parochiali, & oppidum, in quo natus es, magnitudine multum excedi à civitate Parisiensi. Patruum tuum maiorem esse tuo Nepote, & quod magis est, omnes istas species tot hominum, nobilium, vocum, Civitatum, Pagorum, & quæ repræsentant singula secundum suas dimensiones proprias, corporales, esse que omnes tamen continet in determinata parte capitis, memoria enim in capite propriam sedem habet, quia læso pede, manu, vel alio membro, non læditur memoria, si tamen patiatur caput in certo loco, vel perditur, vel saltem diminuitur. Pictores, & sculptores pro, tacti, facile repræsentabunt colores, & figuras nullo tamen modo qualitates aliarum creaturarum, quas effingunt; depingat enim tibi pictor aliquis etiam expertissimus in

In tabula vocem meam, depingat mellis dulcedinem, calorem ignis, Balsami suavitatem; memoria autem tam insignis est artifex, pictura tã excellens, ut non solùm exprimat colores & sensibilia communia, sed & voces, odores, sapores, temperamenta, situs, durationes, aliasque circumstantias et qualitates mille creaturarum, in mediis enim tenebris dignoscis parentem tuum penes vocem suam, chariopilũ, vel rosam penes odorem, sulphur penes fœtorem, mel ex dulcedine, abscynthum ex amaritudine, ignem à calore, aquam ex humiditate, quia nimirum recordaris te omnes istas qualitates ante hac sensisse.

Et quod magis hic mirabile non solum, sed & maximè commodum, res omnes istę, in memoria, cum tam insigni sunt ordine, & dispositione prout à parte rei sunt in semetipsis, vel, prout reperiuntur in aliquo libro; recitas enim ex memoria orationem dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, septem psalmos pœnitentiales, officium Beatæ Virginis, aliasque preces prout in libris precum jacent, recitas memoriter duos, tres, quatuor libros æneidos, vel alterius poesis, id est septingentos, octingentos, & plures versus, suo ordine, numerare potes civitates, pagos, qui reperiuntur inter Parisios & Lugdunum, & sic de aliis ejusmodi, civitates illas & versus tã distinctè cognoscis in mente tua, ac à parte rei illos vidisti, vel legisti, sunt & aliæ species quæ absq; ullo certo ordine in memoria resident, ut sunt Ideæ & nomina personarum, quas novisti & mille aliarum rerum quas olim vidisti, ut pilei, chirotecæ, calcei, poma, &c. ac memoria tam accurata tam prompta & obediens est, ut ad minimum voluntatis nutum, ut ex infinito specierum & imaginum numero, quas suo complectitur sinu, eas quas eligis præ cæteris promptissime tibi prodet, aliis in altissimo silentio, & quiete remanentibus, quamprimum enim vis, repræsentat tibi personam & nomen parentis tui quem habes Parisiis, amici, quem reliquisti Lugduni. Suggerit tibi primos versus æneidos, *arma virumque cano. Conticuere omnes. Postquam res Asiæ: at Regina Gravi.* Vel prima verba seu versus psalmorum, & non alios: Beatus vir; Quare fremuerunt gentes; Domine quod multiplicati; Cum invocarem.

Et hæc facultas animæ vitæ nostræ tam necessaria est, ut absque illa nec ars, nec scientia, neque justitia, nulla scriptura, nullumque commercium inter homines subsisteret; quomodo enim juvenis alias addiscere posset opificium, studiosus acquirere scientiam, si eo ipso obliviscerentur doctrinæ à Magistro traditæ? Quomodo posset administrari justitia sine depositione testium, quomodo autem deponerent testes, nisi recordarentur eorum quæ viderunt vel intellexerunt? Quomodo formares litteras in charta? Quomodo exprimeres verba, nisi ea præ haberes in mente? Quomodo cogno-

ſceres parentem, uxorem, proles, ſi non haberes eorum idæas memoriæ impreſſas.

Tandem niſi eſſemus præditi intellectu, ſimiles indubie eſſemus brutis, & niſi haberemus memoriam, eſſemus illis deteriores. Canis enim agnoſcit Dominum, Domum, domeſticos, imò & veſtigia Domini ſui, tu autem memoria deſtitutus nec Dominum nec famulum, nec virum nec uxorem, nec proles aut domum agnoſceres. Qua igitur adoratione, ſubmiſſione, amore, teneritudine, recognitione, gratiarum actione, non ſumus adſtricti Majeſtati divinæ, à qua tam mirabilem, tam utilem tam neceſſariam accepimus facultatem? merito hanc memoriam ſæpè alloquemur dicendo, *noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Si doceas, Dei recordari deberemus quoties aliquod bonum nobis confert, toties profecto id fieri deberet, quoties reſpiramus, ut ait Nazianz. quia reſpiratio effectus eſt bonitatis ipſius. Sed quia naturæ noſtræ fragilitas & negotiorum quibus occupatur hæc vita noſtra diverſitas, id non permittit, unum ſingulis Septimanis determinavit diem, ut in eo ſpecialiter, recolendis beneficiis ab ipſo nobis collatis toti ſimus.



PVNCTVM SECVNDVM

Dies ſeptima nempe Dominica, impendi debet in rememorandis Dei beneficiis primo creationis, cujus myſteria ſunt addiſcenda, Meditanda, Honoranda: Secundo Redemptionis. Tertio Sanctificationis.

V. Dies eſt quietis, *diem Sabbathi.* Iudæis erat Sabbatum, Chriſtianis autem juxta inſtructionem filii Dei & Apoſtolorum inſtitutionem dies Dominica eſt, quia iſto die, opera principaliora quæ Sanctiſſimę Trinitati attribuuntur, facta ſunt. Creatio appropriatur Patri, Redemptio filio, Sanctificatio Spiritui Sancto, Dominica dies eſt, qua cepit Deus creare mundum; Dominica eſt, qua Salvator noſter ingreſſus eſt mundum, natus de virgine; Dominica eſt qua Spiritus Sanctus deſcendit ſuper Apoſtolos ut ſanctificaret mundum. Hæc tria opera incomparabilia, ineffabilia, merito ſunt objectum diſcurſuum, pietatis & meditationum noſtrarum, diebus Dominicis.

Primo quidem creatio, nihil enim juſtius, nil rationi magis conſonum, nihil homine dignius, ne dicam Chriſtiano, quam conſiderare opera Dei, ſeorſim in particulari unum poſt alterum ea contemplari, excellentiam admirari, gratiarum actiones, benedictiones & laudes referre.

Si

Si composuisses librum floribus Rhetoricis consitum, pulcherrimisq; ingenii acuminibus ornatum, displiceret indubiè tibi, si nullus amicorum tuorum, eum dignaretur pervoluere, & industrias in eo componendo adhibitas obseruare; si tabulam, si vas aureum, affabre factum, si Palatium, vel aliud rarum & excellens ac mirabilis artificii ædificium peperisset ingenium tuum, non parum contristaret te, si nullus illud aspicere dignaretur, multo minus admirari. Mundus hic liber est admirabilis, ut ait S. Anthonius, quem Deus omnium hominum oculis exposuit, ut in eo legatur pulchritudo, & diversitas omnium creaturarum, potentia, sapientia, bonitas & aliæ Creatoris perfectiones; nos autem in illo legere non dignamur. Mundus est opus Dei, tanto ingenio, Sapientia, industria præparatum, elaboratum, ut etiam minima creatura, objectum esse possit admirationis non solum nobis sed & Angelis, nec tamen dignamur illud contemplari, pulchritudinem admirari, artificem laudare, glorificare. Non sic agebat David, licet enim incumberet regimen tanti regni, hoc nitebatur nihilominus sæpius in meditandis operibus Dei ut ipse in psalmis sparsim fatetur, *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor; Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.*

Psal. 76. 12.
Psal. 14. 2.

VI. Adverte *in omnibus*, non solum in genere, & confuso, sed etiam in particulari & seorsim. *Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluviam, qui dat nivem sicut Lanam. Educit ventos de thesauris suis.* Et merito quia si Dominus aliquis ad convivium te invitat, non sufficit tibi in principio & fine ejus gratias agere, sed etiam ad singula fercula quæ tibi apponit, specialiter gratias agis. A potiori meretur Deus recognitionem, & gratiarum actionem in particulari, pro singulis creaturis quas obsequiis & sustentationi nostræ destinavit, quod manifeste probatur hac inductione, Moyses enim refert, quod in principio Deus solum creavit cœlum & terram. Cœlum sine lumine, terram nudam & desertam. Supposito quod Deus te creasset in terra hac nuda, vel cum usu rationis, sed sine brachiis vel tibiis, id enim poterat, sicut vermes sine illis creavit, nec plus tibi quam illis debebat, vidensque te mediis in tenebris constitutum, dixisset, accendam facem qua illumineris, adeoque creasset solem in medio firmamenti, cum quanto stupore & admiratione contemplatus fuisses hoc astrum, ejusque opificem? Supponamus denuo creatorem viso quod Globus igneus iste tibi foret importunus tuique destructivus suis ardoribus, si continuo supra caput tuum maneret, abscondisset eum sub terra, & ne illo abscondito in tenebris esses, cœlo affixisset Lunam & Stellas, quarum lumen magis temperatum est, in quantum stuporem fuisses raptus vi-

dendo tot insignes candelas; Sequenti die orto sole præcepisset Deus terræ producere miram florum varietatem, herbasque virentes amoenissimas, exclamasses profecto, Deus meus, Deus meus & Dominus meus, quantus est iste decor, quanta pulchritudo, quanta amœnitas? Postmodum creasset arbores dulcissimis & pulcherrimis fructibus onustas, quæ non solum in admirationem te rapuissent, sed & movissent ad penitiorem considerationem iis velle appropinquare, non potuisses autem quia brachiis & tibiis frustratus, has autem tibi dedisset omnes, absque dubio possibiles tibi gratiarum actiones retulisses, his arboribus vicinior factus incepisses fructuum amœnitate vellicari eosque appetere, nequivisses tamen attingere, brachiis & manibus carens, has tibi dedisset & absque ullo dolore manus divisisset in plures digitos, ut eo commodius fructus illos decerperes. Postea produxisset iterum pruna, pita, poma, ficus, & alias mille species obsonii gustu & sapore diversissimas, pro hyeme, pro æstate, pro sanitatis tempore, pro tempore infirmitatis; mille cibos delectissimos & exquisitissimos, Rosas, carophilos, Lylia, mirrham, Rosmarinum, aliaque Ligna aromatica pro recreatione odoratus, Linarias, alaudes, philomelas, ut te recrearent cantu suo, Canes pro custodia Domus tuæ & recreationibus in venatione, Equos qui te de loco in locum portarent, si Deus omnes istas creaturas aliasque hujusmodi innumeras in tua præsentia produxisset, unam post alteram, quomodo fuisses miratus bonitatem, suavitatem, teneritudinem, liberalitatem providentiæ divinæ, nunquid dixisses cum Phericide, Deum creando Mundum se totum in amorem transformasse, vel cum Davide, *quam magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia fecisti.* Quo affectu & respectu non fuisses prosecutus tantum benefactorem, quas non egisses ipsi gratias pro singulis etiam creaturis in particulari? De facto non minus ipsi obligatis sed multo magis, tractavit enim te à Principe? Si quis Rusticum vel plæbeum hominem invitet ad prandium, nihil id causat molestiæ, non parantur cibi à proposito, nec aliquid mutatur insolito mensam sternendi modo, si tamen nobilis aliquis vel vir alicujus notæ exspectatur, paratur non solum cubile; sed mensa nitidius, accuratius sternitur, & omnia in conclavi parantur, quæ ad decorem spectare censentur, priusquam introducatur; si Deus te creasset primo & ante omnes creaturas, easque postmodum produxisset in tua præsentia, tractasset te ut plæbeum, nunc

autem

autem dignius te habuit & ut nobilem seu Principem, ornavit enim domum, stravit Mensam, cibos præparavit, priusquam te induceret in Domum hujus mundi, die igitur Dominico totus sis in considerandis ejus operibus, prudentia, sapientia, bonitate, tam particulariter ac fuisses ipse præsenter, & solum in gratiam tui, omnia ista præparasset.

VII. Sunt tamen longe alia misteria quæ merito essent objecta pietatis & devotionis nostræ, adeoque nos obligarent diebus Dominicæ, suntque misteria redemptionis nostræ, quæ nobis discenda, meditanda, & quotidia recolenda sunt. Primò discenda, pudor enim esset, & negligentia sanguineis Lacrymis deploranda, si petenti, à plerisque Christianis quid sit festum Pentecostes, Paschæ, &c. non scirent quid respondere. Audite quid de illis dicat Doctor Angelicus D. Thomas, *Post tempus gratiæ revelatæ, tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de Mysteriis Christi præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & publice proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis de quibus supra dictum est, quæst.1. Art.8. nempe Conceptionem Christi de spiritu sancto, ejus Nativitatem ex virgine, ejus passionem, mortem, Sepulturam, resurrectionem, Ascensionem, ejus adventum ad Iudicium.* Et iterum: *post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum Mysterium Trinitatis, quia Mysterium Incarnationis explicite credi non potest sine fide Trinitatis.* Idem sentit Seraphicus Doctor S. Bonaventura dum ait, *Non sufficit modo alicui qui habet usum rationis, in generali credere Redemptorem & Remuneratorem, adeo enim notitia quorundam articulorum manifesta est, quod nullus habens usum rationis ignoret, nisi omnino negligat, & contemnat Dei cultum, & salutem suam.*

D. Tho. 2. 2. quæst. 2. Art. 7. in corp.

2.2. q. 1. Art. 8. in corp.

3. dist. 25. q. 3.

VIII. Solicitus igitur esse debes illa discendi tuosque docendi; nec solum hoc, sed præterea sunt tibi ruminanda & meditanda, ut eorum inquiras causas, effectus, circumstantias, habeasque libros qui de illis tractent. Nunquid stoliditas, cœcitas & deordinatio execranda est, videre in familiis omnia optime composita & disposita, quæ ad mobilia, ad domus commoditates desiderantur, nullum tamen ibi reperiri librum spiritualem, quo interdum refici possit anima, sed potius Historiæ, Comediæ, & alia hujusmodi Lubrica, quæ domesticos & proles intoxicant, eorumque animas inficiendo perdunt, cum legentes absolutionis incapaces reddunt.

Comparanda sunt vobis opera Spiritualia Granatensis, meditationes de Ponte, vitæ sanctorum conscriptæ per P. Ribadeneira, qui optime explicant Mysteria sacra, ut illa legatis vel ab aliquo vestrorum prælegantur. Celebratur Dominicus dies, quia in eo cæpit Deus mundi

Primo dierum omnium, quo mancipat Ful.

di creationem, Primitiæ autem ſalvatoris in opere noſtræ Redemptionis, æquali honore dignæ ſunt, cum Primitiis creatoris in mundi productione, adeoque occupari poteſt utiliter, anima Chriſtiana tempore Sacri vel veſperarum, interdum recolendo primitias, id eſt primas actiones ſalvatoris noſtri Ieſu. Hoc modo mi Salvator, adoro & veneror primum momentũ vitæ tuæ divino-humanæ, motum & primum pulſum cordis tui, primam elevationem mentis tuæ ad patrem cœleſtem, primum effuſionis tuæ amorem erga Deum, erga puriſſimam Virginem & piiſſimum matrem tuam, erga nos, contractum quem feciſti in primo illo inſtanti, cum Deo patre tuo ratione Redemptionis humanæ, hujus eſſe deſidero particeps, ab eo quæſo ne excludar, illum accepto pro juſtitia mea originali, *In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Adoro primam communicationem gratiæ, extra matrem tuam factam animæ S. Ioannis Baptiſtæ. Adoro primum ingreſſum tuum in mundum, in Stabulo Bethlemitico primam reſpirationem pulmonum tuorum. O fœlicem aream hujus ſtabuli omnibus Arabiæ aromatibus & odoribus merito præponendum, adoro primos aſpectus, quibus dignatus es creaturas viſibiles; primas quas fudiſti Lacrymas; utinam præſens cor meum ibi fuiſſet, ut in illud diſtillando omni munditia fuiſſet imbutum, Adoro primos ejulatus infantinos, primam applicationem ad virginea ubera Matris per quæ diſtillabat virgo cor, animam, & amorem ſuum, quæ coram te, omnibus hujus mundi theſauris præcellent. Adoro primos manuum tuarum motus, primam Sacratiſſimi ſanguinis tui guttã in circumciſione fuſam, primum riſum quem in cunabilis tacens elicuiſti, primam vocem, qua virginem ſacram appellaſti matrem tuam. Quantus honor, quæ gloria, quantum gaudium huic virgini? Si mater tua ſum, ait, indubiè, ergo filius meus es qui filius eſt Dei, oſculer igitur te filium meum, & adorem te ut filium Dei: *fœlicia prorſus oſcula labiis impreſſa Lactantis.* *Bernardus.*

IX. Adoro primos greſſus tuos in hac terra millies & millies millenis cordis affectibus illos cooſculor, & omnes alios quos unquam uſpiam in hoc mundo poſuiſti; adoro primum ſudorem qui egreſſus eſt è benedicta facie tua omni Balſamo pretioſiorẽ, da mihi vel guttulam, ut eo ſaucium cor meum ſanetnr. Adoro primos labores, Miraculum primum, primam prædicationem, primam mortificationem quam unquam ſubiiſti, adoro primam contradictionem, perſecutionem, ignominiam, ſupplicium primum quod unquam paſſus es, adoro primum inſtans vitæ glorioſæ qua frueris, ab ingreſſu tuo in cœlum.

Alias adorari poterunt cogitationes, Ser-

Sermones, actiones, passiones, Salvatoris in aliis ejus vitæ perraris.

Adoranda etiam est sanctissima persona Sancti Spiritus in opere sanctificationis, cum gratiarum actione pro Zelo quem tribuit Apostolis fortitudine data Martyribus, lumine communicato Evangelistis aliisque Doctoribus; puritate, quam virginibus, directione & consolatione, quam elargitus est viris, Remissione quam tribuit peccatoribus pœnitentibus, sanctitate, perseverantia, quam donat omnibus sanctis.

PUNCTUM TERTIUM.

Dies Dominica sanctificanda primò faciendo bonum. Secundo abstinendo ab operibus civilibus, & malis.

Hæc sunt quibus occupari debes diebus Dominicis, ut te conformes intentionibus salvatoris & Ecclesiæ, præceptum enim hoc & affirmativum & negativum simul est, prohibet enim opera servilia & præcipit sanctificationem diei, ut nimirum impendatur piis operibus & actionibus memoratis, internè, tempore officii, externè autem lectione librorum spiritualium, visitatione pauperum infirmorum, captivorum, qui omnes sunt membra salvatoris, atque actus religionis, ut asserit S. Iacobus: instructione domesticorum tuorum in Mysteriis fidei, præceptis Dei, praxi virtutum, susceptione sacramentorum & auditione verbi Dei. D. Chrysostomus, ait: Dominicam dictam diem panis, quia in eo Christiani sumebant panem Angelorum, Eucharistiam, diem lucis, quia in eo recipere debes lumen & directionem in prædicationibus & lectionibus cathecisticis, Lectione spirituali & Meditatione. Hinc si notabilem partem Dominicæ, tempore officii transigas in consultandis vel præparandis scripturis processuum, sub prætextū quod non sint opera servilia, nisi id fiat ex motivo charitatis; vel ut succurratur pauperibus, viduis, vel aliis, non peccas quidem contra præceptum negativum, prohibens opera servilia, sed non adimples tamen, ex asse præceptum affirmativum quo præcipitive significatur, ut nimirum transigens diem istum operibus piis, & sanctis, unde conqueritur Deus per Ezechielem prophetam, *irritaverunt me Domus Israël, violaverunt Sabbatha mea vehementer.* *Ezech. 20. 13.*

XI. Hæc objectio te concernit, si vendendo, emendo, aliisque hujusmodi

modi negotiis servilibus & mercenariis dies festivos transiges. Sed objicies mihi, nisi vendam ego, vendet alius, emptores ordinarios meos isto modo perdum, & ego & proles meæ peribimus fame. Sed non advertis, quod promittat tibi Deus per Ezechie-
20.21. lem Prophetam, *Præcepta mea quæ cum fecerit homo vivet in eis*, & quæ ait Paulus
Paul 1. ad discipulo suo Theimotio, *pietas ad om-*
Thim. 4. 8. *nia utilis est, promissionem habens vitæ*
Matth. 6. *quæ nunc est & futuræ*, & Psalmista, *Nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* & Matthæus, *ne solliciti sitis animæ vestræ quid edatis, aut corpori vestro quid induamini, quærite primum Regnum Dei &c.* Si enim unquam quærendum est regnum Dei, id diebus maxime Dominicis & festivis faciendum est; & quia id non facis, cætera tibi non adjiciuntur; Spirituale contemnis pro temporali, adeoque miser & pauper es in hoc & altero mundo; Illud *irritaverunt me, violaverunt Sabbatha mea vehementer*, specialiter concernit illos, qui diebus Dominicis & festivis potius quam ferialibus, dediti sunt ebrietatibus, blasphemiis, impietatibus, dissolutionibus, Patresfamilias in popinis, aliisque locis inhonestis, Iuvenes & adolescentulæ, in Lusibus & Choreis, deambulationibus & conversationibus stultis.

Dominica dies videtur esse cloaca totius Septimanæ, nam quia tibi non vacat per Septimanam Deum offendere, id specialiter reservas in diem Dominicam, adeoque non amplius est dies Domini, sed dies Diaboli, suntque festa nostra non sanctis, sed Baccho, Cereri & Veneri solemnia. Dæmones olim cum non possent fidelium pietatem & devotionem festis diebus exercitam pati, obsessorum corpora deserebant, nunc autem prô dolor soluti sunt, & corda Christianorum ita possident, ut porcos Geracenorum, ut præcipitent illos in lacum mille actionum brutalium & tandem in Stagnum ignis & Sulphuris, æternæque damnationis. Horribile est quomodo de hujus solemnitatibus no-
stris hujus mundi loquatur Deus, *So-* Isaia 1.14.
lemnitates vestras odivit anima mea & a- Malach. 2.
libi *Sterius solemnitatum vestrarum.* Fe- 5.
sta patrocinii, quæ celebratis choreis & tripudiis, confraternitates & hujusmodi, quibus satis est mane interfuisse sacrificio Missæ, ut postea reliquo diei tempore indulgeant genio: prætensæ peregrinationes, in quibus adolescentes cum adolescentulis & tempus & iter nequiter nugando terunt, abominationes sunt coram Deo; sunt tamen peregrinationes, confraternitates & festa dedicationis & Patrocinii sanctissimè instituta Deoque gratissima, modo
celebrentur, ut in primitiva solebant Theod. lib.
Ecclesia. Theodoretus Episcopus in 8. de cura-
Mesopotamia id testatur his verbis; tione
sunt apud nos, modestè, castè tem- sub finem
perantia plenæ festivitates, non illæ Anno 439.
quidem

quidem, mero delibata, non commessationibus leves, nō cachinnis solutè, sed divinis canticis personandis, sacrisq; sermonibus audiendis intentæ, in quibus, ad Deum preces non sine sanctis lacrymis, ac suspiriis submittuntur.

Dicamus igitur cum Propheta; *convertere anima mea in requiem tuam. Cōvertere,* desere peccatum, consecra te Deo, præsertim diebus Dominicis in hunc finem institutis, dicitur enim dies Domini, si enim tibi, tuisque negotiis aliis diebus vacasti, hoc saltem die Dio ejusque servitio vaces.

Terra & omnia quæ in illa sunt Domini sunt, mundus & omnia quæ complectitur, imperio ejus subjaceant, secundum prophetam Regium dicentem, *Domini est terra & plenitudo ejus.* Nihilominus Creator etiam ante Incarnationem, unam solum partem elegit ex omnibus, quam sibi voluit specialiter appropriatam, sic inter provincias sedegit Palestinam inter populos Judaicam; inter duodecim tribus Leviticam inter ædificia Templum, inter animantia, primogenita: inter fructus terræ, primitias; inter dies hebdomadæ, septimum; furtum igitur, est & usurpatio boni alieni, ac species sacrilegii hunc diem ipsi surripere & actionibus prophanis applicare; *Convertere*, & desere modum agendi tam irrationabilem.

Convertere anima mea. Diebus ferialibus pro aliis, vel pro corpore tuo laboras, labora igitur die Dominico pro te & pro anima tua; mercator es, & compactus exegisti tota septimana creditoribus & debitoribus tuis, nunc redde Deo tuo rationem actionum tuarum. Sartor es, per totam septimanam vestimenta & ornamenta parasti hominibus utriusque sexus, hodiè para, quibus ornetur anima tua. Faber ferrarius es, ferrum igne & lima expurgasti, nunc lima & expurga cor tuum. Agricola es, in excolenda & elaboranda terra totus fuisti, per decursum hebdomadæ, similem conatum adhibe ad minus hodie in excolenda conscientiæ tuæ. Judex es, aliis processus fecisti, nunc fac tibi judices & punias crimina propria. Officium tuum est curare, ut reddatur suum, fac igitur Deo ut reddatur honor hodiè ipsi debitus; non permittis, quod plæbeo tollatur vel minima pars suorū bonorum, ne permittas, etiam quod surripiatur Deo pars diei, qui totus ipsi consecrandus est. Obedias legi codicis, quæ sic habet, *dies festos majestatis altissima dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari*: fac ut olim Esdras quæ videns adferentes Jerosolymam in die festo fructus, pisces, vinum & alia vendibilia, acriter eos repræhendit, portas civitatis occludi curavit, vigilias constituit, quibus arcerentur ab ingressu, cumque adverteret, negotiatores illos extra portas sua venalia exponere, ulterius illos pelli curavit, pro hoc ergo inquit, *memento mei Deus meus & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.* Signum verè conversionis est, mediumque efficax ad obtinendam remissionem peccatorum, si festa exacte serves, & observari facias; *convertere anima mea.*

L. dies festos Eod. de feriis lib. 3. titu. 12. Imperatores Leo & Anthemi.*

2. Esdres 23. 22.

In requiem, nonnè magni laboris est satisfacere præcepto tam suavi, alii Domini urgent, & cogunt famulos suos ad labores, Dominus autem noster ait famulus suis, nolo filioli mei destructionem vel mortem vestram, laborate, quiescite,

in me tanquam in cordis nostri centro & verâ animæ vestræ requie, quiescite. Per prophetam diem istum vocat *Sabbathum delicatum*, delitiæ illius sunt conversari nobiscum, sint igitur & nostræ, conversari cum illo.

Isaia 58.

Quia Dominus benefecit tibi, institutus dies Dominicus, ut eo melius & commodius Deo gratias agamus, pro beneficiis tam in genere quam specie nobis collatis, quia nos creavit, conservavit, redemit, quia præservavit à mille periculis mortis, infirmitatis, afflixionum, disgratiarum, mille occasionibus peccandi, *eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* Si enim grati simus pro beneficiis acceptis, obligamus eum ad nova præstanda. *Benedixit diei septimo*, in vigilia Sabbathi, manna pluebat de cœlo pro duobus diebus, Econtra autem apud Ezechielem, postquam dixerat, *Sabbatha mea violaverunt vehementer*, subdit, *dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos & consumerem eos.* Conquerimur quod anni moderni non sint tam fertiles quam olim, oneramur multifariam, quia Deus nos visitat sicut ipsum colimus, tunc enim festa minora melius servabantur & eum majori devotione quam nunc Dominicæ, tunc Dominicæ solemnius quam nunc Pascha; Audivi nuper à Seniculo quodam se ante octoginta annos agricolæ cohabitasse, qui tam exactus erat Dominicæ observator, ut noluerit quidem permittere aliquam fieri inter domesticos mentionem operum aliis diebus exercendorum, sic fac & similes erunt prosperitates tuæ prosperitatibus illorum, impende tempus fideliter, quod servitio DEI dicatum est, & ipse benedicet tempori, quod tibi pro familiæ tuæ sustentatione assignavit, fac opus DEI die festo ipse tuum faciet die feriali & in supero faciet te olim trãsire à figura ad veritatem, ab umbra ad lucem, à symbolo ad realitatem à requie temporali hujus vitæ, ad requiem æternam gloriæ, quam vobis ex corde faciam.

Ezech. 20.

SERMO
QUADRAGESIMUS NONUS.
De obligatione parentum erga proles.
Pro Dominica vigesima prima post Pentecosten.
Simile est Regnum cœlorum Domini Regi, qui voluit rationem ponere. Matth. 16.

HAnc parabolam Dominus proposuit, ex occasione, quod proposito præcepto, de correctione fraterna, *si peccaverit in te frater tuus*, *divus* Petrus ab Christo interrogasset, *quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei usque septies?* Et dixit, quod quotiescunq́, in nos peccat frater noster, debeamus illi remittere, si velimus, quod Deus nobis nostra peccata remittat. Quod si hoc præceptum concernat

cernat omnes, vel maximè concernere, dicendum est, parentes, quia illi vel maximè irascuntur, conturbantur & commoventur, dum proles turpis minatæ, immò quandoque punitæ non se emendant, sed in pristina peccata & defectus sæpè relabuntur, Deus ergo non vult, ut irascantur, & illis non ignoscamus, quantumvis sæpius relabantur, quin potius vult, ut illos corripiant suaviter, pacatè, tranquillè illosque educent in timore Dei, ut hodie cum Auctore ostendam.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.
Exodi 20.

I. UT præcepta primæ tabulæ, immediate versantur circa honorem & cultum Deo debitum, ita præcepta secundæ, immediatè respiciunt salutem & utilitatem hominum, charitatem & justitiam erga proximum commendant, ut singulis facientibus, quod sui muneris & officii, status & conditionis est, familiæ & communitatis fidelium, ut par est, ordinatè regantur. Prima obligatio est, qua tenentur parentes erga proles quam docet S. Paulus pacis eritque subjectum hujus prædicationis. Nullus unquam huic obligationi tam probè respondit, ac tu O sacratissima Virgo, matres aliæ excedere possunt in solicitudine erga proles in amore, quo eas prosequuntur, in laudibus quibus eas extollunt; tu autem non poteras, nimis solicita esse pro tuo filio, cum thesaurus sit cœli & terræ, nec poteras excedere amando, amore infinito dignum, nec laudando, quem omnis creatura laudare non sufficit unde & millies millenis vicibus signum virginalem benedicimus & laudamus, qui gestit tantum ac talem fructum, dicentes cum Archangelo Ave Maria.

Idea Sermonis.

PUNCTUM PRIMUM.

Parentes debent filiis alimenta, primò, Scriptura, secundò, Patribus, tertiò, Ratione, quartò, Instructione pro patribus, pro filiis.

II. PAulus Apostolus ad Epheseos & Colossenses scribens, triplicem assignat obligationem parentum erga filios, dum ait: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correctione Domini*; in quibus consistet totus meus discursus. *Ephes. 6. 4. Colos. 3. 21.*

Theologi quærunt, quandoquidem præceperit Creator, hominibus decem præcepta, ut magis ordinatam ducerent vitam, & in iis tam instanter filiis præceperit respectum erga parentes, cur non eadẽ occasione præceperit vicissim parentibus, obligationẽ quã habent proles suas nutriẽdi & educandi. Respõdet D. Chrysost. pro omnibus necessarium non fuisse, pro ut etiam Lycurgus in edictis suis non constituit pœnam particularem contra parricidas; quia non poterat sibi imaginari, futurum unquam filium, tam degeneris naturæ, qui vitam eriperet ei, à quo suam propriam haberet, sic supremus Legislator, superfluum judicavit, insinuare parentibus amorem erga filios, & solicitudinem adhibendam, in eorum educatione cum non videatur ullus reperibilis homo tam expers naturalis instinctus, tam hostis proprii sanguinis, qui non curet, & conetur conservare vitam quam dedit. Unde infert Apostolus legitimè eum, *qui suorum curam non habet, & maximè domesticorũ fidem negasse, & infideli deteriorem.* *Chrys. hom. 3. 1. in Act. Ephes.* *1. ad Tim. 5.*

quia non solum negat leges Christianismi, sed & ipsam naturam, transgrediturq; leges & principia, quæ omnium hominum cordibus tam firmiter impressit. Quod si juxta verba filij Dei, qui non sunt perfectiores Ethnicis, non intrabunt in regnum cœlorum, quænam restabit spes ad salutem iis, qui infideli sunt deteriores, imo multo crudeliores sunt, feris & bestiis silvestribus, unde conqueritur Deus apud Jeremiam Prophetam
Thren. 4. 3. *Lamiæ nudaverunt mammam lactaverunt catulos suos, filia populi mei crudelis ut Struthio.* Struthio enim ut notum, est animal voracissimum quidquid proponitur, digerit ejus stomachus, sive æs, sive stannum vel argentum, digerit omnia, cæterum erga pullos suos, ferocissima est, & ut testatur Job, *de-*
Iob. 39. 13. *relinquit ova sua in terra obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Tu paterfamilias idem facis vorax, gulosus, ferox ut hæc avis, argentum, ferrum, stannum consumis linteamina divendis, ut sufficias expensis excessuum tuorum, sufficit tibi, procreare proles, negligens earum educationem genio indulges, parvuli autem tui moriuntur fame, plorant, ingemiscunt, secundum
Mich. 1. Micheam *faciam planctum quasi struthiorum, Hebraicæ quasi filij struthiorum.*

Facis contra mentem Salvatoris, dicentis non esse bonum tollere panem filiis, & dare canibus; bona tua consumis in popinis, quibus enutriendi essent filij tui per totam septimanam, devoras uno die Dominico cum adulatoribus, & aliis ineptis sociis, qui toti sunt in vitiis ut canes; *catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa.* adeoque feliciores sunt prolibus tuis, quibus nec micas concedis, si sufficeret tibi domi tuæ epulari, & uxor & filij tui, colligerent ad minus micas, & saltem illis pascerentur aliquo modo. Sunt alij, qui ab obligatione ista prima recedunt, dispositione plane opposita prodigalitati: nimirum spiritu avaritiæ & insatiabilis cupiditatis, tam excessive enim adhæret aliquis interdum bonis temporalibus, ut vix possit vel minimum exponere, pro honesta & necessaria educatione suorum, *obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* non considerat quod tanta inopia multum producat mali, & necessitas magistra sit ferocitatis, quod contemptus prolium, & indigentia in quam relinquuntur perditionem, & temporalem & spiritualem forte causabit, adeoque pes conculcabit eos, aut bestia agri conteret. Filia videt se à patre neglectam, cogitur ad servitium apud exteros, labitur in manus hominis impudentis & vitæ lascivæ, adeoque seducitur, perditur: Adolescens paternos deserit lares, ut sub alieno tecto, necessariam reperiat sustentationem, quam ipsi paterna avaritia denegat, irruit in consortium pravum, cum malo malus fit, à justitia apprehenditur cum sui & suorum publica confusione; *duratur ad filios suos quasi non sint sui.* Et his merito obiicit sanctus Augustinus, *servas imaginem Cæsaris impressam in nummis, & non servas imaginem creatoris impressam in animis*, & Philosophus moralis: *Monstrabo tibi amatorium sine medicamine, sine ullius veneficæ carmine* Seneca.

si vis

si vis amari, ama. Amor ignis est, qui ignem gignit, suo te passim habere dilectionem pro filiis tuis, quia non potest degenerare naturam, sed nullo id signo exteriori demonstras; non sunt enim in corde tuo ut videam quid agatur, si quid præceperis, addiscunt contumelias si repræhendis, subdis maledictiones, nunquam de Deo, nunquam de salute ipsis loqueris. Non exponeres capitellum pro comparatione pædagogi Christiani, Granatensis vel alterius libri pij & ipsos liberalissime consecras Diabolo, si vel vitrum frangant vel minimum quid perdant, hinc arbitrantur se non amari, sed exosos esse offenduntur, & concipiunt contra te adversiones.

III. *Nolite ad iracundiam provocare filios* Ephes. 6. 4. *vestros.* pro ly *iracundiam* ad Colossen- Coloss. 3. 21. ses ponitur ly *indignationem.* Quod proprie significat passionem illam qua afficimur, si videamus nos æstimari indignos alicujus favoris, vel minus dignos aliis, unde eruenda vobis est insignis instructio pro directione familia, nimirum si velis amorem & obsequia à filiis tuis ac inter alios pacem & concordiam urgere prudenter & circumspectè cavendum est ne majorem affectum ostendas uni præ cæteris, quia particularitates gignunt partialitates, sunt enim poma discordiarum incentiva dissensionum, emulationum & rancoris, nimia affectio quam Jacob ostendit filio suo Joseph, causa fuit insidiarum & persecutionum, quas passus est à fratrum suorum invidia.

A prologorum autoritate & experientia manifestum est quod sol æquinoctium faciens quando nimirum æqualiter dividit Hemisphorium, magnam causat aeris temperiem his & apud Antipodes ut fit in Martio & Semptembri, nos ornat floribus illos ditat fructibus; dum autem ingreditur domum cancri seu Capricorni & accedit solstitium, ut fit in Junio & Decembri, tanta oritur in utroque semimundo aeris intemperies ut nos his præ frigore intolerabiliter constringamur, illi nimio caloris æstu diffluant.

Paterfamilias est sicut sol in domo sua, prout sol est paterfamilias hujus mundi, si inæqualiter distribuas cor & affectus tuos, dissensionem & deordinationem, in familia tua causabis, Si familiarius & confidentius agas cum uno ex filiis tuis, sequitur in domo intemperies unus nimis calidus, in amore, alter nimis est tepidus & frigidus iste adulatur & eblanditur bibi dilationibus interdum etiam falsis ut affectum foveat quem ei demonstras, alter contra concipit aversionem contra te, existimans quod nullam habeas per ipso inclinationem. Ardentius amas primogenitam, & efficaciter appetis ei divitias & dignitates, hinc in familia & vita, tua tot deordinationes, ideo misellus natu minor detruditur in statum Ecclesiasticum pro quo nullam habet inclinationem, illum ab ingressu Religionis arces ad quam à Deo vocatus est. Medio tutissimus ibis præstat in medio prolium tuarum sis, sicut centrum in medio linearum, amorum favores æqualiter inter illas distribuas, imo & bona temporalia, quantum leges & patriæ consuetudines ferunt.

IV. Non est quod per hunc discursum excusatos velim filios, qui sub prætextu, quod à parentibus non diligantur, debitum iis respectum subtrahunt, talis enim monet Apostolus parentibus obediendum esse qualescunque tandem sint, modo nihil præcipiant contra legem Dei aut Ecclesiæ, S. Petrus mandat servis ut obediant præpositis & Dominis suis, etiam discolis, à fortiori tenentur filij obedire parentibus suis, sed de hoc hisce dieb⁹ specialem instituemus discursum, transeamus igitur ad secundam obligationem.

PUNCTUM SECUNDUM

Debent eis documenta. Primò Scripturæ Secundò Patribus, Tertiò rationibus. Quartò exemplis. Quintò Instructionibus.

CUM Elisæus Propheta ascenderet in Betlehem appropinquaret civitatem, 4.Reg.2.23. filij aliqui protervi & male educati cucurrerunt post ipsum clamitantes, *ascende Calue ascende Calue*. Vis Dei Zelo justitiæ animatus convertit se ad illos cum maledictione, & ecce Deus ursos mittit è proximo deserto, qui illorum quadraginta duos devorarunt. Quærunt hic interpretes sancti, cur Propheta non impetraverit ignem de cœlo ad consumendum istos pueros, sicut alias fecerat Ma- 4.Reg.2. 20. gister ejus Elias militibus, qui volebant eum apprehendere, cur potius ursos quam alias quascunque feras. Cur non lupos cum illis ordinarie pueros terrere soleamus: Respondent Doctores sancti, id factum fuisse habitantibus Betleemi- Serm. 224. de temp. ticis in cautelam, & *ut mors filiorum fieret disciplina parentum*, teste sancto Augustino. Ursus mirabilem habet proprietatem inter cætera animalia, fœtum enim suum bis quasi gignit, quia post partum immediate, est quasi massa carnis omnino informis, absque oculis, auribus &c. ideoque tamdiu illum lingua sua lingit, donec paulatim incipiant apparere ocelli, auricula & cætera membra organizari. Hoc animal imitare, quamprimum enim infans tuus hunc mundum ingreditur massa carnis informis est, summe ignorans, rudis, absque ulla devotione vel civilitate, ad omne vitium proclivis, formari igitur debet lingua, instrui & ad virtutem moveri, delenda sunt vitia & imperfectiones quas originale peccatum in eo causavit, & sic paulatim fiet filius Dei, fructus benedictionis tandem aperientur intellectus oculi ejus, aures obedientiæ, manus bonorum operum formabũtur, & quia cives Bethleemitici hoc neglexerint, ursis puniti sunt, quasi diceret, si ad modum ursorum filios vestros formassetis, non meruissent ab ursis devorari juxta Prophetæ maledictionem.

Multum interest, ut tempestive provideant parentes filiis suis de salutari disciplina, dico tempestivè, quia ut ait S. Dorotheus quando filius tuus parvulus est, mollis est ut cera, susceptivus, cujuscunque impressionis, sive bonæ sive malæ est ut ramunculus, qui ancu ryatur ad nutum tuum, vel ad vitium vel ad virtutem, si autem excreverit in arborem, facilius rumpitur, quam flectatur. Habitatores Insularum Majoricæ & Minoricæ, præ cæteris industrij fuerunt antiquitus & periti in arte sagittandi, cujus rationem reddit Florus dum ait, *Cibum puer à matre non accipit,*

Lib. 66. Exhorta tionum Leonem lium c. Tom. 5. bliot h. P rum.

Danie

accipit, *nisi quem ipsa monstrante percussit*, nulli enim puero dabatur jentaculum nisi panem quem petierat à longe sibi monstratum sagitta percussisset, si etiam moderno tempore pueris non daretur jentaculum nisi curvis genuflexionibus & devotis orationibus, si non admitterentur ad nocturnam requiem, nisi prævia lectione Lytaniarum, si à parentibus interdum ducerentur ad Hospitalia, cum ipsis visitarent captivos, sic etiam cum illis cresceret pietas & charitas. Basillius Imperator ait, se tot exhortationes ad filium edocendum dictasse, ut quem naturalis lex ipsi devixerat, rationalis amplius devinciret, ne filius plus altri quam patri deberet, quibus probatur quod si prædicto modo parentes erga filios se gererent duplici titulo illos devincirent sibi, quibus non essent esse & bene esse, naturale & supernaturale, membra corporis & salutem animæ. Deinde instructiones, quibus nos illos imbuitis, multo efficatiores sunt, diutius hærent, & vivatius imprimuntur menti, quam ullæ aliæ, quia amore ipsos prosequimini, & affectus naturales illorum erga nos, efficiunt ut altiores radices figant, sic si pingatur in vitro, hoc igni imponitur, ut eo solidior, & perfectioris durationis sit pictura, sic ignis amoris filialis facit, ut colores virtutum, quibus filios vestros exornatis, diutius eorum memoriæ inhæreant.

Lib. 66. Exhortationum ad Leonem filium c. 6. Tom. 5. biblioth. Patrum.

V. Horum insignia nobis refert exempla Scriptura sacra, & Ecclesiastica historia, formosa & casta Susanna viriliter restitit prosecutionibus, & minis lascivis, ac impuris seniorum qui eam solicitabant, maluitque infamiæ notam subire coram universo mundo, carnificisque manibus subiici, quam vel unum peccatum mortale committere, cujus rationem allegat ibidem textus Danielis 13. quia parentes instruxerunt eam à juventute, non in vanitatibus hujus seculi, sed in amore divino, & obedientia mandatorum Dei.

Daniel. 13.

Corpore parvula, virtute & sanctitate magna Agnes, cum à teneris unguiculis se Domino consecrasset, insignis adolescens præfecti Romani filius eam conjugio sibi copulari desiderans pro responso retulit, *discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum.* Mater Doctor Edmundi Archiepiscopus Cantuariensis, maxima cura & solicitudine tenerum adhuc filiolum suum induxit, ad actus pietatis & mortificationis, invitans eum diebus veneris, ad jejunium in pane & aqua, utque hoc libentius faceret, sequenti die præcedens jejunium, aliis lauticiis recompensabat: mittens linteamina munda ad collegium, in quo commensalis erat, addebat Ciliciola moriens legavit ei tanquam monile prætiosum.

Qua ipsa in nuda carne usa fuerat ordinarie, tantum in eo causavit affectum erga Deiparam, ut resolverit, vovere castitatem in honorem gloriosissimæ virginis. Unde duos annulos argenteos parari curavit quorum unum immisit digito imaginis B Virginis alterum suo, qui adhuc defacto inest,

ineſt, nam & digitus & tota manus corpuſque integrum permanſit & aſſervatur in Abbatia Pontiginiana, & in memoriam pietatis quam ab infantia exercuit, non pauci infantes, qui ſine Baptiſmo ex hoc mundo deceſſerunt, apud ipſius tumbam, & vitam & Baptiſmum ſuſcipiunt.

VI. Alix D. Bernardi mater ſex genuit prolis maſculas, fœmellam unam, quaſi eo ipſo, quo ſe gravidam advertit, quotidie ſacratiſſimè virgini commendabat, hoc facite & vos mulierculæ, adjungite ſæpius communionem, ſed digne, ut ſic influat Jeſus benedictione, fructui corporis veſtri eique tandem ad ſacrum Baptiſmatis fontem pervenire concedat, præſervatq; nos à parvulis, quibus ſtatus ille expoſitus eſt. Quamvis nobiles eſſent, educabat illos cibis graſſioribus, ut ſic paulatim imbiberent auſteritatem. Omnes facti ſunt religioſi, & natu minor inter illos, Nivar nuncupatus, in effectu demonſtravit, quantum ſibi profuiſſent maternæ inſtructiones. Cum enim foris cum conſodalibus ſuis luderet, unus è fratribus exigens, ut ordinem ziſtertienſem aſſumeret, ait inde Nivar ingredimur religionem, teque hæredem relinquimus omnis poſſeſſionis noſtræ, ipſe autem, tam ingenioſe concordate inquit hæccine partitio à vobis facta eſt? vos rapitis cœlum mihi relicta terra, nimis inæquales ſunt portiones, nolite vobis perſuadere, quod minorennis cum ſim, cor minus heroicum ſit mihi quam vobis, & de facto paucis poſt diebus fratres ſuos ſecutus dedit & ipſe nomen religioni, in qua ſanctam vitam ut cœpit finivit. Hujus tam præclari effectus, gloriam tribuit matri & hiſtoria & judicium Dei. Præ cæteris autem notabile eſt! Exemplum ſancti, cui ſuccedit Rex noſter non ſolum ſaguinis, nominis, ſceptri, ſed & virtutis, cum eſſet parvulus, Planeta Regina ejus mater, in gremio ſuo ipſum geſtans, hæc ſæpius repetebat, fili mi, elige tibi mortem potius quam peccatum, præſtat enim mori quam offendere Deum, & hanc maximam ei tam feliciter inculcavit, ut nunquam in vita ſua Deum offenderit mortaliter. Nonne optime imitareris Reginam hanc, quando puerulum tuum in ſinu geris, vel uberibus lactas, mille ſtultitiis per diem eum alloqueris, verbis omnino vanis & inutilibus, nulla facta mentione Dei, oporteret paulatim de illo loqui, ut puto, mi filiole, amabiſne ſumme bonum Deum noſtrum, eriſne ſervus fidelis Jeſu, ſi hoc feceris eris dilectus mihi præ cæteris, ſi unquam illum offendas, non agnoſcam te ut filium meum, ſed abortivum, væ ori tuo, ſi unquam applicetur aliis quam laudibus divinis, ſi ſcirem id futurum, ex nunc impoſterum non applicaretur verbis meis, apagè cum ocellis tuis, ſi unquam aperiri debeant vanitatibus ab mundi ſtultitiis, ſi id mihi imaginarer, ex nunc vellem eos eruere, mi dulciſſime, mori potius quam peccare. Sed dicis nimis parvulus eſt non intelligit quid dicam, concedo, perge nihilominus, intelligit enim te Deus, qui videbit & cor, & bonam voluntatem tuam, ſuppoſito quod Rex adeo lucraretur corda ſuorum ſubditorum, eos liberando ab oneribus ordi-

ordinariis, ita ut ab omnibus, etiam nutricibus exinde laudetur, adeoque sæpissime, infantibus ubera sugentibus dicitent, mi suaviole, volo ut aliquando sis insignis & fidelis Regi nostro servus, & omnes guttæ lactis, quibus nunc educaris, mutentur in sanguinem, pro ipsius obsequio, fundendum. Nonne exinde glorificaretur Rex, & extranei ista, ista passim obaudientes obstupescerent ad tantam Regis commendationem, ab ipsis plebæis, imo & ipse Rex si id audiret, vel intelligeret fieri, non exiguam exinde complacentiam sumeret. Rex autem Regum, qui nos liberavit à jugo crudelissimæ servitutis, nunquid is plura meretur? Quando tres pueri in fornace ignis ardentis, & Propheta Regius David, invitant solem, lunam, stellas, volucres, pisces & reliqua animantia, ad laudandum & benedicendum Deum, creaturæ istæ irrationales, non intelligunt quid velint, nec tamen frustra est invitatio, quia id faciendo nos ipsi excitamur ad laudandum Deum, sic & tu excitando filiolum tuum, ut Deum aliquando amet, te ipsum inflammas, ut eum de facto diligas.

Quod si assuevias sermonibus divinis cum ipso miscendis dum parvulus est, continuabis cum etiam factus fuerit grandevus, maximus enim abusus est in mundo, specialiter in domibus magnatum, quod primi colores quibus intinguntur parvuli non sunt nisi vanitates, nugæ & stultitiæ, nihil audiunt nisi de amoribus conjugiis, emulationibus mundanæ gloriæ & ambitionis. Juvenculæ docentur denudere ubera, & brachia &c. si exspectes igitur consolationem aliquam à filiis tuis, cum adoleverint, gloriam coram Deo, coram hominibus honorem imbuas illos tempestive, tinctura & coloribus virtutum, cura ut inscribantur confraternitati Rosarij, orationibus mane & vesperi vacent, tempus diebus Dominicis & Festivis, lectione Historiarum sacrarum, vel alterius libri pij terent, sæpissime nudato capite pauperibus eleemosynam porrigunt, ut suspicere discant personam Salvatoris in mendicante.

Et ut præcepta ac instructiones vestræ plus habeant efficatiæ & energiæ, non sufficiat vobis, eos instruxisse verbo, sed superaddite exemplo. *Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla.* Si velis, ut puer tuus discat ambulare, non uteris multis præceptis vel instructionibus, dicendo quod unum pedem debeat alteri anteponere, & sic deinceps, sed statim incipis practicare, cum ipso gradiendo & ambulando, fac similiter, quandocunque est genu flectendum, orandum, legendum in libro pio, ne dixeris, ora, lege, vel flecte genua, sed simul cum ipso facies, dicendo oremus, flectamus genua, legamus &c.

PUNCTUM TERTIUM.

Debent correctionem. Probatur hoc exemplo Heræ Saræ.

VII. Quod si exempla vestra, piaque documenta imitari noluerint, fac juxta monitionem Apostoli adhibe correctionem, quod si neglexeris, punieris, ipsemet, & quidem rigorosissime.

Quis enim paterfamilias non contremiscat, si modo Christianus est, & Scripturæ sacræ fidem adhibet, si consideret horrendam punitionem, quam immisit Deus toti populo propter negligentiam unius Patris? In primo enim libro Regum, Heli bonus seniculus duos habebat filios discolos, lascivos, indevotos, scandalosos Ophny & Pineas, quos reprehendit interdum dicendo, *quare facitis res hujusmodi quas audio, nolite filij mei, non enim est bona fama quam* 1. Reg. 2. *audio, si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*

VIII. Aliud non poterat in illis efficere, nec severius punire, erant enim duo adolescentes & robusti, ipse senex nonaginta duorum annorum & *caligaverant oculi ejus, nec poterat videre*, artridicus erat & præ senectute ac imbecillitate totus impotens, sedili quasi affixus. Nihilominus *venit vir Dei ad Heli* 1. Reg. 2. 27. *& ait ad eum, hæc dicit Dominus, nunquid non aperte revelatus sum Domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Israël, mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad Altare meum & adoleret mihi incensum &c. Quare calce abjecisti victima mea & munera mea quæ præcepi ut offerentur in templo & magis honorasti filios tuos quam me, propterea ait Dominus Deus Israël, &c.* videbis æmulum *tuum in templo in universis prosperis Israël, & non erit senex in domo tua omnibus diebus, &c. deficient oculi tui & tabescet anima tua, & pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum quod venturum est duobus filiis tuis Ophny & Pineas in die uno morientur ambo.* Et iterum dicit per Prophetam Samuelem, *Ecce faciam* 1. Reg. 3. *verbum, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures ejus, judicaturus sum domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.*

IX. Et contigerunt omnia ad literam, misit enim Deus exercitum Philistinorum, qui interfecit triginta millia virorum de populo Israël, Arcam fœderis, quæ totus thesaurus & gloria Israël erat, cæperunt infideles, & inter alios ceciderunt filij discoli Ophny & Pineas, Senex autem auditis hisce tristibus nuntiis corruit in terram, & confregit. Potuisset quidem respondere, filios meos reprehendi, monui pro viribus quid alterius fecissem, percutere non poteram, ego nonagenarium major, istos Juvenes vegetos, robustos, nec insequi poteram visu cæcutiens, debilis, & infirmus, si forte fuissent. Hisce tamen excusationibus non utitur, sed humiliter ait: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciet.* Nonne multo culpabilior es illo, qui scis vel saltem scire debes quod si filia tua toties os ad os, sola cum solo viro loquatur qualiscunque tandem sit, id non fieri absque peccatis, si non in effectu saltem affectu, nihilominus stultè illa permittis. Ignosce quod ita loquar, istum enim loquendi modum exprimit zelus quem habeo pro honore familiæ tuæ & filiæ tuæ salute. Idiota ... es, nonne apprehendere potes & debes alias ejusdem farinæ

farinæ & sexus filias, similibus dispositionibus præviis tandem perditus? permittis eam exire solam, tibique persuaderi, quod contionis audiendi gratia, ad vesperas vel confessionem egrediatur, desuntne tibi pedes, ut eam sequaris? nunquid habes oculos ut ei invigiles confidentes qui expiscari possunt, quo vadat, quos frequentet, à quibus soleat visitari? Nec artridicus nec imbecillis nec cæcus es ut erat Heli, nec majorem securitatem habes, de prolium tuarum probitate, quam Sara
Genes. 21. uxor Abrahæ, quæ *cum vidisset filium Agar ludentem cum filio suo Isaac*, incepit invigilare quid agerent, Apostolus
Gall. 4.29. autem dicit, quod Ismaël *persequebatur* Isaac, & apposité, iniquum enim ludebant ludum, qui vere persecutio erat, nam ab Ismaële malitiam discebat Isaac, in quo cum deprehensi essent à Sara, & Agar & filium ejus è domo ejici curavit. Illam imitare, invigila tuis, ut si forte cum vicinis, diversis sexus colludant, loca secretiora quærant, illos cohibeas, & magis præstat, cum sibi similibus in sexu ludos agant: & magis invigilandum adhuc est, ut post sextum vel septimum annum non condormiant, nec mittas filias tuas ad scholas virorum, possem cum diversos Episcopos nominare, qui id prohibuerunt in Gallia, sub pœna Excommunicationis ipso facto propter summè funesta & deploranda inconvenientia, quæ inde oriuntur, si Pædagogum habeat filia tua, nunquam castiget illum nec in loco secreto vel solitario eam instruat, sed in cubili tuo, te præsente, vel saltem alio teste; res enim periculo plena est, solam cum solo conversari.

CONCLUSIO.

Salus infantium est lucrum parentum, ex Hieronymo.

X. Concludamus, hoc S. Hieronymi dicto, *salus infantium, est lucrum parentum*; si procures filiorum tuorum salutem, amorem & naturales teneritudines, temperando, ut corrigantur si deliquerint & magis eos relinquere in paupertate, & humiliori conditione, quam eos mala fide ditare & exaltare, veniet super te benedictio Dei quæ promissa est Abrahæ, cui dictum est, quia mihi fidelis extitisti non parcens filio tuo propter me, benedictus eris in familia tua, & prospere agentur omnia circa posteros tuos. Econtrario si egeris ut Heli, punieris cum illo, ut supra insinuavimus, nec obligat te Deus, cum tanta districtione, sed ut ad minus castiges illos, si non blasphemi, si discoli sint; in Ecclesiis se inhoneste gerant, Tabernis & aliis dissolutionibus sint addicti: Deus tam instanter mandat ut filij tui te honorent; quare igitur non præciperes, ut & ipsi reddant honorem debitum? punit illos severe, si tibi non obediant cur igitur non castigabis eos si ipsi non fuerint obedientes? non pepercit filio suo unico dilectissimo, innocentissimo, amabilissimo prætulit salutem vestram vitæ illius; cur igitur parcis filio tuo quia naturæ abortivum est, intemperantiæ, dissolutioni, & ut verbo

Deuteron. 21. 9.

totum dicam, omni vitro addictus est? Cur parvulo exponis & tuam & ipsius salutem ut magnus fiat in hoc mundo?

Salus infantium lucrum est parentum. Si filii tui salutem suam operentur, lucraris conscientiæ quietem; si prudentes sint & virtuosi, non est undè inquieteris.

Eccles. 11. Lucrum est, lucraberis honorem & reputationem inter homines, quia *in filiis cognoscitur vir* causa in effectibus, originale in copia, dominus in famulo, saltem ordinariè.

Lucrum est parentum, lucraberis affectum & laudes filiorum, dum etiam post obitum tuum, gloriabuntur se habuisse, patrem tam pium, tam conscientiosum, matrem tanta charitate præditam.

Lucrum est, lucraberis Cœlum, dicit enim Apostolus, quod mulier christiana, quæ bene regit familiam suam proles educando in amore & timore Dei,

1. *ad Tim.* 2. 15. *salvabitur in generatione filiorum.* Quanta erit gloria Patriarchæ Abraham, cum patre cum filio suo Isaac, Isaac cum Jacob, Jacob cum dilecto suo Joseph, matrem Machabæorum sanctus Simphorosam, & Fœlicitatem, cum septem filiis suis quos ad Martyrium adhortando, cœlo genuerunt illis associaveris. Eva dicebat *possedi hominem per Deum*, Tu dices, *possedi Deum per hominem*, Filius dicet *gloria patri, gloria patri æterno*, qui mihi providit de patre tam exemplari, tantæ vigilantiæ, solicitudinis & virtutis. Pater inquit, & filio, Gloria Filio æterno, qui mihi filios dedit, tam sagaces, tam voluntarios tam obedientes, mater dicet, *& Spiritui sancto*, Gloria sancto Spiritui, cujus inspiratione tantam reperi in filiabus meis castitatem, modestiam devotionem. Parentes & filii, concertabūt vocibus, ut simul & unanimiter intonent per omnem æternitatem, cum inexplicabili amore Dei & exultationibus gaudiosissimis, gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, nunc & per infinita secula Amen.



SERMO

SERMO QUINQUAGESIMUS.

Pro Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

De magno damno, quod inferunt parentes prolibus, dum impediunt eas ab ingressu in religionem, ad quam sunt vocatæ.

Non respicis personam hominum. Matth. 22.

MEritò deberent parentes respicere personas hominum, ut nempe proles suas quæ vocatæ sunt à Deo, non impediant ab ingressu in religionem, quia si proles, quas putant aptiores & meliores pro mundo impediant à religionis ingressu, & eas quæ sunt ineptiores, ad religionem cogant, sciant quod graviter peccent in Deum, quia in antiqua lege scriptum est, quod meliora debeant Deo sacrificari & immolari, atque imperfecta à Deo arceri, unde benè considerent parentes, ne proles, quas à Deo vocatas ad religionem norunt, non impediant, quia idem esset ac illud, quod Deo immolari debet à sacrificio ejus auferre, & impedire ne hoc offeratur, undè ne hoc faciant, ostendam cum Auctore, quam gravè sit peccatum, proles, ne religionem ingrediantur.

I. HEri ex parte sanctus Paulus docuit omnes parentes obligari, ut suas proles nutriant, & educent in timore Dei; Verum sacri interpretes sapienter advertunt iis dici; *Educate illos, & non ditate;* Enimverò appetitus inordinatus, quo per corruptionem naturæ homines desiderant suas proles ditare, & magnas extruere domos, causa est, ut in hac materia tres maximos, & nocivissimos errores committant. Primus est, si natu major & filius, aut habilior à Deo vocatur ad statum religiosum, eundem impediant, quantum possint, ita, ut in causa sint, quod damnetur in mundo, ubi alias in porta monasterii salvaretur. Secundus est quod natu minores aut eos, quos magis imperfectos, inhabiles in naturalibus judicent, cogant ad statum Ecclesiasticum, Ego hos duos abusus vestræ saluti adeo nocivos, & contrarios gloriæ Dei deiicere decrevi, & quidem hodiè sub oculos vobis ponam magnam injuriam, quam irrogatis vestris prolibus, dum eas impeditis à sequela vocationis divinæ, quæ ad religionem reformatam vocatæ sunt.

O sancta Virgo, Benedicta sancta Anna tua mater totum contrarium fecit, illa in templo in teneris annis te Dei servitio mancipavit, in eo tu emisisti tria vota, quæ animæ religiosæ in professione sua emittunt: & quidem edidisti votum virginitatis, uti ex responsione, quam dedisti angelo cognoscimus votum paupertatis, uti ostendisti in Purificatione, dum Deo sacrificium pauperum obtulisti: Votum obedientiæ, uti significasti: dum matrimonium iniisti contra inclinationem, qui amasti solitudinem, ut superioribus obedires

dires. Hic status sublimis, & altus te disposuit ad divinam maternitatem, & ut reciperes ex parte Dei illam salutationem solemnem, qua te Angelus salutavit dicens: *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

PUNCTUM PRIMUM.

Religio est status Deo gratissimus, probatur primò Scripturâ, secundò Ratione, tertiò Patribus.

II. PORRO ut vobis monstrem magnam injuriam, quam infertis vestris prolibus, dum eas impeditis, quando sunt vocatæ à Deo in religionem, solum mihi ostendere incumbit, quod eas præpediatis à statu, & vita Deo valdè grata, & saluti earundem maximè congrua, & proficua. Legimus apud divum Matthæum Petrum hæc Christo dixisse: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* Profectò res hæc primò stupenda videtur, quod unus Apostolus, & quidem primus, qui loquitur nomine omnium, & qui jam pluribus mensibus studuit in schola Filii Dei proponat hanc quæstionem. Ergone Petrus serviat Christo ob mercedem? ergonè sequatur Salvatorem ex alio motivo, quam ex motivo amoris Dei? An non sanctus Paulus dixit: Charitas non quærit quæ sua sunt? An ignoravit id quod postea dixit Augustinus: *Hæc est vera pietas, gratis amare Deum?*

Matth. 19.

Dum aliquis se addixit servitio alicujus Magnatis non solet cum eo pacisci de salario, sed se committit ejus munificentiæ, & liberalitati, hic autem S. Petrus videtur velle pacisci cum Salvatore. Nonnè antea dixerat, quod in ore haberet verba vitæ, & quidem æternæ? quid autem non libenter homo donet, quid non relinquat, ut suam vitam conservet? *Cuncta, quæ habet homo dabit pro anima suâ*; quid ergò non dabit, ut habeat vitam æternam.

Et ut verbo omnia dicam Petrus sibi contradicere videtur, *Reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Si filius Dei sit thesaurus, abyssus oceanus omnium bonorum nunquid ille nil reliquit, sed potius omnia acquisivit, qui acquisivit & possidet nostrum Salvatorem? An majus præmium acquirere, sperare, prętendere possimus? Eminentissimus Cajetanus doctè has difficultates diluit, & valdè aptè advertit, quod ante hæc verba Petri quidam nobilis adolescens dixerit filio Dei: *quid faciendo vitam æternam possidebo? si vis ad vitam ingredi serva mandata: Hæc omnia servavi à juventute mea, quid adhuc mihi deest? si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.*

Sanctus Petrus igitur timens se huic consilio paruisse, hanc objectionem proponit: Domine, tu huic adolescenti dixisti ad perfectionem requiri ut omnia vendantur, & erogentur in pauperes, quid ergò erit nobis qui nostra non vendidimus, nec aliquid in pauperes erogavimus, sed solũ omnia reliquimus, ut te sequeremur? ergò id quod perfectius est, omisimus. Sed quid respondit filius Dei: Vos melius fecistis omnia relinquendo, ad hoc promptè obediretis vocationi meæ, & me sequeremini, quanquam si moras traxistis,

xistis, & pauperibus elargiendo, quia, *amen amen dico vobis, vos qui reliquistis omnia, sedebitis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.* Ex quo apertè liquet, quod res sanctior, perfectior, laudabilior, magis meritoria, gratior Deo sit imitari religionem, quam manere in mundo, ut aliquis eleemosynas det, & opera charitatis exerceat; nonnemo est, qui perfectius sequatur filium Dei, & omnia exactius deserat, quam boni religiosi.

Nil in hoc mundo est gratius, delectabilius voluptatibus carnis, bonis terrenis, honoribus mundanis; At verò religiosi adeò à quibuslibet deliciis sensualibus avulsi sunt, ut sese obligarint nec minimam cogitationem, vel per unicum momentum voluntariò admittere. An non hoc est, se reddere dignissimos hoc pro-
Matth. 5. misso Salvatoris: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Religiosi bonis terrenis etiam minimis se adeò denudant, & ad tantam paupertatem se adstringunt, ut nec minimi dominium habeant. Religiosus licitè nihil donare, recipere, de nihilo disponere potest ex se, ita ut nil sit in mundo, quantumvis minimum, de acu, de palea &c. licitè quid facere possit; nam si sint subditi indigent licentia expressâ vel tacita superiorum, si sint superiores v.g. Priores, Abbates, Provinciales indigent licentiâ Communitatis, aut Generalis, Nonnè hoc est se reddere dignissimum hac promissione; Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Quoad honores, & dignitates tu adeò scrupulosus, ut in mūdo teneas tuam præcedentiam, adeò acuratus es in prælatione, & præeminentia, ut si aliquis te postponat (sed quid dico postponat) si te conferat alicui, qui sit inferior te, tu adeò tangeris, ut per quinque vel sex dies turbatus sis. Tu dicis, siccinè me æstimet, quem mihi comparat? Etenim in religione contemptus dignitatum, humilitas christiana tam heroicè viget, ut filia regis pro sociâ habeat filiam sutoris, pauperrima, vilissima soror par sit nobilissimæ, illustrissimæ Comitissæ, Marchionissæ, Principissa gaudet, si postponatur filiæ Sartoris. In hoc consistit earum ambitio, ut sint infimæ, vilissimæ, contentissimæ, humillimæ, & tamen hoc est se reddere dignissimum hoc promisso; *omnis qui se humiliat, exaltabitur.*

Porrò, quamvis aliquis renuntiaverit delicijs, divitijs, honoribus; attamen dicere non potest, reliquimus omnia, sed principaliter aliquis debet relinquere seipsum, quod est difficilius, inquit Salvator, & hoc fit perfectius in statu religioso, quam in ullo alio. Enimverò seipsum relinquere est renuntiare propriæ voluntati, propriis cupiditatibus, appetitibus, affectionibus, & inclinationibus particularibus. Religiosi autem per votum obedientiæ sese relinquunt. Nam si superior mandet eloquentissimo Concionatori totius Galliæ, ut tota vita lateat in sua cellula, ille hoc talentum tam libenter debet abscondere, quam libenter lucraretur mille animas. Si Prælata mandet uni Principissæ, ut inserviat coquæ, ut se submittat rotariæ & religiosæ tam vili,

quam

quam in mundo nec reſpicere dignaretur, & illa libenter hoc faciet, nonne ſeipſam relinquet, & in veritate dicere poterit, Ecce reliqui omnia, & ſecuta ſum te. *Et ſecuti ſumus te.* Omnes Chriſtiani, cum obligentur ſequi Chriſtum Jeſum ex profeſſione fidei Chriſtianæ, quia ut teſtatur verbis expreſſis & claris ſanctus Baſilius, Chriſtianus *irrevocabili pacto ad hoc ſe adſtrinxit, ut Chriſtum ſequatur in omnibus, quod eſt Deo integre & perfecte invocare.*

L. 2. de Bapt. q. 1.

III. At enim verò, ut perfectè cognoſcamus quantum hic ſtatus, & perfectio ſit grata Deo, ſolum oportet conſiderare magnum præmium, quo illi afficiuntur, qui huic ſtatui ſe mancipant, nam præter vitam æternam, quam iis promittit, iis reſervat theſaurum in cœlo, præter centuplum hujus vitæ; hoc eſt, præter conſolationes interiores, & ſpirituales delicias, quæ centies plus valent, quam voluptates, quas reliquerunt, promittit, quod coaſſumet eos, ad honorificentiſſimum munus, ad eminentiſſimam dignitatem, officium nempe Judicis, quod illi pater donavit: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.*

IV. Porrò confirmemus hoc ex Patribus, & imprimis agmen ducat Venerabilis Beda, qui inquit: *duo ſunt Ordines Electorum in judicio futuro, unus judicantium cum Domino, de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt illum; alius judicandorum à Domino, qui non quidem omnia ſua pariter relinquerunt, ſed de his tamen, quæ habebant quotidianas eleemoſynas dare Chriſti pauperibus ſtatuerunt.* præterea ejuſdem animi eſt ſanctus Auguſtinus, nam diſputans contra eos qui aſſerebant omnes Chriſtianos eſſe obligatos, ad propria bona relinquenda, ille diſtinguit duo genera juſtorum in Eccleſia, unum eorum, qui ſuas facultates relinquunt ex amore Dei, alterum eorum, qui ea ſervant, familiam ſuam alant & Eleemoſynas faciant, & hos non dicit eſſe judicaturos cum Chriſto.

Beda in Nat. S. Bened.

Non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter judicaturi, ſed ad ipſius dexteram ſtabunt, miſeri corditer judicandi. Simili er S. Gregorius qui non minus quam venerabilis Beda, veſtigiis S. Auguſtini inſiſtit, dicit.

Aug. Epiſt. 89. ad Hila.

Quiſquis ſtimulo divini amoris excitatus hic poſſeſſa reliquerit, illis procul dubio culmen judiciariæ poteſtatis obtinebit, ut ſimul tunc judex cum judice veniat, qui nunc conſideratione judicij ſpontanea ſe paupertate caſtigat. Et Paulo poſt, *alij judicantur & pereunt, alij non judicantur & regnant, alij non judicantur & damnantur, aliqui judicantur & ſalvantur.* Prioris generis ſunt fideles avari, quibus Judex dicet: *eſurivi, & non dediſtis mihi manducare.* Secundi generis ſunt infideles quibus dictum eſt in Evangelio, qui non credit jam judicatus eſt, nam ob infidelitatem proceſſus jam eſt formatus, cum enim nil peccarint in fide, nec in lege Salvatoris non examinabuntur, ſicut Princeps ſubditos non damnat, abſque formatione proceſſus, cum tamen hoſtes puniat & perdat, nullo formato proceſſu. Tertij generis ſunt ſeculares qui redemerunt ſua peccata per eleemoſynas, quibus dicet: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare.* Ultimi ſunt

Greg. l. 10. Moral. c. 30.

sunt quibus dicit, vos qui reliquistis omnia, qui cum authore suo etiam judices veniunt, de quibus Salomon, cum de sponso Ecclesiæ loqueretur dicit, *nobilis in portu vir ejus quando sederit cum Senatoribus terræ.* Sicut enim non judicantur & pereunt, qui, suadente perfidia, legem temere contemnunt, ita non judicantur, qui suadente pietate, ultra divinæ legis præcepta proferunt.

Greg. l. 10. Moral. cap. 30. lib. 26. cap. 24. & 25.

Aug. Epist. 9. ad Hila.

PUNCTUM SECUNDUM.

Est status operandæ saluti aptissimus, primò, quoad præteritũ, quia ibi fit pœnitentia de peccatis cõmissis, secundò, quoad præsens, quia ibi declinatur à malo, & fit bonum, tertiò, quoad futurum, quia ibi vitatur mors improvisa & mala, primo Epitome prædictorum ex D. Bernardo, unde filii debent sequi hanc vocationem, etiam invitis parentibus.

Greg. l. 10. Moral. 30.

V. Idem ostendit secunda veritas proposita, quod nempe status religiosus non solũ sit Deo gratus, sed etiam saluti nostræ proficuus. Qui vult salvari, debet cogitare præterita, præsentia, futura. Quoad præterita, debet per pœnitentiam peccata commissa dolere; nam multi possunt dicere cum David: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, sensus enim, & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua.* Quoad præsentia debet facere bonum, & fugere malum. Quoad futura debet se præparare ad bonã mortem, ut cœlum introire possit. S. Bernardus monet, ut secedamus, è mundo, & confugiamus ad claustrum: *Fugite de medio Babylonis, fugite, & salvate animas vestras, convolate ad urbes refugii, ubi possitis, & de præteritis pœnitentiam agere, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari.*

Gen. 8.

Bern. Serm. 30. de Conversione ad Clericos.

Filius DEI clare nobis dicit in Evangelio; *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Sancti valde bene observant, quod non tantum dicat, nisi pœniteatis, sed nisi pœnitentiam egeritis. Differunt pœnitere, converti, & pœnitentiam agere, quia inquit Propheta, postquam me convertisti, egi pœnitentiam, & hoc faciendum est, ne pereamus. Et quidem non debemus agere pœnitentiam talem, qualem, sed quæ correspondeat peccatis, eorum gravitati, & numero. Pœnitentia inquit sanctus Jordanus, non debet esse minor ipsis peccatis. *Alto vulneri longa & diligens medicina non desit, pœnitentia, crimine minor non sit. Putasne dominum cito posse placari, cujus templum sacrilega contagione violasti? orare oportet intensius & rogare noctes vigiliis, & fletibus ducere, stratos solo adhærere, cineri & cilicio volutari, &c.*

Luc. 13. 3. & 5.

Cypr. de lapsis.

An tu putes quod DEUS, postquam profanasti tuam animam, quæ est ejus templum, tam cito possit placari. Ferventer ad eum debes fundere preces, vigilare, jejunare, portare cilicium, cubare humi, vestibus incedere vilibus, mortificationibusque aliis premere carnem. Et ita docent Tertullianus, sanctus Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Cæsarius, quod si sententiæ sanctorum Patrum veræ sunt, uti certum est, cum loquantur Spiritu DEI, & alii etiam Patres hoc asserant, si ita habeat usus, & praxis, omnium Christianorum jam à ducentis, & mille annis, si hæc pœnitentiæ sit unicum medium, quo possimus salvari post post peccatum, & recuperare gratiam amis-

amissam, si tam pauci sint, qui hanc gratiam non amittant, & qui post baptismum non peccent, annon concludere debemus, quod pauci sint, qui in mundo salventur à quo omnino hæc pœnitentia videtur proscripta? Nonne inferre debemus, quod status Religiosus sit quasi unica tabula, ad quam confugere possimus, ut appellamus ad partum salutis, post naufragium, & jacturam universalem, quâ reliqui omnes pereunt?

Enim vero, si observes habitum, vitam, & exercitia Religiosorum, videbis quod Religio nil aliud sit, quam publica & solennis professio pœnitentiæ, quam praxis continua humiliationum, austeritatum, & mortificationum, quas Scriptura, & sancti Patres ad perfectam pœnitentiam exigunt, videbimus, quod hoc nil aliud sit facere tota vita, quam id quod fecerunt pœnitentes primitivæ Ecclesiæ per aliquot tantum annos, videbimus inquam, quod hoc nil aliud sit, quam renuntiare omnibus voluptatibus sensualitatis, recreationibus, & stultitiis mundi, delitiis carnis, conviviis, ludis, choreis, comœdiis, recreationibus, & aliis commoditatibus, quas tam anxiè caro desiderat.

Cernemus, quod hoc nil aliud sit, quam esse semper infirmum in claustro, indui sacco, medietate anni jejunare, abstinere à carne, ac aliis cibis exquisitis, noctis optimam partem transigere in laudibus DEI, propriam nec in minimo habere voluntatem, continuo subjici alteri. Et sane hoc genus vitæ est pœnitentia adeo DEO grata, est satisfactio adeo efficax, ad solvendas pœnas peccatorum, & diluenda omnia debita, ita ut ubi in primitiva ecclesia non promittebatur pœnitentibus remissio peccatorum nonnisi post absolutam pœnitentiam, illa detur Religiosis in principio, & in die professionis eorundem, nam præterquam quod Ecclesia iis donet Indulgentiam plenariam in forma Jubilæi, sanctus Thomas asserit, donatio, qua te ipsum donas intrando Religionem, & propositum, quo resolvis omnes subire auctoritates, est actio adeo virtuosa, heroica, generosa, & meritoria, ut in hoc die præter indulgentiam plenariam, quam obtines sine concessione sancti Petri, tu recipias secundum baptismum, & obtineas integrã abolitionem, & remissionem omnium tuorum criminum. *2.2. q. 129. art. 3. ad 3.*

Porro ut hoc clarius cognoscas, & evidenter comprehendas, quomodo status Religiosus sit maxima satisfactio, quam rigidissima pœnitentia potest præstare, quantumvis sit publica, & solennis, uti olim fieri assolebat, considerare oportet, quod omnes pœnitentiæ, quæ nobis possunt imponi, quantumvis sint rigidæ, & longæ, omnes illæ extinguantur, & annihilentur, & remittantur, quando facis professionem in Religione quantumvis mitigatissima, quæ est in Ecclesia DEI, dummodo non sit omnino deformata, quod si emisisti votum intrandi religionem, tu illud non potes commutare sine dispensatione Papæ, in opus aliud quodcunque bonum, nobile excellens, & heroicum.

Ego hujus rei duo tantum volo adducere exempla sed valde authentica & consideranda. Primum refertur canone *Per tuas.* In hoc capite Innocentius Tertius cuidam Ecclesiastico, qui postquam votum emisisset de intranda Religione *De voto & voti remissiõ lib. 3. tit. 43. cap. 10. cap admonere 33. 42.*

gione, nominatus esset Gebennensis, ei suasit, ut resignato Episcopatu adimpleret suum votum. *Ut si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes ecclesiæ memoratæ, ac reddas altissimo vota tua.*

.q 129. 3. ad 3.

Aliud exemplum refertur in decreto Gratiani, ubi Stephanus Papa hujus nominis quintus, qui eodem sæculo vixit, & qui miraculis claruit, scripsit cuidam magno nobili Astulpho, eique ob peccatum quoddam enorme commissum, nempe quia uxorem suam ex mera zelotypia occiderat, imposuit hanc pœnitentiam. Tu non gustabis coctos cibos, tu vinum, & siceram non bibes excepto die Paschatis, & nativitatis, tu tota vita jejunabis in pane, & aqua, tu dies tuos transiges in vigiliis, precibus, & eleemosynis, tu in Ecclesia separatus eris ab aliis Christianis, tu humiliter sedebis retrò ostium, tu magna submissione te commendabis precibus eorum, qui intrant, tu ad cœlibatum adstrictus eris perpetuum, tu à sacra abstinebis communione exceptâ hora mortis, quâ eam recipies per modum viatici, si te dignum reddas per tuas actiones, & hæc est singularis gratia, quam tibi facio ut veniam obtineas. Et postea subjunxit, quod si tamen loco harum pœnitentiarum velis intrare religionem, & submittere obedientiæ alicujus Abbatis, aut alterius superioris, id tibi fas sit. Ex quo inquit Glossa conclusissimum evadit, quod quælibet pœnitentiæ & austeritates vitæ, quas jurasti, aut quæ tibi impositæ sunt per tuos confessarios, Episcopos, aut Papam, desinant obligare, extinguantur per ingressum in religionem, eo quod status Religiosus, sit saluberrima, sanctissima, & perfectissima pœnitentia.

to & emis- 3. tit. .10. mo- . 42.

Nos debemus credere, quod magna pars bonorum Religiosorum, qui sunt in hac urbe, non intrarint Religionem, ut recuperarent Innocentiam, & gratiam baptismalem, sed ut eam conservarent, & augerent. Illa porro conservatur per fugam mali, & augetur per praxin bonorũ operum. *Declina à malo, & fac bonum.* Et hoc quod difficulter fit in mundo, faciliter adimpletur in Religione. Quod si DEUS nobis aperiret oculos, uti fecit sancto Antonio, nos videremus mundum plenum laqueis, & clamaremus cum illo. Eheu, quis poterit, eos evadere? Nos diceremus cum David: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Ubique laquei, casses, pedicæ, escæ peccatorum positæ sunt, domi, in plateis, in prosperitate, in adversitate. Tuus maritus tibi quandoque est laqueus per suas dissolutiones, & scelera, quorum te reddit complicem. Probes tibi sunt cassis avaritiæ, ambitionis, affectionis ad bona terrena, ut eas possis ditare, & promovere. Famuli tibi præbent ansam impatientiæ, iræ per suas negligentias, petulantias, inobedientias. Consanguinei tui tibi dant occasionem dissensionum, odij contentionum, processuum per injustitias, diversiones, occupationes, detentiones tuorum bonorum. Tui vicini tibi sunt ansa invidiæ, superbiæ, vanitatis, luxuum per cupiditatem, quâ vis iis esse par, aut eos anteire. Societates sunt tibi laqueus, quia te faciunt labi in mendacia, detractiones, calumnias, aut ad minus jactantias, vanas glorias, respectus humanos, condescensiones illicitas. Tui amici tibi dant escam intemperantiæ, dissolutionum, per convivia, ubi sensualitas capitur per fercula delicata.

Psal. 118.

Verbo sacra scriptura nos certos reddit, quod totus mundus sit positus in maligno, quod quidquid est in eo nil aliud sit, quam concupiscentia oculorum, carnis & superbiæ vitia, hoc est avaritia, luxuria, ambitio. Nonne est difficile ne dicã impossibile, habitare in loco humido, & non esse subjectum defluxionibus, agere & vivere inter peste correptos, nec infici, degere inter carbones, nec denigrari, esse inter flamas, nec comburi, inter serpentes, & non lædi? *Nulla securitas est* inquit sanctus Hieronymus *vicino serpente dormire*: *Nemo* inquit sanctus Cyprianus *diu tutus est periculo proximus*. *Lubrica spes est* inquit sanctus Augustinus, *quæ inter sementa peccati salvari se sperat.*

Verum sacra Religio est urbs Segor, in quâ amici Dei effugiunt incendium Sodomæ, est civitas refugii in qua evadimus persecutiones, & tela nostrorum inimicorum, est paradisus terrestris, in quo nil est, quod nobis non sit proficuum, quod nos non ducat ad virtutes, quod nos non elevet ad Deum. In mundo sunt milleni, qui te impediunt, & avertunt à servitio Dei, & praxi bonorum operum. Oportet temporalibus incumbere, videre, ut contentetur maribus, vel uxor, alere, & instruere proles, servis agenda præscribere, iis invigilare, litem prosequi, colere agros, providere domui, examinare debita activa, & passiva, & millenis aliis distineri negotiis, quæ spiritũ occupant, cor distrahunt, tempus cõsumunt, & à devotione impediũt. Scio quidem, quod omnia hæc possint fieri cum merito, si referantur ad Deum, sed & corrupto hoc seculo valdè difficile est, quia communiter tu contrahis matrimonium non vocatus à Deo, sed ex amore illicito, aut dispositione vili, aut imperfecta. Tu non servis Deo vi status, quia tuus status te ad eum non refert, quod si non sis multum solicitus, ut tuæ actiones ad eum dirigantur, & fiant ex amore ejus per rectam intentionem actualem, vel virtualem, fit ut tantum fiant actiones morales, & humanæ, quæ nullum præmium pro altera vita merentur.

Econtra in Religione servis Deo modo perfectissimo, & in cunctis occupationibus, quia nil aliud habes, quod agas, nil est quod te impedit, nullum est quod tuum cor dividat, Meditatio, orationes vocales, missa, psalmodia, & alia exercitia spiritualia sibi vendicant maximam partem temporis, porrò quod alias actiones concernit, quæ ex natura sua indifferentes sunt, uti refectio, recreatio, dormitio, labor corporalis, illæ fiunt cum merito, quia vi status Deo es dedicatus, & fiunt ex obedientia, & præcepto regulæ. Præterea in mundo, ubi degis inter vitiosos, & mundanos, nec inter virtuosos, & spirituales? si sis inter vitiosos, & velis esse virtuosus, pateris persecutiones, irrideris, scopus es scommatum, dicitur, quod habeas Spiritum contradictionis, quod non scias, qualiter vivendum sit, quod sis scrupulosus, superstitiosus, hypocrita, devorator imaginum, misantropos: oportet constantem, & firmum esse in bonis propositis, ne cedas his violentiis, & rapiaris à torrente.

Quod si sis inter spirituales, & exerceas aliquã virtutem heroicam, omnes te admirantur, laudant, te canonizant, unde necesse est aliquem bene esse imbutum in humilitate, ne ad vanitem defluas. Verùm in sancta Religione nil est, quod te divertat à virtutibus, omnia te juvant,

te ducunt, obligant, regulæ præscribunt methodum, superiores te manuducunt, confratres te exhortantur, eorũ bona exempla te confundunt, & sancta æmulatione te fodicant, minimæ virtutes, quas exerces in religione, in sæculo viderentur esse miraculum, minimæ imperfectiones mundanorum in Religioso essent enormia scelera.

Et ex hoc oritur tertium bonum, nempe quod in Religione communiter sanctâ derivamus morte. Ecclesia in litaniis vult ut duo rogemus, & quidem in eadem materia maximi momenti. Vult itaque ut sani rogemus hoc modo. *A subitanea, & improvisa morte libera nos Domine.* Quando verò sumus infirmi dicit, *A mala morte libera eum Domine.* Porrò in religione omni hoc metu exempti sumus; quia valde rarò audis, quod unus Religiosus moriatur morte subitaneâ, & quamvis morte subitaneâ morirentur, tamen illa eos inopinatò non invaderet, quia possunt mori morte subitaneâ, sed non inopinata, quia illam præmeditantur, ad illam quotidie se præparant, & dum ex morbo moriuntur, nil aliud cõgitandum habent, quam de Deo, quam de eorum salute: nil est, quod eos ab hoc impediat, nullam habent causam tristitiæ, timoris, indignationis, apprehensionis, non habent ad lectum maritum, vel uxorem, quæ doleat & lamentetur, quod amittat charam consortem, nullas habent proles quæ lugeant, & gemant, quod relinquantur orphani, servos, qui solicitent suum stipendium, notarios, qui scribant testamentum vel codicillum, mercatores qui petant sibi commendari emptoribus, debitores, qui conqueruntur nec dum datam apocham, creditores, qui minantur se decretum obtenturos, quo immittantur in bona heredum, hæredes, qui murmurant ob hereditatem non æquè divisam, Religiosi his omnibus incommoditatibus exempti sunt, non affliguntur, quod debeant separari à mundo, quem jam diu deseruerunt, non anguntur, quod debeant migrare è corpore tamdiu mortificato, & exhausto quodque iis est tantum oneri, non sunt soliciti ut instituant confessionem generalem, quam fecerunt singulis annis, & potius bis, quam semel; nulla iis facienda est restitutio, nulli revidendi libri acceptorum, nullum gerendum aut expediendum negotium, non timent comparere coram Filio Dei, qui est eorum Magister, dulcis Sponsus, Pater benignus, fidelis & magnificus remunerator.

Hinc exclamavit sanctus Bernardus. *Nec Spiritui oranti, nec à corpore exeunti à cella in cœlum, longa vel difficilis via invenitur, à cella enim in cœlum sæpe ascenditur, vix unquã à cella in infernum descẽditur* sicut cœlum, & cella in nomine valde conveniunt, ita magna est affinitas inter actiones, & occupationes utriusque, quia quis occupatur circa Deum aliquis ei unitur, eum laudat, amat, glorificat tam in cœlo, quam in cella, quia Angeli sancti sæpe deserunt cœlum ut visitent cellas, ac æque libenter habitant in cella, quam in cœlo. E cellula in infernum vix ulla est via, nullus, vel pauci admodum ex illa in eundem descendunt, verum ex eadem in cœlum via est brevis, facilis & plana, Religiosi sæpe ad illud ascendunt in vita per meditationes, & post mortem per ductum Angeli.

Idem sanctus Bernardus in illa verba: *Quærenti bonas Margaritas* inquit *in religio-*

ligione homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velocius, incedit cautius irroratur frequentiùs, quiescit securius, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosius.

In domo Dei in Religione, Religiosi vivunt sanctius, quam in mundo, oratio mentalis, lectio spiritualis, bona exempla, quæ vident, solitudo, & separatio à mundo illos stimulant ad devotionem, *cadunt rarius*, quia non habent occasionem, nec tam fortes tentationes, & uberiores gratias.

Surgunt velocius, peccant ex fragilitate, & ideò citius surgunt, examen, quod bis de die instituunt, capitula, quæ servantur in septimana, frequentes confessiones eos elevant, & corrigunt.

Incedunt cautius, vigilantia superiorum, Regulæ & constitutiones, timor ne scandalizēt proximum, eos continent intra limites virtutis, & suæ obligationis.

Irrorantur frequentius, gratiâ & rore cœlesti per frequentes conferentias, visitationes, exhortationes, communiones, & exercitia spiritualia.

Quiescunt securius, sunt exempti molestiis processuum, negotiationum, curarum domesticarum, & aliorum negotiorum temporalium.

Moriuntur fiducius, dum sunt infirmi servitur iis velut principibus, semper iis aliquis adest, qui iis ministret charitativè affectuosè, libenter, potiùs venderent superiores calices, quam quod sinant iis aliquid deesse. Sacramenta iis administrantur, & quotidie ea suscipere possunt.

Purgantur citius, non veniunt ad purgatorium, vel si veniant, non diu in illo morantur, quia in hoc mundo satisfecerunt, lucrati sunt indulgentias in morte, in monasteriis pro iis preces funduntur.

Præmiantur copiosius, quia plura habuerunt merita, & gratiam in terra ideo etiam copiosiori donuntur gloria in cœlo.

Quod si ergo velis adeo injurius esse tuis prolibus, easque à tanto bono impedire, à statu adeo Deo grato, professione adeo proficua eorum saluti à vita tam sancta, morte adeo felici, tu non debes ægrè ferre, ut tibi id dicant cum magno respectu, quod Moyses dixit in simili: Ille qui dicit suo Patri, & Matri, ego vos non cognosco, ille servat verbum Dei; & quod dixit salvator in Evangelio: si quis venit ad me, & non odit Patrem suū, & Matrem, non potest meus esse Discipulus. Porrò sanctus Chrysostomus doctè advertit, *Deut. 33. v. 9.* quod postquam Paulus mandasset infantibus obedirent parentibus, adjunxit. *Luca. 19. v. 20.* In *Domino*, hoc est ac si obedirent nostro *Luca 9. v 59.* Salvatori. Porrò Salvator nunquam mandat, ut non pareamus vocationi Divinæ, & hoc tibi probare possum ex eo, quod dum quendam ad sui sequelam vocasset, & ille prius voluisset ire, ut sepeliret suum parentem, id ægrè tulerit. Hinc inquit sanctus Gregorius: *Quos adversarios in via Dei patimur, odiendo, & nesciendo fugiamus.* Illis oportet proponere dictum sancti Bernardi, quod nempe ob solum Deum non teneamur obedire parentibus, & illud Hieronymi, si Deus te vocet ad perfectionem Religiosam, si pater tuus jaceat in limine ostii, ut te impediat, tu illum calca, & vade.

Insuper illud, quod sponsa sacra dixit, principaliter intelligi debet in materia salu-

salutis, quia in illa verificatur illud vetus adagium, charitas incipit à seipso. Et qualis est melior, & magis ordinata charitas, quam è profundo Mari suis fluctibus, & ventis agitato, pleno scopulis, referto Pyratis, nufragiis exposito discedere, ut quis confugiat ad portum salutis promontorium bonæ spei, asilum salutis, paradisum terrestrem, arcem, anticamera cœli, ad quod nos conducat Pater, Filius & Spiritus sanctus Amen.

SERMO

QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

Pro Dominica vigesima tertia post Pentecosten.

De gravi damno, quod inferunt parentes Filiis, cum sine vocatione eos cogunt ad statum Ecclesiasticum.

Domine filia mea modo defuncta est, sed veni &c. Matth. 9.

ARchysinagogum istum nos hodie meritissimè velut legis nostræ Doctorem audimus Auditores. Docet enim parentes unum documentum, & quidem valde necessarium. In lege veteri scriptũ reperimus, quod Deus in sacrificio oblationes perfectas sibi tantum offerri voluerit, vetuerit verò imperfectas. Et hinc cum filia ejus esset mortua in peccato, ille eam ad eum non adduxit, sed voluit ut prius ad illam veniret, eamque resuscitaret. Hoc documentum maximi momenti deberent addiscere parentes, ne scilicet proles imperfectas, vitiosas, in peccatis, & sceleribus mortuas cogant ad statum Ecclesiasticum, maximè si non sint vocatæ, sed prius eas studeant resuscitare, ut scilicet in pietate, scientia ac aliis necessariis imbuantur, nam alias iis maximam injuriam irrogant, ut hodie ostendam.

Honora patrem tuum, & matrem tuam. Exod. 20.

I. Velut desiderium ardens, quod natura corrupta pluribus patribus familias indidit, ut suum stemã perennent in causa est, ut natu *majorem filium*, vel nepotem seniorem impediant ab ingressu Religionis quando sunt ad eam à Deo vocati, ita hæc eadem ambitio in caussa est, ut natu secundos filios, vel nepotes ineptiores cogant sine vocatione Dei ad statum Ecclesiasticum, & hoc absq; ulla cõsideratione, præmeditatione inconvenientium quæ sequuntur, & quod quandoque iis dicetur: *Elevans allisisti me,* & id quod sanctus Paulus dicit: *Educate* illos, & non *elevate*. Porrò, ut de hac materia fructuosè agamus, & ex ea utilitatem eliciamus parentibus, & filiis, ego hunc discursum in tria puncta dispertiar. Et quidem primo ostendam damnum grave

grave, quod oritur ex assumptione status Ecclesiastici sine vocatione, secundo signa, ex quibus innotescat, an aliquis sit vocatus, tertio injuria, quam irrogant parentes prolibus, dum eas ad illum statum cogunt.

Filius Dei dixit in Evangelio: *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum.* Quod sibi promoveas tuos filios ad dignitates, & functiones Ecclesiasticas sine tractione, & vocatione Dei, tu non vadis ad tuum salvatorem, nec ad tuam salutem, sed ad tuam ruinam, & illud dictum prophetę in te verificabitur: *Dejecisti eos dum elevarentur.* O sancta, & benedicta virgo, tu cognovisti hanc doctrinam, antequam Filius tuus eam publicasset in mundo, ideò dixisti in tuis canticis: *Trahe me post te,* & hoc fecit tam fortiter, feliciter, sublimiter, ut te ad eminentissimam dignitatem, quam pura creatura possit obtinere in cœlo, aut in terra elevarit, ad maternitatem namque Divinam, quam ejus legatus tibi obtulit, quando te salutavit hisce verbis, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

***Exordium:** Paulus enumerans virtutes necessarias Episcopis id etiam intelligit de Sacerdotibus.*

1. Tit. v. 1. 1. Tim. 3. v. 2.

II. VEritas indubitata, & certa est in Theologia positiva, quod Paulus scribens ad suos Discipulos Titum, & Timotheum, & dicens Episcopum debere esse irreprehensibilem, sobrium, castum, charitativum, non solum intendat docere qualitates, quibus debet esse præditus Episcopus, sed etiam sacerdotes. Porrò hoc patet primo, quod tempore sancti Pauli & pluribus annis, hoc nomen Presbyter & Episcopus, Synonima, & omnino idem fuerunt, ut constat ex actibus Apostolorum, Epistola ad Philippenses & aliis locis. Præterea id cõstat ex eo, quod dum S. Paulus in iisdem Epistolis ad Timotheum & Titum, sermonem instituisset, de Episcopis, & virtutibus, quibus debent esse præditi, immediate post loquitur de Diaconis, eorumque qualitatibus. Nec sane veri simile est, quod neglectis Sacerdotibus, solum voluerit docere Episcopos & Diaconos, unde Sacerdotes nomine Episcoporum comprehendit. Tertio tandem, exinde hoc conficitur, quod postquam scripsisset ad suum Discipulum Titum: *Reliqui te Cretę.*

Act 20. 28. Philip 1. 1.

Ex quo fit, quod per Episcopum & Presbyterum idem intelligat. Porrò in supradictis locis, non dicit, decens est, convenit, sed *Oportet*, quod significat necessitatem & obligationem, qua Episcopi & Sacerdotes debeant tales esse, quales ipse describit.

PUNCTUM PRIMUM

Quam periculosum sit fieri sacerdotem sine vocatione, probatur primo scriptura, secundo patribus, tertio rationibus, quarto exemplis.

III. Verum enimvero tot conditiones, tot egregias dotes, tot excellentes qualitates, in iis requisivit, ut scribens ad Corinthios difficile judicarit, vel unũ solum invenire, qui illas omnes qualitates haberet. Postquam dixisset quod populus debeat respicere sacerdotes, tanquam Ministros Christi, & dispensatores

res sacramentorum divinorum subjunxit. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, ac si diceret, verum labor in hoc est, ut inveniamus unum fidelem; non dicit, *ut fideles aliqui sed ut fidelis quis* ille advertebat Salvator ante hac iisdem ferme terminis idem dixerit. *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Nota quod dicat, quem constituit Dominus. Quod si sit difficile, reperire bonos, post tamen ipsemet Deus vocavit & confirmavit; Nonne erit valde difficile, ne dicam impossibile, reperire bonos, qui se intruserunt? Hinc ipsemet plangit per Jeremiam: Non mittebam Prophetas & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant; Illi festinant ad ordines, currunt ad beneficia curata, prædicant à me non vocati nec missi, & infra: *Vos estis onus Domini, projiciam vos dicit Dominus.* Ille dixit ad Apostolos: *Non vos me elegestis, sed ego elegi vos, ut feratis & fructum faciatis, & fructus vester maneat.* Tu in munere parochiali, tu in officio prædicatoris, non facies magnum fructũ, vel si eum facias, non erit magnus, si à Deo non sis vocatus. Et quidem tempore S. Pauli, & veritas adeo manifesta fuit & indubitata, ut Apostolus eam supposuerit tanquam usitatam, notam, & nõ disputatã: *Nec quisquam sumat* (non dicit sumat) *sibi honorem* sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

1. Corinth. 4.2. *Matth. 24. 26.* *Luc. 12, 42* *Ierem. 23, 21,* *ver 3. 3.* *Ioan. 15 1. 16.* *Habreo 5. 4.*

IV. In hunc locum dicit S. Augustinus. *Locus superior, sine quo populus regi non potest, & si id administraretur, tamen indecenter appetitur.* Et S. Gregorius Magnus; *Virtutibus pollens, coactus ad Regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Præterea S. Bernardus instruens Papam Eugenium, quomodo se debeat habere, in distributione beneficiorum, inquit *Alius pro alio, alius forte & pro se rogat: pro quo rogaris sit suspectus, qui rogat pro se, jam judicatus est, nec interest per se, ac per alium quis roget.*

Lib. 19. de Civit. cap. 19. *In Pastorali par. cap. 9.*

V. Et sane cæcitas maxima, & abusus haud tollerandus viget nostro ævo, non vocatos ad sacerdotium promovendi. Quod si adolescens quidam à Deo vocatus velit fieri laicus, in quadam Religione, quædam puella petit admitti in numerum conversarum, fiunt tot delationes, tot instantiæ, tot consultationes, examinationes, informationes, si inquam, tot requirantur conditiones, tot præmittantur preces communionis, si uno vel altero anno debeant servare novitiatum & videatur, nam sint vocati â Deo, num habeant conditiones necessarias, si inquam dicatur, si intrent Religionem non vocati, non salvabuntur; quomodo inquam, non erit res indignissima ut, dum aliquis, petit sacerdotium, parochiam, facultatem audiendi confessiones, nullæ permittantur consultationes, nullum examen, num id petant Deo inspirante, sed minime motioni interiori, quam putant veniri à Spiritu sancto, cum tamen proveniat ex proprio motu, aut à Spiritu maligno, credatur? Nonne hoc est deplorandum, dum tam leviter admittuntur, eo quod apparenter videantur illa munera assumere ut serviant Ecclesiæ, cum tamen re ipsa id fiat, ut laute vivant, ut deliciis fruantur, reliquis præferantur? Nonne res misera est, quod nemo timeat se damnandum, si non sit vocatur, quod nullus præmittatur novitiatus, ut prius necessaria scientia imbuantur & requisitas qualitates habeant

cum tamen status Sacerdotalis Prælatura, incomparabiliter sit eminentior, æstimabilior, periculosior, dignior, majorem sanctitatem & perfectionem exigens, quam status laicorum in quacunque Religione. S. Augustinus loquens de quodam Monacho nomine Donato, qui postquam egressus esset, & Clericus fieri volet, dixit, eum nequaquã ad Clericatum promovendum esse, hæc addens: *Cum ex his qui in Monasterio permanent, non nisi probationes atque meliores in Clerum assumere soleamus: cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciet.* Præterea in Concilio habito sub S. Sylvestro Papa, & relato in decreto declaratur, quod Abbas, non Clericus, sit inferior, non solum Episcopo, Sacerdote, Diacono, sed & minimo Clerico inferior.

Epist. 76. ad Aureliũ Episcopo

Cap. à Subd. destinas. 93.

Ille, qui est laicus in aliquo conventu, is deputatur ad colendum hortum, ad pinsendum, vel ei dantur claves portæ. Sorori conversæ committitur cura lotionis, vel culina. Religiosus cujuscunque ordinis non tenetur nisi ut tendat ad propriam perfectionem: Ille vero qui promovetur ad officium Sacerdotate vel Pastorale, ille obligatur, ad procurandam perfectionem infinitorum mundorum, ad colendam vineam Spiritualem filii Dei ad conficiendum panem Angelorum, ad habendas claves cœli, ad dealbandas conscientias.

Religiosus latet in suo monasterio, infirmus jacet in sua cellula, constitutus extra occasiones peccatorũ, si peccet, nullum scandalizat, aut valde gravat. E contra, Sacerdos Dei in medio mundi, inter ipsas occasiones, mille laquiis expositus, si cadat, ejus crimen nequit esse secretum, sed secum trahit magnum numerum animarum debilium, quæ peccant cum malo exemplo tractæ. Quod si Religiosus ex fragilitate humana cadat, si sit humilis, & confidens suo superiori, ei suum lapsum denuntiet, mittitur ad locum quinquaginta leucis ab illo loco dissitis, abstrahitur ab occasionibus faciliter reformatur & renovatur. Verum Presbyter secularis alligatus est suo beneficio, suo muneri, suæ familiæ, suæ curæ, si illa velit deserere quid dicent? quid cogitabunt? quo ibit? quid faciat? quid erit ei? magna vis, & extrema violentia adhibenda est, ut se resolvere possit, ad eã deserenda. Nonne ergo satiùs est non se mancipare professioni adeo eminenti, æstimandæ periculosæ, ex proprio motu absque certitudine de vocatione Dei?

Enim verò, non debemus nobis obducere palpum, eo quod speremus & prætendamus, pro bono publico nos magnum fructum reportaturos, nam filius Dei supra dixit nullum fructum posse referri in Ecclesia Dei, nisi ab eo electus sit: *Elegi vos ut fructum afferatis,* & quænam quæso est causa, quod tot fiant prædicationes, exhortationes Cathechismi, & tamen tam pauci convertantur, & vitam suam emendent? S. Petrus tria millia in una prædicatione convertit. Quomodo ergo, cum verbum Dei adeo sit efficax tam pauci convertantur? id non provenit principaliter ex indispositione auditorum, nam ji quos sanctus Petrus convertit fuerunt indispositi, erant enim Judæi, qui filium Dei crucifixerant.

Cau-

Causa itaque est, quod plures blaterent & tonent in suggestu, pauci verò prædicent: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo credent sine prædicante? Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* non dicit *quomodo bene prædicabunt*, sed absolutè *quomodo prædicabunt.* Loqui in suggestu sicut ordinariè fit, nil aliud est quam declamare, perorare, & non prædicare. Prædicare est loqui nomine Dei, annuntiare ejus verbum, non taliter qualiter, sed ea ejus missione, & ablegatione: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te super gentes, ut evellas, destruas, ædifices, plantes*; Ut radicitus evellantur spinæ vitiorum, & faciliter plantentur habitus virtutum, non satis est proferre verbum Dei, sed necesse est, ut ille eadem immittat ori nostro, ut ille suo Spiritu nos animet, ut ille nobis utatur, tanquam suo instrumento, ut per nos loquatur, quæ non facit, nisi nos mittat.

Rom. 10. 14.

Iere. 1. 9.

Dicere, & facere, apud Deum idem sunt, & quando loquitur sive per se, sive per alios, facit quod dicit: *Dixit & facta sunt.* Quando super hostiam dicit, *Hoc est corpus meum*, ille producit suum corpus, quando per nos prædicat, ille in cordibus auditorum id operatur, quod per os nostrum loquitur. Quod si ab eo non simus missi, nos quidem possumus proferre ejus verba, sed ille non loquetur per nos, sunt verba arida, mortua, & inefficacia, & tam parum efficimus, quam efficit laicus proferens verba consecrationis, quia quidem sunt verba Sacramentalia, sed cum non dicantur Sacramentaliter nil proferunt. Si homo plebeius narret Regem talia mandasse, ille quidem recenset mandatum Regis, nemo tamen hoc æstimat. Verum si ablegetur unus Præco qui edictum publicet, quilibet illud suscipit.

Et quidem non solum non proficimus aliis, sed & ipsis simul ac nobis nocemus; nam introtrudimur in domum Dei, ejusque functiones quas non vult à nobis, dumq; ei sumus oneri, projicit nos à se: *Vos estis onus Domini, projiciam vos dicit Dominus*, & ita rejecti, in magnos labimur errores, & per pravum nostrum exemplum, & negligentiam infinitas animas præcipitamus. Quando DEUS nos non vocavit, ille nobis non dat talenta necessaria, ad functiones, quas exercere debemus, uti statim videbimus. Et quomodo aliquis eas benè exercere possit, si talenta non habeat? quomodo possumus salvari, nisi functiones benè exerceamus? *Tota ratio*, inquit Tertulli, *damnationis est perversa administratio conditionis. Qui non intrat per ostium, fur est, & latro.* Fur postquam intravit domum, ille non agit negotia patris familias, sed omnia perdit, & vastat, qui non vocatur, intrudit se in aliquod beneficium, aut curam animarum, ille non intravit per portam, adeoque est fur, & latro, & omnia pordet, uti Salvator dixit.

VI. Quod si exempla plus valeant, quam verba, nos habemus authentica,

ca, & efficacia, quæ nobis ostendunt, quod nemo debeat esse tam temerarius, ut sine vocatione particulari, quantumvis sit sanctus, & perfectus sibi sumat prædicationem Verbi Dei, & regimen animarum. S. Gregor: Nazianz: ex stemmate fuit sanctissimo ab incunabulis, in virtutibus educatus, scientiis imbutus, dotatus fuit ingenio subtili, judicio præstantissimo, facundia efficaci, & moventе, & nihilominus cum omnibus his se indignum sacerdotio judicavit. Sed desertum intravit, & plures annos in exercitiis spiritualibus, jejuniis, precibus, meditatione, lectione S. Scripturæ, & Patrum transmisit, & ex eo, non nisi coactus exivit, nec Clericus, aut Sacerdos est factus, nisi jussus, & adactus. Idem antea fecerant Sanctus Basilius, Chrysostomus.

S. Joannes Baptista, postquam esset designatus Præcursor per os alicujus Prophetæ, qui diu ante ipsum vixit, postquam Angelus disertè testatus fuisset eum huic mundo datum, ut illud officium exerceret, postquam parenti ejus linguæ usum restituisset, ut suum dictum confirmaret, *Tu puer præibis ad dandam scientiam;* attamen maximum tempus vitæ transmisit in eremo, silentio, solitudine, & non nisi nova jussione, particulari missione jussus, illud munus assumsit. *Factum est verbum Domini super Joannem in deserto.*

Malach. 3. Luc. 1. v. 16.

VII. Sed quod magis admirandum est, ipsemet Filius DEI, qui missus est è cœlo in mundum, ut esset ejus lumen triginta annos vitam ducendo virtuosam, & sanctam plane incognitus, sequestratus ab hominibus consumpsit, ut hoc modo se præpararet ad prædicationem Evangelii. Porrò post triginta annos in vita solitaria transactos ad illud munus dignus declaratus est. Quod si audiam loqui cum Ruperto dicam. Eum per testimonium Sancti Joannis, qui testatus est eum fuisse Messiam in mundum missum per vocem Patris æterni, qui declaravit eum esse suum filium, objectum suæ complacentiæ per descensum sancti Spiritus, qui apparuit super eum in forma columbæ graditatus, & Doctor creatus fuit, & tamen hoc non obstante desertum intravit, ut pœnitentiam extraordinariam ageret. Imo post tot præparationes, testimonia, approbationes, non incepit prædicare in sua Patria Nazaret, nisi prius probata sua vocatione, & productis literis suæ missionis; nam postquam intravit synagogam, ille assumpsit vetus testamentum, eoque aperto prælegit verba Isaiæ: *Spiritus Domini super me, ad evangelizandum pauperibus misit me,* & postea adjunxit: *Hodie completa est hac Scriptura in auribus vestris.*

Luc. 4. Is. 61. v. 1.

Hoc exemplum admirandum Salvatoris tantum valuit inprimis Christianis, ut Prælati, & Pastores Ecclesiæ, ordinariè eligerentur per designationem, & deputationem cœle-

lestem: DEUS significavit suam esse mentem, ut talis eligeretur, id inquam, Deus significavit, aut per revelationem factam Episcopo, aut per signum exterius columbæ, aut per columnam igneam, quæ apparebat super caput Ordinandi, uti observant sanctus Chrysostomus, Theophilactus, & alii.

Et ita ordinati fuerunt sanctus Timotheus, Alexander Comanensis, Ambrosius, Athanasius, Fabianus, Gregorius, Nicolaus. Et in hoc sensu Sanctus Chrysostomus, & alii explicant hæc verba S. Pauli: *Noli negligere gratiam, quæ est in te per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Et ad hoc propositum faciunt verba, quæ ipsemet Paulus scripsit ad Hebræos, *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Nam velut Aaron fuit electus â Deo, & Presbyter designatus, quando minimum putavit, & hoc per celebre miraculum, dum virga ejus floruit, & amygdala nocte produxit ita in primitiva Ecclesia Prælati ordinariè particulariter à DEO eligebantur.

Chrys in Epist 1. ad Timoth. c. 18. 1. Tim. 14.

Heb. 5. v. 4.

PUNCTUM SECUNDUM.

Quibus notis cognoscamus nos non vocari à Deo. Primò si adsit intentio terrena, secundò vita præcedens vitiosa, tertiò, si non adsint talenta.

VIII. ET quamvis difficile est cognoscere quis possit, an vocatus sit à DEO, nihilominus sunt quædam signa valdè evidentia & quasi infallibilia, per quæ hoc cognosci possit. Et quidem primò, si ambiamus Sacerdotium, aut prælaturam ex motivo vili, & mundano, signum est aliquem à DEO non vocari. Axioma Theologorum est sæpiùs repetitum in summa sancti Thomæ quod *Secundum ordinem agentium, sit & ordo finium.*

Primùm principium, & ultimus finis alicujus actionis sunt ejusdem qualitatis, conditionis, ordinis, sibi correspondent, & assimilantur. Quod si principium sit divinum, & supernaturale, finis quoque talis erit; econtrà, si finis sit humanus, & temporalis, principium quoque tale erit: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Et an non sit abominanda confusio, horrenda inordinatio altissimam dignitatem mundi referre ad finem sordidum, & vilem? assumere sacerdotium velut opus, quo vita sustentetur? an non sit res execranda habere eandem intentionem celebrandi sacrificium tremẽdum quam habet famulus sutoris, qui conficit par calceorum, ut quinque, vel sex solidos lucretur? Nonne res est horrenda thronum tremendum sacerdotii, qui nos sublevat supra reges, & nos facit Judices Monarcharum usurpari tanquam scabellum per quod scandit ad zenith fortunæ temporalis? An non res execranda est referre cœlum ad terram, panem Angelorum ad ventris, verbum

DEI ad laudem hominum, curam animarum ad quietem & delitias corporis, hoc est an non res execranda sit, quod aliquis velit esse Pastor, Sacerdos, Prædicator, ex motivo & intentione secreta ut sublevetur in mundo, refulgeat, ut velit habere beneficium, ad hoc ut delitiose vivat, fiat dives, satisfaciat suo appetitui, voluptuatur, & epuletur?

1. Thes. 1. v. 7. Sanctus Paulus dicit ad Thessalonicenses: *Non vocavit nos DEUS in immunditiam, sed in sanctificationem.* Quod si in aliquo negotio quæramus commoditates carnis, opes terrenas, honores mundi, DEUS non est author talis negotii, sed amor proprius vel potius Diabolicus, qui hoc modo nos vult perdere: *Vocavit nos Deus in sanctificationem.* Qundo DEUS nos vocat ad sacerdotium, ille nobis instillat ardens desiderium acquirendi sanctitatem, nos consecrandi, & totos mancipandi servitio DEI, procurandi ejus gloriam. Nos consideramus essentiam DEI esse Majestatem adeo altam, nobilem, excellentem, perfectam, immensam, infinitam, ita ut propriè loquendo nullum aliud sit esse, quam hoc divinum, quod meditatur subsistere, quod cœlum, terra, homines, Angeli, & omnes creaturæ, essent bene collocatæ, si destruerentur & liquefierent ob ejus gloriam, & quod non sit satis, quod aliquis eum amet, ei serviat, nisi suum esse, & vitam propter ejus amorem. Ad hanc considerationem, nos optaremus consumi & annihilari, æmulari, ejus supremitati, sanctitati, justitiæ, magnitudini, immensitati, & aliis perfectionibus divinis.

Ex altera parte videmus, quod nos sumus insufficientissimi, incapacissimi, ut eum digne honoremus. Et quamvis, ut inquit, Propheta Jsaias, omnia ligna libani, & omnes arbores silvarum in toto mundo traderentur Vulcano, & omnes creaturæ in ejus gloria, velut holocausta comburerentur, attamen hoc homagium nihil esset, si comparetur ejus merito. Hic finis & motivum Religionis, debet esse unica causa, cur velimus esse Sacerdotes, ut nempe ei offeramus hostiam quæ sit digna ejus Majestate, nempe corpus pretiosum Filii, qui correspondit nobilitati, excellentiæ, sanctitati, & dignitati, suæ Majestatis divinæ. Ex quo conficitur, quod si hæc & similia motiva, in tuo corde non accendant desiderium sacerdotium assumendi, nemo tibi vere dicere posset. *Magister adest, & vocat te*, nam DEUS te non vocat, sed ambitio, avaritia, sensualitas, amor tuorum parentum, aut aliqua alia consideratio humana, quod tu non putares.

IX. Similiter indicium est te non vocari à DEO, si statim postquam pœnites, postquam vitam deseris dissolutam, voluntatem habeas sacerdotium suscipiendi *qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* *Numer. 17.* Vocatio Aaron fuit agnita & corroborata, per testimonium miraculosum suæ virgæ, quæ dum collocata fuisset in tabernaculo, in

in præsentia DEI protulit flores, & fructus Amygdalarum.

Quod si commiseris aliquod peccatum mortale, periurii, avaritiæ, libidinis, gulæ, tunc non est satis, quod aliquando in præsentia DEI, sub sacra communione, tuum cor concipiat aliquod bonum propositum vitam emendandi, quia id nil est aliud quam flores, requiruntur ergo fructus Amygdalini, fructus emendationis, pœnitentiæ, quia sanctus Joannes inquit, *Fructus dignos pœnitentiæ. Dignos* hoc est inquit Gregorius, quæ correspondeant gravitati, multitudini, varietati peccatorum vitæ ante actæ.

Hoc sensu sanctus Gregorius explicat verba S. Pauli. Hic magnus Apostolus volens docere suum discipulum qualitates, quas debet habere promovendas, ad Episcopatum, vel Sacerdo-

1. Tim. 3. 6. tium, inter alia sic dicit. *Non Neovitum* in quem locum, sic inquit sanctus Gregorius. *Inter neovitos deputamus, qui in sancta conversatione,* (viden, quod non dicat tantum in fide,) *adhuc est novus.*

Lib. 4. Epist. 51. ad virgil. Episcopum Arelat. Porro id comparatione declarat muris recenter constructis non statim ædificium superstruimus, arbores quæ debent præcidi, non adhibentur ad fabricam, navis non committitur ei qui nunquam fuit in mari, idem sanctus, scribens Regi Childeberto ait, an velis exercitum ei committere, qui nunquam portavit arma? Et postea scribens Episcopo Januario inquit:

lib. 4. Epist. 33. lib. 3. Epist. 36. *Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.* Et hoc dixit ex præscripto canonico. Et Paulo post subdit eos tantum esse ordinandos, nisi eos perdere velimus, *si eorum vita continens in annis plurimis fuerit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt.*

Vel enim tua vita præterita perversa & vitiosa, fuit cognita & publica, vel secreta & particularis? Si primum, prius purganda est infamia, quæ aliquo modo est irregularitas naturalis. Et quale quæso non esset scandalum, si videremus eum ad altare, vel sedentem in confessionali, qui semper vixit in bello, prostibulis popinis, & domibus lusoriis? In primitiva ecclesia talis non fuisset tam faciliter absolutus, illi fuisset denegata communio. Concilium Tridentinum peccantibus publice, publicam esse imponendam pœnitentiam decernit. Quomodo ergo tu Sess. 24: 4. pro eo quod obedias huic mandato, pro 8. de reform. eo quod facias pœnitentiam post vitam scandalosam, suscipis sacros ordines? Et qualis hæc non est confusio, impudentia contemptus rerum sacrarum, vilipensio DEI? Quod si tua peccata fuerint occulta & secreta, tu prius per pœnitentiam secretam debes eam diluere, te debes dare orationi, emendationi tuæ vitæ per aliquod annos, nam quomodo posses alios stimulare ad virtutes, quas nunquam exercuisti? Quomodo posses esse magister qui nunquam fuisti discipulus? Quomodo posses docere qui nunquam didicisti? Quomodo posses esse belli dux qui nunquam fuisti miles? Quomodo potes scire quod habeas donum castitatis, temperantæ, humilitatis, charitatis, & aliarum virtutum, si non diu illas practicasti?

X. Et hoc est tertium signum, ex quo colligis quod non sis vocatus à DEO ad sacerdotium, quando non habes dona & talenta necessaria ut illud suscipere possis. Paterfamilias apud D. Matthæum vocavit servos suos, *& tradidit eis bona sua.* Quod si tibi DEUS non dederit ingenium, scientiam, judicium, continentiam & alia dona quæ necessaria sunt, ut sit quis bonus Sacerdos & Parochus, signum est quod non sit vocatus. Hoc sensu intelligendum est, id quod DEUS dixit ad Moysen juxta explicationem Gregorii titulo nativitatis habebant jus ad sacerdotium, *qui habuerit maculam, non offert panes DEO suo nec accedet ad ministerium ejus: Si cæcus fuerit si lippus, si claudus, si fracto pede, manu, si gibbus.* Cæcus inquit S. Greg. est idem ac ignorans, *Lippus* idem est ac ille qui habet faciem Spiritus naturaliter acutam ac penetrantem, sed per humorem voluptatum sensualium, alteratum & obfuscatum. *Claudus* idem est ac is, qui Spiritu est debilis, vel qui ob pravum aliquem habitum nequit recte incedere, nec præparare per viam perfectionis. *Gibbus* idem est ac curvatus per avaritiam, à bonis transitoriis. *Omnia* inquit Sapiens ad DEUM in sapientia fecisti. Paterfamilias qui vel parum habet prudentiæ, non promovebit filium suum ad advocaturam, si balbutiat, ille non efficeret illum Medicum, si sit parum judiciosus, non mittet eum ad militiam, si sit claudus, vel mancus. Jesus est ipsa sapientia, te non destinabit ad statum Ecclesiasticum multo minus ad prælaturam, si non habeas ingenium, scientiam, prudentiam virtutes, quas adeo excellens ministerium requirit, & nisi sis qualificatus cave ne te ingeras, quantumvis tui parentes & amici instent.

Matth. 25. 4.

Levit. 21. 17. Greg. I.

PUNCTUM TERTIUM.

Parentes qui filios intrudunt in sacros ordines, peccant primo in DEUM, secundo in Ecclesiam, tertio in suam familiam

XI. Vide ergo tuam cæcitatem & injustitiam tui modi agendi. Vide magnã injustitiã quã erogas tuo Deo, ejus Ecclesiæ, tuæ familiæ, & tibi ipsi, dum tuum infantem intrudis in sacros ordines & officia Ecclesiastica, ad quæ non est vocatus. Tu ex servitio DEI facis opificium, in ejus domo catinam ex ejus throno unum scabellum, ejus Majestate plebeium. Tu dicis in te ipso tres habeo filios, unus mihi debet esse sutor, unus sartor tertius Presbyter, sumptus impendam, ut eum sustentem in studiis. Et cur quæso vis ut sit Sacerdos? ut possit vivere, ut recitando Missam possit lucrari quinque solidos. An non ergo vis ut vitam suam lucretur velut frater ejus? Quod si tuus vicinus, in suo tecto canalem quendam construeret, è quo aquæ in tuam aream deflueret, tu hoc non patereris, tu eum in Jus vocares, tu actionem illi tentares. Tu non permittis ut tua area aquam recipiat à domo tui vicini: Quomodo ergo tu vis ut domus DEI sit quædam piscina, in quam tuam aquam effundas? Quod si habeas aliquam prolem deformem, à natura inhabilem pinguem, obesam, monstruosam, gibbosam, luscam, illam judicas mundo ineptam, & ad statum Ecclesiasticum eam cogis. Si habeas filiam turpem, stupidam, tardam

tardam, illam debet habere Deus, illa recludenda est in Monasterio Ecclesia est Domus Dei, altare est thronus Regalis, in quo homagia à nobis recipit, in quo nobis aures præbet, in quo nostras supplicas accipit, tu autem ex eo facis scabellum, ut tuæ proles altius scandant, quam possint per earum conditionem, & ingenium scandere. Tu filium natu minorem mittis ad altare, ut ita alios ditet, & per humeros altaris sublevet. Nullus est plebejus, aut opifex adeò vilis, qui non possit admittere vel non admittere unum servum, unum tyronem, quem ei vis donare; & tamen Deus Ter Optimus Maximus, sive libenter, sive illubenter, intra aulam suam cogitur admittere tanquam ministrum sui status, procerem suæ coronæ, præfectum ærarii illum ex tuis prolibus quam ei vis donare, & hoc, quia ad nil aliud apta est.

Christus in Evangelio dicit ad sacerdotes, *vos estis Sal terræ, vos estis lux mundi,* vasa pretiosa, & selecta, Magnates in suis mensis habent sal candidum, in suis tabulis cæreos, in suis abbacis vasa argentea. Opifices communes habent sal chrisium, candelas sebacias, vasa fictilia. Tu supremæ & adorandissimę majestati, das sal nigrum instar carbonis, candelam ex seba, porcorum vas lutium ac si esset vilissimus rotarius. Quod si tu videres animam tui filii qui est Ecclesiasticus, quia tu ita vis, qui suas dissolutiones non reliquit, sed tanti eas tegit, ne cogatur ad statum religiosum, tu illum cerneres esse carbonem nigrum, sebatium & pinguem, totum lutosum & terreum.

Matth. 5.

XII. Verum enim verò vos convincere debeo. Hem Domine, an claves tuorum thesaurorum, committas huic juveni, quem facis canonicum? Hem, Domicella an tuas uniones adamantes, torques aureas illi fidas? Quomodo ergo velis, ut ei dentur claves cœli, dum fit Sacerdos, quomodo vis ut ei committatur thesaurus filii Dei, animæ nempe quarum una sola est adeo chara & pretiosa ut omnia sua pro unica daret. *Inventa una pretiosa dedit omnia sua?*

Adolescens vigintiquinque annorum, qui eo usq; fuit saltator, lusor, spectator comœdiarum, frequentator popinarum, puellarum & fœminarum, leno, aptus sit ut audiat confessiones earum, earum sit director in via spirituali, eas doceat orationem mentalem, rusticus doceat obligationes suas, populo persuadens virtutes, quas nunquam practicavit? Quod si aliquod beneficium, aut cura animarum sese præsentet tuis filiis, tu statim interrogas, an sint pingues, quantos habeant reditus, nec quæris, quot sint animæ, quæ possint perdi, & quas possint Christo lucrari? siccine ergo bene vivat, ut alias tuas proles dites & promoveas, tu infinitas misellas animas redemptas pretioso sanguine filii Dei, in periculum damnationis conjicias? An commodum temporale, quod ex hoc beneficio colligere potes, sit dignum, quot conferatur saluti unius tantum animę, quę æternaliter deplorabit suam damnationem, ob ignorantiam, negligentiam, pravum exemplum tui filii?

XIII. Et dum aliorum animas perdit non salvabit suam, quia in Judicio ei dicetur; *Erit anima tua pro anima illius.* At tu hoc non curas, & solum inspectas, quomodo satisfacias tuæ avaritiæ & ambitioni. Sed tibi optime, & clarissime

 osten-

ostendere possum, quod patrimonium pauperum, aut ut melius dicam JESU Christi, si misceatur cum hæreditate tuorum filiorum, hanc sit annihilaturum & destructurum. Videmus namque quod omnes domus Galliæ, à maxima usque ad minima, in pernitiem adductæ sint, postquam bona Ecclesiastica ad se traxerunt. Videmus quod avaritia filiorum Heli in totam familiam, & caput sui parentes maledictionem Dei derivarit. Audiamus quid roget David: *Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam arte faciem venti, sicut ignis qui comburit silvam.* Possum clare vobis id ostendere, quod dixit Alexander suæ matri Olympiæ quod nempe vita hominis, nullo beneficio possit compensari. Si hoc sit de vita, quid non erit de salute animæ, cujus periculum incurrit tuus filius, quando non vocatus à Deo, fit Presbyter aut curatus, Deus dicit per Oseam, *Regnaverunt & non ex me, iratus est furor meus in eos.*

Psal. 82. 13.

Ose. 8. 4.

Matth. 23.

Faciliter tibi demonstrare possum quod filius Dei plures maledictiones evomat in scribas & phariseos in unico tantum capite, quam in totum mundum, per totum Evangelium. Adducere possum Angelum, qui ostensa phiala S. Francisco dixit, animam sacerdotis puriorem esse debere, quam illa aqua in phiala contenta. Quod si juxta S. Chrysostomum manus Sacerdotis qua toties tractat carnẽ venerandam Christi, lingua, quæ totius bibit sanguinem pretiosum, debeat esse purior radiis solis. Quomodo non debemus esse soliciti antequam sacerdotes fiamus? *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem, manum carnem hanc dividentem ligam, quæ tremendo, nimis sanguine rubescit.* Hinc plures sancti qui ut vitam duxerunt Angelicam noluerunt hanc acceptare dignitatem nec esse sacerdotes puta S. Antonius, S. Benedictus, S. Franciscus Assisias. S. Franciscus à Paulo. Quod si tuus filius habeat plura pinguia beneficia, forte faciet ut Oza, si sit pauper, forte aget ut Nadab, & Abihu; tandem qualiscunq; sit periculum est, ne faciat tanquam Ophny & Pineas. Dum Ozas videret arcam fœderis casui proximam ob titubationem animalium, quæ eam vehebant, manus applicuit, ut eam sustentaret, & statim morte repentina percussus cecidit. S. Chrysostomus censet eum punitum, eo quod animalibus, arcam vehendam commisit; quam propriis humeris portare debuisset. Similiter punientur prælati, & Pastores, si curam suam committant Vicariis tardis, ignorantibus, mercenariis, stupidis velut bestiæ, ut ipsi interim laute vivant.

Chrysost. Homil. 60. ad popul. Antioch.

Tom. 3. quæst. in 1. Paralyp.

Dum Nadab, & Abihu, aliquam cæremoniam omitterent, puta, dum pro igne sacro, ignem prophanum adhiberent, quamvis essent filii Aaron, nepotes Moysis qui cum Deo oretenus loquebatur, & manus ejus ultrices ligabat, quamvis Deus per sacrificia, quæ pro aliis peccatoribus offerebantur placari solerent, tamen à Deo graviter puniti sunt: *Egressusq; ignis à Domino devoravit eos.* Quod si tuus filius, pro igne sacro, amoris Dei, & cœli divinæ gloriæ admittat in suum cor ignem prophanum, si non recitet Missam, nisi ut lucretur quinque solios, si non frequentet chorum, nisi ob distributiones, si solum audiat confessiones quam ex in-

Levit. 13. 2.

tentione

tentione vili & terrestri, vindictam cœli incurret, & hinc quamvis tu sis devotus, & indolis bonæ, & hoc quamvis minus faciat, quam Ophny & Pineas, quos scriptura vocat, *filios Belial, sive Iugo*, filios rebelles inobedientes & refractarios. Canones sacri interdicunt Sacerdotibus popinas domus lusorias, & alia loca prophana, venationem, curam rerũ temporalium, in ædibus magnatum; ipsi commendant, ut portent habitum decentem & modestum, tonsuram, capillos abscissos, togam longam; Concilium Tridentinum, omninò eis interdicit, augere conditionem & fortunam parentum, ex reditibus beneficiorum, cujuscunque licet sint conditionis: *Omninò eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suas augere studeant.* Idem omnibus Presbyteris mandat, quibus animarum cura incumbit instructionem populi, Dominicis & festivis solemnitatibus, mysteria fidei, virtutes christianas, quas practicare, & vitia quæ vitare oportet. Quod si tuus filius non obediat huic mandato, erit filius Belial, velut Ophny & Pineas, absterrebit populum à devotione, erit objectum iræ divinæ, erit causa, per suam negligentiam aut pravum exemplum damnationis infinitarum animarum.

Sess. 25. cap. 7. de refor. mat.

Tuæ aliæ proles, quæ cum eo bonis Ecclesiasticis fructæ sunt, clamabunt cum illo in inferno uti dicit S. Cyprianus: *Non nos perdidimus, perdidit nos paterna perfidia, parentes habuimus peremptores*: Tu hoc non curas dummodo sublimetur & ditet suos fratres. Tu ob id non augeris, dummodo tuum intensum habeas, agat de reliquo cum Deo ut vult. Tu facis uti fecit quondam dæmon cum nostro Salvatore ille ipsum duxit supra penaculum templi eique dixit. *Mitte te deorsum*: Tu elevas tuum filium ad sublimitatem unius Abbatiæ Prioratus, Pastoratus, nec prius informaris an sit vocatus à Deo an habeat virtutes & talenta necessaria. Dumque tam sublimiter ascendit caput ejus non patietur vertiginem, tuque ipsi dices, mitte te deorsum, da te avaritiæ, ale familiam, curam tuorum parentum. Quoad obligationem tui muneris, quoad curã quam habes visitandi tuas oves, pauperes alendi, infirmos visitandi ignorantes instruendi, quoad rationem quam debet reddere, fac uti potes illa ad me non spectant. Profecto si sapiat, ille tibi non credet, sed cum filio Dei respondebit: *Scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum.*

TentareDeum nil aliud est, quam quærere miraculum superfluum finem sine mediis, messem sine seminatione, præmium sine labore, quod si desideres sublevari ad dignitates Ecclesiasticas, ut acquiras beneficium habens annexam curam animarum, non tentes Deum, nec speres salvari si non satisfacias tuæ obligationi, si actualiter non resideas, si in propria persona non labores, sed damnaberis, si per tuam negligentiam unica solum anima damnetur, quod si necdum sis ordinatus, eave ne beneficium acceptes non vocatus, sed bis vel ter servas exercitia spiritualia, sub directione viri

docti, prudentis, pii, devoti. Ei totam tuam vitam præteritam aperi, ei omnes angulos, implexus tuæ animæ resera, ei manifesta omnes tuas inclinationes, humores, habitudines, intentiones, quod si hic tibi dicat te à Deo non esse vocatum, non acceptes beneficium, quia alias damnaberis, quod si dicat te vocatum, beneficium accepta, quia Deus tibi dabit talenta necessaria. *Vocavit servos suos & tradidit illis bona sua, vocabis me & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.* Si tua vocatio sit opus Dei ille tibi dabit gratias ut satisfacias tuæ obligationi. Hîc habebis benedictionem, & magnum præmium in cœlo.

SERMO

QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

Pro Dominica vigesima quarta post Pentecosten.

De obligatione prolium erga parentes.

Cum videritis abominationem desolationis, qui legit, intelligat. Matth. 24.

QUamvis Christus in hodierno Evangelio moneat omnes, ut dum viderint abominationem desolationis intelligant, attamen ego hodie cum tempus breve sit solas proles monere, & hortari volo, ut cum viderint abominationem desolationis, hoc est, cum viderint supplicia, & maledictiones, quas Deus subminavit contra omnes illos filios, & filias, ac proles, quæ, suos parentes non amant, quæ eos non honorant, eos non timent, dum eos inquam viderint, legerint, vel audierint intelligant, hoc est, sibi dictas putent, & ad eas directas; sic enim addiscent suas obligationes erga suos parentes, & illas adimplendo, evitabunt horrorem illorum signorum, quæ in hodierno Evangelio recensentur; quod ut fiat, ego hodie agam cum Auctore de debito, & obligatione quam proles erga parentes habent.

I. Dicimus legislator hoc quarto præcepto nobis ostendit illud esse maxime æstimandum, & monstrat se maximo teneri desiderio, ut exactè impleatur nam ideo non solum vult illud esse primum in secunda tabula, sed & observantibus illud promittit mercedem, & præmium: Porrò, ut hanc materiam debito ordine tractemus, eamque omnibus utilem reddamus, nos ponderabimus, primò, tria debita, quæ tenentur proles exhibere parentibus, secundo, tria motiva, quæ eas adhoc excitent, tertiò, tria monita pro parentibus. Et quia, ô sanctissima Virgo, nullus unquam fuit, qui

qui hoc præceptum tam exactè implevit, quàm tuus filius, dum hîc in terra tibi fuit omnino subjectus, subditus, obediens, tuę voluntati planè oblatus; nunc etiam, dum est in cœlo, te honorat, colit, *nil negans te honorat*, non abjiciet te, quando intercedis pro miseris peccatoribus, qui ad te confugiunt, & te salutant. Ave Maria.

Idea Sermonis.

Sermo complectitur tria debita filiorum, tria motiva ad hoc, tria monita pro parentibus.

PUNCTUM I.

Debita filiorum, primò honor, secundò amor, tertiò obedientia.

Inst. quibus modis Jus patria solvatur. II. Verùm quidem est, quod Justinianus in suis Institutionibus, & post eum alii Jurisconsulti ostendat varias vias, per quas possit filiusfamilias emancipari, & dominium in ea acquirendi, quæ lucratur; Attamen nulla est lex Civilis, nulla potestas humana, quæ possit proles eximere in hac vita ab obligatione naturali honorandi parentes, & hoc est primum debitum tam expressè, & formaliter his verbis legis præceptum, quodque Spiritus S. sæpius commendat in sacra Scriptura.

Decalogus itaque in Exordio ita inquit: *honora patrem tuum & matrem tuam*; & Ecclesiasticus: *honora patrem tuum ex toto corde tuo*; & Venerabilis Tobias inter alias instructiones, quas filio suo limini vitæ suę admotꝰ dedit, hanc ei seriò inculcavit, ho-
Exod.20. Deut.28. Eccl. 17.v. 29. Tob. 4.v.3. nora matrem tuam usque ad finem vitæ tuæ, & Spiritus S. hanc rationem dat: *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & ille, tibi.* Parentes nostri sunt imagines Dei, & post Deum fontes, & principia vitæ nostræ, organa & instrumenta, quibus usus est, ut nobis daret esse, illudque conservaret. Auctoritas parentum est radius paternitatis Dei, unde eos debemus honorare, qualescunque sint. Quamvis tuus parens sit perversus, perjurus, ebriosus, indevotus, dissipator, attamen est tuus pater, principium tuæ vitæ, instrumentum Dei, imago ejus paternitatis. Sapiens dicit, honora eum ex toto corde tuo, quia hic honor principalius, & magis essentialiter consistit in honore interiori. Et hinc in tuo corde debes æstimare tuum parentem, bonam de eo habere opinionem, eum agnoscere superiorem, revereri, & venerari ejus auctoritatem, velut rem sanctam, & divinam, erga eum habere timorem filialem. Et quia interiora tua nequit cognoscere; tu teneris signis exterioribus hunc honorē manifestare, ei loqui reverenter, signa reverentiæ ei exhibere, depositione pilei transeuntem colere, de eo honorificè corā aliis loqui, nil facere, quod cedat in minimam ejus irreverentiam, & despectum, uti egit ille Priscus apud Plutarchum. Huic dum diceretur, quod ejus parens de eo malè loqueretur, respondit, non malè de me loqueretur, nisi ego malè agerem. Regina Bethsabee non fuit orta ex stemmate regali, sed ex vili prosapia, primò nupta gregario militi, & tamen sapiens Salomon ejus filius, quantumvis esset maximus, & potentissimus Monarcha: attamen sedens pro tribunali ad dexteram throni jussit extrui regalem, in quo matrem sedere voluit, dumque mater adveniret, ille è solio surrexit, & ad pedes ejus se prostravit: *Venit Bethsabee ad regem Salomonem, & surrexit in occursum ejus, ado-* *3.Reg.v.19.*

ravitque eum, sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus.

Hic sapiens Rex fuit figura nostri Salvatoris. Hic cum esset Rex regum, & Deus majestatis infinitæ, non designatus est in terra se subjicere suæ sanctæ matri, eamq; elevare, & recipere ad suã dextram in cœlo: *Astitit Regina à dextris tuis.* Ut honores tuos parentes, tu debes eos consulere, antequam rem alicujus momenti incipias, puta, dum matrimonium vis inire, nomẽ dare militiæ, litem intentare, iter capere, tu eorum debes petere consilium, illud sequi, nam sic ostendis, quod æstimes eorum prudentiam, & Deus ideò te benedicet.

Psal. 44.

Junior Tobias magna benedictione fuit affectus, Angelus eum comitatus est, eum à cunctis periculis liberavit, divitiis cumulavit, prosperitatibus in ejus itinere replevit, quia jussa patris exequebatur. E contra prodigo illi filio malè successit, quod contra voluntatem Patris in exteras regiones profectus sit, nam omnia sua bona prodegit, & ad tantam paupertatem & miseriam est redactus, ut desiderarit siliquas porcorum, nec tamen famem solari potuerit.

Porrò Experientia nos docet Xenodochia Parisiis, Burdigalæ, & in aliis civitatibus referta esse ægris adolescentibus, qui contra voluntatem parentum peregrinationem aggressi sunt, & nomen militæ dederunt.

Et quidem contra hanc primam obligationẽ peccant primò proles, quæ in animo contemnunt parentes, nec eos plusquam nihil æstimant, qui erubescunt, quod sint eorum filii, qui eos nolunt agnoscere, eò quod sint pauperes, vel iis inferiores. Secundò contra hoc delinquũt, qui illis injurias irrogant, eos nominib⁹ contumeliosis appellant, qui iis maledicunt, cõvitiis proscindunt, hostibus tradunt, vitia præterita objiciunt. Tertiò contra hoc peccant, qui eos verberant, trudunt, qui iis minas intẽtant, manum levant, qui dentibus contra eos ringunt, noctu grassantur, pravas societates frequentant, in tabernis potitant contra eorum prohibitionem.

III. Secundum debitum, quod iis reddere tenẽtur, est amor; nam si juxta Platonem sit crudelitas, & species homicidii nõ amare suum amicum; si sit ingratitudo, & actus contra naturam, non redamare extraneum; Si sanctus Paulus dicat amorem proximi esse debitum, quod nunquã satis potest impleri, *Nemini quicquam de Beatis, nisi ut invicem diligatis*; Si Sapiens dicat, Amicũ antiquũ non esse dimittendũ: an nõ sit injustitia monstruosa, ingratitudo major quam contra naturam, species homicidii non redamare parentes, qui tam cordialiter, & sincerè te amarunt? *Probatio dilectionis est exhibitio operis. Non diligamus sermone, & lingua, sed opere & veritate.* Noli itaq; sistere in meris ceremoniis, non sis tantum contentus protestationibus, dicendo, quod eos ames, sed hoc monstra effectu. Quando sunt senes, & tui fratres, vel sorores nolint eos alere, & ad domũ suam admittere, tu gratiæ loco reponas, quod habeas tantum beneficium hoc faciendi. Quæso te, ne sis irrationabilior animalibus irrationabilibus, tu homo es, & ut talis debes habere humanitatẽ. Tu Christianus, & in hac materia, ut talis debes habere charitatẽ, noli minus esse charitatis, quã ciconię, quæ suos parentes in senectute alunt.

Eccl. 9. 14.
Eccl. 3. 9.

Noli minorem habere pietatem, quam illa filia Gentilis, cujus historia notissima qui-

quidem eſt, ſed tamen inſignis, & ob ſuam pulchritudinem reddita celebris. Apud Romanos itaq; contigit quendam ob crimen condemnari ad mortem, & quidem in carcere per famem; ejus itaque filia, quæ erat uxorata, & quæ habuit prolem, rogavit præfectum carceris, ut ei permitteret parenti ſuo ultimas obligationes reddere, & in tali miſeria eũ quotidie conſolari, hęc juſta petitio ei non fuit denegata ſub hac conditione, ut nil cibi parenti præbeat, & ita ſententiã judicis elidat, & ne clam aliquid obſonii afferri poſſet, exactè eam luſtrabat. Poſtquã adveniſſet decimus dies, qui eſt famelicis fatalis, dum eum nõ videret mori, obſervatum eſt, quod filia parẽti ubera ſugenda præbuerit. Hæc ingenioſa pietas ad aures Judicis fuit delata, qui huic filiæ vitam & libertatem parenti tanquam præmium charitatis donavit. Hic obſerva, quod habuerit prolem, quã lacte privavit, ut illud parenti daret. Et hic actus præbet mihi anſam ſolvendi quandam objectionẽ, quam cõmuniter objicere ſoletis, habeo proles, timeo, ne egeſtatẽ patiantur, cum prævideo earum non poſſum alere parentes. Inquirunt Theologi, an parentibus & prolibus in eadem neceſſitate vitæ conſtitutis prius debeam ſuccurrere parentibus, quam prolibus? D. Thomas reſpondet affirmativè, idque ob beneficia recepta.

2.2.q.26. art.9. ad 3. Coloſſ.3.v.20 Eph.6.

IV. D. Paulus dicit; *filii obedite parentibus*, ſed addit, *in Domino*. Nã ſi aliquid præcipiãt cõtra mandata Dei, aut te velint abſterrere ab ejus ſervitio, audi S. Bernardũ: *Si matrẽ diligis, deſere ipſam, ne ſi Chriſtum deſeras, ut maneas cum ipſa propter te pereat & ipſa, alioquin malè meruit de te, quæ te peperit, ſi propter te; quomodo enim non perit, quæ ipſum, quem peperit, peremit?* Quidem magna eſt impietas contemnere parentes, ſed magna pietas eſt eos cõtemnere propter Chriſtum. Ille qui dixit, *honora patrem, & matrem*, etiam dixit: Qui amat patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus. Verùm ſi licita præcipiant, debes eis obedire, quia ſunt tui ſuperiores, principia tui eſſe, cauſarum ſuperiorum eſt, inferioribus dare virtutem, & motionem, operatio eſt Authoris illius, qui eſt principium eſſe, & hujus operationis eſt principalis cauſa. Quod ſi ſervus teneatur obedire Domino ob exiguum alimentũ, quod recipit, & exiguum ſalarium, quod expectat, quomodo non debent obedire proles matri, quæ eas ex propria ſubſtantia aluit, & patri, qui tanta debet facere, ut eas hæredes inſtitueret. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſervit, & his, qui eos genuerunt.*

Epiſt.104. ad Gualt.

Eccl,3.v.8.

Et ſanè, id quod nobis præcipiunt, non eſt tam difficile, quam illud, quod Jonadab præcepit Rechabitis ſuis filiis. Propheta Jeremias juſſu Dei, ut eorum obedientiam tentaret vinum eis generoſum obtulit guſtandum. Abſit, inquiebant, hoc à nobis, nam parens ante mortem nobis mandavit, ne nos, & noſtri poſteri unquã guſtarent vinum, domos non incolerent, ſed in agris velut Anachoretæ in tentoriis degeremus, & ita exactè parenti obedierunt, & idcirco à Deo ſunt laudati, & præmio affecti. Hi ſanè in die judicii te condemnabunt, nam vixerunt in lege Moſaica, lege rudi & imperfecta, tu autem es in lege gratiæ, quæ perfectior eſt. Tua mater tibi non prohibet potum vini, ſed ne te inebries, non vult ne habites in domo, ſed ne frequentes popinas. Tuus parens non vult, ut vitam ducas anachoreticam, ſed ut vites pravas ſocietates. Et hoc ſanè non eſt difficilius, quàm id, quod Jacob præcepit

Ier.35.v.18.

Gen.37. cepit filio suo Joseph, huic mandavit, ut fratres suos in agro quæreret, & videret quid agerent. Joseph sciebat, quod fratres invidia acti contra ipsum sævirent, quod ejus vitę insidiarentur, quod optimam occasionem haberent, si eum in vasto deserto, in agro solum reperirent, his non obstantibus, quum nesciret ubi essent, ivit, & totus solus per desertum inter feras crudeles eos quæsivit, & periculo mortis se exposuit. Et quid fecit Deus? hac obedientia cœca usus est, ut eum elevaret, & in mundo magnificaret. A fratribus fuit venditus, & quia has miserias incurrit per obedientiam patri exhibitam factus est Prorex vasti regni, Gubernator Ægypti, Ærarii Pręfectus, Dominus, & superior fratrũ.

Gen.22. V. At enimverò obedientia Isaac magis heroica fuit, cujus pater Abraham eũ ante auroram excitavit, surge Isaac, eamus ad campum, Deo sacrificemus. Isaac porrò non replicavit, hem amantissime pater, cur tam mane surgam, annon dies sat longa est, ut sacrificemus? non dixit; Pater meus senex est, qui dormire non potest, nescit juvenes quiete indigere. Præcipit illi, ut iter instituat trium dierum, dumque post tres dies ad pedem cujusdam montis pervenirent, ille exoneravit bestiam, quæ ligna sacrificii ille imposuit humeris Isaac, & cum eo montem ascendit, cũ ita pergeret, Isaac dixit ad patrem, en ligna & ignem, sed ubi est victima sacrificii? fili mi, ne te hoc cruciet, quia Deus providebit; & postquam venisset ad verticem montis, erexit ibi altare, struem lignorum posuit, deinde oculos in filium conjecit, dixit: Charissime fili, tu debes esse victima, ego te immolare debeo & statim, nulla interposita mora, in holocaustum consumere, quia Deus mihi sic mandavit. Quid tu non fecisses, quid non dixisses in tali casu? Tu dixisses, ergone tu, qui meus parẽs es, me velis strangulare? tu ne qui tam tenerè me amasti, habeas animam, & vires, ut tuas manus intinguas in sanguine filii tui? ut me unicum tuum filium adeo tibi charum, radicem tuę posteritatis, eum qui tibi semper obedivit, qui nunquam tua violavit mandata, velis neci dare? nisi tam inopinato me eduxisses, si me monuisses, ego me disposuissem, ego valedixissem matri & consanguineis. Tu dices Deum ita jussisse, hęc sunt mera verba, senectus te ratione privavit. Tu omnia & infinita similia dixisses, tu parentem tibi reliquisses & fuga tibi consuluisses. Interim Isaac nihil horum dixit aut fecit Isaac in flore suæ ætatis (erat enim viginti quinque tantùm annorum, spem habens vitæ longevæ, nam ejus parens numerabat centum viginti quinque annos) potens resistere patri, fuga se salvare, absque injuria ullius, promptè obedivit patri, & dixit: quia Deus sic jubet, & tu ita vis, ego contentissimus sum, occide me, combure, redige in cineres, cõsume, ille ipsemet struem ascendit, ne ejus parens, qui erat senex, eũ oporteret supra struem projicere. Postquam cum strangu- Gen.22.10. lasset, dico, strangulasset, quia non voluit eũ decapitare, uti solet cõmuniter depingi, sed strangulare velut agniculũ parvum: *arripuit gladiũ ut immolaret*, Hebræus legit *Lischoleth* ad jugulandũ filium suũ. Postquam verò esset sub strue, dixit, amantissime pater, alliga me si placet, vinci pedes, manus, ne inter dolores & in morte idem aliquos gestus indecentes, aliquos mores incompositos, quia victima, quæ Deo offertur, debet esse composita & perfecta.

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

Motiva primò ex parte Dei, secundò ex parte parentum, nempe dolores matris, labores utriusque, tertio ex parte filiorum.

VI. At enim verò, ut bene proles suas obligationes incipiant addiscere, & eas exequi sanctus Paulus tres causas affert.

Coloss. 1. Primam allegat his verbis, *Hoc enim placitum est in Domino,* Et quidem hoc est adeo evidens, ut ipsimet gentiles in tenebris suorum errorum hoc agnoverint, hinc ita inquiebat Euripides: *Quicunque honorat suos parentes in hac vita, in vita, & in morte, est Dei amicus.* Id clarè videmus per magnas benedictiones, & singulares favores, quos præstitit prolibus reverentibus, & obedientibus. Exempla de Sem, & Japhet sunt communia, & decantatissima, verum enim verò an mihi credatis, si dicam Deum per ipsos infideles miracula præstitisse ad significandum; quomodo hæc pietas erga parentes ipsi sit grata, & accepta? Aristoteles in libro de Mirandy orbis, & in compendio Philosophiæ, quod Alexandro magno inscripsit celeberrimus refert. In pluribus regionibus orbis, & principaliter in Sicilia sunt montes quidam, qui continuo flammas, & ignem evomunt: Tertullianus, & S. Pacianus censent eos esse campos inferni. Et quidem subinde adeo sæviunt, & tantum torrentem ignis, sulphuris, aluminis, & carbonum ardentium effundunt, ut omnia oppida vicina, & quævis obvia vastent. Contigit itaque quadam vice hunc torrentem ignitum suis limitibus excurrere, & de monte descendere, quod dum Incolæ vicini viderent, fugam arripuerunt, ut ita vitam salvarent. Inter eos erat quidam seniculus infirmus, & exhaustus, qui dum non posset fugere, suum filium vocavit, & ab eo in hac extrema necessitate subsidium postulavit. Filius, qui inter primos jam effugerat, & jam multum processerat, non multum curavit periculum mortis, cui se expositurus erat, sed revertens patrem in humeros sumpsit; ô miram rem, dum hoc onere pressus pergere non posset, ab hoc torrente cinctus fuit, sed absque ullo periculo, nam Deo permittente ignis iis fuit propitius, & in duas partes se divisit, & hoc modo pietatem hujus filij veneratus est, & eos, qui præcurrerant, corripuit.

Gen. 22. 18.

VII. Econtrà impietas filij est adeo abominanda apud Deum, ut hanc sententiam in filios, qui non solum percuterent, aut occiderent parentes, sed & qui iis maledicerent: *Qui maledixerit patri, vel matri,* Exo. 22. *morte moriatur.* Sed quid dico, qui male- v. 26. dixerit? quinimo hæc sententia in eos fulminatur qui iis notabiliter refractarij, & inobedientes erunt. En verba textus sacri: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contemserit, apprehendent eum, & ducent ad Seniores ci-* Deut. 21. *vitatis illius, & ad portam Iudicij, dicentque* v. 18. *ad eos: filius noster iste protervus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuria, atque conviciis: lapidibus eum obruet populus civitatis.* Nam hæc rebellio est peccatum crudelitatis, & crudelitas est tam abominabilis apud Deum, ut eam erga bestias vetuerit, ut hoc modo in populo in abominatione haberetur: *si ambulant,* inquit,

per viam in arbore, vel in terra nidum avis
inveneris, & matrem pullis, vel ovis desuper
Deut. 22. *incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed*
abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit
tibi, & longo vivas tempore. Amor, quo
avis fertur erga pullos, detinet eam in
nido, adeoque species crudelitatis est
non facere, ut ob hunc amorem capiatur,
& fiat captiva. Quid ergo erit, si pulli
sint mali, & crucient matrem? Quid ergò
non erit, si proles affligat vitam, & acce-
leret mortem ei, à quo vitam accepit? an-
non crudelitas, & barbaries sit inaudita
facere, ut dolores, quos tua mater susti-
nuit te pariendo, quod amor, & affectio,
quam habuit te alendo, & educando sit
causa, quod tu sis carnifex, qui eam cru-
ciet, tyrannus qui ejus vitam abbreviet,
vipera, quæ ejus viscera corrodat?

VIII. Hoc sanè non est consilium, quod
tibi dat Spiritus sanctus per Ecclesiasti-
c.7. v.29. cum: *Genitus matris tuæ, ne obliviscaris.* Et
per Tobiam: *Memor esse debes, quæ, &*
quanta pericula passa sit propter te in ute-
Tob. 4. v.3. *ro suo.* Et quidem meritò, *Hoc enim,* ut in-
Eph. 6. quit Paulus, *justum est.*

Quæso te, paulisper considera gemitus,
angustias, dolores, cruciatus, invalitudi-
nes, quas tua mater sustinuit, dum te in
utero, quem Plato vocat, *Metropolim ma-*
lorum, gestavit, paulisper recogita, quos
dolores, anxietates, pericula, & timores
mortis sustinuerit te edendo in lucem.
Spiritus S. volens exprimere, & significare
magnitudinem alicujus doloris, eum
comparat dolori parturientis, *dolores, ut*
parturientis. Animo volve, quot non per-
pessa fuit noctes inquietas, insomnes, la-
boriosas, incommodas, molestas, ut te
nutriret? Viden, quoties non somnum
interruperit, quietem turbarit, ut te lacta-
ret? quoties non *tibi illa:* (sunt verba Am-
brosij:) *cibum, quem voluit, non accepit,*
tibi, quem noluit accepit, tibi vigilavit, tibi
flevit, & tu illam egere patieris? Viden
paulisper, quot non clamores, lacrymas,
molestias, importunitates, maculationes
tolerarit, dum te in sinu habuit, teque la-
ctavit?

Quæso te paulisper in animum revoca
curas, solicitudines, vigilias, itinera, pro-
cessus, labores, quos tuus miser pater per-
tulerit, ut exiguas opes tibi conservaret, &
corrogaret? Deus volens affligere filios
Pharaonis per Moysen ad hunc Regem di-
xit? *In hac vice, mittam plagas meas in cor* Ex. 19.
tuum. Quandoquidem parentes ament v. 14.
proles suas, velut propria viscera, tu non
potes vicem rependere affectu, quem er-
ga te habuerunt, nec tua viscera tantum
erga eos habere poterunt, quotiescunque
vel in minimo malè habuisti, illa fuerunt
infirma, dum benè tibi fuit, illa gaudio
inundarunt, dum non fuisti bene conten-
tus, illa summè cruciata fuerunt; quomo-
do ergò post tot testimonia affectuum tu
pro possibilitate tua eos non ames, con-
soleris, & eorum votis satisfacias? quomo-
do posses eos contristari, & molestare?
Nonne hoc est esse crudeliorem tigre, &
magis monstruosum monstro?

IX. Quod si tuum debitum, tuæ obli-
gationes tam magnæ te non moveant ad
minus te flectat amor tuus proprius, pro-
prium tuum commodum, promissa, quæ
tibi Deus fecit. *Mandatum,* inquit Paulus, Eph. 6.
prima in promissione, ille tibi promittit
longam, & felicem vitam; nam ut inquit
S. Thomas, *qui beneficium agnoscit,* 2.2. q. 122.
meretur, ut beneficium contineretur, & art. 5. ad 4.
angea-

augeatur. Filius, qui recognoscit, quod vitam acceperit à parentibus, meretur, ut illa conservetur, & producatur. Quod si videamus nonnullos filios obedientes, & morigeratos mori in pueritia, id fit ex singulari providentia Dei, qui eorum obedientiam munerat, & pro vita caduca donat æternam. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*: Et Isaias, *A facie malitiæ collectus est justus.* Vel Deus tales filios è medio tollit, ne videant afflictiones publicas, quæ eorum tempore eventuræ erant. S. Aug. Deum rogavit, ut ex hoc mundo tolleretur, ne clades per Wandalos infligendas videre posset.

Sanctus Paulus ad Timotheum scribens ait. *Pietas ad omnia utilis est.* Hæc virtus non solum promeretur longam vitam, sed & servit, ut quaslibet gratias, & favores à DEO obtineamus, sanitatem animæ, & corporis, prosperitatem felicem, copiam bonorum temporalium, si conducant ad spiritualia. Sapiens longè antè dixit: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam, qui honorat patrem suum jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudiatur. In opere, & sermone, & patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat; Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta.* Itaque ex his liquet eum non solum esse maledictum à DEO, qui parentes occidit, qui verberat, male tractat suam matrem, sed & qui notabiliter eos offendit. Redeat vobis in mentem, factum enorme Cham, hic irrisit suum patrem, hujus proles fuerunt maledictæ, ejus posteritas fuit reprobata à Deo, ejus nepotes sunt facti Idololatræ, Josua jussu Dei eos prostravit, & obtrivit, quinimo quotidie videmus inobedientes parentibus in posteritate maledici, quia habent proles refractarias, dissolutas, vitiosas, quæ talionem iis rependunt.

2.Tim. 4. v. 8.

Eccl. 3. 5.

Recordemini Absolonis, hic bellum movit suo parenti, hic crinibus arbori implexus hæsit, & miserabiliter tribus lanceis transfixus fuit. Videmus quotidie, quod ij, qui ultimo supplicio afficiuntur, fermè omnes fateantur mitium facinorum, & criminum sumsisse à rebellione erga parentes. In mentem revocate, id, quod tempore S. Augustini, contigit, quodque hic sanctus Doctor recenset, velut propriis oculis à se visum, quodque notavit in libro, quem tanquam Apologiam scripsit pro Christianis adversus Paganos, adeoque nisi esset verum, non illud recenseret, velut publicum, & toti mundo manifestum, non enim adeo temerarius esset: narrat igitur hic sanctus pater, quod Cæsareæ in Cappadocia, quædam matrona decem prolibus gravata septem masculis, & tribus fœmellis marito orbata fuit. Hæ proles nullam condolentiam cum matre afflicta habuerunt, sed in summo ei molestæ fuerunt, una petiit pecuniam, ut par esse posset sodalibus, alia vestimenta rogavit juxta conditionem, ut ajebat, suæ qualitatis, nonne hæc miseria viduæ adeo afflictæ maxima fuit? nonne præstaret inter leopardos vivere? Quadam itaque die, dum atrocius torqueretur, & exagitaretur, mater eas diris vovere cœpit; & en statim

Aug. l. 22. de Civit. c. 8. prope finem.

convulsionibus tam atris oppressæ fuerunt, ut continuò cunctis artubus tremuerint, in quocunque loco essent, & quidem tam miserabiliter, ut horrorem incesserint cunctis spectantibus. Et quandoquidem fuerint ex honesta familia fuerunt objectum viduæ, condolentia, & compassio totius urbis, dumque hanc compassionem sufferre non possent à suis concivibus è patria exiverunt, totum peragrarunt imperium Romanum, & instar Cain vagabundi oberrarunt. Et quidem Deus ita justè permisit, ut sint exemplum omnibus prolibus inobedientibus, dumque interrogatum fuisset, cur ita tremerent, responsum fuit, id provenisse à manu ultrice Dei, dum quæreretur, quænam esset causa tam horrendi tremoris dictum est, quod fuerint molestæ matri, & ab hac diris devotæ. Duæ ex his miseris prolibus, una nomine Paulus, alia Paula, seu Pauladias venerunt ad urbem cujus S. Augustinus fuit Episcopus cum admiratione omnium sed per reliquias S. Stephani ab illo morbo curatæ fuerunt. In mentem vobis redeat id, quod recenset Sanctus Bonaventura. Hic narrat de quodam bono cive, quod postquam magno labore nonnullum exiguum præcentum lucratus fuisset, ille se voluntarie depauperarit, ut filium unicum, quem habebat alicui matronæ matrimonio jungeret. Hic filius in principio suum patrem honoravit, prout debuit, sed sensim, ejus uxor hunc amorem filialem in eo remisit, & tandem totaliter extinxit, quod revera, & hodie communiter fit. Tu habes domi tuæ tuam pauperem matrem senem, debilem, surdam, infirmam, fateor aliqualem habes erga eam affectum, tu nolles ei aliquam injuriam irrogare, quia sanguis non potest mentiri. Verum tua uxor, quæ putat eam ad se nil pertinere, quæque non vidit angustias, quas pro te passus est in tua absentia, eam molestat, affligit, persequitur, ejus vitam illi objicit, panem ei invidet, bolos numerat, ea utitur velut ancilla, vellet eam centum pedibus sub terram defossam, eo, quod non possit ampliùs laborare, & quidem fateor, quod id non faciat ex tua jussione, & quod illa principaliter punietur, & forsitan in hac vita, an forte Deus ex sua justa sententia permittet, ut habeat nurum, quæ idem ipsi faciet. At enimveò, nisi tu attendas, nisi ejus feritatem coerceas, non evitabis supplicium prolium ingratarum, & rebellium, hic itaque filius, natura filiali exuta, velut bubulus naso suspenso permisit se duci ab humoribus vitiosæ fœminæ, dumque ejus pater filium, & nurum visitaret, aliquid refocillationis apud eos capturus, non nisi fabas ei apposuerunt, & iis deliciati sunt. Quadam die hic miser homo fame pressus cibum petiit, & non nisi legumina sunt ei apposita, cumq; senex hic domo discessisset, fœmina marito dixit, agedum, nunc ferculis lautis nos distendamus, quia ille senex nos non amplius turbabit. Maritus dum caponem assatum, quem in arca absconderat, adferre vellet, & arcam aperiret, vidit caponem in bufonem mutatum, qui in faciem ejus insiliit, illi se agglutinavit tam fortiter, ut nunquam eum abstrahere potuerit, & ita huic misero adhæsit usque ad finem vitæ, quem, & postea sat miserum habuit.

S. Bonavent. tom. 7 lib. de 10. præcept. serm. 5. qui est de 4. præcept.

Exempla

Exempla sunt omnium tormenta paucorum. Deus quandoq; hujusmodi supplicia publica in terrorem filiorum immittit, ut sciant tormenta, quæ expectanda habent, si parentes contemnant, si iis arroganter respondeant, si eos non consolentur, nec iis assistant in eorum senectute, si in morbo nimis diu differant, quo minus iis Sacramenta administrentur, si eos impediant, ne condant testamentum, si legata pia eorum non adimpleant, vel alio modo eos offendant.

PUNCTUM TERTIUM.

Monita pro parentibus, primum erga Deum, secundum erga filios, tertium erga seipsos.

X. Mandata Dei duabus tabulis comprehenduntur, uti scitis, prima tabula continet debitum hominis erga Deum, secunda erga proximum. Doctores Hebræi ex Traditione docent hoc quartum contineri partim in prima, partim in secunda tabula. Prima continet hoc, *honora patrem tuum*, secunda, *& matrem tuam, ut sis longævus super terram*, ut discamus, nos prius honorare debere matrem cœlestem, deinde terrestrem. Deo ergo tuo redde illum honorem, amorem, obedientiam, quam exiguis à tuis prolibus, ne tibi objiciat: *Si ego pater, ubi honor meus.* (Malach. 1. 6.) *filios enutrivi, & exaltavi, ipsi vero spreverunt me, væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis, reliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel.* (Isa. 1.) Si tuus filius te maledicéret iis, & injuriis te lacessat, si te falsarium appellet, si tibi dicat, pater ego te abnego, quid non cogitares, quid non diceres? nonne diceres, quod mereatur exhæreditari? imò, nam ita leges civiles ordinant:

Bis septem ex causis exhæres filius esto,
Si Patrem feriat, & maledicat ei.

Tu blasphemas tuum Deum, tu illum abnegas, tu pejerando eum vocas falsum testem: *Nonne ipse est pater tuus, qui fecit, & creavit te?* Tu vis, ut proles tuæ te honorent, mane, & vesperi te salutent, in matrimonii contractum, processum, opificii tyrocinio, & alio negotio alicujus momenti te consulant, ut tibi obediant, in omnibus te ament, tibi laborent, tua negotia peragant; Ergo idem fac Patri cœlesti, sæpius eum in tuo corde adora, ei mane, & vesperi flecte genua, eum in omnibus tuis consule, inflammeris ejus amore, ejus gloriam zela, ejus mandatis adeo justis, æquis, facilibus, paucis, proficuis hominibus obtempera, præsta ei omne servitium, quod potes juxta tuum statum, in id totus sis, ut totus mundus, & ante omnia tuæ proles eum cognoscant, honorent, ament, ei obediant, sæpius loquere de Deo, de divinis perfectionibus, de providentia circa tuam familiam, de infortuniis, à quibus te per suam misericordiam præservavit, de mysteriis vitæ, & Passionis Christi, doce tuas proles rudimenta fidei nostræ, magnam reverentiam erga res sacras, Sacerdotes, Religiosos, Crucem, imagines Sanctorum, doce eas modestiam, & silentium servare in Ecclesia, magnam existimationem de amore Dei, & illis, qui ei serviunt, magnū affectum erga paupertatem, humilitatem, mortificationem, tolerantiam injuriarum.

XI. Quando te offendunt, ne iis maledicas, ne eas tradas diabolo, sed assuesce, ut dicas; rogo Deum, tibi benedicat, vado, ego te committo misericordiæ Vir-

ginis, illa vos reddat probas, & sapientes, nec dæmon vos efficiat vitiosas, & pravas. Porrò ante omnia cave, ne per verba, aut opera iis præbeas malum exemplum, nunquam in præsentia earum significes existimationem tuam de mundo, bonis terrenis, rebus caducis, & transitoriis, sed potius earum contemtum; nam si audiant, quod maledicas tuæ uxori, quod eam injuriis oneres, verba inhonesta proferas, proximo detrahas, & maledicas, si videant, quod voluptatibus te des, quod sis avarus, ambitiosus, te imitabuntur.
Num. 26. Audi scripturam: *Grande miraculum fa-*
10. *ctum est, ut Chore pereunte, non perirent filii ejus.* Si parens sit blasphemus, magnum miraculum est, si filii non sint tales, si pater frequentet cauponas prodigium est, si filii non sint ebriosi, si mater sit vana, portentum est, si filiæ non sint tales; Si enim parentes præbeant filiis pravum exemplum, eorum peccata propagantur, & è familia in familiam transeunt.

XII. Quando tuæ proles peccant, tu timere debes id factum esse per tuam causam, aut negligentiam, vel pravum exemplum. Tu debes imitari Patriarcham Jacob, Job, S. Monicam. Hunc sanctum Patriarcham persequebatur ejus frater Esau, hic enim ejecit è domo, & patria paterna, Jacob serviit suo avunculo Labān, velut mancipium ultra quatuordecim annos, diu, noctuque, illo tempore vigilavit, laboravit, attamen hi omnes labores illi dulces, & tolerandi videbantur. Verum, dum ejus filii inciperent offendere Deum, dolores ejus initium sumserunt. *Ruben primogenitus meus princi-* Gen. 49. 3.
pium doloris mei, ascendisti cubile patris tui.

Sanctus vir Job timens, ne proles peccarent, dum diebus sese invicem ad convivium invitarent, Deo sacrificia obtulit, ut ejus iram placaret, ejusque justitiæ satisfaceret. Sancta Monica cum videret filium suum vitiis esse immersum amarè ante crucifixum flevit, misericordiam eirogavit, pœnitentiam pro eo egit. Tu imitare hos sanctos, quando proles tuæ sunt perversæ, dum Deum offendunt, movearis magis, quam si temporaliter affligaris, audi pro iis Missam, pro iis offer Patri æterno corpus adorandum, & sanguinē pretiosum Filii Dei qui immolatur in altari, eroga eleemosynas, jejunia, fac alia bona opera, eorum criminibus expiandis. Quod si ita te habeas erga tuas proles, facies eas proles Dei, fructus benedictos, cohæredes Jesu Christi, consortes, & sodales tecum in possessione regni cœlestis.

Amen.

Finis Dominicalis.



SERMONES
de
SANCTIS,
quos Ecclesia per annum colit.

SERMO LIII.

Pro Festo Sancti Andreæ Apostoli.

De Honorandis Patribus Spiritualibus & Sacerdotibus.

Relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 9.

EXORDIUM.

MIrum alicui forsan videri posset, quòd Christus elegerit in Apostolos homines viles, & rudes piscatores, nonnè enim per hoc se vilem & abjectum ac contemptibilem mundo reddidit? Mundus solùm honorat sapientes, nobiles, potentes, & in vili habet rudes, impotentes & ignobiles; hoc est, quod in Christo perstringebat Iulianus Apostata, quòd rudes piscatores in discipulos & Apostolos elegisset; sed tamen posteà clamare coactus fuit, *vicisti Galilæe.* cur hoc? verum quidem est, quòd Christus viles piscatores & pauperes elegerit, sed eos evexit, & elevavit ad supernam dignitatem, & Apostolatum, ac sacerdotium, ut nempe essent nostri Patres spirituales, qui in Christo Iesu nos genuerunt; hoc voluit à nobis considerari & observari, non verò quòd anteà fuerint viles & rudes piscatores, nam si hoc consideremus, judicabimus eos omni honore esse dignos, qualescunque tandem illi sint ac fuerint, uti doctè ostenditur in hac concione.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.
Exod. 20.

I. QUod si obligemur honorare patres carnales, magis obligati sumus honorare spirituales, nam sicut illi dederũt nobis esse, ita hi dederunt bonũ esse; sicut illi dederunt nobis vitam naturalem; ita hi dederũt nobis vitam supernaturalem & divinam. Illis, qui honorant parentes carnales, promittit vitam super terram longævam, illis verò, qui obediunt patribus spiritualibus, spondet vitam longævam in cœlo. Porrò ut vos doceam, quomodo obedire & honorare

eos debeatis, uti decet, ego hunc discursum in duo dividam puncta; in primo ostendam contra hæreticos hujus temporis, quòd ministerium sacerdotum, quāvis pravorum, sit efficax, ex quo deducemus in secundo puncto, quòd sint honorandi. Et sicut Eucharistia est extensio & propagatio mysterii incarnationis, ita character, quem ordo sacerdotii in sacerdotibus producit, est, ô sacerrima virgo, imago & imitatio tuæ divinæ maternitatis, Tu pronunciando hæc quinque verba, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, genuisti corpus Iesu per operationem Spiritus Sancti. Sacerdos quoque illud producit in Altari, operatione divinâ proferendo quinque verba. Et quia gratia eum ostendendi ad gloriam Dei, & profectum animarum à te procedere debet, ideò eam humiliter rogamus resalutando cum Angelo, dicendo *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

EXORDIUM.

Argumenta hæreticorum dicentium, ministerium mali sacerdotis esse infructuosum.

II. Quodsi consideremus superficiē exteriorem verbi Dei, & primā apparentiam rationis humanæ, nos videbimus quandam habere verisimilitudinem errorem illum hæreticorum, quo dicunt, quòd sacerdotes pravi amittant gratiam sui ministerii, quodque eorum preces sint inutiles, sacramenta inefficacia, doctrinæ non debeant acceptari, functiones nullius valoris; nam Deus loquens per Esaiam de sacerdotibus antiquæ legis dixit. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, incensum abominatio est mihi, cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiā,* manus *enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Esaiæ. I. v. 11.

Prætereà Salvator noster dicit in Evangelio: *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Et rursus apud Esaiā: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos, qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum, qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem? Hæc omnia elegerunt in abominationibus suis.* Matth. 7. Esaiæ 66.

Prætereà nemo est adeò peregrinus in Schola Aristotelis, qui non sæpè hanc maximam ore verset; *Nemo dat, quod non habet*; Sacerdos ergò, qui est in peccato mortali, qui non habet spiritum Sanctum, qui est privatus gratiâ divinâ, qui manceps, & servus est diaboli, quomodo dare possit spiritum sanctum, gratiam Dei, virtutes infusas, quibus caret? an mortuus suscitare queat mortuum, captivus catenis vinctus alium liberare captivum? Quomodo is, qui totus est congelatus, possit alium, qui præ frigore fermè est mortuus, calefacere? Quomodo pauper possit alium ditare pauperem? Quomodo ille, qui est in fundo abyssi, possit suum extrahere socium? Hæc est quotidiana cantilena hæreticorum; Si Sacerdotes essent probi, & nobis bono prælucerent exemplo, nos in Ecclesiam intraremus, sed quia sunt ambitiosi, avari, indevoti, libidinosi, scandalosi, ideò eos non curamus. Hoc est judicare temerè, hæc communis est calumnia, & impostura gravissima.

Hæreticus imitatur Neronem, & cum eo contendit suam occidere matrem; nam totus in eo est, quomodo proscindat

dat & extinguere possit Ecclesiam. Hic perversus Imperator, dum videret Leones, Leopardos, & alias ferocissimas belluas revereri sanctos Martyres, qui iis objiciebantur, & quasi pietate ac ratione præditæ essent, eosdem suspicere ac venerari, ille induit sanctos Martyres pelle lupi, leonis, aut alterius animalis sylvatici, eosq; objecit canibus, ut ii putantes eos esse feras, frustratim eos discerperēt.

Hæretici benè vident, quòd Christiani singulari aliqua veneratione prosequantur statum Ecclesiasticum, & quòd naturali quodam horrore vereantur in unctos Domini manus injicere, ideò suo astu sacerdotes induunt pelle ferarum sylvaticarum, & imaginantur sibi, quòd sint apri, lupi, leopardi, voluptuosi, crudeles, truculenti, indomabiles, implacabiles, ut populus Christianus audactius suos dentes caninos detractionum in eos immittat,

Et qualis amabò hæc est consequentia, sunt aliqui sacerdotes perversi, Ergò omnes sunt tales; Sacerdotium nihil est, Ergò Ecclesia eorum non est vera Ecclesia. Hæc illatio huic similis est: Beza est Sodomita, & ille posteris sui memoriam reliquit in versibus de amore, Ergò omnes ministri sunt Sodomitæ, & psalmi, quos composuerunt, nihil valent. Idem hoc est, ac si inferrem: Inter discipulos fuit unus fur, latro, sacrilegus, perversus, Ergò omnes Apostoli tales fuerūt, & Apostolatus nil valet. Herodiades conjugata fuit adultera, Ergò omnes fœminæ sunt adulteræ, & matrimonium nil valet. In racemia botri sunt quædam uvæ putridæ, in caula & ovili sunt aliquæ scabiosæ oves, Ergò omnes uvæ sunt putridæ, Ergò omnes oves sunt scabiosæ, Ergò vites omnes sunt extirpandæ, & caulæ omnes excidendæ.

Dic sodes, an nullus ministellus sit perversus? cave sis hoc dicas. Quod si scires, quid agant in occulto, profectò videres, quòd nō omne id, quod lucet, aurum sit; & quòd, quando radix fidei est cariosa, possit habere nihilominus aliqua folia virentia, sed nullos fructus salutares. Supponi volo, nullum dari ministellum pravum, sed quid sit hoc, qualis sit hæc comparatio, & stupor respectu tot Ecclesiasticorū. Tu magis observas vicia uni sacerdotis, quàm vitam inculpatam tot Benedictinorum, Carmelitarum, Dominicanorum, Minoritarum, Carthusianorum, Augustinianorum, Iesuitarum & aliorum Religiosorum, qui sunt in mūdo; Numera, si potes, ministellos, & Ecclesiasticos in qualibet diœcesi, & videbis uni ministro ad minus correspondere quingentos sacerdotes. Et sanè non est mirum, quòd facilius reperire sit aliquē malum in tanto numero, quàm in exiguo pugno ministrorū; in vase vel corbe pomorum citiùs unū reperies putridū, quàm in scutella, in qua tantùm quinque vel sex poma sunt.

Quodsi aliqua Regina in sua crumena haberet quingentos ducatos, vel aureos, & inter eos unus vel alter esset tantùm adulterinus, vel concisus, an equiso vel coquus, qui quinque vel sex aureos tantùm in sua bursa haberet, meritò hanc Principissam exagitare posset, & dicere, ego ditior te sum, quia non nisi probam monetam in mea bursa habeo? Ecclesia similis est magnæ Reginæ, illa numerat plures Ecclesiasticos bonos, virtuosos, devotos, pretiosos, quàm si unus vel alter malus in tanto numero reperiatur, an hoc sit aliquid miri? Synagoga Calvini est velut stabulum, & coquina, quia non fiunt hæretici, nisi ob

carnem vel ventrem, quinque vel sex tãtùm habet in sua bursa, hoc est, in qualibet provincia quinque vel sex tantùm ministros, quale ergò sit prodigium, quòd contineant, quòd non sint scandalosi, perversi?

PRIMUM PUNCTUM.

Contrarium probatur primò scriptura, secundo rationibus, tertiò Patribus, quartò responsione ad argumenta, quintò comparationibus.

III. AT supponamus, omnes sacerdotes esse malos, quod tamen nunquam fuit, attamen eorum ministerium non desinit esse dignum honore, eorum sacrificia non maculantur, sacramenta eorum sunt valida, preces acceptabiles, auctoritas legitima, doctrina salutaris, consilia, & monitiones proficuæ. Scribæ & Pharisæi, qui sub Herode vivebant Ierosolymis, fuerunt perversi, arrogantes, vitiosi, & tamen cognoverunt, & locum annunciârunt, in quo Christus debebat nasci. (Matth. 2.) Caiphas fuit pravus, ambitiosus, politicus, & tamen, ut verbo dicam, hic Caiphas vaticinatus est, & dixit veritatem. *Quia erat Pontifex anni illius.* (Ioann. 11. v. 11.) Scribæ & Pharisæi tempore, quo vivebat Christus, erant hypocritæ, avari, genimina viperarum, & tamen Salvator dicit: *Quæcunque dixerunt, facite.* (Matth. 23. v. 2.)

IV. Potestas administrandi sacramẽta, & faciendi alias functiones Ecclesiasticas est gratia gratuita, quæ nulli datur ex debito, non secus ac donum Prophetiæ, sed in bonum commune, unde non debet amitti ob peccatum sacerdotis. Quando Prophetæ vitiosi in die judicii dicent ad nostrum Christum; nonnè prophetavimus, & plura miracula in nomine tuo fecimus, ille iis dicet; *Nescio prophetiam vestram, nescio virtutes vestras, nescio vos.* (Matth. 7.) Rex non amittit suam auctoritatem, Iudex suam jurisdictionem, paterfamiliâs suam potestatem in familiam per unum peccatum. Apostoli præceperunt, obedientiam præstari Regibus papanis, & tyrannis, Dominis etiam discolis, inquiebat Sanctus Petrus; cùm tamen hæ auctoritates potius deberent amitti in pœnam peccati, quàm potestas sacerdotalis, cùm homines magis ambiant & appetant auctoritatem Regalem, quàm dignitatem sacerdotalem.

Ex Divo Ioanne capite tertio dicitur Iesus baptizâsse, capite verò quarto dicitur, quòd non baptizârit, (c. 3. v. 22. cap. 4. v 2.) Quomodo hæc subsistunt? si baptizavit, quomodo non baptizavit? si non baptizavit, quomodo baptizavit? Sanctus Augustinus respondet, eum non baptizâsse per seipsum, sed per suos discipulos, & sive per se, sive per alios baptizet, eum tamen esse, qui baptizat: (Tract. 6. in Ioann. ante mediũ.) *Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Iudas baptizet, hic est qui baptizat.* Actionum Hierarchicarum in administratione Sacramentorum causa principalis est Iesus, sacerdos verò est tantùm instrumentum, & ita in unitate influxus uterque concurrit, ut idem omninò influxus sit.

Quando filius Dei pedes discipulorum lavit, dixit: *ita & vos faciatis.* Similiter quando aliquem consecrat in sacerdotem, & dat potestatem faciendi actionem hierarchicam, non dicit, *ita faciatis*, sed *Hoc facite*, quia est eadem causa principalis, eadem victima, idem sacrificiũ, eadem

eadem missa, quam ipse obtulit in ultima cœna. Quando sacerdos absolvit, & profert hæc verba: Ego te absolvo, ille loquitur in persona Christi, vel potius Christus loquitur in persona sui vicarii, Salvator est, qui illa profert per os ejus. Actio præterea hierarchica & administratio sacramentorum est adeò nobilis, excellens, & adeò propria filio Dei, ut si Salvator adhuc esset in statu merendi, & viator, hæc actio esset meritum infinitum. Et reipsâ est actio, quæ est dignitatis infinitæ, tanquam actio Hominis Dei.

Hom. 60. ad populū. V. Insigniter Sanctus Chrysostomus: *cùm sacerdotem videris offerentem, ne ut sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.* Ne ad id attendas, quod tantùm fit exterius, & in oculis populi, sed oculos fidei & animi conjice in manum invisibilem superni sacerdotis, qui omnia, quæ fiunt in missa, operatur per suum instrumentum, ille rogat Deum per suam Ecclesiā, ille consecrat, ille benedicit populo; & ideò debemus assistere missæ, administrationi baptismi, contractui matrimonii, & aliis sacramentis, cum timore, respectu, reverentia, pietate, animo recollecto, quia Iesus est, qui illa administrat.

Si vixisses eo tempore, quo Sanctus Carolus vixit, & fuisses præsens, quando ille sacra operabatur ad altare, quando baptizabat, & advertisses, quòd oculos in te conjiceret, & te contemplaretur, an ausus fuisses irreverentias & insolentias comittere? Tu debes credere, quòd Iesus copulet hos conjuges, quòd Iesus baptizet hunc infantem, dicat hanc missam, te intueatur, contempletur, attentè te consideret, distinctè, particulariter, ac sine me præter te adesset, quomodo ergò tu exerceas insolentias, & in hac actione sacra te geris, ac si esset actio profana, ac si Salvator Sacramenta non administraret, nam si hoc non esset verum, jam inquit Augustinus, essent diversa baptismata, juxta diversitatem meritorum baptizantium, & dicere deberemus: *Ego sum Pauli, ego verò Cephæ*, & essent in Ecclesia schismata ac divisiones, quæ tanto zelo Apostolus perstringit, Sanctus Ambrosius addit; si sacerdos, quia est peccator, te non posset absolvere, ergò & tuus minister te nequiret baptizare, & consequenter dubius esses, an fores baptizatus, nam nescis, an sit peccator, vel non: valor itaque baptismi & aliorum sacramentorum non dependet ab instrumento, sed à causa principali.

VI. Et ex hoc capite oritur differentia inter sacrificia nostra & sacrificia priscæ legis. Deus quandoque holocausta antiqua repudiavit, & oblationes & victimas legis Mosaicæ non acceptavit, quia sacerdotes eas proprio nomine offerebant, vel nomine Reipublicæ, à qua erant deputati & hinc quia Sacerdotes sæpè, & tota Respublica, à maximo usque ad minimum, esset subjecta maledictioni peccati; *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* ideò eorum sacrificia non admittebantur. Verùm nunc in lege gratiæ sacerdotes omnes suas preces dirigunt ad patrem æternum in nomine sui filii innocentissimi, Sanctissimi, Deo gratissimi, & ideò oculo eas notat benigno, & dignæ sunt, quæ admittantur. Esaiæ 1. v. 6.

VII. Et quidem verum est, quòd ex spinis nequeamus colligere uvas, nec ex tribulis ficus, sed tamen benè aliquando

possumus colligere uvas super spinetum; nam quandoque contingit, inquit Sanctus Augustinus, quòd truncus vitis sit adeò fœcũdus, & suos palmites adeò dilatet, & in altum protendat, ut eos distendat super unum dumum, aut spinam, quæ inserta est muro, adeoque racemus sit super spinetum quidem, non tamen ab eo sit productum. Quodsi itaque casu te contingat illâc transire, & inambulare, ut animum noñihil relaxes, tu uvam decerpis, nec advertis, quòd sit super spinetum, tu colligis racemum relictâ spinâ, racemus te recreat, & inter calores diurnos refrigetat, spina verò paulo post ardoribus ignis objicietur.

Ioann. 14. In mentem tibi redeat, quòd salvator se comparet viti; *Ego sum vitis vera.* Ille nobis protulit fructus suæ passionis, & merita sui sanguinis per applicationem sacramentorum. Quodsi casu eveniat, sacerdotem esse spinam, non tamen ob hoc omittit, quin tibi det hunc fructum, quia sacerdos non producit illum tanquam causa principalis, sed Christus eum profert & donat. Tu cape racemum, nec spinam spectes; quia forsan spina, quæ dat fructum, conjicietur in ignem æternum, sed fructus tibi semper proficuus erit. *Cave spinam, cape uvam, non de spina, sed de vite nascentẽ, tibi porrigitur uvæ alimentũ, spina servatur flammæ tormentũ.*

VIII. Et ideò nemo dat id quod non habet, velut causa principalis, sed non tanquã causa instrumentalis, quia ut talis sæpè possumus dare, quod nõ habemus. Calamus dat chartæ literas, periodos, sensus integros, quos non habet. Penicillus, qui efformat imaginem, dat telæ lineamenta oculorum, pedum, manuum & aliorum membrorum, quæ non habet. Scalprum, quod lapidem scalpit & cælat, illi dat figuram quadratam, cùm tamen illud sit acutum. Servus pauper tibi dat pecuniam sui domini. Et ita verum quidem est, quòd sacerdos non habet gratiam Dei, eam tamen dare potest, velut organum Filii Dei. Ille quidem inops est in meritis, sed in mandatis habet distribuendi merita Salvatoris; ille non habet quidem spiritum in se, sed agit tanquam ejus instrumentum.

IX. Deus Moysi non loquebatur nisi per rubum ardentem, nec per hoc desiit ejus commissio esse bona, aut missio legitima. Similiter quamvis sacerdos, qui te docet, esset tot repletus imperfectionibus, quot rubus habet spinas, si tot esset infectus passionibus, si inflammatus in scintillis concupiscentiarum, quot sentes & scintillas habet senticetum ardens, tamen Deus non desinet per eum loqui, & si tu velis ejus audire verbum, erit tibi proficuum. Narrat 3. Regum. 4.
Regum liber, quòd Deus in deserto Eliæ cibos submiserit per corvum, aliâ autem vice per angelum, nec tamen legimus, quòd Propheta dixerit, nolo ego dapes admittere ab hoc turpi venditore extorum, an non sit Angelus in cœlo, qui mihi panem & dapes ferat? Ille non spectavit Angelum, neque corvum, sed ad eum solum attendit, qui eos miserat. Quando tu hominem probum mittis ad altare, mittis Angelum; sacerdos porrò malus est velut corvus avium cloaca; & tamen est idem Deus, qui eos misit, est idem sacramentum, quod administrant, eadem gratia, quam donant.

Elisæus quantumvis mortuus, tamen 4. Regum. 13. cap. 6.
tangendo alium mortuum eum resuscitavit, cùm tamen seipsum vitæ non reddiderit.

diderit. Filius Dei cœco visum restituit, liniendo ejus oculos buto. Quodsi conjectus esses in vincula ob crimē læsæ Majestatis, & Rex sententiam absolutoriam tibi mitteret per nuncium perversissimū, aut si tibi idem Rex officium vel beneficium contulisset, & literas ad te portaret nuncius turpissimus, maculatissimus, summus nequam, an tu hanc gratiam recusares? quomodo ergò repudies veniā tuorum peccatorum, benedictiones cœlestes sub prætextu, quòd sacerdos, qui tibi eam portat, non habeat animam mundam? Medicus infirmus & debilis adhuc te sanat, ille in corpore tantum est infirmus, & te curat per suam scientiam. Sacerdos est peccator per suam voluntatem, ille te absolvit per suum characterem; & sanè parùm interest terræ, num semen in ea spargatur per manum candidam & puram, an per manum sordidam & immundam; parùm interest horto, num aqua, quæ irrigat ejus flores, fluat per aquæ ductum argenteum, aut canalem plumbeum; parùm interfuit Ninive, quòd ei prędicaverit Ionas inobediēs, aut Daniel innocens, dum̄odo se cōverteret.

PUNCTUM SECUNDUM.

Sacerdotes honorandi, qualescunq; sint. Probatur primò scriptura, secundò Patribus, tertiò ratione, quartò exemplis, primò Salomonis, Secundò Constantini, Tertiò Roberti Regis, Quarto Henrici imperatoris, Quintò Antonii, Sextò Francisci, Septimò Catharinæ Senensis, Octavò Alexandri Magni, Nonò Dei morale pro sacerdotibus.

1. Regum. cap. 6.

X. Liber primus Regum recēset, quòd quinque mille Bethsemitas morbi fatales sustulerint; *Eò quòd vidissent arcam Domini.* Interpretes admirantur hanc severitatem, & meo sensu non sine causa, quale fuit piaculum intuitus arcæ, ut tam graviter puniri meruerit? Alia versio hoc dubium enodat. *Eò quòd despexissent arcam Domini.* Arcam ceperant Philistæi, qui eandem collocârant in Altari falsorum Deorum propè idolum Dagon, & hanc ob causam Bethsamitæ eam despexerunt, nec amplius tanti æstimârunt, sed habuerūt velut rem profanam. Similiter quamvis Ecclesiasticus sit in potestate Dæmonis in statu peccati mortalis, non tamen per hoc amittit suam consecrationem, si ergò eum non reverearis, time, ne graviter sis puniendus.

XI. Audiamus Ius Canonicum: *Absit, ut quicquam sinistrum de his arbitremur, qui corpus Christi sacro ore conficiunt, per quos nos Christiani sumus, qui claves regni cœli habentes, ante judicii diem judicant.* Hos non spernamus, qui nobis aperiunt januas cœli, qui nos eripiunt à captivitate Diaboli, qui judicant Reges, eos, quos Propheta Malachias vocat Angelos, quos ipse Deus appellat Deos, quia sunt Vice Reges, officiales suæ coronæ, ministri status, ærarii præfecti, caducatores mandatorum ejus, legati suæ Majestatis, mediatores inter Deum & homines, qui annunciant voluntatem Dei hominibus, qui vota eorum Deo præsentant. *Quid mirum*, inquit Gregorius, *si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuēs, eos, aut Angelos, aut Deos, ipse etiam appellat Deus? Applicabitur ad Deos, Diis nō detrahes. Id intelligit,* subdit Gregori⁹, *de sacerdotibus.* Honoramus, inquit Chrysostomus, Legatos Regū, quāvis Ethnicorū, & infidelium, quomodo ergò eos nō veneremur, quos Rex Regū ad nos ablegat? *Legatione pro*

Canone. absit. 11. quæst. 3. Autherius Papa.

Malach. 2. v. 7.

lib. 4. epist. ad Maurit. Imperat. Exod. 22. v. 8. & 28.

2. Cor. 5. v. 20. *pro Christo fungimur.* Quando aliquâ ærumnâ conficeris publicâ vel privatâ, tu curas dici missas, tu te commendas precibus sacerdotum, illi pro te intercedunt, Hebr. 5. v. 1. *Pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* Deus aures iis non præbet benevolas, ille nos rejicit, eorum preces non exaudit, tu hoc miraris, & tamen tu ipse in causa es. Quando Deus illos ad te ablegavit, ut suam tibi annunciarent voluntatem, ut te à tuis crapulis, à tuis usuris, à tuis vanitatibus abstraherent, tu eos non audivisti, ac si non dixisset in Deut. 17. v. 12. Deuteronomio: *Qui sacerdoti non obedierit, morte condemnetur.* Quid ergò non fiet illi, qui eos consternit, irridet, detractionibus & conviciis proscindit?

XII. Ut in cordibus nostris magnus respectus erga sacerdotes, nonnulli adferunt vel exemplum Salomonis, sapientissimi Regis, qui dixit ad Abjathar: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non inter-* 3. Reg. 2. v. 26. *ficiam, quia portâsti arcam Domini Dei tui*: vel exemplum Constantini Magni, qui in Concilio Nicæno non voluit sedere, nisi postquam omnes Episcopi jam sedissent, & unus ei mandâsset, ut sederet, & dein in sede humiliori se posuit. Dumque ei plures præsentarentur libelli supplices contra Ecclesiasticos, ille omnes haud lectos Vulcano consignavit, & ad eum, qui eos præsentabat, conversus dixit: Presbyterorum est judicare Imperatores, non verò Imperatorum judicare & condemnare presbyteros. Et quod me attinet, si viderem aliquem sacerdotem peccantem, ego pallio meo Regali eum tegere vellem, ne videretur. (Baron. apud Spôdan. anno 343.)

XIII. Alii addunt exemplum devoti Regis Franciæ Roberti, Filii Hugonis Capetii, qui dum videret in quadam synodo Episcoporum Lambertum Episcopum Lingonienſem pedes habere pensiles in aëre ob parvitatem vel gravem molem corporis, à longè quæsivit scabellum, illudque magna cum reverentia pedibus Episcopi substravit. (...on. 1004.) Alii adducunt exemplum Henrici Regis Germanorum, qui dum post victoriam gloriosam obtentam & devictum Tyrannum Lombardorum, interesset cuidam concilio, quod Francofurti fuit celebratum, antequam Episcopis loqueretur, se in terram prostravit, quousque Archiepiscopus, præses concilii, ei mandâsset, ut surgeret. (anno 1006.)

XIV. Alii afferunt exemplum Sancti Anthonii, qui, ut refert Sanctus Athanasius, summè sacerdotes veneratus est, illius inquam Anthonii, qui fuit Patriarcha millenorum Anachoretarum, qui vixerunt velut Angeli, illius magni Anthonii, cujus amicitiam Imperatores maximæ gratiæ loco reponebant; cui feræ sylvestres obedièrunt, ad cujus nomen Dæmones consternabantur, cujus vita Sanctum Augustinum ac tot alios convertit; hic inquam magnus Anthonius adeò honoravit sacerdotes, ut si vel minimus ei obvius fieret, ille genua flecteret, nec surgeret nisi prius receptâ benedictione.

XV. Alii producunt Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum, qui non fuit ausus, ut se sacerdotem ordinari permitteret, quique dixit, quod si sacerdotem & Angelum obvium haberet, se citius & lubentius osculaturum manus sacerdotis, quàm Angeli. Alii adjungunt Sanctam Catharinam Senensem, quæ vestigia sacerdotum deosculari solebat.

XVI. Alii tandem in majorem confusionem Christianorum iis proponunt, & fa-

& factum admirabile Regis Pagani. Recenset Iosephus, quòd Alexandro Magno fastu turgido & insolenti ob victorias obtentas, & felicem successum armorum Ierosolymam intranti, obvius processerit Iudas summus sacerdos, habitu indutus Pontificali, caterva magna Levitarum stipatus. Alexandrum verò ad ejus conspectum fastum posuisse, crudelitatem misisse, equo descendisse, ejus genibus se adstravisse, & vexilla, quæ rubebant & rubicunda erant, qui est color bellicus & sanguinis, mutâsse in insignia candida, templum intrasse, sacrificia obtulisse, & omnibus postulatis sacerdotis annuisse. Dumque Parmenio summè admiraretur, & causam postularet, responsum velut dignum magnitudine sui nominis & generositate sui animi, dignũ inquam, quod stylo adamantino sculpatum in cordibus mereretur insculpi, ego non adoravi sacerdotem, sed Deum, à quo est sacerdos.

Ioseph. lib. 11. cap. 2. antiquit. Iud.

XVII. Ego hæc & similia exempla nolo adducere, sed solum exemplum illius, qui nequit fallere, & qui est exemplar & regula omnis certitudinis. Quando Deus cogitur punire peccatum alicujus sacerdotis, ille hoc non facit palam & publicè, sed clam & occultè, ita ut nemo scire possit à quo sit punitus, & hoc ne ex supplicio aliquem quis defectum iis affricet. In libro Numerorum Aaron, ejusque soror Maria idem peccatum patrant, contra suum fratrem Moysen murmurant, nec tamen eodem modo puniuntur. Maria spectante toto populo fuit punita, & leprâ in vultu percussa. Aaron verò quia erat Sacerdos Dei, clam fuit punitus in tabernaculo. Præterea in libro Levitici, Nadab & Abiu Levitæ & nepotes Moysis habitu induti sacerdotali offerendo sacrificium, quendam defectum commiserunt contra ritus præscriptos, verùm ignis altaris impetivit eos, & extinxit: At enim tanta tautela & circumspectione hoc factum est, ut nec filum vestis carbasinæ, quâ amicti erant, cum tamen carbasus subtilis sit verum pabulum ignis, undè mortui visi sunt vestiti suo habitu, ut nemo judicaret eos esse punitos à Deo, sed apoplexia tactos, vel alio genere mortis occubuisse, tantam curam gerit Deus suorum Sacerdotum.

12. Num.

cap. 10.

Tertio libro Regum Deus in vatem inobedientem leonem misit, qui eum præfocaret, sed & leoni præcepit, ne corpus dilaniaret Prophetæ, sed illud custodiret, donec aliquis veniret, qui illud terræ mandaret, ut ita nemo videret, illud à cœlo punitum. 3. Regum 13.

XVIII. Sabac Rex Persarum & Artaxerxes cognominatus Lingomanus, nobiles delinquentes læsione vestium personâ illæsâ puniebant. Magnus porro Deus contrarium agit, nam dum Ecclesiasticus delinquit, punit personam illæsis vestibus eorumque honore servato. Tu idem fac, & tuum Creatorem imiteris. Quando recitas historiam, vel narras erratum alicujus religiosi aut Sacerdotis, parce vestibus, honora ecclesiam, recense factum reticendo conditionem personæ. Et sane nonne est res merito lugenda, quod Sacerdotes, qui incomparabiliter veneratione digniores sunt Sacerdotibus priscæ legis, minimus opifex, simplicissimus piscator, stupidissimus rusticus, qui eos non traducat sub prætextu, quod nonnulli sint vitiosi. Dato quod hoc ita sit, an ad te spectet de iis loqui?

loqui? An tu judex illorum sis? Tu ne sis sapientior Salomone, nobilior Constantino, Illustrior Regibus, devotiòr Sancto Antonio, ardentior Sancto Francisco, innocentior Sancta Catharina, major Alexandro, divinior & magis zelans honorem divinum ipso Deo. An nescis, quòd Cham filius degener maledictionem in se derivavit, quia suum patrem irrisit? An nescis pueros devoratos ab urso, eò quòd injuriâ exiguâ proscidêrunt Prophetam Elisæum? An ignoras, quòd Dathan & Abiran terrâ hausti sint, eò quòd murmurârint contra suum Prælatum? An te latet, quòd Deus dixerit per suum vatem, cave ne meos sacerdotes tangas, quòd Iesus dixerit, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, quòd Apostolus dicat, qui resistit potestati superiorum, resistit Deo, & acquirit damnationem.

Psal. 109. v. 15, Zach. 2. v. 8. Rom. 13.

Morale pro sacerdotibus.

XIX. Ita charissimi Patres, Domini venerabilis Cleri, videamus, ne vel minimam præbeamus ansam hujus temeritatis, ut nempe per nostras indevotiones, immodestias, irreverentias intra Ecclesias, conversationes nimis familiares cum fœminis, simus causa irreverentiarum & parvi respectus, quo hoc sæculum prosequitur nostram vocationem: *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*? quò devenit ille splendor, illa lux, illa coruscatio, quæ aliàs in statu Ecclesiastico resplenduit, ille honor, ille respectus, illa reverentia, ille timor filialis, quo in primitiva Ecclesia fideles sacerdotes prosequebantur? quid causa est, quòd omnia illa evanuerint, & obscurata sint? causa est, quòd tunc sacerdotes non videbantur, nisi in altaribus & suggestibus, nunc verò eos reperire est in popinis, comœdiis, domibus aleatoriis, societatibus mundanis. *Dispersi sunt omnes lapides sanctuarii in capite omnium platearum.*

Thren. 4. v. 1.

Ier. 24. v. 3.

Recordemini, quòd nobis dicentibus in missa *Dominus vobiscum* non respondeatur, *Et tecum sed & cum spiritu tuo*, ut discamus, quòd debeamus esse totus spiritus, & planè spirituales; quòd nil deceat in nobis esse corporei, materialis, carnalis, quod advertit Sanctus Ioannes Chrysostomus. Quondam pro peccato unius sacerdotis offerebatur idem sacrificium, quod offerebatur pro peccatis totius populi, ut significetur, quòd non rarò unicum tantùm peccatum unius sacerdotis coram Deo tam grave sit, ac plura peccata unius populi; similiter quòd Sanctus Bernardus dicat, nugæ, quæ in ore secularium, sunt nugæ, in ore sacerdotis esse blasphemias.

In mentem vobis redeat, quòd quædam devota anima apud Dionysium Carthusianum viderit pœnas purgatorii, & in eo paucos conspexerit Ecclesiasticos, quia audivit omnes salvari, si suæ obligationi satisfaciant, aut damnentur, si in hoc deficiant. Eorum virtutes & vitia nequeunt esse mediocria. Sunt, inquit Sanctus Augustinus, similes illis imaginibus, quarum aliquæ fuerunt in summo gradu bonæ, aliæ in summo gradu malæ. Protoparens noster post peccatum nuditatem suam texit foliis ficus. Similiter dum seculares peccant, volunt obtegere sua malefacta, & ea pallio pravorum sacerdotum contegunt. Iesus nobis dicit: *Vos estis lux mundi.* Fœmina gravida sæpè læditur per fœtorem cande-

candelæ extinctæ. Nihil est, quòd frequentiùs enecet infantes Ecclesiæ in sinu hujus sacræ sponsæ, quod sæpiùs eos ex ejus visceribus extrahat per Apostasiam, quàm pravus odor alicujus Ecclesiastici vitiosi. Nos sumus sal terræ, sal educitur ex aqua, si aquæ rursus immittatur, vel uniatur, dissolvitur, & perdit proprietatem, quæ præservat à corruptione. *Aquæ multi populi multi*, *omnis Pontifex ex hominibus assumptus.* Sacerdos à plebe est separatus per consecrationem, quando se immiscet sæcularibus, & nimis sæpè cum illis conversatur, amittit suam auctoritatem, quâ polluit præservandi à corruptione peccatorum. *Ad nihilum valet ultra.*

Quando pavo in gyro suam ocellatam caudam ostendit, quando suas pretiosas pennas monstrat, reliquæ aves eam suspiciunt, & quendam respectum naturalem erga eum habent. At quamprimùm suos thesauros celat, si aliis se immisceat, si epulis porcorum sese ingerat, nullus est pullus adeò parvus, qui non sumat animum eum fodicandi & irritandi.

Quando sacerdotem non videmus nisi in altari, choro, confessionali, omnes eum reverentur & suspiciunt, verùm si post officium divinum sese nugis hominum mundanorum, si à sua nobilitate degenerans frequentet popinas, ludos & recreationes mundi, nullus est rusticus adeò vilis, qui debitum respectum erga eum non perdat, & qui ei non incipiat detrahere. Et quamvis vocemur presbyteri sæculares, hoc tamen ideò non fit, quasi nobis fas sit, vitam ducere sæcularem, sed quia sumus judices & directores sæcularium, & ut distinguamur ab Abbatibus, qui sunt judices & superiores Regularium, non secus ac aliquis vocatur Præfectus in criminalibus, non quòd possit esse facinorosus, sed quia facinorosorum est judex.

Nos sumus judices aliorum, sed Deus est judex noster; ille tegit, abscondit, dissimulat nostros defectus; verùm eosdem accuratiùs examinabit, severiùs judicabit, & rigorosius puniet. Quæso te, Salvator Iesus, magne Pontifex animarum, ne permittas, ne tibi ansam demus, ne permittas, quòd dici queat, *ut populus, sic sacerdos.* Tu es nostra hereditas, tu es nostra sors, nostra legitima, nostra possessio, dum clericatui adscripti sumus, diximus; *Dominus pars hereditatis meæ.* Ne permittas, quòd dici de nobis queat. *Hereditas nostra versa est ad alienos*; & quòd ad alios magis pertineat, quàm ad nos; ne quæso sinas, ut parvuli infantes in sacra communione sæpius, devotius, fructuosiùs te ament, honorēt, recipiant, quàm nos. Fac ô bone Iesu, & hanc nobis da gratiam, ut

Te nostra Jesu vox sonet,
nostrique mores exprimant,
te nostra corda diligant
nunc & per omne sæculum. Amen.



SERMO
QVINQVAGESIMVS QVARTVS
Pro Festo immaculatæ conceptionis.
De obligatione Dominorum erga servos.

Liber generationis Iesu Christi Filii David. Matth. 1.

EXORDIUM.

QUodsi attentiùs considerem genealogiam Iesu Christi, video illam esse valdè diversam à genealogia aliorum Regum & Principum, in horum genealogia nemo promovetur ad solium, nemo donatur sceptro, nisi sit ex eadem familia & sanguine oriundus, & succedat vel in linea recta aut obliqua; ita, ut nulli admittantur servi, pauperes, opiliones, opifices, at verò in Genealogia Christi totum contrarium evenit; nam in ea inveniuntur Reges, Principes, divites, sed & plebei, pauperes, opifices, imò servi, & quidem meo sensu non sine mysterio, ut Deus ostenderet & doceret in Genealogia Christi, & eorum, qui verè à Christo per spiritualem propagationem & fidem descendunt, non tantùm respici illos, qui regunt, gubernant, aliis præsunt, sed & inferiorum maximè servorum, & famulorum, ut sciant nempe Domini, quam obligationem habeant erga servos, & quomodo illos in successione ad regnū tanquam fratres suos reputare debeant, de hac itaque obligatione hâc die cum Auctore in præsenti discursu agemus.

Honora patrem & matrem tuam, ut sis longævus super terram. Exod. 20.

I. TAnta debet intercedere bona correspondentia & charitas inter fideles, ut superiores tenello & paterno amore prosequantur inferiores, & inferiores ac subditi respectu & submissione filiali ferantur erga superiores. Unde, quantumvis quartum præceptum, si nudum corticem literæ spectemus, quartum præceptum agat de obligatione reciproca parentum erga proles, & prolium erga parentes, attamen juxta sensum & significationem intentam à Deo hoc præceptum etiam intelligitur de obligationibus servorum & ancillarū erga Dominos ac Dominas, ac vice versâ, Dominorū & Dominarū erga servos & ancillas. Nulla unquam, ô sacerrima virgo, fuit superioritas excellentior & sublimior, quàm tua. Tua auctoritas fuit adeò nobilis, eminens, digna, divina, ut Rex Regum suam à te quasi feudatariam acceperit. Longo tempore fuit filius patris æterni, antequam tuus esset filius: attamen eodem tempore, quo incepit ejus servus, etiam incepit tuus esse subditus. *Erat subditus tibi.* Et quidem quamdiu in hac

in hac vita vixit, adeò perfectè tuam studuit adimplere voluntatem, & tam stabilem hujus indolem contraxit, ut & in cœlo adhuc illam indolem servet, & tuas preces audiat, quas fundis pro miseris peccatoribus, qui ad tuum confugiunt subsidium, uti nos confugimus, te devotè salutando; *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

An inter Christianos debeant esse servi?

EXORDIUM.

D. Ioann. 3. v. 8. II. Dilectus Christi discipulus Sanctus Ioannes Evangelista loquēs de incarnatione, & motivis valdè urgentibus, quæ verbum divinum induxerunt ad hoc mysterium complendum & perficiendum, dicit, quòd dignatus sit descēdere in hanc vallem, & nostram assumere naturam, ut ita nempe repararet opera Dei, opera destrueret diaboli, effectus annihilaret peccati, & nos restitueret juri & privilegiis, quæ habuimus in sæculo auri innocentiæ & justitiæ originalis. Porrò inter incommoditates temporales, quas peccatum mundo attulit, unum nostræ inclinationi naturali gravius, molestius, terribilius & magis contrarium fuit servitus, & subjectio. Et quidem verum est, quòd juxta Theologiam explicatam à Sancto Thoma, in statu innocentiæ fuissent superiores, cùm ibi fuisset diversitas, inæqualitas ætatis, sexus, animorum, scientiæ, virtutis, sed tamen superioritas illa debebat esse dulcis, paterna, amorosa, condolens & non austera, tyrannica, imperiosa, arrogans; superioritas directiva, non dominativa, suasiva, non imperativa, politica, non despotica, utilis & proficua, & non molesta ac gravis. Sanctus Pater Augustinus optimè observat, quòd Dominus Deus ante peccatum solùm homini concesserit imperium super pisces, aves & quadrupedia, & reliqua animalia, & non super homines: *Præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & non hominibus; hominem rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori.* Et hæc est causa, uti idem Sanctus adjungit, & etiam observat Sanctus Ioannes Chrysostomus, quòd *primi jussi pastores pecorum, magis quàm Reges hominum constituti sunt.*

I. P. L. 96. art. 4. — Lib. 19 de civit. c. 15. — Hom. 29. in Gen.

Et profectò si veritatem dicere velimus, nonnisi post peccatū Cham, quem justus Noé cum sua posteritate in pœnā irrisionis paternæ condemnans nomen, & verbum mancipii, & servi invenio. Iesus itaque venit, ut destrueret effectus peccati, & in nobis prærogativas & jura status innocentiæ reproduceret, & ejus intentio fuit, ne inter Christianos, ut propriè loquamur, essent servi, aut si inter eos servi essent, ne crudeliter, imperiosè, & velut mancipes tractentur, sed civiliter, amicabiliter, velut fratres, ita ut inter servos ac dominos detur mutua servitus, vel ut melius dicam, assistentia, obsequia, & officia reciproca charitatis.

Gen. 9. v. 29.

PUNCTUM PRIMUM.

Exhortatio ad Dominos pro charitate in servos. Probatur primò scriptura, secundò Patribus, tertiò rationibus, primò ex parte Dei, secundò ex parte servorum, quia sunt homines sicut tu, fratres tui, fratres Christi, pœnitentiam agentes. Tertiò ex parte tui spiritualiter, temporaliter: quartò ex

Parte familiæ. Quartò exemplis, primò Naaman, secundò Petri à Luxenburgo, tertiò Sancti Martini, quartò Sancti Pauli, quintò Angeli, sextò Christi.

III. At enim Assertor noster in nocte suæ mortis, quando testamentum condidit, & suam voluntatem disertè declaravit, expresse dixit: *Reges*
Lucæ 22. *gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Prævidit, quòd in sua Ecclesia futuri erant Reges, & Principes, & ideò dixit: Ego nolo Reges Christiani imitentur Imperatores Ethnicorum, qui prætendunt dominari, & imperare suis vasallis, sed volo ut illis præeant, & illos regant. Et à fortiori hoc intelligit de superioribus subalternis. Ulterius sanctus Petrus Apostolus, loquens de Prælatis
1. Pet 5. v 3 Ecclesiasticis, ait: *Non dominantes gregi, sed forma sacri gregis:* non solùm dixit, quòd debeant esse idea, prototypon, exemplar, sed forma gregis, nam forma sese communicat, sese dat, sese liberaliter omnibus subjectis, quorum est forma, largitur. Et Sanctus Paulus, postquàm hortatus esset servos, ut sincerè, cum affectione, timore Dominis suis serviant,
Ephes. 6. v. 9. hæc dixit heris, *Et vos Domini eadem facite illis.*

August. 19. de civit. cap. 19. IV. Hinc optimè dicit Augustinus: *In domo justi viventis* (immò verorum Christianorum) *ex fide etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare; nec enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia*, sed providendi misericordia.
ibid. cap. 16. Idem Sanctus Pater advertit, quòd juxta regulas humilitatis Christianæ, *magis debent patres, quod dominantur servi, tolerare, quàm quòd serviunt.* Et rursus de ibid.
justis, de quibus scriptura facit mentionem, inquit: *Qui veri patresfamiliâs sunt, omnibus in familia sua tanquam filiis ad consulendum, & promerendum Deum consulunt.* Veri justi servos habent velut filios, & iis in spiritualibus, & negotiis animæ non minus, quàm filiis provident. Et ab hoc dicit derivari nomen patrisfamiliâs, quô injustiores libenter honorantur; quia sunt patresfamiliâs, non magistrifamiliâs.

Hoc verbum Familia derivatur à *Famulus.* Quodsi verus sis paterfamiliâs, inquit Sanctus Augustinus, tu in id eris, ut tui famuli serviant Deo, & lucrentur paradisum, ac si essent tui filii. Et sanè summè necessarium est, ut illis suo tempore, in principio, quando vobis servire incipiunt, & vestro servitio se tradunt, inculcetis, & opportunè subindè repetatis hanc doctrinam: Charissime id scias velim, quòd te potius conducam, ut servias Deo, quàm mihi, non ita faciliter ignovero offensas, quas irrogaveris Deo, quàm quas irrogaveris mihi. Volo ut salutem tuam cures, Deum genuflexus manè & vespere adores, cave sis ne jures, quia, si juraveris, non tibi credam, cave, ne verba proferas impudica, volo quolibet mense confitearis. Tu quandoque infantibus & prolibus adesse, curam gerere officinæ debes, & tuos famulos ac ancillas mittere ad concionem. Tu satis scis, & illi valdè rudes sunt, tu loco Concionis potes legere Granatensem, vel alium librum spiritualem; illi autem legere non sciant.

V. Et nonnè hoc æquum est? magis spectant ad Deum, quàm ad te, adeóque

que magis obligantur servire Deo, quàm tibi, nec debent tibi servire, nisi ex amore Dei: *mei enim*, inquit, *servi sunt, ne affligas eos per potentiam*, quodsi aliquis ex tuis amicis tibi dedisset servum, tu ex respectu illius servum illum æstimares. Tuus servus spectat ad Deum, est æquè creatura illius, ac tu. Hoc est, quod considerabat Iob: *Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est?*

Levit. 25. v. 42.

Iob. 31. v. 15.

VI. Tu eodem modo productus es, quo ille, ex nihilo extractus sicut ipse, idem creator, qui te formavit, ille & formavit eundem, non minus est opus Dei, quàm tu. Sed quid dico opus Dei? Est ejus filius per adoptionem. Sanctus Chromatius Martyr, præfectus Romæ, postquàm omnia sua mancipia convertisset, & baptizari fecisset, eos libertati reddidit, dicens; Nunc es filius Dei, non ergò decet, ut sis mancipium hominis. Et profectò res valdè indecens est, quòd tractes illum servum, velut mancipium, & ad remos damnatum, velut bestiam, qui est filius Dei, & cohærenter tuus frater. Sanctus Paulus scribens cuidam illustri nobili Colossensi nomine Philemoni in favorem ejus mancipii Onesimi ait: Ego tibi remitto tuum servum, quem converti, ne eum deinceps tractes ut mancipium, sed velut tuum fratrem. Quin immò tu nobilis, quantumvis sis nobilis & illustris, tu tuum servum debes habere, velut tuum fratrem, regeneratum eodem baptismate in eodem sinu Ecclesiæ, redemptum eodem sanguine, participantem eadem sacramenta, eodem spiritu sanctificatum, eodem corpore adorando vescentem. Sed quid dico tuus frater? inquit Sanctus Chrysostomus. Ille est frater Iesu, filius ejusdem patris, ad eandem gloriam vocatus, coheres ejusdem regni. Ille pœnitet & patitur cum Iesu, ille meretur regnare, & glorificari cum illo. Et annon tibi videntur, magnam, & meritoriam agere pœnitentiam, si sua agant, sicut oportet, interim dum alii toto die mensæ assident, helluantur, deliciis diffluunt, voluptuantur, dormiunt, ludunt, exspatiantur, quando volunt, illis tantùm reliquiæ maneant, semper insistant vestigiis dominorum, capite nudato, ita ut suam mentem aperire non audeant, in seram incumbere noctem, summo surgere manè, alterius semper subjici voluntati, mille actiones contra propriam facere inclinationem, pendere à nutu tertii, quarti, à Domino, à Domicella, ab ejus patre, matre, infantibus? quodsi has mortificationes virtuosè & ex amore Dei tolerare sciant, dicam, quòd nullus sit Religiosus, qui rigidiores toleret.

Chrysost. hom. 22. in Epist. ad Ephes.

Unus Laicus Religiosus ubique honoratur, & quidem in ipsis palatiis magnatum, ille habet suas horas, quibus quiescat, & ferietur, non habet nisi superiorem, cui satisfaciat, nulli alteri subditus est, si labores suos subeat & mortificationes, suscipitur velut Sanctus, si sit infirmus, servitur ei tanquam Principi, tantò diligitur affectu, ut potius calices venderentur, quàm ut quid ei deesse patiantur. Verùm miselli servi ubique humiliantur, contemnuntur, conculcantur, irridentur, & tractantur velut scoparii domus. Pœnitent in hoc mundo, hîc habent

habent suum purgatorium, nec verò simile est, quòd diu in purgatorio post hanc vitam sint mansuri.

VII. Te ad cœlum anteibunt, Namque in cœlo erunt, tu eorum auxilium implorabis, & si eos malè tractaveris, Deus non permittet, ut tibi succurrant, sicut non permisit, ut Lazarus guttam aquæ daret diviti, qui ei micas panis in hac vita negârat. Nec hæc ego dico, ut aduler, & palpum obtrudam vestris famulis, sed Iesus est, qui vos monet, quique vobis hoc salutare monitum tradit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Affectum servorum & pauperum vobis conciliate, ut post hanc vitam cœlo vos admittant.

VIII. Et sanè de vestro etiam agitur commodo temporali, si eos benè & lautè tractetis, quia eorum cor lucrabimini, & quodsi illud lucrati fueritis, omnia lucrati estis; cor est arx & castellum in homine, illô expugnatô, omnia reliqua levi negotio obtinebuntur. Quodsi servus tuus tibi fuerit affectus, & te amet, plus uno die faciet, quàm aliàs intra unã septimanam; quodsi geras curam ejus salutis, ille amorem & timorem Dei habebit, omnia facit voluntariè, & hilariter, uti inculcat Sanctus Paulus. Quodsi timeat Deum, ille timebit Deum offendere te offendendo, ille solicitus erit, & anxius, ne lædat suam conscientiam, tua bona, & famam, ille nunquam deerit obedientiæ, honori, fidelitati, quam tibi debet.

IX. Sanctus Ephrem Diaconus Edessenus narrat, cuidam honesto civi fuisse famulum quendam, qui fuit alter Ioseph, adeò conscientiosus, & fidelis suo Domino, ut hic ejus fidelitati omnia commiserit. Hic servus devotione quadam tactus, aut pravo consilio instigatus, aut sinistro casu pulsus in eremum concedere, & albo religiosorum sese adnumerare decrevit. Herus ejus illubenter famulum adeò sedulum & fidelem amittens, omni modo hoc ei dissuadere tentavit, sed frustrà. Paucis elapsis annis hic miser religiosus eremum, & vitam monasticam pertæsus suum herum repetiit, morbum suum ei detexit, domo ejus admitti petiit, & pristino servitio, & muneri restitui; spondens seduliorem & fideliorem operam, quàm antè. Sed quid ad hæc herus? Absit hoc à me, si vota Deo tuo omnipotenti & immortali facta violâsti, quomodo ego à te mihi homini mortali, peccatori fidem & fidelitatem queam polliceri? Religiosus ad hanc objurgationem, tanquam repentino fulmine percussus, totus pudibundus ad suam cellulam rediit. Et quidem hic civis fundatissimè discurrit: Nam si servi non sint fideles Deo, multò minùs erunt suis Dominis; si perjuriis, blasphemiis, ob nihil offendant Deum, multò magis id facient ob lucrum, & pecuniam quàm tibi auferunt, vel quam sperant ex eo si te prodant. Lib. 93. de Præcn. Spiritui Præcepto: 36.

X. Præterea si sint perversi, illi prolibus tuis sua vitia affricabunt, & colore scelerum eos tingent; nam illæ à servis tuis addiscent levitates, petulantias, imprecationes, & servi omnibus domesticis pravas suas inclinationes instillabunt, & maledictionem Dei in tuam familiam derivabunt: Econtrà si sint virtuosi Deus tuæ domui ob eos benedicet, sicut benedixit domui Laban ob Iacob; domui Putiphar ob Ioseph, domui Nebuchodono-

sor

ſor propter Danielem, domui Aſſueri propter Mardochæum, Iunioris Principis VVandalorũ propter Sanctum Paulinum. Immo quandoque unus probus famulus, una devota ancilla, eſt tota benedictio, & ſalus domus.

XI. Id conteſtatur Naaman ſupremus præfectus Regis Syriæ. Hic leprâ infectus, doloribus corporis conficiebatur, ancilla vilis quam domi alebat, ſpiritus ſumpſit hæc heræ ſuæ dicendi: Utinam, quanvis id mihi multò conſtaret, Dominus meus concederet in meam patriam, quia in illâ degit vates Eliſæus, qui certò certius eum curabit. Naaman his verbis innixus proficiſcitur Samariam, & Propheta ei mandat, ut lavetur ſepties in Iordane. Verum dum hic totus bile inflammatus ſpreto illo mandato rediret, ſervi ejus illi dixerunt: *Pater, & ſi rem grandem tibi dixiſſet propheta, certò facere debueras, quantò magis quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?* Ille fidem iis adhibuit, lavit ſe, & ſanitati reſtitutus exit. Viden quomodo hic Archiſtrategus Syriæ, Dominus tantus, permittat à vili mancipio hoc ſibi conſilium ſuggeri. Ille adeò fuit affabilis erga ſervos, ut eum patrem nuncuparint: *Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi*, ille conſilio eorum, contrà propriam opinionem acquievit, & profectum fecit.

4. Reg. 5. v. 13.

XII. Beatiſſimus ille Petrus Luxemburgenſis, ſanguine ortus Regio, Metenſium Archiepiſcopus, Cardinalis adeò Sanctus, ut quatuor millia miracula pro Feſto immaculatæ Conceptionis patrarit, ultimæ lineæ, & morti admotus (quando nimirum Sancti magis illuſtrati ſunt, cum tunc lumini Gloriæ ſint viciniores) omnes ſervos advocavit, coſque rogavit, num contenti eſſent, dein humillimè veniam ab eis rogavit, eò quod illos non appellaſſet ſuos fratres, & coram iis pœnitentiam ſubiit valde atrocem, & à quolibet flagris excipi voluit.

XIII. Sanctus Martinus non ſolùm Epiſcopus, baptizatus, ſed & cathecumenus, & ſub ſignis Imperatoris militans ſuaviſſimè eos ſuaviatus eſt, & cum iis velut propriis fratribus egit. Sanctus Paulus poſtquam in tertio cœlo addidiciſſet modum perfectæ vivendi, literas expreſſas dedit ad quendam nobilem, & quidem contrà morem propriâ manu ſignatas, epiſtolam integram, epiſtolam quæ numeratur inter libros canonicos, epiſtolam in quâ non ſolum adhibuit opes ſuæ Rhetoricæ naturalis & acquiſitæ, ſed theſauros eloquentiæ Sancti Spiritus quem poſſidebat, & qui ſcripturas canonicas dictavit, hoc inquam epiſtolium dedit ad Philemonem, ut ei commendaret mancipium & quidem fugitivum, quod Dominum ſuum ſpoliarat. Hunc ſervum, quia Chriſtianum, vocavit ſuum amantiſſimum, ſuum fratrem, ſuum filium, & ſua viſcera. Sic itaque ſcripſit ad hunc nobilem: mihi imputa ejus erratum, ſuſcipe illum ſicut me, habe illum ut tuum fratrem *in carne, & in Domino*. Tanta res eſt digna fideli, conformis ſanctitati, & humilitati Chriſtianæ curam habere ſervorum.

XIV. Sacer Geneſeos liber commemorat Angelum binis vicibus de cœlo deſcendiſſe, ut miſellam ancillam Agar in ſilvâ oberrantem conſolaretur, ut ei ſuam obligationem remonſtraret, eamque hortaretur, ut ad domum ſui Heri Abrahæ rediret, eſſetque humilior quam antè. Sed quale exemplum efficacius &

magis authenticum possim adducere, quàm exemplum Iesu: Ille quâdam vice dixit ad Apostolos: *vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim:* verum ego, *Non dicam vos servos, sed amicos.* Et iterum: *Non venit ministrari* (puta Filius hominis) *sed ministrare.* Sed quomodo hoc subsistit? An non Maria, Martha, mulieres devotæ quæ eum sequebantur illi serviverunt? Audi, ille hoc admisit, non tanquam debita obligatoria, & servitia necessaria, sed tanquam charitatis & misericordiæ, quæ alicui exhibemus in necessitate. Si ita fores dispositus ergà tuos servos, mehercule non ita eos tractares, sicut modo tractas, rependeres eis officia charitatis & justitiæ Christianæ, quæ eis debes, & hoc tribus modis, nempe corde, verbis, opere, ut hoc puncto dicam.

Ioan. 13.

PUNCTUM SECUNDUM.

Debita Dominorum in servos, primo corde, secundo ore, tertio opere. Invectiva in Dominos qui seducunt ancillas suas, Primo ex parte ancillæ, secundo Domini, tertio peccati. Monita pro servis.

XV. Et quidem primò officia charitatis & justitiæ Christianæ eis teneris exhibere, quia sunt tui servi, & proximi, ad quos amandos velut teipsum, obligat lex naturæ: Sunt Christiani, sicut & tu, lex autem Christi obligat ut amemus omnes Christianos amore benevolentiæ. Si charitatem non habeas, inquit S. Paulus, nihil es: Charitas porrò non est amor concupiscentiæ, spectans proprium lucrum & commodum; unde si veram charitatem habeas, non solum amabis eos, quando sunt dextri, robusti, fortes, sani, sed & quando sunt stupidi, debiles, rudes, infirmi. Erunt tibi sicut bono Evangelico Centurioni fuit charus & pretiosus servus ejus, quamvis infirmus, & paralyticus, qui est morbus incurabilis: *Erat illi pretiosus.* Ille amicos ad Christum ablegavit, ille ipsemet eum adivit.

1. Cor. 13.

Matth. 8.

XVI. Si hanc charitatem erga eum habeas, tu non dedignaberis ut eum instruas vel instrui facias, in cognitione, timore, & amore Dei, tu eum mittes ad conciones, ancillas tuas ad doctrinam Christianam, ad tuum confessarium. Tu eos per te vel alios docebis mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, mandata Dei, quomodo debeant confiteri, manè & vesperi orare: *Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi pastor gregem suum.* Et quidem observare licet, quod Apostoli in suis epistolis canonicis in id magis incubuerint ut servos instruerent quam quoscunque alios. Sanctus Petrus eos instruit epistolâ suâ secundâ: Sanctus Paulus primâ epistolâ ad Corinthios capite septimo, ad Ephesios sexto, ad Colossenses tertio, ad Hebræos decimo tertio, primâ ad Timotheum sexto, ad Titum secundo.

Ephes. 6

Proverb v. 29.

Eccles. 18, v. 23

XVII. Sanctus Chrysostomus egregiè dicit, nil esse miri quod servi sint vitiosi, nam nullus laborat ut instruantur in virtutibus: Domini solum in id sunt ut serviant: cum tamen proles qui habent suos parentes, præceptores, pædagogos, qui iis invigilant, qui iis non permittunt libertatem eundi quô lubet, qui eos plurium annorum spatio ad pietatem, honestatem, bonos mores erudiunt & assuefaciunt, proles, inquam, quas

quas à dissolutionibus, petulantiis, levitatibus deberet absterrere consideratio nativitatis, conditionis, familiæ, quos deberet coercere timor parentum, hoc non obstante sese vix coercere queant à levitatibus & dissolutionibus; quid ergo inquit os aureum miri est, quod famuli quibus nemo invigilat, quos nemo instruit, quos nemo arguit, punit, docet, in vitia ruant? Tu quidem subinde eos increpas, sed id agis ob proprium lucrum, *Remittentes minas*, dum eorum transgressiones tibi sunt nocivæ, eos perstringis, sed bile inflammatus, fulminando, minando, blasphemando, imprecando, maledicendo, tonando: *Qui conturbat domum suam possidebit ventos.* Quando taliter servos increpas, non possides nisi ventos, quia famuli verbis compositis tibi respondent, coram te composité segerunt, verum mox ut tergum vertisti, os distorquent, te irrident, petulantias exercent, & quis est hujus rei causa? Correctio importuna est medicina, si sæpius detur infirmo, vix aliquid operatur, quia stomachus jam iis assuetus est. Ita quoque est cum correctione, si sæpius & fermè semper tuos famulos objurges, tu eos tuis clamoribus stupefacis, dicunt id esse panem quotidianum, & correctio nullum habet effectũ in iis: *Ab assuetis non fit passio.*

Ephes. 6.

Proverb. 11. v. 29.

XVIII. Quoad opera: Tu debes in id incumbere ut tua familia sit quidam microcosmus, debes imitari Deum, qui in hoc mundo, qui est velut quædam familia, *omnia disponit in numero, pondere, & mensurâ. In numero*, ne nimirum ob luxum & ambitionem debeas habere plures famulos, quam conveniat tuo statui, & modestiæ christianæ. *In numero*, ne avaritia causa sit, ut pauciores habeas quam sit necessarium. Quando famuli sunt nimis multi, sunt desides, unus impedit alterum, unus alterius servitio se ingerit, tu non bene illis solvis. Si verò sint nimis pauci, obruuntur, obiter omnia faciunt & festinanter, tu conquereris, & illi etiam, non habent tempus rogandi Deum ut evadant probi; sunt instrumenta viva: Iuxta Aristotelem, instrumenta debent esse regulata, definita, proportionata operi: Si sint nimis multi sese impediunt & sibi nocent, si sint nimis pauci, non possunt bene sese juvare. *In pondere*, ut omnia nimirum domi tuæ fiant ordinaté, ut nimirum cuncta disponas, distribuas, & munera, officia des juxta cujusque merita, uti videmus à creatore elementa collocari in illo loco quem quodlibet ex naturâ suâ exigit, ita ut nobiliora & leviora posuerit in loco superiori, ignobiliora & magis gravia & materialia, in loco infimo, & centro terræ. Tu verò eos amas tenerius, iis domi tuæ præ reliquis faves, non qui id merentur, sed qui melius sciunt fingere, simulare, adulari, qui omnia ad te deferunt, qui tuis melius se sciunt accommodare imperfectionibus, & hoc profectò non est bilancem justitiæ rectè tenere, & omnia disponere *in pondere.*

Lib. 1. Polit. c. 8 & Lib. 7. c. 1.

In mensurâ, hoc est ut onera & labores quos iis imponis, viribus, talentis, capacitati cujuscunque sint conformes, & commensurati, ut stipendium correspondeat laboribus, diligentiæ tempori quo tibi servierunt. Nec te excusatum coram Deo putes, si iis non solvas stipendium labori eorum æquale &

convenient, quia sunt pauperes, derelicti, nescientes quo confugere possint. Dic sodes, an si emeres frumenta, ligna, stannum à quodam misello, qui necessitate coactus illa vendit intrà medietatem prætii quo valent, an immunis fores à peccato, & obligatione restituendi? Tu sudores famulorum tuorum emis infrà medietatem justi prætii quo valent reipsâ, & in opinione prudentum, quomodo ergo putes te coram Deo justificatum? An te impunem mansurum putes, si eos tractes velut mancipia, si eos pascas velut relegatos ad triremes, aut velut canes? si iis non des plus quam promiseris, si eos per minas impedias ne ad alium Dominum transeant, apud quem pinguius salarium essent reperturi? An te culpæ expertem censeas, si iis stipendium retineas, vel illud minuas, quia aliquid amissum est, eorum curæ non commissum. Tu non es certus, quod eam rem furati sint, sed tamen es certus quod iis debeas stipendium. Quomodo ergo debitum certum possis retinere per compensationem debiti incerti? Audi quid jubeat Deus: *Non morabitur apud te opus mercenarii usque manè, eâdem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, ne clamet ad Dominum & reputetur tibi in peccatum.* Tu ad duos vel tres annos differs solutionem stipendii, nec solvis tuis ancillis, & per hanc moram in causâ es quod emant apud mercatorem credito, & quidem carius, quam si emerent numeratâ pecuniâ, & adhuc te excusatum putes? An adhuc hoc non obstante omni septimanâ communices, & fœmina proba haberi velis?

Levit 19. v. 13. Deut. 24. v. 14.

Invectiva in Dominos qui seducunt ancillas.

XIX. Verum enimverò, quòd si tantum piaculum sit exiguam summam tuæ ancillæ retinere, quale non erit horribile & execrandum scelus, illud ei auferre, quod ei in hoc mundo carius & pretiosius esse deberet, nempe honor & pudicitia? ô te misellam filiam, ô orphanam pauperculam, ô misellam desolatam! illa miseriis temporis, fame, necessitate, inopiâ, velut navis fluctibus agitata ad tuam confugit domum, sperans quod in eâ tanquam in portu secura delitescere posset, sed delusa invenit Charybdim. Illa naufragium & jacturam facit illius, à quo eam sors adversa præservavit. Quid quæso misella faciet post tantam jacturam? Tu illam ad voluptatem pellexisti, tu ei funem vitiorum porrexisti, illa si permittatur, committet decem, centum, millena peccata, quæ tibi imputabuntur, & hoc ideò, quia eorum es causa, tu princeps es & primus motor quod tot peccata cogitatione, verbo, opere patret. Satius ei fuisset intrare in antrum Leonum, quam in tuam domum; melius ei fuisset si incidisset in tygrim vel Leopardum, qui eam dilaniasset, & discerpsisset, perdidisset siquidem tunc tantum vitam caducam & fluxibilem, ubi nunc per tuam culpam amisit corpus, animam, salutem, honorem, gratiam Dei, quietem conscientiæ, jus ad vitam æternam.

XX. Tu qui ejus es Dominus, qui ei suam obligationem ostendere deberes, qui ejus deberes Zelare honorem, qui deberes esse pater, & hoc quia vocaris pater-

paterfamilias, quomodo authoritate tibi à Deo concessâ tam turpiter abuteris? *Non est potestas nisi à Deo*, adeòque tu illam à Deo habes, & consequenter hæc potestas est res sacra, emanatio, & participatio superioritatis Dei, ita ut sub hoc respectu ancillæ tuæ te debeant revereri, & honorare. Quomodò ergò tu rem adeò sacram profanas, & eâ committis unam ex magis infamibus, execrandis, perversis actionibus, quam quis possit concipere, nempe quod polluas & contamines simplicitatem & puritatem pauperis innocentis?

XXI. Et ubi est fides publica? ubi est jus gentium? ubi est respectus quem debes legibus divinis & humanis? Quòd si ancilla tua tibi clepsisset aureum aut argenteum scyphum ut egestati suæ matris succurrreret, quid quæso diceres? Tu in eam debacchareris, tu tonares, fulminares, conviitiis & contumeliis nescio qualibus eam obrueres. Tu eam cogeres ambulare in jus, tu eam curares in carcerem conjici, & in exemplum aliorum puniri. Quid? Illane ausa fuit committere furtum domesticum? Quid ultrà non attentabit? ubi erimus tuti si non simus securi in nostrâ domo? sed adsis parumper, quare tu gravius delinquis, dum non ex necessitate, paupertate, sed merâ voluptate illectus bestiali, vis illam spoliare pretiosiori thesauro, quam sit omne argentum & aurum totius mundi? An tu adeò temerarius sis ut eam exuas illo, quod tot prudentes puellæ prætulerunt propriæ vitæ, & virgo virginum tanti fecit, ut maluerit non esse mater Dei, quam illo carere? An te putes impunem mansurum? An ita stolidus sis, ut credas Patrem orphanorum, justissimum, & formidandum vindicem oppressionum tyrannicarum, hoc non ægré sit laturus. Leges humanæ non magnam faciunt differentiam inter peccata Dominorum erga servos, & servorum erga dominos, quia utraque graviter puniunt: sed leges divinæ, idem non faciunt, inquit Sanctus Chrysostomus; quamvis enim fores princeps, quamvis fores Rex, si tamen opprimas servos, tu gravius punieris quam aliquis, & quidem vilissimus: *Exiguò conceditur misericordia, potentes potenter Tormenta patientur, non est acceptio personarum apud Deum*, coram eo, in ejus tribunali nullus est Dominus, princeps, Rex, quia omnes apud eum sũt servi, plebei, mancipia. Si sis potens, potenter tua crimina puniet, si sis servus nullam excusationem afferre poteris, quam admittat. Dicere haud poteris, egò quidem tale patravi peccatum, sed illubenter id feci, jussus à Domino, tu tuo damno jussu supremi Domini invitus damnaberis. Hom. 22 in Epist. ad Ephes.

XXII. Et quæso te, quis majus habet jus tibi imperandi, Creator an creatura? quodsi Dominus tuus aliquid tibi præciperet contra jussum Regis, an tu obligareris ei obedire? quomodo ergo ausis ei obedire contra mandatum Dei? cui magis obligaris an Deo vel homini mortali? an forsan tuus Dominus te creavit, redemit, pro te sanguinem suum fudit? Dominus sustentat tuum corpus, sed Deus propriam vitam ex amore erga te profudit. Herus tibi dat panem & cibos ad nutriendum corpus, sed Iesus te nutrit pane Angelorum, carne pretiosâ, & adorandâ. Dominus tuus te lactat bellis promissis, ille tibi montes pollicetur aureos, casu quo ejus consentias libidini bestiali.

bestiali. O simplex & misella, an non simplex es, si ejus fidem præbeas pollicitationibus? an non vidisti plures alias quæ tam speciosis promissis deceptæ in mille miserias sunt prolapsæ? postquam te defloraverit, te irridebit, & è domo pellet. Ostende te sapientiorem esse, quam ipse putet. Tam audacter, & generosè primæ ejus solicitationi resiste, ut alterâ vice non ausit redire, quod si ad impura te solicitet, veniam abeundi roga. Quantumvis sit levis & perversus, attamen bonam de te concipiet opinionem, & te suspiciet, quia virtus ubique se conspicuam reddit, ubique suspiciuntur illi, quos constat esse in gratiâ Dei; illos meritò judicamus fideles esse hominibus, qui fideles sunt Deo. David non nisi vilis fuit opilio, Saul magnus Rex, & tamen hic timuit Davidem, quia erat justus, ipse vero perversus. Patriarcha Ioseph alienigena, & mancipium fuit in domo Putipharis, & tamen quia judicabatur timere Deum, ideo in tanta ęstimatione, & gratia fuit apud suum Dominum. Tu eum imitare, & potius eligas innocenter calumniis traduci, in profundissimum deturbari carcerem, periculum incurrere vitæ, quam adulterium committere, & solicitationibus tui heri parere. Verum Deo dante cras ex fundamento de servis loquemur.

Conclusio per recapitulationem.

XXIII. Concludamus itaque, & compendio, ac per recapitulationem eorum omnium, quæ in hoc discursu diximus, Dominos instruamus: si verus sis Christianus, hoc est verus discipulus IESU, ejus regulis & axiomatibus credens, tu debes suaviare tuos famulos, tu teneriter debes eos diligere, ac eos reverenter suspicere, sunt quippe imagines Dei, ejus effigies affabrè sculpta, figuræ divinitatis ejus, imagines factæ non per pictorem mortalem sed per manem cunctipotentem Creatoris in tela nobilissima & excellentissima, sunt membra Christi insita, & inserta ejus corpori, ejus spiritu animata, ejus carne nutrita, ejus charactere signata, ejus gratia sanctificata. Sunt templa spiritus sancti; immò sanctus Paulus declarat, quod eorum corpora sint domicilium, & sanctuarium ejusdem spiritus: *membra vestra templum sunt spiritus sancti*; tu tamen nō magis curas eos, quam si essent mancipia, pagani, bestiæ irrationales. 1. Cor. 6. v. 19.

Videte ne contemnatis, Angeli enim eorum, semper vident faciem patris. Angeli custodes tanti eos æstimant, ut ad Deum certatim eorum preces, & bona opera deferant. *Ambitioso* inquit sanctus Hilarius *famulatu*. Si erga eos sis crudelis, & inhumanus offendis eorum Angelos.

Sunt instrumenta viva, & animata tuorum propositorum, affectu tibi conjuncti si fuerint utiliores erunt, quod si sint probi, & te ament, illi curam habebunt tuarum prolium, illi virtutis ideam illis instillabunt, & honorem habebis coram Deo, & hominibus, dicetur talis Dominus, talis servus. Tandem ama eos, ut te ament, ignis ignem accendit, amor amorem reciprocum producit.

hoc non fit verbis, Marce ut ameris ama.

Quod si eos ames, id monstra effectu, nec iis præcipias aliquid mali, vel difficile, ne iis verba des dura & ignominio-

sa.

ſa. An tu ita feciſti, an tu talis feciſti? ita loquendum eſt mancipiis gentilibus, & non fratribus Chriſtianis. Eos perſtringe charitativè, & non imprecando, ſalus eorum tibi curæ ſit, nec negligas interim corporum ſanitatem, Et quamvis ſint te inferiores, attamen tu eorum es conſervus, & cum iis ſervis Deo, ille tibi eâdem menſura remetietur, quâ menſus es iis. Si erga eos fueris ſeverus, ille tibi ſeverus erit, rigoroſus, & implacabilis in judicio: uti directè aſſerit in Sancto Matthæo. Tu ſperas quod te ſalvabit, & quod tibi futurus ſit miſericors, ſed meliori jure miſericordiam præſtabit tuis famulis & ancillis, quia eorum peccata, attentâ eorundem ruditate, ignorantiâ, infirmitate magis excuſabilia ſunt. Et quia per ſuam vitam humilem, & laborioſam pœnitentiam agunt, dicere poſſunt cum propheta: *vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea.* Matth. 18.

Erunt objectum favorum & benedictionum Dei, *venite benedicti.* Et cur agis ut ſint objectum tuarum injuriarum, & maledictionum? erunt Reges in cœlo, cur ego eos hic tractas velut mancipia? erunt ſimiles Archangelis, cur ergo eos vilipendis velut beſtias. Tecum in nuptiis Agni convivabuntur, ergo debes conari, ut reddantur capaces qui dignè participent in ſacris feſtis ſponſaliorum Sacram Euchariſtiam. Nunc debes hic inferius id incipere, quod poſtea cum iis facies per totam æternitatem ſeculorum ſuperius in cœlo, in quo vos invicem amabitis, vos invicem beatificabitis, & excitabitis ad amandum, benedicendum, laudandum & glorificandum ſupremũ Dominum per omnia ſecula ſeculorum Amen.

SERMO
QVINQVAGESIMVS QVINTVS
pro Feſto Sancti Thomæ Apoſtoli.
De debito ſervorum erga Dominos.

Noli eſſe incredulus ſed fidelis. Joann. 20.

PRofecto hæc verba, quæ Chriſtus hodie dixit ſancto Apoſtolo Thomæ plurimis hominibus adhuc hodie dici poſſunt, ſpecialiter tamen famulis, & Ancillis, Noli eſſe incredulus ſed fidelis. Plures famuli, & Ancillæ ſunt increduli, quia putãt ſuum ſtatum ſervilem eſſe vilem, contemptibilem, & inhonorificum. Sed illos moneo hodie ne ſint increduli, ne hoc credant, ſed potius veniant, & tangant, quam excellens ſit conditio & ſtatus ſervilis, quomodo nempe Deus ſit auctor illius, & ſit merces ſervorum, & ſervitus ſit via ſecuriſſima, qua itur ad cœlum. Etiam plures eorum ſunt infideles, quia ſuum officium ritè non faciunt; His hodie dico, nolite eſſe increduli, ſed fideles, hoc eſt, facite veſtrum officium ſicut debetis, quod qualiter fieri oporteat oſtendemus in hac concione, maxime puncto ſecundo.

Servi obedite Dominis veſtris Carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto. Epheſ. 6. v. 5.

I. Hiſto-

I. Historia græca nobis recenset, quod cùm quidam advena insignem politiam conspexisset, quæ urbem Spartanorum illustrem reddebat, attonitus exclamavit: O beatam urbem, quæ superiores habes qui tam feliciter sciunt regere. Porro princeps Theopompus cum hæc audiret, ex eo potius urbem felicem esse deprædicandam dicebat, quod cives haberet, qui tam accuratè obedire scirent. Quo ad me, si ego interrogarer, quomodo familiæ Christianæ ritè institui, & beari possent, ego utriusque opinionem conjungere ac connectere vellem, ac dicere, ad felicitatem familiæ requiri ut superiores norint bene præesse, & subditi bene obedire.

Et quidem heri explicavimus obligationem Dominorum erga servos, hodie declarabo obligationem servorum erga Dominos, & quidem per tria puncta. Primo puncto declarabo existimationem, quam servi debent habere erga suos Dominos, in secundo, qualiter & quomodo debeant se habere; in tertio adferam motiva, quæ ad hoc debeant illos incitare. Primam conditionem status, quam in Evangelio, ô sacerrima, & beatissima Virgo assumpsisti, fuit conditio, & status ancillæ: *Ecce ancilla Domini.* Nos honorem illum habemus, quod tecum hanc dignitatem dividere possimus, dum hominibus obedimus, nam sanctus Paulus nos docet, quod debeamus servire *sicut servi Christi* reverenter, humiliter, ex animo, ac si serviremus filio Dei, & hoc ideo, ut honoremus & imitemur admirabilissimam ejus humilitatem, per quam dignatus est formam servi assumere in sinu tuo virginali, cui benedicimus te salutando, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

PUNCTUM PRIMUM.

Excellentia conditionis servilis ostenditur primo, quia Deus est auctor illius, & hoc probatur inductione in mundo naturali, Ecclesiastico, civili, rationibus, Nam sic Deus probat suam potentiam, sapientiam, bonitatem; secundo est ejus exemplar, tertio est merces, nam servitus est via securior, felicior ad cœlum.

II. Quoniam magistri vitæ spiritualis communiter dicunt, ad hoc ut reddamur perfecti in nostra vocatione multum referre, ut magnam de ea concipiamus æstimationem, & famuli excitentur, ut obligationi suæ satis faciant, ego primo puncto ostendam nobilitatem, excellentiam vocationis eorundem, & hoc primo, quod eorum conditionis auctor sit Deus, secundo quod servi in hoc Deum imitentur & sequantur, tertio quod eorum status nos ad Deum ducat; hoc est dicere, quod Deus status servilis sit auctor, forma exemplaris, merces & ultimus finis. Deus itaque status servilis est auctor. Quod si attentè considerare velimus processus admirabiles providentiæ divinæ in productione, & conservatione Creaturarum, nos videbimus, quod ejus opera non sint conflata ex partibus, & speciebus omnino disparatis, sed ex partibus valde concinnis, quæ sibi invicem sunt annexæ, correspondentes, sese invicem respicientes; colligatæ, à se invicem dependentes, & subordinatæ. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Enimvero hanc doctrinam sancti Pauli inductione quadam deducta ex eisdem quæ videmus in mundo naturali, Ecclesiastico, civili, & politico elucidare possumus.

mus. Scimus quod in mundo naturali globi cœlestes, & astra fixa Dominium perpetuum habent in elementa, corpora mixta, plantas, animalia, & alia corpora sublunaria, irrigant terram, præsunt fluxibus, & refluxibus maris, producunt metalla, formant in aere meteora, vivificant plantas, concurrunt ad generationem, & conservationem animalium: *Sol, & homo generant hominem.* Quod si è terra scandamus ad firmamentum, nos discemus à Sancto Dionysio quod celsissimæ hierarchiæ Angelorum purgent, illuminent, ducant, perficiant inferiores. Similiter in ordine gratiæ, & mundo Ecclesiastico parochiani subjiciuntur parochis, parochi Archypresbiteris, Archypresbiteri Episcopis, Episcopi Archyepiscopis, Archyepiscopi Papæ. Tandem in mundo reipublicæ civilis Reges imperant gubernatoribus provinciarum; gubernatores magistratui urbium, magistratus civibus, cives famulis. Et hoc est quod dicit Isaias, nempe quod Deus tribus digitis sustentet hanc molem terræ, hoc est Deus tres divinas perfectiones, potentiam suam infinitam, sapientiam incomprehensibilem, bonitatem ineffabilem adhibet non solum in creatione, sed & in conservatione, & gubernatione mundi.

III. Ostendit suam potentiam, & magnitudinem majestatis, quia illud est signum majestatis regiæ, quod habeat principes sibi subjectos, in hoc consistit honor, & eminentia monarchæ, quod habeat Reges Vasallos. Quomodo ergo Deus posset vocari Rex Regum, nisi haberet Reges sibi subjectos. Quomodo esset Dominus Dominantium, nisi Dominis imperaret? quomodo possemus illi dicere, *Terribilis es ei qui aufert spiritum principum terribilis apud Reges terræ*, nisi principes & monarchæ terræ ei subjicerentur?

Ostendit suam sapientiam in eo, quod admirabili œconomia coaptet & componat creaturas, quæ dotatæ sunt qualitatibus, humoribus, inclinationibus non solum disparatis, sed contrariis, & oppositis. Ille novit harmoniam concordare gratissimam, ille eas ritè coordinat, componit, unam ad alteram refert, ille gubernat inferiores per superiores, ignobiliores per nobiliores, grossiores per subtiliores, imperfectiores per perfectiores.

Manifestam facit suam bonitatem in hoc, quod superioribus communicet suam potentiam, & jurisdictionem, quæ est una ex preciosioribus gemmis suæ coronæ, una & ex præcipuis prædiis sui dominii, ille dignatur eos assumere secum in gubernatione inferiorum, quas facillime se ipso regere & gubernare posset. Et sanè hæc servis evidenter monstrant, quod eorum conditio sit opus Dei, dispositio suæ providentiæ, effectus suæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis infinitæ, effectus qui procedit à tribus causis adeo nobilibus, excellentibus, dignis, divinis, ut nobilior, excellentior, dignior dari non possit.

IV. Adeo dignus & excellens est status servitutis, ut filius Dei desiderans esse servus, nec hoc valens assequi in natura divina, & increata, dignatus fuerit assumere hominem, & incarnari in utero virginis, ut dùm sibi copularet nostram naturam, etiam qualitatem servitutis, quæ ei inseparabiliter & essentialiter connexa est sibi uniret. Hoc est quod

docere nos voluit ejus Apostolus: *Hoc*
Philipp. 2. v. 6. *enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, formam non apparenter, sed re ipsa, essentiam, & qualitatem servi eo modo quo in *forma Dei* essentialiter, & substantialiter Deus erat. Et hoc reipsâ in effectu mõstravit: Proprietas servi est non propriam facere voluntatem, sed alienam, servire Domino, & ad hujus increpationes tacere. Iesus autem dicit: *Descendi de cœlo non*
Ioannis 6. v. 36. *ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me:*
Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare:*
Psal. 37. *Factus sum sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones.*

Officium servi est inservire mensæ, lavare pedes familiæ, idem quoque fecit Iesus in ultimâ cœnâ. Servi est everrere domum, & sordes è domo efferre super fimetum: Idem quoque egit filius Dei, ipse everrit Ecclesiam quæ est domus Dei, & omnes sordes super se portavit.
Isaiæ 43. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Liquet ergo quod honoraverit vestrum statum, quia dignatus est officia ejus exercere. Quod si Rex ageret musicum, medicum, pictorem, nemo est qui non duceret honori si talem artem profiteatur. Et sicut Poëta Christianus testatur de Iesu quod

Pœnam vestivit honore
Ipsaque Sanctificans in se tormenta beavit.

Ita quoque nos possumus & debemus dicere quod in se evexerit, dignificarit, sanctificarit, Deificarit Conditionem servilem. Ille ejus est honor, gloria, Idæa, & exemplar.

VI. Ille est ejus finis & merces: *erit merces operi tuo.* Non est status in quo tam faciliter quis operari queat salutem quam in statu servili. Quando adolescens quidam aut puella sese volunt devovere Deo & aliquem statum assumere ut illi serviant, plures instituuntur preces, plura adhibentur consilia, & informationes, ut possint cognoscere quænam sint vocatio Dei. Enimverò famuli & ancillæ non indigent tot consultationibus, quia certi sunt quod Deus eos collocarit in tali statu, quodque ejus voluntas sit, ut in illo maneant. Sanctus Paulus exhortans Christianos, ne quotidie 1. Cor. 7.
instabiles sint & mutabiles, sed ut permaneant in sua vocatione constantes; ille non hortatur quoslibet in particulari ut in sua vocatione maneant, sed tantum servos: Postquam enim monuisset quilibet maneret in sua vocatione, ad quam fuit vocatus, non addidit: Si sis rex, præsidens, consiliarius, persiste in hac vocatione, sed si sis vocatus ad servitutem, sta in eâdem: *Servus vocatus es, non sit tibi curæ*, quia sæpe contingit quod Deus te non vocet ad regnum, honores, opes, dignitates Ecclesiasticas vel seculares, sed tua præsumptio, avaritia, ambitio tuorum parentum vel agnatorum, vel si Deus forsan ad hæc te vocavit, id fortè factum est ut te reprobet, judicet & puniat peccata tua vel parentum tuorum.

Enimverò ordinariè ad servitutem, vilitatem, subjectionem Deus te vocat & quidem per suam providentiam, prædestinationem, intentionem & voluntatem te salvandi. Ita legimus in Scriptu-

râ quod Deum pœnituerit quod Saulem evexerit ad regnum, hinc dixit ad Samuelem: Pœnitet me quod constituerim Saul Regem populi mei. Imperium fecit, ut imperaret. Antea erat innocens instar infantis unius anni, sed postquam ad solium evectus fuit, migravit in perversum & dolosum instar vulpis. Nunquam econtrà legimus in sacris litteris, quod Deum pœnituerit quod aliquem posuerit in statu servili, immò contrarium Sanctus Paulus aperte testatur, *sed etsi potes si es liber magis, utere servitute.* Non est quippe status in mundo in quo possis fieri gratior Deo quam status servitutis.

1. Regum 8.

1. Cor. 7. v. 10.

7. VII. Hic status est via certior, rectior, facilior ad cœlum. Hoc paucis verbis per tres insignes comparationes docuit Sanctus Iob. *Homo natus ad laborem sicut avis ad volatum.* Est via certior & remotior ab omni periculo. Avis quæ volitat per aëra, non adeo faciliter in laqueos & casses aucupis incidit, quam illa quæ allicitur per aliquam escam aut illicium aut carnes in fimeto aut cloaca. Servi & plebei qui occupantur continuo aliquo honesto opere ut vitam sustentent, non sunt adeo expositi tentationibus mundi, carnis, diaboli, ac illi, qui sunt otiosi, qui otio ac deliciis diffluunt. Sanctus Hieronymus ad quendam amicum scribens ait: *Facito semper aliquid, ut inveniat te diabolus occupatum.* Dum continuo operibus servilibus vacas, non habes tempus aures præbendi suggestionibus diaboli, tua caro fatigata & macerata per labores non tam faciliter rebellat.

Tu via rectiori pergis ad cœlum. Pro eo quod vulgata, *sicut avis ad volatum*, alia littera habet sicut *Aquila*, aut *sicut pulli aquilæ ad volandum.* Ælianus testatur esse quandam differentiam inter aquilam & alias aves, dum versus cœlum volant. Nam Aquila velocissimè & agilissimè & rectissima ad cœlum volat, reliquæ vero oblique, transversim & quasi retrovolantes. Magnates & divites cœlum quidem intrant, si bene vivant, sed communiter distortè, quia maxima pars transit per purgatorium vel ob peccata patrata in conquirendis opibus, vel iis conservandis, aut quia nimio affectu bonis terrenis adhæserunt. Econtrà servi probi in hoc mundo pœnitentiam agunt. Nam vita eorum humilis & laboriosa, & pœnitentia continua quæ satisfacit justitiæ divinæ & diluit pœnam per peccata promeritam.

VIII. Etenim nulla est pœnitentia facilior & sublimior quam magnus fervor in amore Dei. Pro illis verbis, *sicut avis ad volandum*, alius substituit, *sicut filii ignis*, ac si diceret: Sicut scintillæ ignis ascendunt sursum, ita servi qui laborant cum illis conditionibus, quas iis sanctus Paulus præscribit, & de quibus nos paulo post agemus, habent majorem commoditatem, quod sint ferventes in amore Dei, & quod opera sua faciant ex hoc sancto motivo: Pater siquidem Familias, nisi sit summè negligens & socors, in omnibus suis lucrum & augmentum suæ familiæ spectat. Et hic est unicus & principalis ejus finis, & ideo in omnibus suis actionibus nullum habet amorem

Dei, & consequenter nullum meritum, & miser famulus, qui nihil aliud acquirit in hoc mundo quam alimenta corporis & quidem simplicia & grossa, ille facilius potest suas actiones elicere ex gloriâ Dei & ex intentione obediendi divinæ voluntati.

PUNCTUM SECUNDUM.

Debita servorum. Primum servire fideliter. Secundo libenter, tertio humiliter.

IX. Sanctus Apostolus Paulus docens in variis suis Epistolis principaliter vero in ea quam scripsit ad Ephesios & Colossenses qualiter debeant pensum servitutis pendere Dominis, sic ait: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore*
Ephes. 6. v. 5. Coloss. 3. *ac tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo non ad oculum. Serviētes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino non hominibus, scientes unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.*

Quando Sanctus Paulus ter dicit: *Sicut Christo: ut servi Christi, sicut Domino*, ille tres exprimit qualitates quibus vestra obedientia vestita esse debet. Primo debetis servire coram Iesu, & in ejus præsentiâ adeòque fideliter: Secundò ex amore Iesu, adeòque sincerè, Tertiò tanquam servus ipsius Christi, adeòque humiliter.

Et quidem primò fideliter, ut possitis dicere cum illa Spartanâ, quæ dum conduceretur, & interrogaretur quid posset, animosé respondit, scio esse fidelis: hæc est optima qualitas quam possitis habere, hoc est optimum specimen quod possitis edere, nempe quod sitis fideles, fideles ex corde & animo, ut nempe tantam curam habeatis negotia vestrorum Dominorum promovendi, ac si vestra essent: ut sitis fideles linguâ, ne domestica foras divulgetis, ne facta, dicta, victum in apricum producatis, ne dissensiones concitetis per delationem quisquiliarum referendo ad heram facta Domini, nec ad herum dicta heræ, omnia denuntiando socero, socrui, nurui, novercæ, concitando heram contra ancillas, ancillas contra heram. Ut sitis fideles in opere: *Non fraudantes*, inquit Tit. 2. v. 10
Sanctus Paulus: Vatablus legit, *non suffurantes* νοςζομένυς. Non solum debes abstinere à magnis furtis, sed etiam à furtis paruis, quibus nonnulli nunc clepunt duos obolos, nunc quatuor teruncios, sub prætextu quod parum semper auferant. *Non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes*, nec unquam permittere ut alii famuli, vel proles aliquid ex frumento, vino, cibis, fructibus, lignis, quæ tibi concredita sunt, suffurentur.

Ut sitis fideles toto corpore, ut omnia vestra membra sedulò impendatis in omne id, quod scitis hero vestro esse proficuum, absque eo quod tempus alienis occupationibus teratis antequam tibi jussa dentur, etiam Domino absente: *In simplicitate cordis vestri, non ad oculum servientes.* Ephes.

Ne imitemini Gietzi famulum Prophetæ Elisæi. Postquam huic vati munera ingentia Archistrategus Regis Syriæ, Naaman nomine, præsentasset, ob magnum beneficium quo per eundem à leprâ miraculosè curatus erat, & hic vates,

tes, cui simonia in summâ abominatione erat, illa admittere non voluisset, mox ut Naaman pedem urbe extulerat, Gietzi sic secum discurrere cœpit: Oedipol, herus meus magnum damnum incurrit, dum tot dona ab homine opulentissimo optimo corde oblata reiecit, & curru conscenso, eum consecutus est: Naaman vix eum perceperat, & in terram descendens ei obviam processit. Hem quid novi adfers, quid à me petis? Domine, herus meus ad te me amandavit, rogans ut aliquid ei pecuniæ subministrare velis, ut hospites qui jam jam advenerunt excipere possit. Libentissimè excepit Naaman, eique plus dedit quam postularat, adjiciens supellectilem pretiosam. Postquam vesperi domum rediisset, vates eum rogavit: Hem Gietzi, unde venis? Domine, unde venirem, domo non exivi. Quid? An tu domo non es egressus? Cur peccatum peccato addens es mentitus? Non, non solum domo es egressus, sed & civitate: Spiritus meus tecum fuit cum Archistrategus tibi obvius iret, & vidi quidquid inter vos gestum est. Tu munera admisisti à Naaman, & ideo tu & tua posteritas *in sempiternum* leprâ percussa lugebit. Hæc verba statim efficacia fuerunt, & eodem instanti Gietzi horrendâ leprâ percussus fuit. Idem sæpè tu facis licet non advertas, quando nempe pecuniam & alia tuo Domino aufers, & illa expendis in crepundia, commessationes, cupedias, & alia hujusmodi, dum ea quæ tibi commissa sunt per tuam negligentiam corrumpuntur, tu putas neminem hoc scire: Verum supremus Dominus hoc videt, Spiritus Dei tibi est præsens, fœditas spiritualis peccati animæ tuæ agglutinata est, lepra, quæ est morbus incurabilis animam tuam invasit, nec est pharmacum spirituale quod te possit curare, nisi restituas, quod tamen non facies, nec Confessarius ab onere restitutionis per absolutionem te liberabit: *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Hæc furta, nequitiæ, hæ fraudes te obligant ad restitutionem, tu quidem hæc nauci ducis, tu ea non confiteris, vel si ea confitearis, confiteris ea tantum dimidiatè, & factum minuendo, tu in festo Paschatis mutas confessarium, ut nullus sciat quod tam parum te emendes, tu moreris in hoc statu, & fœditas peccati continuò & in æternum tibi adhæret. Quando occasio exercendi hanc nequitiam sese tibi offerret in conspectu heri, an eam exerceres? Enim verò Deus continuò tibi adest, ille oculos in te habet defixos, ille attentè te considerat, quomodo ergo id audes facere in ejus præsentiâ, quod non faceres in præsentiâ hominis mortalis? Time potius damnationem æternam, quam timeas fustes & alapas; servi fideliter, quia servis coram Deo.

4. Reg 5. v. 24.

X. Servi sincerè & ex animo, quia servis, aut debes servire ex amore Dei. Quod si servias ex amore Dei, non servies nec obedies tuo Domino cum aliquid tibi mandabit contra voluntatem Dei, non portabis literas amatorias, aut munuscula ad pellicem. Nec te fallas tus, quæso, quia coram Deo nõ es excusaquamvis dicas: ego quidem feci actionem turpem, sed jussus à Domino, nam tuus Dominus ob jussionem, & tu ob obedientiam præstitam damnaberis: sicut enim famulus qui jussus ab summo aulæ præfecto ut aliquid faciat contra

Regem vel servitium suæ majestatis, non foret excusatus quamvis diceret, Domini mei, qui servus est Regis, jussu hoc feci, sed cum omnibus suis excusationibus ageretur in crucem vel in rotam, ita & tecum fieret. Et hinc attendere debes & videre, num Dominus tuus tibi aliquid præcipiat, quòd faciliter contingere potest, contra legem Dei vel præcepta Ecclesiæ, ut si mandet die festo labores, vadas spatiatum, missam negligas, & hoc quamvis id non faceret ex contemptu Ecclesiæ, sed ex avaritiâ aut alio motivo, nam si obedias, peccas; & quamvis Ecclesia non præcipiat, ut post unam aut alteram vicem ejus servitio te expedias, & alium Dominum quæras, quia forsan adesse potest aliqua causa vel necessitas, quam tu ignores; si tamen id soleat facere, expectandum est tempus quando erit pacatus & bene dispositus, & dicere ei: Domine, sit venia verbo, si aliquid proponam: Confessarii me acriter perstringunt quando diebus festis laboro, minantur se absolutionem mihi negaturos, supplex oro, ne deinceps hoc mihi imponas, alias tuum servitium deserere debeo, etiamsi hoc fieri debeat in fine anni.

Quod si tibi aliquid præcipiat contra mandata Dei, ut nempe perjures, duellum ineas, proximum contumeliis & conviciis impetas, in libidinem consentias, potius moriendum tibi est, quam vel semel obediendum. Dicere debes
Act. 5. v. 29. cum Sancto Petro: *An justum sit hominibus magis obedire quam Deo?* Imitari debes illum militem qui Duci Ioab asserenti, *quare non confodisti eum cum terrâ, & ego dedissem tibi decem argenti siclos & unum balteum*, Respondit. *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis: Audientibus enim nobis præcepit Rex tibi, custode mihi puerum Absalom.* 2. Reg. 18. v. 12. Verùm si herus tibi aliquid præcipiat quod non sit contra mandatum Dei & Ecclesiæ, tu obedire debes non invitè, repugnanter, illubenter, coactè, murmurando, conquerendo, sed lubenter, voluntariè, lætanter, spontè, ex animo, *ex bonâ voluntate*, non ex necessitate, inquit Sanctus Paulus, quæ diversis terminis exprimit, ut illa magis inculcet, & esse necessaria ostendat.

XI. Præterea non solum obedire debetis ex amore Iesu, sed quasi obediretis Iesu, cum honore, respectu, reverentiâ, timore: *Cum timore, & tremore*, inquit Sanctus Paulus, *Servi Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* 1. Reg. 2 v. 5.

Nota *dignos*. Honor quo eos afficis non est honor gratuitus aut supererogatorius, sed honor debitus, & obligatorius. Tu eum illis debes, illi eum promerentur, illi eo sunt digni non solum dum sunt boni & pacati, sed etiam cum sunt perversi & crudeles: *Etiam discolis*, inquit S. Petrus, quia eorum authoritas, est emanatio, imago & expressio superioritatis divinæ, hanc autem honorandam esse in quocunque subjecto constat, sicut honorandus est viceRex, sive sit dives sive pauper, doctus vel indoctus, lacer, vel splendidè vestitus, quia ejus munus est participatio, radius, corrivatio, & emanatio Regiæ authoritatis.

Quamvis tuus herus sit devotus vel indevotus, virtuosus vel vitiosus, attamen est tuus Dominus superior, ejus potestas

testas est à Deo, quidquid autem à Deo est, meretur honorari, suspici, amari, tractari & recipi cum reverentiâ. *Omni honore dignos*, honore interiori, quia in tuo hero & horâ debes considerare personam Christi Iesu, in te ipso debes excusare eorum defectus, & supportare eorum imperfectiones. Honore exteriori, ne iis arroganter respondeas, ne eos absentes irrideas, ne eorum defectus propales, sed semper honorificè de iis loquaris, & quidquid ad eos spectat reverearis. Saul injustè persequebatur David, & quamvis David jam esset à Deo designatus & consecratus Rex, & Saul reprobatus: Nihilò seciùs quia Saul actu habenas regni administrabat, David dolendo prosecutus est exiguum defectum, quamvis bonâ intentione, erga eum
1. Reg. 24. v. 5. commissum. Dum David insidias Saul, qui ex invidiâ ejus vitæ insidiabatur, declinaret, & in quodam antro lateret, Saul nil sciens de Davide, idem intravit. David ut ostenderet se nil malè velle Regi, quodque eum levi negotio vitâ exuere potuisset, dummodò voluisset, latenter oram chlamydis ejus præscidit, & quamvis hæc res nec capillitio digna videretur, attamen valde ob hoc doluit, & *Percussit cor suum David, eò quod abscidisset oram Chlamydis Saul.*

Hebræi porrò ex traditione se didicisse affirmant, quod David in supremâ ætate in pœnam hujus delicti tanto rigore alguerit, ut nullis stragulis & tegumentis calefieri potuerit, uti disertè sacra scriptura testatur. Ex quo liquet quantâ veneratione prosequi debeamus omne id, quod ad superiores spectat.

PUNCTUM TERTIUM.

Motiva, Primum ex parte Dei, secundum Domini, Tertium servi.

XII. Ne *blasphemetur nomen Dei, & doctrina Christi.* Sanctus Paulus tibi inculcat hanc doctrinam, ne per tuam inobedientiam des ansam, quod aliquis malè loquatur de Christo, ejusque doctrinâ. Quod si illa quæ tuæ sunt concredita curæ corrumpantur, tu alios oneras, & causa es, quod eorum fidei committantur, quod si duas horas insumis in aliquâ legatione, quam potuisses perficere per quadrantem horæ, tu es in causâ quod tuus Dominus blasphemet, quod tua hera fiat impatiens, quod domestici in convicia & maledicentias prorumpant, immò quod ipsa sacra sacramenta, & verbum Dei in vanum & irreverenter pronuntient, eo quod tu sacramenta frequentes, nec sis melior ac probior ipsis, ac ideo peccare, & tu quoque es culpabilis, & illius peccati particeps, quia es in causâ.

At enimverò, si tuæ satisfaceres obligationi, si esses virtuosus, Deus multum honoraretur, & ejus nomen valde glorificaretur. Quod si magnates ament & serviant Deo, nil est miri, quia sunt ei valde devincti, ab eo prosperitatibus repleti sunt, lumen & cognitionem sufficientem habent. Verum si tu sis devotus & virtuosus, si tu sedulò & pacificè domi tuæ obligationi satisfacias, si tu instruas infantes in amore ac timore Dei, si tempus superfluum precibus impendas, si tu inquam hæc facias, qui ingenio & animo prædi-

præditus es exiguo, qui ex providentiâ Dei pauper es, & humilis, tuus amor erit minus interressatus, erit magis purus, heroicus, meritorius, tu ornamentum es doctrinæ Iesu: *ut doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

XIII. Tu si hæc facis, omnibus qui in domo sunt præluces bono exemplo, tu bonum spargis odorem per totam urbem; nam ut dixit quidam Sanctus Prælatus nostri ordinis, qui cum suis famulis conferentias spirituales habuit, opifices, artifices, servi, sunt potissima pars civitatis, & tales ordinariè non sumunt exemplum nisi à sibi similibus; si videant unum Episcopum, Canonicum, Religiosum, modestum, compositum, dicunt id iis competere, id esse eorum obligationis, professionis: inquiunt, ego non sum Episcopus, Canonicus, Religiosus. At verò si videant unum famulum, ancillam, coquum, unum qui est à cubili, devotum, virtuosum, conscientiosum, illi moventur, nullam habent excusationem, sunt convicti, & plus hauriũt utilitatis ex hoc exemplo, quàm ex prædicatione: *verba movent, exempla trahunt*, inquiebat Sanctus Maximus mancipium Vandalorum in Africâ, qui suos conservos Sanctos Martinianum & Saturninum convertit ad fidem, & causa fuit ut martyrium tolerarent.

Vict. Vticent: Lib. 1. de Persecut: Vandal:

Pratum spirituale recenset, quod quidam devotus religiosus nomine Ioannes, qui postea fuit discipulus Abbatis Ammonis per duodecim annos maximâ charitate, & sinceritate servierit cuidam infirmo, à quo toto illo tempore nec unicum dulce habuit verbum, quin potius durè habitus fuit. Hic ingratus socius fato admotus, plures Anachoretas ad se accersiit, & suo famulo ad se vocato, eum manibus prensavit, dicens, vale, vale, vale: Et deinde ad adstantes conversus eum maximo affectu iis commendavit dicens: videte Angelum, non hominem, quia spatio duodecim annorum quibus mihi servivit infirmo maximâ promptitudine & affectu, nec unum verbum bonum à me habuit.

XIV. Tu iis similis eris, tu eris eorum sodalis, tu particeps eris eorum coronæ, dummodo eorum virtutes imiteris: *A Domino recipies retributionem hæreditatis.* Si tibi laboranti in auri vel argenti fodinâ aliquis diceret, charissime tu multum laboras & parum lucraris, superius alia auri fodina est, in eâ fodias & labores, nam ibi nullam senties pœnam, & multò plus lucraberis, an non expers rationis fores, si ejus monitis non acquiesceres? Sanctus Paulus tibi dicit: Si tantum tuo Domino famuleris intuitu lucri, & salarii temporalis, tu parum lucraris, ergo meliorem partem elige, muta intentionem & finem, & lucraberis thesauros, coronas, & proemia æterna.

Vel tuus herus & hora snnt probi & pii, vel non? Si ita, tu debes sæpe dicere: Mi Deus non sum dignus ut tibi serviam, ego nihil sum, ego amore tui meo Domino servire volo, satis magnus est mihi honor & gloria quod serviam servis tuis, ego cibos volo parare, cubiculum verrere, negotiis mei heri invigilare, ut meus Dominus & Domina tempus habeant frequentandi ecclesias, te honorandi, pauperes visitandi, si tu idem facies, omnium bonorum operum quæ faciunt particeps eris. Sanctus Augustinus testatur Sanctum Paulum custodientem vestes eorum qui lapidarunt Sanctum Ste-

Ephes. 6 v. 9.

Stephanum, per manus omnium eundem lapidasse: Ille omnium peccatorum quæ illi patrabant reus erat: à fortiori si tu tuæ obligationi satisfacias, ut tuus herus & hora possint vacare piis operibus, in merita eorum participabis: Æqua pars erit descendentis ad prœlium, & remanentis ad sarcinas.

Quod si sint pravi & vitiosi, debes in iis honorare authoritatem Dei, oportet sincerè laborare ut eorum jussionibus obedias, sic enim lucraberis panem in sudore vultus tui, libenter debes iis servire, ut eos tuo bono exemplo convertas, & lucreris: Virtus quippe tam efficax est, ut ipsis hostibus in amore & admiratione sit, virtus nescio quale imperium, quale robur naturale habeat fascinandi ipsa corda quamvis duriora & rebellia. Citius aut serius tua fidelitas innotescet, tua diligentia & probitas manifesta fiet, æstimaberis, honoraberis, & preciosè conservaberis. Tu in domo ages velut parvus Dominus, uti vidimus in Iosepho, Eleazaro ac pluribus aliis, uti observat Sanctus Ioannes Chrysostomus Homiliâ quadragesimâ in epistolam ad Titum.

CONCLUSIO.

Monita pro Dominis.

XV. CONcludamus cum sancto Paulo instruendo Dominos, ut nemo sit qui utilitatem non hauriat ex hac concione. Hic Sanctus, postquam servis inculcasset obligationem & debitum suum erga Dominos, postea adjunxit:
Ephes. 6. v. 9. *Et vos Domini eadem facite illis, scientes quia illorum & vester est Dominus in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Tu vicem servis redde: Quod si non sint servi & famuli uti nostro ævo esse solent, sed sint mancipia, ego idem tibi non audebo dicere, solum id tibi dicam, quod quondam dictum est cuidam Religioso impatienti. Carlomannus filius natu major Caroli Martelli, & frater Pepini Galliarum Regis, personâ dissimulatâ cum quodam fideliori servo Baron. Anno 747.
concesserat ad montem Cassinum, ibidem ad aures Abbatis admitti rogavit, & ei adstratus dixit: Abba, en coram te miserum homicidam (occiderat paganos in bello justissimo) peccatis refertum qui misericordiam flagitat, ego pauperculus sum Francus, huc ex patriâ meâ veni, ut pœnitere possim & mea scelera expiare in hoc monasterio, dummodo me admittere placeat. Abbas eum cum socio recepit. Novitiatu absoluto, & professione emissâ, missus est ad culinam ut coquo serviret, & quia artem coquinariam nunquam addidicerat, plures solecismos commisit, nam melius sciverat vibrare gladium, quam vertere veru. Coquus itaque in scholâ patientiæ parum versatus, & quis, inquit, hunc nebulonem ad me misit, quis hunc asinum mihi adjunxit, & ei alapam insignem impegit. Quid ad hæc Sanctus Princeps? Totus affabilis respōdit, charissime Deus tibi ignoscat. Aliâ vice calce ejus dorsum fortiter impetivit, cui Sanctus idem precatus dixit, charissime parcat tibi Deus. Verum cum eum molestare non desisteret, servus Sancti in impatientiam prorumpens dixit: Scisnè amantissime, quem tam durè habeas? Is est Carlomannus frater Regis Galliarum. Tuus servus exemplo hujus regis edoctus, debet addiscere ut patienter tolerer

leret injurias, convicia, contumelias, quibus à te afficitur, idque in pœnam peccatorum patratorum. Verum supremo judicii die, cum eum videris inter Beatos tibi dicetur: An non nosti eum qui tibi servivit? Is quem vilipendisti est princeps non Franciæ, sed cœli, est filius Dei, Frater Iesu. Ego tibi dicam cum sancto Chrysostomo: Ad minùs id fac bono Deo, qui est tuus Dominus, quod velles à tuis famulis tibi fieri. Servus tuus obligatur revereri authoritatem, quam in eum habes, quia est expressio, imaginatio superioritatis Dei. Si imago est digna honore, multò magis cultum merebitur prototypon, si effigies regis sit honoranda, multò magis erit honorandus Rex. Potest fieri quod tuo servo non sis major, quod in bonis fortunæ, naturæ, gratiæ tibi sit æqualis, forsitan melioris conditionis est quàm tu: Est homo sicut tu, redemptus sicut tu, Christianus, filius ecclesiæ, participans sacramenta, ad gloriam & forsan sublimiorem, quàm tu prædestinatus. Deus naturâ est dotatus infinities sublimiori & nobiliori quam tu, famulus tuus non est tuum opus, tu eum non creasti, ante mundum fuit possibilis sicut tu; tu es creatura Dei, hic tibi donavit corpus, animam, esse, & omnia alia necessaria. Tu econtra nil aliud das servo tuo quam parvum victum, & satis simplicem, tu ei das vestes laceras, cibos grossos. Deus verò te lautè nutrit, delicatè te tractat, ille in abundantiâ, dat tibi vestes, cibos, domos, suppellectilem, hereditatem. Tu uteris tuo servo in instruendis prolibus, Deus verò pro te dedit filium suum unicum, amantissimum, perfectissimum, objectum suæ complacentiæ: *Ut servum redimeret, filio suo non pepercit.* Tu famulo exiguum tantum spondes salarium, frustillum argenti, Deus verò tibi promittit & præparat pro præmio bona infinita, & incomprehensibilia; tu vis ut servus tuus tibi serviat fideliter, ex animo, reverenter, cum tu tamen nolis servire tuo Deo. Et ubi quæso est justitia, ratio, æquitas, sensus communis, judicium? Quæso te clama cum Davide non solum ore, sed corde ex affectu, & effectu: *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Ego sum servus tuus in ordine naturæ per creationem, nam sum filius tuæ creaturæ, quæ ex naturâ suâ est mancipium creatoris. Ego sum servus tuus in ordine gratiæ, per redemptionem quia me redemisti. Ego sum servus tuus per optionem liberam & voluntariam quâ ego eligo hanc nobilem qualitatem, qualitatem quam magis æstimo quam quidquid possim acquirere, & possidere in hoc mundo: Nam esse tuum servum est esse liberum, tibi obedire est esse magnum, te amare est esse beatum, tibi servire regnare est, Amen.

Hom. 16. in 1. ad Tim.

Psalm. 115.



SERMO

SERMO
QVINQVAGESIMVS SEXTVS
Pro Festo Nativitatis Domini.
De Inimicitiâ

Novissimè diebus illis locutus est nobis in filio. Heb. 1.

EXORDIUM.

QUod Deus olim promisit, nempe se daturum populo Prophetam quem audire possent, uti legere licet Deuteronomii decimo octavo, id hodie opere complevit dum verbum humanam naturam assumpsit; ut enim exponunt Divus Petrus actuum tertio, & Sanctus Stephanus actuum septimo, Christus est propheta qui similis nobis hodie apparuit, dum carne nostrâ vestitus est; hunc misit Deus ut loquatur nobis omnia, quæ Deus illi præcepit ut loqueretur.

Quis ergo hoc sacro die adeo sit effrons, ut illum nolit audire? Nemo sanè. Eja ergo adeamus hunc concionatorem, & quid nobis hac primâ vice concionetur audiamus. Et quidem quamvis variâ documenta tradat, nos hodie tantum unum audiemus. Natus est infans nudus, parvulus qui nulli potest nocere, nullum lædere, nullum offendere, quod tamen meritò debuisset facere, quandoquidem omnes ex naturâ fuerimus filii iræ. Quid ergo infantili personâ docere voluit? Nil aliud, quam quod omnes inimicitias debeamus deponere, nam & ideo canunt Angeli: *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* De inimicitiâ seponendâ agam hoc sermone.

Non occides. Exodi 20.

I. MEritò dicit *Non occides*, nec reipsâ nec per voluntatem, quia homicidia actualiter & reipsâ comissa sunt rara, homicidia verò volûtate patrata sunt innumera. Nihil est comunius in mundo quam inimicitia. Hinc Sanctus Ioannes: 1. Ioann. 3. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* V. 15. Porrò ut utiliter hanc materiam tractemus, ego hunc discursum dividam in duo puncta, in primo examinabimus causas quæ solent inimicitias generare & fouere, in secundo indagabimus motiva quæ nos excitent ad illas in cordibus nostris suffocandas. Et quidem una è principalioribus est, imitatio tuæ magnæ charitatis ô Sacerrima virgo: Tu es sacrum illud ferculum quod mysticus Salomon ex materiâ incorruptibili fabricavit, ut in eo commorari posset. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de Lignis Libani.* Porrò id magis excellens est & admirandum in hoc ferculo, quod *media* ejus, hoc est juxta versionem septuaginta. *Interiora ejus charitate constravit.* Tua

ſancta anima quæ eſt in hoc ferculo, eſt tota ornata charitate. Medium hujus ſacri ferculi eſt tuus uterus immaculatus, & charitas Divina, Spiritus Sanctus, qui eſt amor perſonalis qui fœcundãs ſinum virginalem formavit Sacroſanctam humanitatem, ut in eâ ſedere poſſet verus Salomon, ſapientia æterna, ita tibi prædixit Angelus dum te ſalutavit hiſce verbis *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

EXORDIUM.

Vindicta fuit ſemper prohibita.

II. Quamvis filius Dei dixerit, Matthæi Sexto *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Amabis proximum tuum, & odio habebis inimicũ tuum* & Ioannis decimo tertio, *mandatum novum do vobis ut diligatis invicem.* Attamen inde non conficitur, quod præceptum de condonandis inimicis & dilectione eorundem adeo ſit proprium legi Evangelicæ ut non fuerit in lege Moſaica & Naturæ, uti docent Pagani ac moderni Doctores
Iob. 5. probiores ac eruditiores. Iobo qui vixit in lege naturæ, Deus dixit: *Cum lapidibus regionum pactum tuum.* Dicitur *lapis quia lædit pedem: Pactum quaſi pacis actus.* Ac ſi diceret: ego volo quod pacem & amicitiam colas etiam cum iis qui te actu offendunt. Non dicit ſimpliciter *cum lapidibus* ſed *cum lapidibus regionum.* Et ex hac re devenio in notitiam arcani cujuſdam inſignis, curioſi & conſpicui: Alludit ad maledictum morem, qui quandoque viguit apud Arabes, inter quos Sanctus Iob vivebat. De hoc more Arabico & inhumano mentionem facit Ulpianus in Digeſtis. Ille narrat quod Arabes ſuo adhuc ævo commiſerint quoddam Crimen, quod Græcè appellatur σποπελισμὸν ἀπὸ τοῦ σκοπελίζειν *quod eſt jaculari*, hoc eſt, quando hi habebant aliquem hoſtem, tunc plures lapides in ejus agro ſeu prædio congerebant, & hæ erant quaſi litteræ provocatoriæ aut indictio belli, per quam Domino agri denunciabant, quod ſi tam audax futurus eſſet, quod colere agrum auderet, illi lapidibus eum obruebant. *Cum lapidibus regionum pactum tuum*, hoc eſt, ego volo ut fœdere amicitiæ coaleſcatis, & pacem ineatis non ſolum cum iis, qui vos alias offenderunt, ſed etiam eos qui vos de facto offendunt, vobis inſidias ſtruunt, & jugulum veſtrum petunt. Præterea in lege Moſaicâ dicit: *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino erranti reduc ad eum, ſi videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis ſed ſublevabis cum eo.* Exod. 23. v 4.

L. ſunt quædam. S. ff. de extraordin. Crimin

Beneficia, gratias, favores, quos ſuis hoſtibus præſtiterunt Ariſtides, Phocion, Socrates, Lycurgus & alii, ſunt communes & frequenter decantati. Et ideo in iis me non detineo. Quod filius Dei dixerit: *mandatum novum do vobis*, Hoc novum nil aliud ſignificat, juxta modum loquendi Hæbreorum, quibus novum idem eſt ac excellens, quam quod iis dederit mandatum excellentiſſimum. *Cantate Domino canticum novum.* Vel ſecundo eſt novum effectivè, velut *Pallida mors* inquit ſanctus Auguſtinus & Beda, quia charitas reddit hominem totum novum, renovat & reformat omnia ejus interiora. Vel tertio, eo quod Chriſtiani illud mandatum debeant ſervare ex toto corde & ex fine plane novo; Quod debeant amare proximum non ex inclinatione

tione naturali, sed ex charitate supernaturali & amore Dei. Vel dicitur quarto mandatum novum, eo quod quando filius Dei venit in mundum, illud fuerit omnino inveteratum & quasi oblivione sepultum, & illud salvator renovarit, unde non dixit: vos legistis esse scriptum sed audivistis quod sit dictum. Et sane Deus nunquam præcipit odium inimicorum & verba illa salvatoris sunt desumpta ex capite decimo nono Levitici ubi solum dicit; *tu amabis amicum tuum sicut teipsum*, nec addit, tu odio habebis inimicum tunm, sed Scribæ & Pharisæi illnm textum perperam intellexerunt, & falsam intulerunt consequentiam: Si obligemur amare amicos, econtrario nos inimicum odisse debemus. Contra hanc consequentiam Iesus inquit: *Ego autem dico, diligite inimicos vestros.* Porro ut huic obligationi satisfaciamus, primo considerare debemus, quænam sint causæ, quæ inimicitias gignant & foveant.

PUNCTUM PRIMUM.

Quatuor sunt matres quæ generant inimicitias. Prima est antipathia naturalis. Secunda suspicio temeraria. Tertia amicitia inordinata; Quarta avaritia. Similiter quatuor sunt nutrices quæ inimicitias alunt, primò superbia; secundò conscientia erronea, tertiò negligentia Confessarii; quarto lingua adulatrix.

III. PRima itaque mater quæ nutrit inimicitiam est antipathia naturalis. Sunt homines qui genios habent adeò contrarios, complexiones adeo adversas & disconvenientes Humores & inclinationes adeo differentes, ut sit quasi impossibile, naturaliter loquendo, quod possint convenire & coalescere in unum. Est quidam naturæ hilaris, lætæ, promptæ, activæ, jucundæ, gratiosæ; Econtra alius est tetricus, melancholicus, taciturnus, modestus, gravis, & in hoc casu nil est melius, quam quod separentur; quod si hoc nequeat fieri, ut si sint duo conjuges, duo fratres in eadem familia, duo cives in eadem urbe, platea, gratia debes vincere, & corrigere naturam. Verum quidem est, quod omnino hæc antipathia non possit sopiri, quod hæc repugnantia, & contrarietas humorum omnino nequeat extingui, & suffocari; Attamen aliud est pati tentationem, aliud ei consentire; Nam quando te ipsum potes vincere, & hanc aversionem subjugare, & pacifice vivere cum proximo ex amore Dei, qui hoc mandat, tu multum mereris, & quotidie materiem habes pretiosas texendi corollas, quibus in cœlo coronaberis.

IV. Secundo sæpe judicia temeraria inimicitias producunt. Sunt animi, qui adeo sunt delicati; sensibiles ad minimum despectum quod omnia perperam interpretentur, unum verbum quod alicui incautè excidit, unica narratio malè intellecta, omissio unius ceremoniæ ex oblivione facta, in aliquo conventu illos summè affligit & putant ea à proposito esse facta Porrò hæc imperfectio faciliter emendari potest, dummodò quis exiguam sibi inferat violentiam. Vegetius agens de re militari omnibus belli ducibus & officialibus quoddam consilium salutare præscribit, ut dum miles educendus est in aciem, ita acies formetur, ut sol perstringat oculos hostiles, sic enim obfuscabuntur, & facilius

cilius expugnabuntur. Hoc fecit Philippus Augustus Galliarum Rex in illâ celebri victoriâ contra Imperatorem. Idem oportet agere cum eo qui tibi malè vult, ut ejus voluntatem subjuges: Oportet ejus convincere intellectum, simul loqui, tuos ei aperire sensus, illud elucidare de quo dubitas, reddere eum capacem veritatis capiendæ, & te ipsum explicare. Et quia sunt nonnulli qui vel ex superbiâ vel timiditate nolunt vel forsan non audent primò adire proximos, iis liberè loqui & mentē suam explicare, solem veritatis oculis ejus injicere, mediator in hoc casu adhibendus est, nempe amicus utriusque, homo prudens, charitativus, pastor, concionator, confessarius qui loquatur utrique, eos conciliet, & uniat, *legationem mittit rogans ea quæ pacis sunt.*

V. Sed quis crederet quod ignis aliquando generet glaciem, pax producat bellum, amicitia inimicitias. Est amicus tibi qui te nimium amat, qui tibi suum dolorem & arcana communicat, tu in cognitionem devenis genii ejus, tu ejus incipis nosse passiones, tu te declaras inimicum alicujus, qui antehac tibi fuit amicus quique in minimo te non offendit, & hoc quia tuus amicus ei malè vult. Nonne hoc idem est quod dissuadet Spiritus Sanctus: *Noli pro amico inimicus*
Ecclesi 6. *fieri proximo.* Titus Livius rem insignem narrat, quæ aptissimè nostro convenit proposito: Recenset igitur, quod dum Capuani bellum gererent adversus Samnites, Legatos Romam miserint, qui cum Romanis fœdus inirent, & suppetias contra Samnites flagitarent. Dum hæc Capuanorum postulatio Senatui proponeretur, deliberare cœperunt, quid faciendum, nam ex unâ parte fœdus esse sanciendum cum Capuanis suadebat commodum Reipublicæ Romanæ inde accessurum, ob quod illud necessarium esse judicabant, ex alterâ verò parte Samnites fœdere essent illigati cum Romanis, adeoque subsidiarias copias mittere non possent sine violatione illius fœderis: Respublica per Consules Legatis Capuensibus hunc in modum responderi jussit: *Auxilio vos, amici, Senatus dignos existimat, sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne quà vetus amicitia dissolvatur: Itaque arma Deos prius violatura, quam homines vobis negamus, Legatos sicut fas est ad socios mittemus, ne quæ vobis injuria fiat.*

Viden quomodo Romani nos doceant hanc lectionem, viden quid fieri oporteat dum amicum habes, cavere debes ne amicitia, quam cum eo contraxisti, duas inimicitias generet, illum si ejus passioni condescendas, si sub Labaro rancoris ejus militare incipias, pro conservādo amico adsciscis tibi duos inimicos, pro eo quod conserves unum amicum, tibi concilias duos inimicos, nempe eum quem tuus amicus persequitur, & Deum quem per hoc medium offendis. Imitari itaque debes Romanos, passionem tui amici debes sopire, & pacem novam stabilire.

VI. Verum enim vero communior causa inimicitiarum & dissensionum est affectus inordinatus quo prosequimur bona terrena. Quidam Heraclitus rogatus à concivibus, dignaretur discursum facere, eosque ad pacem exhortari & media proponere quæ eam firmiter stabilirent & firmarent, vitrum, parumque farinæ accepit & illud levavit, significare

Plutarch. in Trac de nimiâ Loquelâ.

ficare volens, quod si exiguo contenti, forent & superflua præciderent, nullum inter eos bellum futurum. Poëtæ fabulantur Bellonam esse Megæram quandam & unam è furiis infernalibus, quæ Zizania seminat inter familias & poma discordiarum inter regna projicit

Quæ solet unanimes armare in prælia fratres
Atque odiis versare domos.

Verum apage cum his nugis, inquit Sanctus Chrysostomus, nam non est alia Megæra, Bellona, Eumenides quæ facem dissensionum accendit, quam hæ duæ furiæ *Meum ac Tuum.* Et ille meo judicio rem acu tetigit, qui amorem mundanorum comparavit amori canum in macello. Tu audis quandoque in macello duos vel tres canes simul colludentes, qui nesciret eos esse animalia, is putaret quod essent amicissimi, colludunt, concumbunt, si unum irrites vel fodices, omnes latrant. Sed quid factu opus, ut hanc amicitiam diffringas apparentem? fac ut lanio os illis objiciat, nam ilico sese non amplius cognoscunt, ringunt contra se invicem, sese mordent, & impetunt, ac si nunquam ante sese vidissent, nam quilibet totum os habere vult. Talis ordinarie est amicitia mũdana, quamdiu nil dividendum est inter duos consanguineos vel vicinos, optime conveniunt: nil fit nisi visitationes mutuæ, complementa, obsequiorum delationes, servus ejus sum, totus sum vester, disponat de me, prout libet.

Verum si dividenda sit hæreditas parentis vel patrui inter duos fratres, quod unus vicinorum aliquid prætẽdat ex bonis alterius, nulla amplius cernetur consanguinitas, nulla amicitia, non audiuntur nisi querelæ, murmurationes, maledictiones, injuriæ, detractiones, simulationes, dissensiones. *O maledictum meum ac tuum frigidum illud verbum.*

VII. Post has quatuor matres quæ generant inimicitias, proderunt quatuor nutrices quæ eas fovent ac alunt: Prima est superbia; quoad me, dicit superbus, ego nullum volo illi malum, sed primus esse nolo qui eiloquar, eum nolo salutare, meum erga eum affectum significare nolo, quia nimis redderetur ex hoc elatus, nimium fieret arrogans, ac ferus, dicet quod ansam quæram eum conveniendi, quod eum timeam, ille me offendit, ille est me junior, ego ipso major sum, ipsius est veniam rogare, & ad me venire. O te superbum? An nescis quod Deus superbis resistit? An Deus tecum hoc modo egit? Nonne tu eum offendisti? Nonne tu es junior & minor? Nonne tu ei collatus, es nihil? Nonne hoc non obstante ille per suas inspirationes te quærit, ille suam tibi obtulit amicitiam, ille bene scit quod facilitas quâ alias tibi ignovit, tibi præbuerit ansam eum liberius offendendi, & tamen non omisit quò minus te quæreret, quomodo ergo tu amore ejus non quæris eum, qui tibi est similis?

VIII. Secundè nobis ipsis palpum obducimus, nos ipsos decipimus & conscientiam erroneam formamus. Ego sum ex albo confratrum Rosarii, ego qualibet prima Dominicâ mensis communico, ego quotidie recito Rosarium. Sed audi parumper: Dic quæso an ille subsistat coram Deo, qui illud negligit, quod est essentiale in Christiano, quod est basis & fundamẽtum Religionis catholicæ nempe charitatẽ? Nonne rationẽ de hoc

exiget à confessario timido & meticuloso? Nonne is per suam negligentiam hujus peccati reus est?

IX. Nos accusamus nos apud ipsum quod cum proximo contenderimus & tamen ille non interrogat, an rursum amicitiæ fœdere coaluerimus, ille per ignorantiam, vel complacentiam vobis condescendit, ille per timiditatem admittit primam excusationem quam adfert pœnitens, cur non reconcilietur, ille indigno impendit absolutionem, ille non attendit ad mandatum Christi in evangelio dicentis: *Si ergo offers munus* Matth. 5. *tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & prius reconciliare fratri tuo.* Unde à potiori non debes admitti ad confessionem, & participationem sacramentorum, quam diu in corde tuo vel minimus rancor contra proximum manserit.

Insuper ad odii fomentum multum conferunt adulatores, susurrones, delatores, qui sunt pestes reipublicæ, folles dissensionum, incendiarii animarum, duplices lingua, linguam habentes serpentinam, linguæ cuspidata, bicipites & cerberi inferni, qui ut gratis helluari ac compotare possint, in turbida piscari aqua, in gratia totius esse mundi, omnia ab hoc ad illum deferunt, omnia quæ sciunt narrant, illi privignam proscindunt in præsentiâ novercæ, illi huic detrahunt coram privignis, præstaret urbem refertam esse Leopardis, Leonibus, spectris, quam similibus, quia illa caveremus, effugeremus, januam clauderemus, illos chalube arceremus. Verum hæc spectra, Leopardi, ubique se ingerunt, collis incedunt erectis, sunt medulla conversationum, sunt condimentum discursuum humanorum, sed interius detestabiles, & abominabiles Deo. *Susurrones Deo odibiles*, vocat illos antonomasticè peccatores: Rom. 1. v. 30. *Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitias*, quia reus est infini- Eccles. 28. torum scelerum. Hic maritus, hæc uxor, hic cognatus, hæc cognata, hic vicinus, hæc vicina, qui bene conveniunt à se, per tuas murmurationes, adulationes divisi, ac separati sunt, dumque mutuo se odio prosequuntur peccant, detrahendo, injurias evomendo, sibi invicem damna inferendo, horum peccatorum cum sis particeps tu manus sanguinolétas, & culpabiles habes coram Deo, & reus eris omnium peccatorum, quæ patiuntur in dissensionibus quas tu accendisti.

PUNCTUM SECUNDUM.

Remedia. Primum Christi præceptum, secundum nostrum bonum, & quidem primum honestum, secundum jucundum, tertium utile temporaliter, quartum spiritualiter.

X. Filius Dei omnes has inordinationes vetat per hoc celebre mandatum: *Ego autem dico vobis diligite inimi-* Matth. 5. *cos vestros. Orate pro persequentibus, &* v. 44. *calumniantibus vos, bene facite his qui oderunt vos.* Ponderemus quæso hæc verba. Ille à nobis pro inimicis postulat cor, os, manus. *Diligite inimicos vestros*, non dicit relinque eos, quales sunt, indifferens sis erga eos, nec bene aut male iis facias, sed dilige eos, benefac iis, opta iis bonum, saluta eos, quando sis iis obvius. Sed ora pro iis non tantum, qui te ante hac persecuti sunt, sed & pro iis

iis qui te modo persequuntur, qui tuam famam dilacerant, vident an sis bonus & probus Christianus, si non audias aliquoties missam si non recites quandoque Rosarium, si non instituas novendialem devotionem pro iis, qui contra te litigant, uti fecit Beatus Cæsar Buzi: Huic quadam vice relatum fuit ordinem ejus sacrum à quodam perverso detractionibus dilacerari, & quid egit? ille inquit hac viâ me lucratus est, quia ob hoc quod Deum in communi pro eo oraturus essem, jam pro eo preces fundam speciales.

Rom. 1. V. 30.

Eccles. 28.

Orate, non dicit orate Deum, sed orate, ut orationem ad Deum & homines comprehendat, uti Parisiis nostro ævo devotus ille frater Antonius egit.

Quidam huic in publico alapam impegit, quid frater Antonius? ut suam obligationem manifestaret, interrogavit & indagavit quisnam esset ille homo, ille alienigena, quid ei negotii hic Parisiis agendum? & cum januæ magnatum ei ob sanctitatem suam paterent, ostiatim maximo affectu negotia hujus extranei commendavit, ita ut ad finem optatum illa perducerentur, unde quidam minister ad eum dixit; tu multum debes fratri Antonio, quia sine ejus ope in magno versabaris discrimine, dumque audiret & intelligeret quis esset iste frater Antonius, intellexit, quod ei impegisset alapam; hinc cum adiit, ad pedes ejus se prostravit, veniam rogavit, & vitam suam emendavit. Hunc imitari debetis, dum vester parens, maritus, aut cognatus in gratia sunt & possint juvare inimicum, tunc illos debes rogare & opportunè sollicitare. *Orate*.

th. 5.
.4.

Benefacite; & quid illis benefacias si eos non salutes, si bono verbo eos nolis dignari? quæso ne te fallas, non sufficit dicere, ego nil ei opto mali, quod illi desidero, mihi evenire velim, quia officium charitatis & urbanitatis ei rependere debes, quæ aliis ejusdem conditionis aut qui in eodem gradu cum eo tibi conjuncti sunt, reddis.

XI. *Ego autem dico vobis. Vobis.* Id tibi dico, idque ob tuum bonum, bonum honestum, bonum delectabile, bonum proficuum. Nescio profecto quisnam sit error, qui plurium animos effuscavit, dum sibi imaginantur esse quandam meticulositatem, defectum animi generosi, pati, & injuriam irrogatam condonare. Sed apage cum his nugis, experimento siquidem constat animos infirmiores, personas timidiores veluti feminas, pueros esse magis sensibiles, impatientes ad injurias, & magis difficiles ad ignoscendum. Hinc poëta,

Nam vindicta nemo magis gaudet quam femina.

Quidam devotus & doctus ordinis Seraphici Religiosus, qui præclara commentaria in sanctum Lucam edidit Didacus nempe Stella testatur, quod in vita sua plures quidem viderit feminas frequenter recitantes Rosarium, in pauperes liberales, sæpe confitentes, sed paucas conspexerit, quæ generosè injurias juxta mandata legis Christianæ ignoscerent & quæ in officinâ cordis aliquot scintillas odii non asservarent contra eos à quibus læsæ erant.

Sanctus Augustinus ingenio fuit præditus clarissimo, ille acutè ac validè argumentabatur contra gentiles qui injuriarum condonationem esse timiditatem Reipublicæ nocivam, & corde generoso-

neroso indignam asserebant. Hinc hoc dilemmate eos agitavit. *Quomodo ergò Cæsari administratori Reipublicæ mores ejus extollens ait Cicero, quod nihil oblivisci soleret nisi injurias; dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator; sed si laudator, ergo talem Cæsar noverat; si verò adulator, ergo talem esse debere ostendebat principem civitatis qualem illum fallaciter prædicabat.* Quod si meticulosi sit animi, & noxium Reipublicæ ignoscere injurias & benefacere inimicis, cur ergo Cæsar hoc egit? cur Cæsar ille qui primum imperium mundi fundavit, ille qui forti brachio contra torrentem armorum & opinionum, quæ sese ei obstacula objiciebant, pugnavit, illæ Cæsar, qui subjugando totum orbem omnibus terrori fuit, injurias condonavit, & inimicis benefecit? Cicero quippe laudans eum quod rursus erexisset statuas Pompei, addit eum erexisse statuas inimici, & ita magnanimitatem suam prodidisse.

Orat pro Ligario. In alio loco eum summè laudat, quod optimè calleat non artem memoriæ sed artem oblivionis, qua omnes injurias sepeliebat. Vel Cicero vera loquitur vel non, vel vere laudat Cæsarem, vel ei adulatur, si vere, ergo Cæsar validus ille Martis filius injuriarum oblitus est, si adulando eum prædicavit, ergo orator Romanus monstravit cor generosum, administratorem Reipublicæ debere oblivisci injuriarum, & condonare. Enimvero quia exempla Christiana magis movent animos nostros quam gesta infidelium, audite quæso legem celeberrimi imperatoris qui floruit in Ecclesia Theodosii puta magni, Arcadii & Honorii quæ lex inserta est juri civili, & quæ in co resplendet, velut stella in firmamento, & quæ silice aureo in omnibus probis animabus meretur insculpi. Audite itaque quomodo hi magni viri loquantur: *Si quis modestiæ nescius aut pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessanda, eum pœnæ nolumus subjacere, id enim si ex levitate processerit, contemnendum; si ex insania, miseratione dignissimum; si ex injuriâ, remittendum*, & hoc quia sumus Christiani. Optime sciebant hi magni monarchæ esse verissimum illud Senecæ: Magnus est animus, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit. Sciebant proprium esse leonis parcere & non exacerbari erga canes, Reges debere esse similes Regi apum, qui caret aculeo, animas generosas non sumere vindictam, ut ostendant se hoc posse.

L. Vnica. Cod. Si quis imperatori maledixerit.

XII. Verum enimvero quia plebs non movetur gloria & honore, sydus ejus polare, & cynosura, magnes cordis eorum est voluptas & utilitas, lucrum & gaudium.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Ideo probandum mihi est condonationem esse actionem suavem & delectabilem, & sane aliam hujus probationem nolo, quam vestram propriam experientiam. Dic sodes, an non verum est quod dum generose te operasti, dum cumulate libenter ignovisti, dumque cum omnibus perfectam renovasti amicitiã, quod sentias te esse pacatum & quietum? nonne experiris quod haud ferendo onere exoneratus sis? nonne sentis tuum cor copioso felle, quod acerbitate illud repleverat evacuatum sit? nam si aliquem

hostem

hostem habeas, tu continuo cruciaris, tu foves viperam, quæ cor tuum continuo rodit, omnes prosperitates quæ tibi obveniunt sunt afflictiones tui spiritus, omne id, quod ad eum spectat te torquet ac veluti equuleus & gehenna affligit; si ipsius memoria occurrat jam intolerabiliter tormentaris, imo dato, quod tuæ passioni condescenderis & aliquam exercueris vindictam, quos tamen postea non experiris remorsus, terrores panicos, ac inconvenientia? bella Abigail sapienter dixit Davidi: *non erit tibi in singultum & scrupulum cordis.* Serenissime, si tuæ condescendas iræ, si vindictam conceptam repetas, tu scrupulos & remorsus conscientiæ experieris, Sinderesis obmurmurabit, quod limites excesseris justitiæ vindicativæ, quod sub prætextu zeli satisfeceris tuæ passioni. *Ne sit tibi in singultum.* Illa exigua voluptas qua iræ satisfacis, qua vindictam ab hoste repetis causa erit millenorum singultuum, & plus quam semel dolebis. *Omne agens patitur,* duo quidem montes non sibi occurrunt, bene tamen duo homines, nescis quo adhuc egebis, is, quem putas esse debilem, ille forsan potentissimus erit ut te lædat & tibi nocet.

L. Vnica, Cod. Si quis imperatori maledixerit.

1. Reg 25.

XIII. Et qualis quæso est utilitas, quod per litem te perdas, quod per detractionem te consumas, quod per calumnias te destruas, quod te comburas, [illegible] ãnos ca[illegible]cias (*si invicem m[illegible]detis videte ne abinvicem consumamini.* Nonne melius foret si tuum proximum vinceres per beneficia eumque tibi conciliare & devincires, *concordia minimæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Prisci pingebant cornu Amaltheæ in manu pacis, & hoc quia pax omnia bona ubertim donat. Vos scitis factum illud illustre antiqui Regis Sciluri; hic pluribus prolibus dives dum fataliter decumbens eos testamento hæredes instituere vellet, testamentum iis reliquit pacem, & unionem fraternam, tanquam preciosissimum thesaurum quem iis legare poterat. Omnes itaque ad se vocavit, & fascem virgarum collectarum accipiens eam dedit majori natu frangendam, dumque eam frangere non posset, eandem dedit secundo, qui cum eandem etiam diffringere nequiret, eandem dedit tertio, quarto, quinto, & sic consequenter omnibus. Tandem ipse eandem accepit eandemque dissolvit & levi negotio diffregit unam virgam post aliam; & hanc lectionem suis filiis dedit. Vos charissimi filii mei vidistis, quod quamdiu virgæ hæ colligatæ fuerunt, nullus vestrum, quamvis fueritis multi, juvenes, robasti, sani, eas frangere potuerit; verum nunc dum sunt separatæ, ego solus, qui sum senex, debilis, infirmus, eas levi negotio fregi. Idem vobiscum erit, quamdiu eritis uniti, & concordes, nulla bella, nullæ lites, morbi, adversi casus, vestram familiam perdere poterunt; verum si semel dividamini, si pomum discordiarum semel inter vos projectum fuerit, minima infelicitas hanc familiam destruet & perdet.

XIV. Enim vero, si motivis honoris, voluptatis, utilitatis temporalis non flectamini, ad minus moveat vos utilitas spiritualis, & salus vestrarum animarum vos cogat, quia optimum medium diluendi vestra debita sine relictione alicujus

 pœnæ,

pœnæ. Iustitiæ Dei persolvendæ est, dimittere debitum iis, à quibus sumus offensi, maximæ, certissimæ & plenariæ indulgentiæ, quas lucrari potes, est injurias condonare illatas, levissima & certissima via ad cœlum est amare ex toto corde illos, qui nobis male faciunt & volunt. Et sane nil aliud exigitur, quam ut aperiamus novum testamentum & textus scripturæ inveniamus. *Dimittite* inquit Iesus *& dimittemini, date, & dabitur vobis.* Illi qui aliquoties legunt opera sancti Augustini, sciunt Sanctam Monicam ejus matrem dotatam fuisse cunctis virtutibus quas aliquis in una sancta desiderare potest, illa fuit devota, quotidie audivit sacrum, illa fuit sapiens & prudens & sua prudentia lucrata est suum maritum patricium, illum convertit ad fidem, illa adeo fuit casta, ut linguæ maximè obtrectatrices & viperinæ nil in ea invenerint non solum non reprehensione, sed nec calumniâ dignum. Adeo servivit & zelavit gloriam Dei & salutem animarum ut suum fuerit insecuta filium per mare, per terram, Romam, ad ostia Tyberina, Mediolanum, ut eum ab errore Manichæorum, cui erat immersus reduceret.

Omnes sciunt, quod aqua Baptismatis sancti Augustini scaturierit è fonte lachrymarum, quas mater ejus fudit coram Deo pro ejus conversione. His omnibus dotibus sancta Monica præcelluit. Verum enimvero dum sanctus Augustinus aquila Doctorum, orator adeo facundus pro anima suæ matris oravit, quando ante Thronum Dei egit, ut gratiam illi obtineret & à pœnis purgatorii liberaret, casu quo in illis esset, non allegavit ejus devotionem, quot tot audierit sacra, ejus non adduxit castitatem, prudentiam, zelum gloriæ divinæ, conversionem non solum patris sed & propriam, verbo, reliquis virtutibus omissis, solum allegavit voluntariam condonationem injuriarum. O mi optime Deus, inquiebat, bene scio quod mea paupercula mater vitam duxerit Christianam, & tua observarit mandata, attamen non ignoro, quod tua egeat misericordia, quia *væ etiam laudabili vitæ si eam absque misericordia discusseris.* Ut autem te flectam ad præstandam ei gratiam, ego aliud non adducam motivum, quam quod tibi constet, eam fuisse misericordem, & quod libenter ignoverit, adeoque obligeris, ob tuum verbum, ô verbum æternum, ei veniam facere. Magne Deus quid vis facere meæ matri? An misericordiam, vel justitiam? misericordiam? illam rogavi, illam ex toto corde flagito. An justitiam? sum contentus, sed an non est justum, quod aliquis stet promissis? tu misericordiam facienti misericordiam promisisti, mea mater semper illam exercuit, ergo ex justitia eam ipsi præstare teneris.

Tu idem mi amantissime Auditor dicere potes, si adducas tuas gloriosissimas victorias ignoscendi ex toto corde, omnibus, qui te offenderunt, nam supposito, quod postquam exiveris ex hac concione, & adieris tuum inimicum, & cum eodem te reconciliaveris ex amore Dei, & ita post octo vel quindecim dies mortuus fueris, quid est, quod timendum habeas post actionem adeo heroicam in judicio Dei? an forsan tua peccata, quæ valde multa sunt? Sane merito ob ea timere debes, at si filius Dei hãc formidandam contra te pronunciârit senten-

ten-

tentiam, Ite, maledicti in ignem æternum, nonne merito posses dicere, appello mi Domine, quia pro iis non est ignis inferni, qui in suo corde foverunt ignem amoris Dei, & ignem extinxerunt inimicitiarum? Ego à tuo verbo appello ad scripturam, à tua sententia, ad tuam promissionem, à tua justitia ad tuam veritatem, à te, ad te ipsum. Nonne adeo sæpe promisisti in Evangelio, quod eadem mensura nobis metieris, quâ fuimus mensi aliis? quod nobis ignosces, si ignoverimus? Hoc nobis prædicatum est, ex parte tua de hoc assecurati sumus, tu scis, quod illo die post concionem detestatus fuerim mea peccata, quòd confessus fuerim, quod omnibus inimicis meis me reconciliaverim, quod omnes injurias mihi illatas ante pedes crucifixi posuerim. Ego pro inimicis rogavi, ego bene illis volui, ego amore tui illis benefeci, cur ergo mihi non facias misericordiam?

Nullum est dubium, quin Salvator verbis suis stabit, quin promissa sua sit servaturus, & obligatum se agnoverit, ut tibi ignoscat, & te paradiso donet. E contra, quamvis omnes indulgentias fueris lucratus missionis, indulgentias rosarii, scapularis, chordæ, omnia jubilæa, quæ largitus est Pontifex in Anno sancto, quamvis filius Dei proprio ore tibi dedisset condonationem adeo generalem, indulgentias adeo plenarias, sicut dedit sanctæ Magdalenæ, si moriaris fovens vel minimum rancorem contra unum; tu damnaberis: Deus te custodiat, & suam pacem tibi donet.

SERMO
QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS
pro Festo Sancti Stephani Protomartyris
De Ira.

Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

EXORDIUM.

REfert Plinius lib. 37. capite no[illegible] ictis fulmine [illegible]is reperiri gemmis quasdam, quas vocant ceraunias vel fulmineas, easque asserit diligenter requiri à magis Parthorum. Quis non videt fulmina quam plurima in Sanctum Stephanum emissa? Nonne ergo plures in eo dicemus reperiri gemmas & quidem fulmineas? Lapides in eum projectos esse mutatos in gemmas, & quidem pretiosas? Ita omnino ego credo. Eamus ergo ad Sanctum Stephanum & quæramus in eo gemmas illas, & quidem maximo studio, quia nobis valde proderunt. Stephanus latine coronam significat; coronemus ergo Stephanum non lapidibus, ut Iudæi, sed gemmis. Et quia dies breves sunt ideo non quæramus plures gemmas,

 sed

ſed unam tantum, nempe ejus manſuetudinem, & clementiam erga lapidatores, quos verbis duris non eſt aggreſſus, ſed pacifice pro iis rogavit, de ira igitur agemus hac concione.

Non occides. Exod 20.

HOc eſt quintum mandatum, quod Deus dedit Iudæis & hominibus in lege Moſaica, quod & Filius Dei in lege Evangelica injunxit Chriſtianis. *Ego autem vobis dico: Quicunquè iraſcitur fratri ſuo, reus erit gehennæ.* Et quia noſter Salvator eſt vera idea & prototypon animarum electarum & habemus inſuper ex ſacra ſcriptura, quod ipſe aliquando iratus fuerit, apparet & videtur quod imitatio ejus in hoc puncto non ſolum ſit actio licita, ſed virtuoſa, laudabilis, & meritoria. Primo ut hanc difficultatem clare enodemus & eam reddamus vobis proficuam, ego hunc diſcurſum in tria puncta dividam. In primo quæremus, an fuerit ira in Chriſto; in ſecundo indagabimus diverſitatem iræ Chriſti & noſtræ; in tertio remedia contra noſtram. O ſacra virgo tua imitatio eſt unum è ſuavibus & ſalutaribus remediis, una eſt columba mea: Columba mea: Se non habet, roſtro non lædit, alis ſe defendit, inquit Sanctus Auguſtinus. In tuum cor nunquam ulla gutta fellis contra aliquem intravit, nullum verbum mordax unquam è tuo ore excidit, tua vindicta nil aliud eſt, quam extendere alas tuæ protectionis, ut cooperias illos, qui ad eas confugiunt, uti nos facimus te devote ſalutando *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

PUNCTUM PRIMUM.

In Deo non eſt proprie ira, Chriſtus homo habuit iram, & quomodo.

II. DOmine, *orabat David, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me.* Nos ſæpe recitamus hæc verba, ſed diſtracte, & animum ad eorum ſignificatum non applicando, quia ſi vel pauliſper animum adverteremus nos ſtupore repleremini, & nos ſancta curioſitate acti, illa intelligere conaremur, ne in Deo id ponerent quod in creatura culpabile & vitioſum eſt. An noſter Dominus Ieſus Chriſtus agatur furore? An ſubjectus ſit alicui paſſioni? An ſanguis ejus ebulliat in venis? An ejus oculi ſcintillent, nares fumigent, os ſpumet, facies inflammetur, totus expalleſcat, animus in ſuis functionibus alteretur, turbetur, & ex ſua temperie ejiciatur, quæ omnia ſunt effectus, & vera ſymptomata iræ? Apud Stoicos poſt varias diſputationes, hoc fuit velut indubitatum pronunciatum habitum: In virum ſapientem non cadunt paſſiones animi, & tamen nil frequentius reperio in ſcriptura, quam quod minetur iram, furorem, indignationem Dei. *Iratus eſt furore Dominus, ira Dei aſcendit ſuper illos: Indignatio tua ebibit ſpiritum meum.* Pſal. 6.

Enim vero in noſtro ſalvatore duæ naturæ diſtinguendæ ſapienter ſunt, una eſt increata, æterna, divina, quam ante omnia ſecula accepit à ſuo Patre, altera eſt creata, temporalis humana, quam

quam habuit à virgine in plenitudine temporis. In natura divina omnia habet communia cum Patre & Spiritu Sancto, unde conficitur, quod quærere, an in Iesu detur ira, idem est, ac interrogare, an in Patre, Filio, Spiritu Sancto illa detur? Theologi porro negativè respondent; cum enim hæc divina majestas sit purissima, simplicissima, compositionis expers, immutabilis, invariabilis, nulli potest esse subjecta mutationi vel alterationi. Homerus & alii Poetæ finxerunt Deos habitare in monte olympi ὀλύμπια δῶματ' ἔχοντες, ut significarent, quod sicut vertex illius montis, est celsior, & sublimior ipsa media regione aëris, adeoque nesciat tempestates, ventos, tonitrua, pluvias, aut alias injurias aëris, ita ut in illo sit perpetua tranquillitas, & serenitas, ita hæc divina majestas adeo semota sit à via, & contagione rerum corporalium, ut semper sit pacata, & tranquilla. Equidem advertendum est, quod Spiritus Sanctus in scriptura volens condescendere nostræ infirmitati, balbutire cum nostra ruditate, & se accomodare nostro imperfecto modo loquendi, & intelligendi, attribuat Deo plura, quæ ipsi proprie non competant. Sed solum analogice, proportionaliter, figurative, uti videntur in creaturis, & uti dicit Theologia positiva ἀνθρωποπαθῶς vel ut loquuntur Theologi Scholastici *effectu, non affectu*, producit effectus sed non habet passiones, ille habet formam, non materiam, virtutem & perfectionem, non defectum & imperfectionem. Sanctus Augustinus doctè & gratiosè id declarat. Hic Sanctus Pater agens de patientia quæ est virtus contraria iræ, & quæ supponit aliquam passionem, cum patientia dicatur à patiendo, ostendit eam sicut nec alias passiones esse in Deo, cum tantum in eo sit id quod est perfectum, excellens, laudabile in iis.

Sed Dei *patientia qualis, & quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, imo patientissimum dicimus, verbis explicare quis possit? Ineffabilis ergo est illa patientia, sicut zelus ejus, sicut ira ejus, & si quid ejusmodi est, nam si tanquam nostra illa cogitemus, in illo nulla sunt, nihil enim horum nos sine molestia sentimus, absit autem, ut impassibilem Dei naturam perpeti ullam molestiam suspicemur, sicut ergo zelat sine aliquo livore, irascitur sine perturbatione, miseretur sine dolore, pœnitet eum sine alicujus pravitatis corruptione, ita est patiens sine ulla passione.* Ejus ira itaque nil aliud est, quam justitia ejus adorandissima, quæ sic vocatur, eo quod habeat effectum, & non imperfectionem, & defectum quem ira habet. Ira inflammatus repetit vindictam cum fervore & exacerbatione: Deus vero punit peccata pacatè & tranquillè. *Tu autem cum tranquillitate judicas.* Et quia dupliciter punit peccata, semel temporaliter, vel in hoc mundo, vel in purgatorio, secundo æternaliter in inferno, ideò Scriptura illi attribuit furorem & iram.

Tom. 4. lib. 6. de patien. c. 1.

Sap. 12

Porrò inter duo hæc differentia intercedit, quod furor diu duret, ac sit permanens, ira vero transiens & momentanea.

Ira,

Ira, furor brevis est.

Hinc quando David dixit, Domine, ne in furore tuo, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, dicere voluit, inquit Sanctus Augustinus: Quandoquidem me punire velis in hoc mundo per afflictiones, quibus me involvis, ne me punias in inferno, in quo exerces tuum furorem, tuam vindictam, quæ diu durat & est æterna, nec me emendes in purgatorio, in quo exerces tuam iram tuam vindictam, quæ est brevis & temporalis. Sit ut sit, sive Deus puniat æternaliter, vel temporaliter, sive in hoc, sive in alio mundo, ille punit sine commotione, sine alteratione, turbatione, sed quietè, tranquillè, pacificè, cum amore & dulcedine incredibili. Unde confectum manet in Iesu, quâ est Deus proprie loquendo nullam dari iram, furorem aut aliam passionem.

III. Quod si eum consideremus, quatenus est homo, dicam cum Theologis, homo est, humani nil à se alienum putat, dicam nullum esse dubium, quin passiones nostræ animæ, amor, odium, ira, gaudium, tristitia, desiderium, passio in eo quatenus est homo succedat, seclusis tamen imperfectionibus, quas habens post peccatum originale in illo fuerint. Etiam ipse, inquit Sanctus Augustinus, in forma servi, *agere vitam dignatus humanam, sed nullum habēs omnino peccatū, adhibuit eas ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus & verus hominis animus fassus erat humanus affectus.* Et paulo inferius; *& Hos metus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo*, & infra: *Habemus eas ex humanæ conditionis infirmitate, nec sic Dominus Iesus, cujus & infirmitas fuit ex potestate.*

Lib. 14. de civit. c 9.

Quod si consideremus has passiones in se ipsis, secundum suam essentiam, & ejus finem, tunc non sunt pravæ, sed sunt dona naturæ, quæ creator nobis dedit, tanquam organa, & instrumenta, ut evitemus malum, & acquiramus bonum. Enimverò hanc insignem Theologicam doctrinam comparatione naturali, sed viva, & clara illustrare debeo. Animo nobis fingite, hominem his passionibus præditum esse velut currum, à quatuor vel sex equis vectum, cum passiones in homine id sint quod equi in curru ad proficiendum vel deficiendum in bono, ad bonum amplectendum, malum vitandum. Et quomodo amabo ferri possemus in bonum, nisi illud desideraremus, quomodo illud conservaremus, nisi de eo habito gauderemus, & delectaremur? Quomodo malum evitaremus, nisi illud absens timeremus, & illud præsens oderemus? Et hic per transennam moneo, omnes nos habere ansam nos humiliandi, & non superbiendi, quia sunt aliqui, qui ex sua natura, nullam quasi passionem habent, quia genium habent adeo insensibilem, frigidum, immobilem, ut dum aliquem vident aliqua passione commoveri, illi inflentur, & se perfectos putent, dum talibus alterationibus non sunt subjecti: Verum quidem est, quod non committas gravia mala, sed nec etiam magna facis bona; quia non est magna virtus carere passionibus, sed eas moderari & vincere. *Non est pondus*, inquit, Sanctus Ambrosius *veræ virtutis insensibilitas cordis, & valde insana per stuporem membra sunt, quæ sentire dolorem incisa non possunt.*

ſunt. Et S. Auguſtinus, *ſi talis eſt ἀπάθεια, ut animum contingere poſſit ullus affectus, quis hunc ſtuporem non omnibus vitiis judicet eſſe priorem? Incompoſiti ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſericordia.* Tu es velut currus, in quo nunquam equi junguntur, qui nunquam vehitur, uſurpatur, volvitur, qui nunquam progreditur, vel movetur, ſed qui ſemper in atrio otioſus manet.

Rom. 1. v. 31.

Et profecto paſſiones noſtræ animæ valde bene comparantur equis, quia ſunt beſtiales & reſident in parte animali & inferiore hominis, & non in ſuperiori & rationali. Nos videmus, quod canes & alia animalia ſint ſubjecta amori, odio, invidiæ, iræ, & quia ſunt brutales, ideo indigent vectore. Et ſicut currus qui vehitur à ſex equis, habet duos rhedarios, unum qui inſidet equis anterioribus, & principalem qui inſidet poſtremis, & ſicut rhedarius minus principalis, attendit ut caveat à foſſis, ſepibus, & pravis viis, ut ab illis deflectat, principalis vero moderatur, ut equos flectat pro libitu, ita in homine ratio eſt rhedarius minus principalis, cujus eſt detegere vias, prævidere accidentia, difficultates & inconvenientia, quæ occurrere queunt, ſi eamus per talem, aut talem viam, ſi tale opus aggrediamur, & voluntas eſt principalis rhedarius, qui habenas moderatur, qui intellectum flectit, inflectit in quamcunque partem vult, ut & illi mandet, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat. Intellectus itaque ſapienter judicat, voluntas prudenter & juſte gubernat. Iſti equi nobis ſunt utiles, hæ paſſiones ſunt quidem bonæ, & laudabiles, ſed valde turbatæ ſunt per peccatum originale.

Supponamus quod iter agas prolixum per pagos & tuus rhedarius in prandio in aliquo die bacchanaliorum, inciderit in aliquem notum, qui in diverſorio eum ad largiorem hauſtum, quam ſolebat, invitavit, vix conficies milliare, & veredarius obdormiſcit, principalis eſt ebrius, & hilaris, ſed per vinum debilitatus, equi qui bene quieverunt & paſti opiparè ſunt validi, & vigiles. Veredarius non attendit ad vias, principalis continuo equos cædit, & calcaribus adigit, habenas non moderatur, equi perniciſſimè volant, tu es in loco montoſo, tu es inter rupes, inter præcipitia, ego cogitandum tibi relinquo quid de hac miſella rheda expectandum ſit, & de iis qui illa vehuntur, de equis, de rhedariis an non omnia præcipitia ruant & conquaſſanda ſint?

Talis ſane eſt homo ſine gratia Dei. Intellectus eſt obſcuratus, & cœcus, voluntas eſt ebria & infarcita per amorem bonorum carnalium & terreſtrium, paſſiones ſunt vivæ & fortes, quæ aſſiduo recalcitrant. Viden pauliſper mundanum deſtitutum gratia Dei, qui paſſionibus ſuis fræna laxat, vide in quæ præcipitia & foveas non ruat? Tu dices intellectum ejus obdormiſcere, quod ejus judicium, ratione ſenſus communis non attendant ad præcipitia, obſtacula, ſiniſtros eventus, qui in executione propoſiti ſeſe objicient. Et quonam ejus actiones non attingent? Hæc virgo rapienda eſt, illa puella defloranda, duello certandum. Et quid quæſo tandē erit. Quo perveniet? dormit, ejus voluntas

g eſt

est ebria, nil curat dummodo progrediatur, suas passiones incessanter cedit, & stimulat. Et vobis cogitandum relinquo, quid non debeat expectare, & an non possit dicere id, quod quidam dixit, qui cum equum scandisset indomitum, & pernicissime eo vectus per campos volaret, absque eo quod habenas moderaretur, interrogatus, quo iret tam perniciter? respōdit, illuc quo feror.

IV. Passiones Christi hujusce conditionis non fuerunt, ille eas habuit absque ulla imperfectione, habuit illas subjectas & subditas, ille eas refrænavit, ut ipsi servirent ad nutum, ut illas excitaret, moderaretur, pacaret, quando & ubi volebat, & hæc est causa cur sancti simpliciter nō audeant eas vocare passiones παθήματα, quia hoc verbū denotat, quod anima, quæ illas habet, patiatur, anima vero Christi non patiebatur, sed agebat. Et sane aliquo novo verbo egeremus, ad has passiones significandas, quam diu sunt in anima Christi, & quia Patres illud non invenerunt, ideo eas vocarunt propassiones, uti etiam vocatur pronomen, eo quod subeat vices nominis. Habuit ergo Christus majus imperium in suas passiones, & incomparabiliter magis absolutum, quam primus homo in statu innocentiæ. In eo fuerunt perfectiones, organa & instrumenta naturalia, quibus sanctè usus est ut aliquod bonum procuraret & malum effugeret. Et ita recenset nobis sacra historia, quod dum templum intraret, & in eo mercaturam agi inveniret, ira accensus fuerit, mensas nummulariorum everterit, & eos velut canes abegerit. An nos eum possimus in hoc imitari, & dari queat ira, quæ non sit peccatum, & quā non debeamus confiteri? Immò, absolutè loquendo, quia irasci non est vitium, & imperfectio, sed virtus & opus meritorium, dummodo ira vestita sit cunctis circumstantiis necessariis, & sint, velut iratus est Iesus: *Irascimini & nolite* Psal. 4.
peccare. Verum enim vero, quia sumus fragiles, & imperfecti, qui non possumus uti hoc gladio, & cultro absque periculo damni, omnibus bene consideratis melius est non irasci, sed sibi ab ira temperare?

PUNCTUM SECUNDUM.

Differentia inter iram Christi, & nostram, Primo, quod nostra nos prævenit, non ipsum, Secundo, quod ira Christi est, sine felle amaritudinis; nostra autem non sic.

V. IRa porro Christi duabus est vestita conditionibus, quibus nostra communiter caret, & ideo ira ejus est valde virtuosa, & laudabilis. Ira Christi eum non prævenit, quia eam habet, quando, & modo, & tam diu quam vult. In Evangelio dicitur, quod *turbavit semetipsum.* Et in horto oliveti *cœpit pavere & tædere*, nec legimus de eo, quod ante illud tempus pavere cœperit, quamvis in anima ejus esset objectum timoris. Ira nunquam turbavit usum rationis in eo, nunquam eum offuscavit, nec in minimo intellectum obscuravit, illa nec in minimo impedivit, quo minus prudenter ageret, ac circumspectissimè.

In Apocalypsi Sanctus Ioannes conspexit salvatorem solio insidētem, è quo Cap. 9.
prodibant fulgura, tonitrua, fulmina, quibus supplicia designabātur, quæ Deus in peccatores immisit. Sed & particulariter advertit, quod septem lampades arden-

ardentes conspexerit ante hunc thronũ, ut significaret Deum non punire suos hostes, more Andabatarum, nec eum procedere ad vindictam inconsideratè, iram non turbare nec impedire in minimo functiones rationis, justitiam ejus non esse cœcam, velut justitiam hominum, quæ oculos habet velatos, sed eam esse velut sceptrum, quod apud Ægytios significabat auctoritatem regalem, & in summitate oculum apertum habebat. Virga ejus inquit Ieremias est virga vigilans, quæ oculos habet apertos, ut videat, ubi & quomodo cædat. Ira ejus est zelus, non passio, zelus, quo zelat honorem Patris, zelus justissimus, rationabilissimus, adorandissimus.

Econtra nostra ira ordinariè est cœca, inconsiderata, stupefacta, illa oculos offuscat animi, judicium pervertit, rationem obtenebrat, *Turbatus est à furore oculus meus.* Et quando tenebras animæ immittit causa est, quod non sciamus quid agamus, & quod nil boni faciamus. *Qui ambulat in tenebris nescit quo vadit.* Aristoteles meritissime nostram iram cani domum custodienti comparat.

Hic canis ordinariè, cum minimum audit strepitum ad portam latrat, & pulsantem mordere vult, & hoc antequam videat quis pulset, unde & suum Dominum allatrat, dumque eum intrantem videt, & cognoscit, totus fit pudibundus, eo quod eum allatrarit. Ita absimiliter nostra ira malè mortificata, sæpe per præcipitationem insurgit contra eos, qui non sunt culpabiles, aut eos, qui non voluerunt nos adeo obligare. Tu offendendo ad lapidem te lædis, & en statim diris eum devoves, qui eum posuit, & forsan mater tua non vellet ut malediceres ob opes totius mundi. Tu vitrum inconsiderate effundis, & causam in aliũ derivas, qui illud à proprio loco amovit, cum tamen tu fortè id fecisti. Tua ira non est bona, non est similis iræ Iesu, illa prævenit & turbat judicium, illa actiones præcipitat, tu illi subijceris, & non illa tibi. Et hinc si sapias, si mille actiones velis elicere, quæ tibi noceant, tu illi nunquam obedies, nil facies, nil dices, quamdiu in te erit.

Qui non moderabitur iræ
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens.

Quidquid dicis, quidquid agis in ira non est benefactum & quamvis produceres aurum, quamvis patrares miracula, attamen nil curantur, quia attribuuntur tuæ passioni, non tibi, scimus ebrium non esse capacem quod vel minimum benefaciat, & dicat. Et hinc lex civilis sic statuit: *Quidquid calore iracundiæ, aut fit, aut dicitur, non prius ratum est, quam perseverantia apparuerit judicium animi adfuisse; itaque brevi reversa mulier nec divertisse videtur.* 2. quidquid ff. de regul. Iur.

Nonne sæpe pœnitent te dicta & facta in ira? ne ergo illi amplius credas, cum tam sæpe te deceperit: Ego quidem scio quod hoc valde sit difficile, quodque Sanctus Augustinus dicat. Nulla irascenti ira sua videtur injusta, nam qui irascitur, putat, se causam habere justissimam, eos vero, quibus irascitur injustissimam.

Sed ego id vobis dicã, quod Phocion dixit suis concivibus. Fama detulerat ad Athenienses mortem magni Alexandri, Athenienses qui erant calidi, & ebulliebant

bant insurgere, & arma corripere contra Macedones volebant; optime inquiebat Phocion, præstolemur paulisper nuntium claudicantem, quia forsàn nobis aliquid impositum est; quod si Alexander non sit mortuus, quid non patiemur ob hanc iram stultam, quomodo postea non pœnitebimus? Quod si nunc sit mortuus, etiam erit mortuus cras, perendina die, post octo dies, cumque nullum sit inconveniens paulisper rem hanc differre, & ex præcipitatione magnum cervicibus nostris damnum incumbit, suadeo ut iram paulisper premamus. Idem ego vobis dico. Ille, cui irasceris, vel erravit, vel non? Si non, eccur ergo ei irasceris? Si ita; paulisper expecta, veritas est filia temporis, illa omnia tibi deteget, error hodie commissus, cras quoque committetur, & cras fructuosius corrigetur, quam hodie: *Potest ira dilata exerceri, non potest exercita revocari.*

Hoc mihi dicas, quod injuria tibi irrogata nimis magna sit, & quod nimium sis læsus, & quod iram coercere non possis, & à blasphemiis & maledictionibus te continere, quia Seneca quantumvis Philosophus gentilis, ille hoc sibi dissuadet. Saluberrimum & optimum est, inquit, prævenire adventum vitiorum, ad quæ videmus nos inclinatos, & tempestivè impedimenta objicere, & ita animam nostram in occasione urgente munire, & in illatione injuriæ inopinatæ, & extraordinariæ vallare, ut cor illam non sentiat, vel si ira tua suscitata sit, illam in fundo animæ continere, ne exterius se insinuet. Hic conatus, inquit, non est omnino impossibilis, & pluribus exemplis memorandis hoc probare possem.

Seneca lib. 3 de irac. 19.

Regem Cambysen ebrietati deditum dum Priaspes unus ex intimioribus ejus amicis ferventer rogaret, tali vitio abstineret, & animum sumeret ei confidenter & suaviter demonstrandi, quam hoc vitium dedeceret principem, in quem omnes subditi oculos defixos habent, Tyrannus respondit, ego testatum faciam, quod vapores vini illius, quod habeo in corpore, nec in minimo offuscent rationem, usumque ejusdem, quodque non minus ebrius quam sobrius, vitæ & manuum compos sim. Hinc paucis post diebus vino se copiosiori opplevit, quam unquam ante, & adscito ad se infelici ejus amico cum suo filio, ille jussit filium cubili egrederetur, & duobus vel tribus passibus ante januam apertam expectaret, & manus ac brachia capiti imponeret, & sic cor detegeret, & ita immobilis staret. Hoc facto arcum & sagittam arripuit, eaque directe cor illius juvenis petiit, dumque jam in terra jacens palpitaret, cum Priaspe accurrit, & dum plagam magis dilatasset, & aperuisset, ille Sagittam cordi infixam ei monstravit, dicendo, quid tibi videtur? nonne quamvis bene potus usum manuum habui? Immo inquiebat hic infelix, nec ipse Apollo scopum melius attingeret. Quid dicis, quid cogitas?

Hic misellus parens erat gentilis, lumine vero Dei illustratus non fuerat, gratias illas quas tu habes, non habuit, si unquam ansam irascendi habuit, eam habuit in hoc casu. Cambyses Rex tantum erat mortalis, vel ut melius dicam tyrannus, vermiculus terræ, injuria, quam hic miser devorare debuit, fuit gra-

gravissima, excedens omnes limites, tyrannus eam irrogavit, ex fine injustissimo. Et tamen hic misellus suum principem tanta prosequebatur reverentia, ut illum non perstrinxerit, diris non devoverit, conviciorum plaustris non onerarit, quin immo nec Regi, nec ejus aulicis verbo obmurmurarit, aut aliquod signum impatientiæ, vel quod hanc injuriam sentiat, ostenderit, sed eum laudavit, celebravit, & miraculum fecisse dixit.

Ubi es tu Christiane, tu qui gratiam habes cognoscendi verum Deum, qui ejus habes auxilium, qui minimis tantum afficeris injuriis, tu centies, & millies per annum bile inflammaris, contra altissimam, & adorandissimam divinam Majestatem, contra Regem cœli, optimum, tranquillissimum, beneficentissimum, tu in eum insurgis, quamvis non sit causa tui tædii, molestiæ, & tamen eum convitiis laceras, blasphemas, abnegas. An non vides supremo die judicii te ab hoc gentili condemnandum? & quamvis Deus causa foret tuæ viæ, tamen id justissimè faceret, & non haberes ansam aliud faciendi quam quod fecit David. *Obmutui & aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Quod si sapias, quando es iratus, tu non solum abstinebis à verbis pravis, sed etiam à bonis, & indifferentibus, si absolutè necessaria non sint; Tu imitaberis Elisæum, Ioram Rex Israel, Iosaphat Rex Iudææ, & Rex Idumææ fœdere icto Mesa Regi Moabitarum per Fecialem bellum denunciarant, eò quod tributum, quod singulis annis debebat Regibus Israel pendere cunctaretur. Cumque hi tres Reges castris fixis in quodam deserto extrema penuria militibus, & equis potandis laborarent, Ioram qui principalis auctor hujus belli erat, lamentari, & clamare cœpit, eheu, eheu mi Deus, an tu tres Reges congregasti, ut fiant præda Moabitis? Iosaphat princeps devotus & virtuosus clamabat; an non hic prope sit aliquis verus Propheta Dei, qui nobis in hac extrema penuria succurrere queat? Quilibet dicebat, non procul hinc moratur vates Elisæus, qui Eliæ à dapibus servit, omnes itaque nulla interposita mora eum adeunt. Ioram erat Princeps perversus & vitiosus filius parentum perversissimorum. Elisæus postquam eum in societate Iosaphat principis devoti & pii vidisset, bile inflammatus, & zelo justitiæ erga eum succensus dixit. Quid mihi tecum sit ô Rex Israel? quomodo nos duo simul stare poterimus? vade ad falsos prophetas tui patris & matris, ego protestor, quod nisi spectarem pietatem Regis Iosaphat, nec oculo te dignari vellem. Et tamen postea iis significavit quid deberent agere, ut aquam habere possent. Hic tamen advertite, quod, quamdiu justa ira commotus, & accensus fuit, hæc oracula pronunciare noluerit, nec hos reges instruere, quousque pacatus esset; tunc dixit ad adstantes: Adducite mihi cantorem regalem, qui suo gratioso cantu iram meam sedet. Ille optime sciebat illud quod Regius cantor decantaverat, nempe animam aliqua passione commotam non esse capacem illustrationum cœlestium. *Turbati sunt & moti sunt, omnis sapientia eorum devorata est*; sciebat illud, quod postea dixit Apostolus,

Marginal notes: 4. Regum 3. — Psal. 71.

ira viri Dei justitiam non operatur. Itaque tantum ad Iesum & Mariam spectat, aliquod opus bonum facere in fervore iræ, quia in iis non moderatur habenas, in iis non imperat, non dominatur, in iis scit, quis jus habeat, quis non, quis sit culpabilis, quis inculpabilis, & in iis nec ullum punctum justitiæ transilit.

VIII. Præterea adhuc est alia differentia inter iram Christi, & nostram, ira ipsius nunquam respergitur amaritudine, nunquam exercetur per spiritum vindictæ, nam si nobis succenseat, si nos puniat, id non facit ex odio malevolentiæ, sed ex amore vel zelo justitiæ. Sanctus Spiritus plus dicit unico verbo, quam ego possem dicere integrâ concione, ille uno verbo duas differentias assignat, quę inter nostram & ejus iram intercedunt, ille ejus iram comparat cornibus monocerotis: *Cornua monocerotis cornua ejus.* Deut. 33. Nostra vero est similis cornibus bovis. Primo ut dixi duæ inter monocerotem & bovem sunt differentiæ. Prima est quod monoceros sic sauciet, ut videat ubi sauciet, quia oculos habet super cornua, bos vero videre nequit, ubi lædat, quia oculos habet infra cornua. Præterea quando monoceros vulnerat, ille simul sanat, quia ut sciunt naturalistæ, cornua ejus sunt medicinalia, sunt antidota contra venenum, cum tamen illa bovis sint venenata, & vulnus infligant lethale. Filius Dei est velut monoceros, quia clarè videt, quomodo percutiat, non punit nisi prius præmeditatus fuerit tempus, modum, personas quas vult castigare. *Virgam vigilantem ego video.* Ille vulnerat, non ut perdat, sed ut sanet, non ex odio, sed ex amore; *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo. Tu laborem & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.*

Magne Deus, dum tu hominibus afflictiones & ærumnas immittis, tu prius eas consideras & examinas, tu eas diligenter libras, ut nec unciam plus dones, quam oporteat. *In lachrymis, in mensura.*

Dumque afflictiones immittis hoc non facis, ut eos perdas, aut iis damnum inferas, sed ut tradas eos in manus tuas, ut satisfaciant suæ obligationi, & restituantur tuæ gratiæ. Tu lædis velut monoceros, tui ictus sunt favores, tuæ sauciationes sunt antidota, tu exerces aliquem sicut columba, sine felle, sine rancore, sine amaritudine, Amor servit, Christus servit, sine felle servit, more columbino, non corvino. At enim nostra indignatio longe alia est, est ira viperina, interius venenata, bile affecta nigrâ, quando indignamur nos sumus pleni aversione, odio, exacerbatione, contra proximum; quin immo malignitas hujus viperæ est tanta, ut quandoque suum venenum evomat contra bonitatem infinitam majestatis divinæ. Nonne hæc tua ordinaria excusatio est, si nemo me offendat, ego nunquam amplius blasphemabo? hoc nil aliud est, quam se levare cum anchora. Qualis quæso est hæc excusatio, ego blasphemo in ira? Tu dupliciter peccas, peccato iræ & peccato blasphemiæ. Quod si duo atrienses servi, aut à pedibus invicem contenderent, & unus accederet Dominum, ac diceret, Domine tu es nequam, nebulo, furcifer, & vellet se excusare, quod

quod ea dixisset in cholera, cur non obstante hac excusatione condemnaretur? quid ergo facis?

PUNCTUM TERTIUM.

Remedia nostræ iræ, Primum præservativum, secundum curativum, Tertium complectens utrumque.

IX. ET quale habebimus remedium adversus passionem adeo irrationabilem, malignam & nocivam? Ego in sancto Petro tria principalia invenio. Primum est auferre causam, evellere radicem, hoc est affectionem inordinatam versus bona temporalia, aut quamvis aliam creaturam. Et sane in morbis spiritualibus aliter loquendum est, quam in corporalibus. Medici experti & docti docent, quod & scripsit Fernelius, febres interpolatas, puta tertianas, quartanas, aut quæ in sua acreptione variantur, non semper curari phlebotomiis, & has ordinarie esse nocivas, sicut & incisionem venæ. Et quidem primaria causa, inquit Fernelius, harum febrium interpolatarum est humor biliosus, qui ordinarie nõn est intra grandes venas, sed intra mesaraicas, unde quando incidis venam, & emittis sanguinem, & non extrahis hunc humorem, quia hic non est intra illas venas, sed potius infers damnum & efficis ut quartana vel tertiana mutetur in continuam. Quia humor biliosus, qui est extra venas, forte in eas intrabit, ne illa vacuæ relinquantur.

Lib. 2. method. med. c. 6.

Secundo dicunt alii medici, quod sicut in magno mundo aër est inter nos, & elementum ignis, ut calorem temperet, ita in microcosmo, sanguis qui instar aëris est calidus, & humidus, est quasi frænum humori bilioso: Sanguis est frænum bilis, quæ ex se est calida, adeoque hujus activitatem retundit, & impedit ne magnum damnum faciat, unde si nimium extrahas sanguinem in his febribus, tu debilitas naturam, tu frænum bilis laxas: ego hoc Senatui medicorum disputandum relinquo, & solum dico in morbis animæ, de quibus hodie ago, totum contrarium evenire. Febris nostra, inquit Sanctus Ambrosius iracundia est. Cholera non est febris continua velut rancor, sed interpolata, quæ aliquam quietem indulget, & in suis accessibus remittit, nec enim continuo sumus in cholera, & fermento, sed subinde & causa hujus febris in interiori latet, plane contraria est febri exteriori, quia est intus, & in corde. Et hoc est in quo vos decipitis, dum causam vestrarum passionum aliis affricatis, & non vobis dicitis, utinam mihi sicut illi foret, si haberem maritum sobrium, moderatum, nunquam irascerer, sed si ita permaneat quid apud eum agere possim, non potero me cohibere, si non haberem filium adeo inobedientem, & dissolutum, interim alter Iob esse deberem, & chalybeum habere pectus, ne patientiam amitterem, si non essem implicatus hac lite, nunquam bile inflammarer, quia si parti adversæ occurram, sanguis mihi semper ebullit.

Falleris, falleris charissime, nec maritus, nec filius nec processus sunt in causa tuæ iræ, sed tu, fode & lustra tua interiora, & videbis quod nulla alia causa sit, quam tua impatientia, & immortificatio. amor proprius, prava consuetudo.

X. Se-

X. Secundo, ſanguis non eſt frænum hujus bilis, ſed ſtimulus, & illicium, affectio & cupiditas pecuniæ eſt titio & fomes hujus iræ. Sanctus Ambroſius explicans illa verba Chriſti ad Apoſtolos: Nolite portare argentum, neque virgam, addit hanc cauſam, *ut & incentiva litis & inſtrumenta eriperet ultionis*, ut ita eſſent velut oves in medio luporum. Quidam antiquus nomine Collus, plura vitra & vaſa fictilia in præſentia amici diffringens dicebat, ego proclivis ſum in bilem, ego me cohibere non potero, ſi famuli aliquod frangant, & ideo malo iis carere, quam occaſione eorum bile inflammari. Ego non tibi ſuadeo, nec id vellem ut omne illud deſtruas & frangas, quod tibi poteſt eſſe occaſio iræ, ſed volo, ut illa evellas è tuo corde, & ad tempus te iis prives. Imitare hunc priſcum, hic ut patienter toleraret repulſas, quas paſſurus erat in poſtulatione eleemoſynæ, priuſquam hanc artem inciperet, ſæpe ſtipem rogavit à ſtatuis. Ita quoque tu ut aſueſcas ad patienter ferenda adverſa, quæ tibi occurrunt invito, aliquoties illa facias, ſolve debita creditoribus, illud argentum rubiginoſum, quod eſt in tuis ſcriniis, dona, tuæ ſorori illam partem da, quam adeo appetit, illi qui minor te eſt locum cede, alias ſi tuas paſſiones non mortificaveris, ſi affectibus tuis indulſeris, in hora mortis tuæ reperies, dicam terrificam peccatorum, quæ commiſiſti, theſaurum iræ, & ſuppliciorum, quæ promeruiſti, & dices obſtupefactus: *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare?*

Ap. Gratian. cap. iræ cauſ. 11. queſt. 3.

XI. Nunc vides, quomodo debeas prævenire iram tuam antequam veniat, & eam extinguere vel moderari, quando fuerit accenſa. Tui venti per tuam gratiam Deus multum poſſunt. *Fulgura in plurima fecit, educit ventos de theſauris ſuis.*

O inſignem comparationem! tu in æſtate videbis quandoque denſam nubem, quæ cœlum tegit, ſolem obſcurat, in meridie noctem invehit, tu præſagis pluviam, quæ in ea latet, grunnit, ſtrepit, reboat, & totum conſternat mundum, fulgura inceſſanter coruſcant. Et quid quæſo facit bonus Deus, ut hanc tempeſtatem diſſipet? Educit ventos de theſauris ſuis: Dulcem Favonium emittit è ſuis theſauris, lenem ventum qui illas nubes diſpergat, qui illam tempeſtatem ſedet, & ſolem in medio cœlo plantet, & ita hæc tempeſtas reſolvitur in lenem pluviam, quæ terram irrigat, campos fœcundat, prata vivificat, arbores reſtaurat, animalia potat, & mille commoda adferat. Quod ſi proximus tuus tibi ſuccenſus ſit, ille eſt velut nubes, ille tempeſtate & furore repletus eſt, ſol rationis in eo offuſcatus eſt, nocte obſcura involutus eſt, grunnit, murmurat, tonat, reboat, velut fulmen, oculi ejus ſcintillant, ille minas intentat, minatur ſe periturum, illa facturum, quæ dicit, ~~nil plus ſe dicturum~~, nil minus ſe facturum, omnia everſurus putatur.

Si tu itaque habeas animam, quæ in bono loco reſidet, tu faciliter diſſipabis illam nubem, & facies ut magnum illi & tibi bonum ex hoc reſultet. Sed quomodo

modo hoc facies? Tuum cor debet esse thesaurus Dei, cum dulci verbo frange
Prov. 15. iram. *Responsio mollis frangit iram*: Sicut Favonius dissipat nubes, non debes obmurmurare quamdiu fulminat, non debes resistere, obloqui, *Non reddentes malum pro malo, maledictum pro maledicto.* Debes te excusare, & veniam rogare etiam culpæ, quam non commisisti, quamprimum animus ejus fuerit pacatus, & cholera sedata, intrabit in se ipsum, mirabitur tuam patientiam, agnoscet suum errorem, detestabitur suam stultitiam, confundetur, humiliabitur, & amabit te plus quam ante.

XII. Verum enimvero optimum remedium contra iram, & alias passiones est gratia Dei, profecto crassè erramus, quod illam sæpius & ferventius non postulamus. Noster Salvator cum esset Deus, non habuit necesse, ut eam postularet, & tamen ut nobis exemplum præberet, instante passione sua dixit: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam?*
Ioan. 12. *pater salvifica ex hac hora.* Eum imitare, quando animus tuus fuerit turbatus, prosterne te ante filium Dei, ab eo contra tentationem veniam roga, pete lumen & juvamen ad actionem quam facere vis, committe te ipsi, adhoc ut hæc tempestas sedetur, agnosce, quod ex te nil queas. *Domine vim patior, Domine salva nos perimus*; quod si non sis in tentatione, eum roga, eum [illegible], exerce virtutes ei gratas, ut tibi assistat, dum tentaberis subinde hæc insignia
Hebr. 10. v. 36. verba S. Pauli animo volve; *patientia vobis necessaria est, ut facientes Dei voluntatem, reportetis promissiones.*

CONCLUSIO.

Paraphrasis in illa verba Apost. Patientia vobis.

XIII. *Necessaria est.* Virginitas est virtus insignis, & Deo grata, sed tamen non est necessaria, quia potes salvari in matrimonio, potest fieri, ut eleemosyna tibi non sit necessaria, eo quod sis pauper, edendum tibi forte non est necessarium, quia es infirmus, sed patientia simpliciter & absolute in quocunque statu & conditione, virginali, maritali, sive sis pauper, sive dives, sive sanus sive infirmus, absolute necessaria est.

Vobis: Devotio est necessaria Sacerdotibus, paupertas Fratribus minoribus, solitudo Carthusianis, abstinentia Minimis, zelus animarum prædicatoribus, sed vobis charissimi patientia maxime necessaria est. Religiosi uni tantum rei applicantur, uni tantum vacant, unum tantum curant, quomodo nempe placeant Deo, & Prælato obediant, verum vos qui estis in mundo, qui cum tot & tantis conversamini, *qui turbamini erga plurima*, qui humores & inclinationes habetis adeo contrarias, qui tot occupationibus distrahimini, si per gratiam Dei patientia non sitis muniti, millies per diem peccabitis.

Vobis: Obedientia est necessaria vobis erga Prælatos, preces erga parentes, misericordia erga egenos, sed patientia vobis ipsis necessaria est.

Ut facientes Dei voluntatem: Scitisne, quæ sit voluntas Dei: *alter alterius onera portate.* Si patientiam non habueris, nullum sufferre poteris, nec alius supportabit te, tu non valebis aliorum suppor-

tare imperfectiones, nec alii tuas, tu cum nullo convenies, nec ullus tecum, tu semper eris tetricus, morosus, melancholicus, hypochondriacus. *Hæc est vo-*
1. Thess. 4. *luntas Dei sanctificatio vestra.* In quonam consistit sanctitas, & soliditas virtutum? An ut sæpius comunices? Non; quia amor proprius necdum est mortificatus, in qua tamen consistit sanctitas, & soliditas virtutum. An ut recites rosarium? Non, quia invenies mulierculas, qui illud centies qualibet septimana recitant; quid ergo? ut sis similis Iesu, *qui talem pro nobis sustinuit contradictio-*
Matth. 11. *nem*, qui dixit, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Reportetis repromissiones. Quod si sis patiens, promissiones Dei in te implebuntur, & primo quidem in hoc mundo, ille dixit, à mitibus possidendam terrâm: animi pacati, patientes, temperati, negotia, & quidem meliori cum successu expediunt, quam animi turbulenti, & impetuosi. Fabius Maximus plus egit contra Carthaginenses sua patientia quam Scipio per sua arma. *Unus homo nobis cunctando restituit rem. Repromissiones* in altera vita: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Tu infinitas evitabis blasphemias, injurias, maledictiones, quæ tuam salutem in discrimen adducent, tu minues pœnas debitas peccatis, immo injuria, convitia, contumeliæ, quas pateris amore Dei, sunt pœnitentiæ, & satisfactiones pro tuis peccatis. Tu per patientiam exerces humilitatem, charitatem erga proximum, resignationem in voluntate Dei, & innumeras alias virtutes, quæ in te augebunt gratiam Dei, & gloriam ejus tibi acquirent. Amen.

SERMO
QVINQVAGESIMVS OCTAVVS
pro Festo S. Ioannis Apostoli & Evangelistæ.
De homicidio spirituali, quod est scandalum.

Quid ad te? tu me sequere Joan. 21.

EXORDIUM.

Mira cuipiam videbuntur illa verba Salvatoris nostri ad Petrum? Ergone ad Petrum nil spectat Ioannes, ergone Petro nulla sit cura de Ioanne? Nonne Petro dixerat Christus, quod esset Petra, & super eam petram esset ædificaturu Ecclesiam suam? per verba illa fuit Petro promissa superioritas in Ecclesia, ut omnes sancti Patres colligunt. Hoc admisso, san ergo Petrus nullam curam habet de suo subdito? Quod si unicuique Deus mandavit de proximo suo, multo magis id censendum est esse præceptum Prælatis, cum ipsi rationem reddituri sunt de suis subditis. Christus his verbis quidem insinuare voluit, ne curiose alio-

aliorum vitas ſcrutemur, hoc enim ſæpe nequit fieri ſine peccato, ſed tamen noluit ne omnino proximi curam mitteremus, quia potius ejus ſalutem curaremus, uti ipſe in hoc Evangelio declarat. Ille ſi Petro dixiſſet, quo genere mortis fuiſſet moriturus, & quod reliquis martyrio affectis ipſe Ioannes diu ſupervicturus eſſet, reliquos Apoſtolos ſcandalizaſſet, & partialem aliquomodo ſe oſtendiſſet, & quia ſcandalum in prælatis eſt potens, ideo Petrum ab illo diſcurſu divertit; de ſcandalo agemus hac concione.

Non occides. Exod. 20.

I. QUemadmodum anima rationalis eſt incomparabiliter excellentior & nobilior corpore, ita homicidium ſpirituale nocivius, & pernicioſius corpore eſt. Ego eum qui ſcandalum præbet, homicidam voco ſpiritualem, cum ipſemet Sanctus Paulus ad Corinthios ſcribens aſſerat, ſcandalizantem proximum, eſſe in cauſa, quod ejus frater
1 Cor. 8. Chriſtianus, pro quibus filius Dei mortuus eſt, peribit. Porro tribus punctis de hoc vitio agam. Primo videbimus, quid ſit ſcandalum, ſecundo videbimus quorum ſcandala nociviora ſint, tertio damna, quæ ex eo ſequuntur. O ſacratiſſima virgo, in ſacris canticis hæc de te
Cant. 4. dicuntur. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo.* Tu neminem unquam ſcandalizaſti, tu omnes eos egregie in bono ædificaſti, qui tecum egerunt, vel qui reſpexerunt ad tuas actiones, geſtus, converſationes exteriores, vitam, reſpexerunt, ita ut non ſolum produxerint bonorum operum Deo gratiſſimos cum pomorum fructibus, ſed etiam quod ubique ſparſerint odores bonorum exemplorum hominibus, maxime proficuorum. *Cypri cum nardo*, nam vas alium non poteſt ſpirare odorem, quam ſpiret liquor quo repletus eſt, tu vero repleta es gratia, ita enim ſalutando teſtatus eſt Angelus, cum dixit, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

EXORDIUM.

Multum cavere debemus, ne ſcandalizemus proximum.

II. POrro ut clare cognoſcamus, quantum teneamur, ut eſt poſſibile, non ſolum evitare, quodlibet peccatum & malum in ſe, ſed etiam, ut inquit, Apoſtolus, omne illud quod habet ſpeciem mali, oportet advertere, & ſupponere tria principia, quæ quilibet vel parvo ingenio præditus, faciliter capiet, niſi experientiam negare velit, quam tamen quotidie ante facies & oculos habemus. Primum eſt, de quo & alias diximus, quod ſicut creator ſuam omnipotentiam monſtravit in mundi creatione, dum eum è nihilo ptoduxit, ſuam ſapientiam in œconomia ejuſdem operis, dum nil produxit ex partibus ſeparatis, & improportionatis, ſed ex partibus unitis proportionatis, inſigni ordine diſpoſitis, quarum una correſpondet ac concinit alteri, & quæ à ſe invicem dependent; nam cœlum reſpicit terram, ut eam irriget, & ſuis benignis, ac propitiis aſpectibus dignetur, terra reſpicit cœlum, ut ab hoc influxus neceſſarios

ad ſuam productionem recipiat, ſubſtantia reſpicit ſua accidentia, velut organa & inſtrumenta ſuarum operationum, accidentia reſpiciunt ſuam ſubſtantiam tanquam matrem à qua emanarunt, inſtar granarii è quo mutua accipiunt ſemina eorum quæ producunt.

Elementa quamvis ſint contraria, tamen mutuam correſpondentiam eamque naturalem habent, unde colligantur, ſecum invicem agunt, negotiantur, commodum ſeponunt privatum, ut per compoſitionem mixtorum bonum univerſi promoveant.

At enimvero, quod videmns in hoc mundo naturali & phyſico illud dicere poſſumus, dari in mundo civili & politico, hoc eſt in Monarchiis, rebus publicis, familiis, religionibus, & aliis communitatibus Societatis humanæ; nam exceptis ſapientibus, qui valde pauci ſunt, ſi comparentur aliis, nullus eſt, qui non ſit pars alicujus totius, membrum alicujus corporis, Rex aut ſubditus, conſul aut civis, Dominus aut ſervus, ex quo conficitur, quod unus ad alterum referatur, quod inter eos detur mutua actio, & reactio, quod omnes ſe invicem reſpiciant, hic alteri donet, alius ab alio recipiat.

Præterea nos docet experientia, quod homines nunquam contententur illo, quod ſunt, ſed quod ſemper ad altiora aſpirent, nos ſæpe reſpicimus eos, qui ſunt ſupra nos, nos ambitione & invidia ſolicitamur, dum eorum excellentiam videmus, nos appetimus illis eſſe ſimiles, & quia actio eſt nobiliſſimum opus eſſentiæ, nec poſſumus eſſe id quod ſunt, nos conamur facere quid agunt. *Imitari* inquit Ariſtoteles, *inſitum eſt hominibus à pueris, & in hoc differunt à cæteris animalibus.* Lib. de poet. c. 4. Hoc eſt opus, quod homines addiſcunt & imitantur à tenellis unguiculis, ut nempe imitentur alios, & in hoc differunt, ab aliis animalibus, ſola ſimiâ exceptâ. Et quia quantumvis aliquis ſit excellens, & nobilis, tamen adhuc habet alios, qui ſunt ipſo ſuperiores. Ita quantumvis aliquis ſit vilis & abjectus tamen adhuc habet aliquem ſe inferiorem. Nos omnes plurium conſpectui expoſiti ſumus, nos ſubjecti ſumus, imitationi, conſiderationi aliorum.

Tertio quandoquidem homines communiter ob corruptionem naturæ, ſunt magis inclinativi ad vitia quam virtutes, ideo magis imitantur actiones pravorum, quam bonorum, unde violentiam nobis inferre debemus; ut aſcendamus ad virtutes, cum tamen pernici curſu feramur ad foveam vitiorum. Hæc conſideratio nos obligat, ut omnia noſtra verba, omnes noſtras actiones circumſpectè, & præmeditate faciamus, ne ulli pravum præbeamus exemplum, nec ullum ſcandalizemus, qui ad nos attendit, velut ad exemplar.

PUNCTUM PRIMUM.

Declaratur quid ſit ſcandalum, & traditur ejus definitio ex divo Thoma.

III. PORro ut hoc vitium unicuique declaremus, ſciendum eſt, quod peccatum alicujus narrare, illud publicare, & propalare mundo, non eſt ſcandalizare; ſed inhonorare, ac diffamare. Scandalum enim uti definit S. Thomas, & poſt eum omnis ſchola, eſt *dictum vel factum minus rectum, prævens alicui occaſionem ruinæ.* 2. 2. quæſt. 3. art. 13. Ut autem perfectè hanc definitionem cognoſcamus, oportet omnes

omnes ejus particulas examinare. Scandalum quandoque est dictum, nam corpus inficitur, inquit Plato, per os, anima per aures, & S. Paulus qui profanos non solet citare, ad hoc propositum allegat illud dictum poëtæ græci: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* David labia timebat perversa, non quod timeret per ea suum honorem destruendum, sed quod anima per ea gratiâ divina esset privanda. *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.*

1. Cor. 15. v. 33.

Psal. 129.

Tu apertè quidem non loqueris contra fidem, ita ut possit tibi affricari nota Atheismi, vel hæresis, sed tu dicis, talia, & talia contra nostram fidem, quis posset objicere, infideles talia proponunt argumenta. *Lingua dolosa.* Tu non quidem aperte tuum vicinum excitas ad dissensiones, sed subtiliter, & palliate: miror quod illa possis perferre, tu nimis es patiens, pedibus suis te conculcabit, talia, & talia de te dicens. *Lingua dolosa.* Tu non profers verba manifeste inhonesta, sed æquivoca, ambigua, larvata. *Lingua dolosa.* Talia verba ordinarie sunt nociviora aliis, *sunt Sagittæ potentis acutæ.* Quo Sagitta est acutior, eò profundius penetrat cor. Cuspis vero cacuminis, & subtilitatis, quæ est in his verbis, facit, ut facilius imaginationem intret, & in ea diutius hæreat. Sunt hæc verba carbones ardentes, qui consumunt, & perdunt puritatem, charitatem, simplicitatem animarum Christianarum, cum carbonibus desolatoriis.

IV. *Dictum, vel factum*, non dicit actio & operatio, sed factum, hoc est quod jam factum est, omne id quod potest esse laqueus, & petra offensionis, si illud in domo asserves est scandalum, & tu es scandalosus. Illæ tabulæ, & statuæ nudæ, illi libri obscœni, comœdiæ, carmina impura. *Vel factum.* In hoc verbo etiam comprehenditur, omissio, ut si omittas actionem quæ impedit offensam Dei, quam potes facere, nec tamen facis. Ita Christus quamvis non teneretur solvere tributum, tamen illud solvit, ne scandalizaret. Ob eandem caussam virgo circumcidit filium, eum obtulit in templo, se submittit legi purificationis, qua non tenebatur, ne aliis præberet pravum exemplum. Præterea Sanctus Paulus testatur, quod antiqui Philosophi, postquam cognitum lumine naturæ verum lumen reliquis gentibus non communicarunt, ut eos ab idololatria retraherent, iram Dei incurrerint, & omnium peccatorum participes facti sint, quæ populus defectu hujus cognitionis patravit. Tu ergo reus peccati efficeris, si tuum pœnitentem qui choreas, & comœdias frequentat, quem scis vanitatibus esse deditum, non reprehendis, quia eum scandalizas, nam dicit, hæc non sunt peccata, quia confessarius non me reprehendit. Tu peccas peccato scandali, si permittas quod rustici diebus festivis tempore sacri frequentent popinas, & domos lusorias, idem est, si eos non accuses, non punias, nec procures, ut emendentur, tu peccas peccato scandali, si permittas quod officinæ diebus Dominicis & Festis sint apertæ vel quasi apertæ.

Matth. 17. Rom. 1. v. 18. & 52.

V. *Minus rectum.* Hæc particula denotat, quod actio bona & meritoria à Deo, vel ab Ecclesia præcepta, non debeat omitti, esto tuus proximus sit inde scan-

scandalizandus, quia hoc est scandalum pharisaicum, passivum, non activum, acceptum non datum, quia, ut inquit, Tertullianus: *Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem agnoscant, malum suum, qui de tali bono scandalizantur.* Et Sanctus Gregorius: *Si de veritate scandalum nascitur, utilius nasci scandalum permittitur, quam veritas deseratur.* Verum si actio sit bona, & laudabilis, sed non præcepta, an debeat omitti, si ex ea scandalum oriatur? Sanctus Thomas doctè subdistinctione respondet: Vel proximus tuus scandalizatur ex tuo opere malitiosè & ex spiritu contradictionis, vel ex ignorantia aut infirmitate: Si malitiose, tu bonum opus non debes omittere, quia illius est culpa quod peccet, non tua, ille facit velut Pharisæi, qui malitiosè scandalizabantur ex concionibus Christi, & eas irridebant, prave interpretabantur, sed Christum hoc nil movit, nec ideo suas conciones omisit. Quod si scandalizetur ex ignorantia, vel infirmitate, præstat ut opus tuum facias secretè, vel ad aliquod tempus differas, quam ut occasionem præbeas proximo tuo peccandi.

Tertull de de veland. Virgin.
hom. 7. in Ezech.
2. 2. quest. 93. art. 7.

Prisci gravissimè puniverunt quendam senatorem Romanum, eo quod in præsentia filiæ cum uxore minus pudicè se habuisset. *Peccantes in fratres, inquit Paulus, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*, & alibi: *noli propter escam destruere opus Dei, omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.*

1. Cor. 8. v. 12.
Rom. 4. v. 20.

VI. Supponamus quod denudatio uberum, sit actio indifferens, nam certum est, quod non sit præcepta, immo est *factum minus rectum*, quia non tendit in Deum, quia non facis illud opus ex amore Dei, immo certo scis, quod sit fomes, & illicium plurium pravarum cogitationum, lapis scandali animabus debilibus & infirmis, ubi est tua charitas tuus amor ergo Deum & proximum? noli propter carnem destruere opus Dei, noli sinu tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

Dic sodes, quid potius eliges, quid magis amabis, an nunquam comedere carnes, vel tuam carnem monstrare? Sanctus Paulus dicit, *carnem non manducabo in æternum.* An hoc tu eligas? non. Interim Sanctus Thomas dicit, quod dupliciter aliqua res scādalosa esse possit, primo per intentionem agentis, secundo per conditionem operis. Quod si intentionem habeas aliquem inducendi ad peccatum, etsi re ipsa hoc non fiat, vel quia, quem vis inducere, resistit tentationi, vel ex alio capite, tu adhuc peccato scandali peccas. Econtra, quamvis habeas bonam intentionem, si tamen opus facias ex se inductivum, & allectivum ad peccatum, tu reus es omnium peccatorum, quæ subsequuntur. Quod si scienter vestes eorum, qui peste laborarunt, publice portares, ita ut illi, qui iis approximant, peste corriperentur, nonne causa eorum mortis fores? An excusareris, si diceres, te hoc non intendisse? tu has vestes emisti, quia vili pretio vænierunt? tu nil mali intendis, quod proferas illa verba levia, sed solum ob recreationem: Non nisi vanitas est, quod

2. 2. quest. 43. art. 1. art. 9.

ubera tua denudas, hoc non obstante res est contagiosa, quæ pestem spiritualem peccatorum spargit, Et quamvis unicum tantum animum inficeres, tu reus mortis fores.

VII. Tu putas actionem nullam esse scandalosam, nisi quæ publicè fit in publica platea. Et tamen Salvator dicit in sancto Matthæo: *Qui scandalizaverit unum.* Tu dicis solæ animæ debiles, qui tentantur per talem actionem, per talia verba fluctuant, animæ vero fortes, & in virtutibus radicatæ, nec in minimo moventur. Quid inde. Iesus dicit: *Unum de pupillis.* Sanctus Paulus addit: *Percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Filius Dei addit. *Væ mundo à scandalis,* Ita loquitur, quia mundus plenus scandalis est. Et an aliquis in mundo sit, qui non proximo suo præbeat ansam peccati mortalis, vel venialis?

Matth. 18.

2. quest. 3. art. 1. t. 9.

PUNCTUM SECUNDUM.

Periculosius scandalizant proximum, primo superiores, secundo seniores, tertio mulieres.

VIII. ET quidem superiores sunt lux mundi, uti eos Salvator vocat: Fulciti vero eorũ exemplo & ductu insistunt, superiorum exempla, actiones sunt visibiles, evidentes, publicæ sicut lumen. *Si lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Adeo erunt grandes, & horrendæ, ut nec eloquentissimi verbis quasi divinis id eloqui posse videantur. Quod si superiores, sacerdotes, Patres familias, qui nil possunt facere, nisi palam, & coram toto mundo, tam impudenter, & audacter peccent, quales non abominationes committent particulares qui plura possunt patrare, etiamsi nemo sit qui eos observet.

Matth. 5.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, & ante eum Sanctus Cyprianus dignis lachrymis prosecuti sunt miseriam antiquorum idololatrarum, qui vitia deificarunt, & in numerum Deorum retulerunt homines perversissimos, & vitiosissimos. Non potuerunt magis authorisare & stabilire vitia, quam quod non solum illa non excusarent, sed & persuaderent: *Ut peccatum*, inquit Sanctus Gregorius, *non solum crimine careat, sed etiam divinum censeatur.* Sathan hoc stratagemate, & astu utitur, quamvis modo aliquali diverso, ille quantum possibile est, in hoc est, ut Ecclesiastici, Prælati, Magistratus, sint vitiosi, & scandalosi, ut ita plebs, & inferiores eos non dedignentur, nec sibi dedecori ducant, imitari qui sunt ipsis superiores, & qui in scriptura Dii fortes intitulantur: *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Illi dicunt id quod quidam priscus poëta cecinit. Orat. 39.

Quod divos decuit, cur mihi turpe putem?

Et hinc, dum populus Israel Deum offenderet peccando cum filiabus Moabitarum, & adorando Idola Beel-Phegor, Deus Moysi dixit: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. Notanter hic animadvertendum est, quod dicat *cunctos.* Sed quomodo hoc? omnis populus quidem non peccarat, & tamen voluit omnes primarios puniri, quia hi omnes peccarant, vel pravo exemplo vel

vel quia aliorum peccata non impediverunt. Ille dicit: Suspende eos contra solem, ut eorum pœna ac supplicium sit æque manifestum ac eorum crimen. Ille dicit, *ut avertatur*, non minus ac in Genesi post sacrificium Noe dicitur. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, nequaquam maledicam terræ.* Supplicium majorum est ipsi velut sacrificium suavis odoris, ille magnam exinde delectationem haurit, quod eos rigide in aliorum puniat exemplum; Et hoc ob nullum alium finem, quam quia ejus honor reparatur per illud medium. Hæc sane est differentia inter superiores & inferiores, quod subditi proximum potissime scandalizent per peccata commissionis, superiores vero eosdem etiam scandalizant, per peccatum omissionis, quia eorum tolerantia, & permissio ac silentium est causa, quod subditi liberius peccent, & diutius sine scrupulo in eorum peccatis permaneant, nam dicunt in se ipsis, si ego in tali opere peccarem, meus Dominus, meus Pastor, meus Confessarius me reprehenderet.

IX. Præterea seniores in familia, in aliqua religione, in aliqua communitate serio invigilare debēt ad proprias actiones, nam juniores in eos respiciunt velut in speculum suæ vitæ, illi credunt iis impunè esse licitum, quod viri adeo longævi faciunt, persuasum sibi habent, quod habeant plus scientiæ, prudentiæ, experientiæ, quam alii, melius bonum & malum cognoscunt, & quo proximius suo fini approximant, eo ferventius virtutes exercere, & peccata evitare deberent. Hoc fuit inter alia principalissimum motivum Eleazari, cur potius voluerit subire mortem quam committere aliquod peccatum. Venerandus hic senex qui jam incanuerat in servitio Dei ad mortem condemnabatur, nisi comederet cibos lege Dei vetitos, ejus amicissimi compassione falsa moti, in aurem ipsi latenter ingresserunt; quod si nolit cibos vetitos manducare, ad minus simula, quod eos comedas. Eccles. 7.

Et an putes, quod sit adeo severus, & quod velit quod sis adeo austerus. Anne sit tam grave peccatum libare cibum ore, & illum statim rursus expuere? sed quid ille, apage tu prave consiliarie, tuum consilium nimis est perniciosum, & quale non foret exemplum junioribus urbis, si dicatur, quod Eleazarus vir nonaginta annorum vitam infamem morti gloriosæ prætulerit? Quid non dicent cum audient, quod vir adeo decrepitus, ut pauxillum vitæ corruptibilis, quam tamen serius, vel tardius amittere debet, legem Dei transgressus fuerit? potiùs damner, quam tam pravum exemplum committam. Eccles. v. 14.

X. Enim verò superiores & senes non possunt esse scandalosi nisi per sua verba, & actiones, at fœminæ ordinariè sunt scandalosæ per omnia, quæ habent, per omnia quæ faciunt, per omnia quæ sunt. Hoc intendit Spiritus Sanctus cum dixit: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Quæso vos ne periocum, & risum hæc verba suscipiatis, prout sæpe facitis, sed cum respectu & reverentia, quotiescunq; de Deo loquimur, debemus nos dimittere usque ad centrum terræ, ut ejus verba veneremur & adoremus: *Inveni*, inquit, *mulierem morte amariorem.* Non dicit Eccles. 9. v. 5.

Ecclef. 7. dicit fœminam procacem, elatam, superbam, vanam, impudicam, sed absolute fæminam. Non dicit eam esse amaram viris lascivis, levibus, dissolutis, vel adolescentibus, sed generaliter & indifferenter, & quidem amaram, & amariorem morte. Sancta Irene quamvis fuerit casta & modesta, tamen amarior morte suo directore spirituale fuit. David magnus fuit Propheta, homo secundum cor Dei, & tamen fæmina quidem ei amarior morte fuit.

Salomon idea fuit sapientiæ, & tamen mulier ei morte amarior fuit. Sanctus Martinianus, Iacobus Eremita, Frater Iacobus Guerinus viri fuerunt austerissimi, & pænitentes, & tamen fæmina iis amarior morte fuit. Et ut significet, quod loquatur de sapientibus, & devotis, ille inquit, *melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*, ac si diceret, malitia, prava conversatio viri dissoluti, & pravi, non est tam periculosa, quam pravitas & conversatio fæminæ virtuosæ. Et hic est verus sensus horum verborum, quia ante dixit. Ne sis frequens in conversatione mulierum, quia sicut vestis generat tineam, ita fæmina virum inducit in peccatum. Et sanctus Basilius hujus rei causam assignat. *Mulier* dicitur à molliendo, quia quidquid in ea est, hoc est fæmininum, molle, allectivum, attractivum, fascinativum, ejus aspectus, vestes, gestus, incessus, facies, sola præsentia, ejus, risus, cantus, verba, aspectus emolliunt, flectunt, sunt suspecti & nocivi.

Ecclef. 42. v. 14.

Et hinc fæmina virtuosa; quæ Christum amat, cui gloria Dei cordi est, quantum potest abstinet à publico, quin potius quantum est possibile se domi recludit & recondit. Illa non exit nisi corpore velato, & ex urgente necessitate. Et quidem Tertullianus ulterius procedit, nec permittit, ut adeo altari appropinquet dum missa dicitur, sicut facit, quando chorum intrat religiosorum & sacerdotum horas divinas cantantium, nec intret Ecclesiam vultu detecto & nudato, quin potius te rogat, ne sine necessitate domesticis, & parentibus se monstret. Omnes inquit in te ætates periclitantur, quia cuilibet ætati, sexui, conditioni occasio ruinæ esse potest. Sancta Aglai fuit objectum tentationis Sancto Bonifacio suo cauponi. Thamar suo Fratri Iudæ, Herodias suo affini Herodi, alia Thamar filia David suo Fratri Ammon, sancta Dympna proprio parenti, & fæminæ, de quibus mentionem facit Sanctus Paulus, suis sodalibus.

De veland. virg. c. 13.

Gen. 38. v. 6. Marci. 6. v. 17. 2. Reg. 13. v. 1. Rom. 1.

Et quidem verum, quod id sæpius fiat, sine tua culpa, & voluntate, sed tamen Sanctus Chrysostomus dicit, quod sicut paterfamilias graviter succenset homicidæ sui filii, ita ut non solum illum puniat sed & in partes diffringat cultrum quamvis innocentem, quo eum occidit; ita & sathan dum te velut instrumento utitur, quo occidat infantes Dei, dum te adhibet velut escam, & illicium, ut in tui concupiscentiam exardescant, absque tua intentione, Deus quandoque bile inflammatur, & in furore suæ indignationis te castigat temporaliter, quia fuisti instrumentum quo usus est Dæmon tantum damnum inferendo.

Ad Neophytos.

PUNCTUM TERTIUM.

Argumenta ad dissuadendum scandalum, primo ex parte Dei, secundo proximi, Tertio nostri.

XI. SAcri Canones atroci, & prolixa pœnitentia castigant sacerdotem, qui sub tremendo mysterio Missæ permittit per suam negligentiam aliquam guttam sanguinis cadi. Nemo id facit voluntarie, quia si hoc fieret, id te summo dolore afficeret. Et tamen si ex parte tua minima interveniat negligentia, tu pœnæ subjaces ordinariæ. At enim vero videtur, quod animæ Christianæ sint cariores & multo pretiosiores sanguine Christi immaculato & divino, quia ille suum sanguinem dedit, effudit, sparsit, conculcari voluit in plateis Ierusalem pro redemptione animarum dilectarum. Et hinc tibi considerandum relinquo pœnitentiam, pœnam, objurgationes, quas ab eo expectare debeas, si per tuum pravum exemplum, negligentiam, sinas quandam animam labi in cloacam peccatorum, & damnationem æternam. Ille ansam habebit dicendi, id quod Albertus magnus dixit suo discipulo. Hic magnus naturæ indagator quandam statuam fabricaret ligneam, quo arcano mirabili subinde voces articulatas formabat. Ejus discipulus Sanctus Thomas arcani ignarus, dum quadam die in ejus cubili esset, audiretque hanc statuam loquentem, ejusque verba intelligeret, consternatus ex motu primo, primo ei calcem impegit, eamque diffregit. Magister ejus, qui ibidem latebat, & hanc actionem videbat, prosiliit, & dixit, Fili charissime, quid fecisti, tu opus triginta annorum uno die diffregisti. Iesus triginta tribus annis laboravit pro illa anima, quam tu solicitas ad peccatum, ille pro ea homo factus est, ille in terra vixit, prædicavit, jejunavit, sudavit & mortem pro ea est passus. Ille omni conatu, decem, viginti, triginta annis corrogavit in suo corde thesauros gratiarum, & meritorum per suas inspirationes, frequentationes sacramentorum, preces, meditationes, eleemosynas, & bona opera, tu consensum si ab ea elicias in peccatum, facit ut omnes suas perdat opes, & fiat pauperior Iro. Et qualis unquam tempestas in mari tantam jacturam causavit? quænam grando in campis & vineis unquã talem stragem edidit? quale incendium unquam in urbe tale intulit damnum;

XII. Et quamvis in ea solum destrueres unicum gradum gratiæ, attamen majus ei inferres damnum, quam si ejus incinerares domum, si ejus omnia destrueres bona, si ejus famam extingueres, si ejus tolleres vitam, quia eum privas re incomparabiliter nobiliori, excellentiori, preciosiori, & optabiliori, quam omnia alia sint. Quælibet afflictio, quæ animæ obvenit illa est ejus asylum, consolatio, spes dummodo sit bene cum Deo. Sublatis parentibus Deus est Pater Orphanorum, Deus mortuis maritis est defensor viduarum, ablatis bonis, Deus est Thesaurus Pauperum, si morbus invadat, Deus est medicina infirmorum, sed si animam prives Deo per consensum in aliquod peccatum, tu unico momento adimis ei suum patrem, protectorem, medicinam, Thesaurum, refugium in persecutionibus, remedium in adver-

adversitatibus, consilium in perplexitatibus, succursum in ejus morbis, tranquillitatem, & levamen omnium ejus acerbitatum. Ille, qui aufert sepem horti, januam domus, propugnacula & valla urbis, annon sit causa omnium damnorum, cladium, stragum, inimicitiarum, quæ exercentur? Tu si Deum animæ uni adimas, ei aufers suum scutum, sepem, propugnaculum, defensionem, quia ivimici catervatim in eam irruent.

Quâ data porta ruunt.

Dicentes, *Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite.* Et añon causa es omnium horum damnorum, & ruinarum? An non punieris ob omnia illa peccata quæ anima patratura est per inclinationem, & funem quem ei dedisti, peccata, quæ hæc anima committet vel per tuam solicitationem, vel per tuum pravum exemplum, infallibiliter punientur, vel in inferno, vel in purgatorio. Si in inferno, tu eris causa, quod hæc anima particularem patietur dolorem, per millenos annos, immo sine fine. O misellam & infelicem? ô misellam infortunatam? Si in purgatorio, tu causa eris, quod anima chara Deo, Sponsa Christi, Filia Mariæ, Soror Angelorum per plurimos dies arsura sit in igne Salvator quadam vice apparuit Sanctæ Teresiæ, eique revelavit, quod egerrimè & moleste ferret, quod illa executionem voluntatis alicujus nobilis, qui parvum legatum fecerat differret, eumque è purgatorio non liberandum, quousque ejus voluntas adimpleta fuerit, eique dixit: Tu non perpendis, quod anima meo sanguine redempta jaceat in pœnis purgatorii per tuam negligentiam.

Libera in vita Sanctæ Teres. lib. 2. c. 2.

CONCLUSIO.

XIII. TU dices cum Berengario. *Hodie in die apparitionis suæ apparabit mihi Dominus meus Iesus Christus propter pœnitentiam, ut spero ad gloriam, vel propter alios, ut timeo ad pœnam.* Ille contagione suæ hæresis plures animas perverterat, sed conversus & pœnitens, abjurato errore & contritione elicitâ, dum ultimæ lineæ esset admotus anno millesimo vigesimo quarto, ipso die Epiphaniæ, quam apparitionem vocamus, ipse ejulans exclamare cœpit: Hodie in die &c. certo tibi persuadeas, quod in articulo mortis tuæ, te nil magis anget, & cruciabit, quod te magis in desperationem aget, quam memoria animarum per tuam negligentiam perditarum. Tunc agnosces veritatem, & senties pravitatem, & atrocitatem horum formidandorum verborum. *Væ homini illi per quem scandalum venit.*

Tu videbis omnes gratias, quas Deus fecit animabus, quas tu perdidisti, omnia merita, quæ acquisiverant, omnia quæ Christus fecit, & passus est pro earum salute, quodque tu hæc omnia bona destruxeris ob centones, Tunc suspirando apud te dices: *periit frater pro quo Christus mortuus est, quis ei refundet innocentem sanguinem, quis ei restituet pretium quo nos emit? Væ, væ homini illi.* Melius tibi foret si mola collo tuo appensa in mare fuisses projectus.

Tu videbis nobilitatem, excellētiam, pretium & valorem animarum, quas perdidisti, hoc augebit tuam tristitiam, ac si mola cor tuum comprimeret. Tu conspicies magnum numerum peccatorum, quorum fuisti causa. Tu videbis, quod

quod illa puella, quam tu incitasti, ut clam auferret aliqua patri, ut ea tibi daret, pravam consuetudinem induerit, & postea suffurata fuerit vicinis, nec minimum restituerit. Tu videbis, quod illa ancilla, quam tu induxisti in peccatum, postea lapsa fuerit in alia, quod prolem necarit, scelus in confessione reticuerit, & millies sacrilege communicarit. Tu videbis, quod proles tuo exemplo edoctæ didicerint jurare, insolescere, vanitatibus se dare, videbis quod nepotes & neptes tuæ, pronepotes, abnepotes, usque ad tertiam & quartam generationem, hoc ipsum edoctæ fuerint, ita ut omnium eorum scelera tibi sint imputanda.

Hic aspectus te præcipitabit in profundum desperationis. *Demergatur in profundum maris.* Vir quidam probus nostri temporis, qui cum opinione sanctitatis mortuus est Parisiis, non obstante, quod plures annos transegisset in sancta vita, & actiones heroicas charitatis excellentissimæ elicuisset, nomine Dominus Bertaut, morte instante summopere cruciatus fuit, quod semel imperialem adulterinum uni pauperi in eleemosynam fuisset elargitus, quamvis id jam confessus fuisset & austera pœnitentia diluisset. Hic vobis considerandum linquo, in qua non anxietate vos constituendi sitis, quando vobis sub oculos ponentur tot verba falsa, gestus affectati, tot promissa falsa, quibus animas perdidistis? Eheu dicetis? Si lex Dei sanciverit, ut is qui offendit proximum reddat oculum pro oculo, dentem pro dente, annon ego debeam dare animam pro tali, vel tali, quorum animas perdidi?

P. Amelot. in vit. P. Contareni.

Væ homini illi, væ homini illi per quem scandalum venit, quod si occidisses quinque vel septem equos vel oves tui vicini, nunquid obligareris totidem restituere?

Tu tuo pravo exemplo, verbis otiosis & indiscretis, negligentia tua, plures animas ad Christum spectantes perdidisti, nonne ergo æquum est ut coneris illi lucrari plures instruendo tuos domesticos, famulos, operarios, demonstrando illi puellæ periculum & damnum, quod incurrit, illum juvenem amando, media & pecunias suppeditando, ut pœnitentes puellæ sustententur, in domo refugii, in conventu sanctæ Magdalenæ, & mille aliis modis, quos Spiritus Sanctus iis suggerit, qui eum orant, & qui ei sunt fideles?

O mi Salvator Iesu, zelator animarum, tua bonitas est major, quam sit nostra malitia, tu potentior es ad restaurandum, quam nos ad destruendum, & devastandum, omnia sicut per te facta sunt, ita etiam per te queunt refici, & restaurari. Tu es verus Zerobabel, qui templum Dei reædificasti, tu es pius Samaritanus, qui curas plagas illius misselli sauciati, Tu es filius virginis, qui venisti ut quæreres & salvares amissa. Tu resuscitasti te ipsum, tu alios etiam resuscitare potes. Tu repara per tuam misericordiam, si placet, ea quæ nos destruximus, Tu eleva ea, quæ nos fecimus cadere, tu repara quæ nos devastavimus, tu sana, quæ nos sauciavimus, Tu quære quod nos dissipavimus, Tu salva, quod nos perdidimus, resuscita animas quas nos occidimus, ut dicere possimus cum iis in Evangelio: *Hic est vere Salvator mundi*, & ut nos ansam habeamus tibi gratias agendi, te laudandi, te benedicendi & semper glorificandi. Amen.

SERMO

SERMO
QVINQVAGESIMVS NONVS
pro Festo Circumcisionis.
De Luxuria.

Consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer. Lucæ 7.

EXORDIUM.

PAcatus fuit hominis status ante peccatum, caro enim subjiciebatur spiritui, spiritus rationi, ratio voluntati, voluntas Deo, antequam enim Adam peccasset, maxima fuit in homine tranquillitas, & quies, verum post peccatum status ille felix mutatus fuit in maximam turbationem, & irrequietudinem, ut regnum hominis jam desolatum sit, & in eo maxima vigeant jurgia, & bella, quia caro concupiscit adversum spiritum, & spiritus rebellis est Deo, ita ut illud bonum quod volumus agere, non possimus, unde & clamat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis:* Et quis Auditores nos liberabit, ab hac rebellione? Circumcisio spiritualis. Præcipua rebellio, & quæ nobis plurimum negotii facessit, est rebellio partium genitalium adversus spiritum, hanc maximè deplorant viri spirituales, & circumcisio, ut ad illam potissimum tollendam videretur esse instituta, ideo fiebat in illa parte. Ab hoc nos hodie incipiemus, & illas partes circumcidere conabimur, ad hoc nos movebit hodiernus sermo, si motiva consideremus, quam abominabile vitium luxuria sit.

Non mœchaberis. Exod. 20.

I. PRofecto res stupenda est, quod Apostolus Paulus scribens ad Ephesios, more militum videatur totus cataphractus, & primo loquatur de cingulo, seu balteo: *Fratres inquit, galeam salutis assumite, induite loricam justitiæ in omnibus sumentes scutum fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, sed ante omnia ne obliviscamini cinguli, quo renes cingatis. State succinti lumbos vestros.* Ephes. 6. v. 14. Et sane ille, qui nescit cingulum esse symbolum castitatis, hæc res paradoxa videretur: Lumbos præcingimus, *cum carnis luxuriam per continentiã coarctamus,* inquit S. Gregorius: Dum ergo Apostolus nos monet ut ante omnia cingulo nos cingamus, ille nobis commendat sextum præceptum, quo tenemur amare puritatem quæ cõtraria est vitio quod vetatur. Et quidem tria vobis in hoc

discursu ostendam. Primo causa, naturam & effectus hujus peccati. Secundo quam sit abominabile, Tertio remedia quæ contra illud militant. Et sane unum ex efficatioribus est tua assistentia & intercessio ô Sancta & Benedicta Maria. Ecclesia frequenter te non solum nuncupat, *virginem virginum* sed & ipsam virginitatem: *Sancta & immaculata virginitas*; ut nempe discamus, quod sicut nemo albus sine albedine, dulcis sine dulcedine, sanctus sine sanctitate, ita quoque animæ Christianæ nequeunt esse castæ & puræ sine tuis influentiis virginalibus. Da itaque si placet nobis hanc virtutem Angelicam & ad hunc finem admitte verba Angelica, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

Concio explicat de luxuria visionem Apocalypsis. c.17.

II. Dilectus discipulus Filii Dei recenset nobis visionem, quam conspexit in Insula Patmos, ad quam ob confessionem fidei relegatus erat, visionem revera ænigmaticam, & mysteriosam, in qua vivis coloribus depingit, causas, naturam, species, circumstantias, & effectus vitii abominabilis quod hodie perstringere decrevi. Vidit itaque fæminam bestiæ insidentem monstruosæ, quæ septem habebat capita, & decem cornua. Hæc fæmina basilicè fuit exculta, purpura induta velut Regina, rubinis & adamantibus corruscans, in manu habebat scyphum aureum abominatione plenum, & in ejus fronte litteris majusculis hoc inscriptum habebat *mysterium.*

PUNCTUM PRIMUM.

Causæ, natura, effectus, luxuriæ. Causa sunt fæminæ, otium, Dæmon. Nam fæmina sedet super bestiam, hæc habet capita septem, nempe septem species hujus vitii, decem cornua, quia offendit decem præcepta, primum, secundum, tertium, quartum, quintum, septimum, octavum.

III. Hæc fæmina nil aliud est, quam peccatum luxuriei, quia idem Sanctus Paulus dicit, quod sit mater fornicationum. Et Spiritus Sanctus hoc vitium repræsentat in forma fæminæ, quia fæminæ communiter sunt ejus causa, occasio, vel fomes. Illa sedit, quia nil est quod magis generet hoc peccatũ, quam otiositas, commoditas, inertia animi, & corporis

Otia si tollas periere cupidinis arcus,
Quæritur Aegistus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Epictetus interrogatus quid esset amor? Respondit: occupatio otiosorum. Spiritus insuper Sanctus describens aliquem amoribus irretitum, inquit, *otiosorum negotium mulier stulta, & clamosa, plena illecebris nihil omnino sciens sedet in foribus domus suæ, ut vocaret transeuntes.* Proverb. 9. Præterea sedet, ut discamus nil esse, quod magis nutriat hanc tentationem, & nos exponat periculo in illud peccatum consentiendi, quam quando aliquis sedet, & sese componit, ut auscultet propositiones, & suggestiones tentatoris. Et hoc ad vivum hoc disticho significatur.

Hoc facies, facies veneris cum veneris ante
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas

Idem

Idem omnino dicit Spiritus Sanctus. *Cum muliere alienigena ne sedeas omnino: colloquium enim illius quasi ignis exardescet.* Eccles. 9.

Tertio sedet, quia nullus est chorus vitiorum, in quo facilius quis sedeat, quam in hoc, tempore brevissimo habitum cōtrahimus, & illi assuescimus, cum sit incantatio, & calamus viscosus, attrahens quidquid potest. *Non dabunt*, inquit, *Oseas cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Oseæ 5.

IV. Hæc fœmina insidet bestiæ, id est, diabolo. Asmodæus vices subit jumenti, aut vehis, vel currus, ut eam in ruinam vehat. Formam habet bestiæ, quia hoc vitium totaliter est bestiale, terrestre, & homine indignum. In ira, invidia, ambitione adhuc parum rationis relucet, sed luxuria est actio porcorum, luxuria transformat homines, eosque transfert ad prædicamentum brutorum.

V. Hoc monstrum insuper habet septem capita, hoc est, sunt septem species, quibus possum peccare in hoc genere luxuriæ; sunt septem circumstantiæ, non tantum aggravantes, sed & speciem mutantes, ac varia nomina tribuentes; possumus quippe Deum in hac materia tam actu interno, quam externo septem modis offendere, qui explicandi sunt in confessione. Primus est simplex fornicatio inter solutam & solutum; Secundus est adulterium, Tertius est stuprum, hoc est, peccatum cum virgine. Quartum est incestus, quintus est raptus, quando vi rapitur puella, vel quando ejus consensus extorquetur promissionibus falsis, blanditiis, fraudibus, persuasionibus, quæ metui æquivalent. Sextus est sacrilegium cum persona voto castitatis obstricta. Septimus est peccatum contra naturam, quod adeò est abominandum ut non mereatur nominari; cum tamen sæpe committatur inter conjugatos. Proverb. 9.

Recordemini quæso, quod Sancta Brigitta, quodam die in extasin rapta viderit plures Ecclesiasticos ob horas non rite recitatas, & plures conjugatos ob abusum matrimonii in inferno ardere. Serm. 19. de diversis. Scias Sanctum Augustinum dicere, quod tam bene possis te inebriare ex vino proprio, quam ex alieno. In mentem revoca, quod Onan gravissime à Deo fuerit punitus, *eo quod rem detestabilem faceret.* Confessarii hac in re sunt valde cauti, & merito, prædicatores de hoc vitio non audent mussitare, *eloquia Domini, eloquia casta.* Quod si te ipsum non juves, si non confitearis absque eo quod interrogeris, in periculo es, quod computresces in tuo stercore usque ad horam mortis.

V. Decem cornua hujus monstruosi animalis sunt decem jacula, quæ hoc vitium solet emittere contra decem præcepta. Libidinosus namque, ut suis passionibus gratificetur ex decem præceptis fimetum facit. Non est excessus, abominatio, malitia, in cujus scopum album, vel ut melius dicam nigrum hæc sagitta non collimet. Unus quippe committit speciem idololatriæ contra præceptum primum. Et quamvis, ut inquit Tertullianus non adores statuam marmoream vel ligneam, tamen adoras colossum carneum. Tu quidem non offers incensa aut profumationes

tiones Arabiæ, sed tamen incensas tuas cogitationes, verba, affectionem, servitia. Tu quidem non immolas hircum, agnum, vitulum, sed tu sacrificas tuam animam, quæ est pretiosior cunctis thesauris mundi.

Plato loquens de hoc vitio verbum unicum Christiano dignum protulit, ille namque illud appellavit ἀνίθεον hoc est Anti-Christum, Anti-Deum, nam hoc peccatũ continuo pugnat contra Deum, continuo occupat cor hominis, quod deberet esse mansio Dei, & in quo Deus libentius habitat, quam in firmamento, & ita Deum è sua domo pellit, è suo throno eum ejicit, in sede ejus regali se collocat. Hoc est, nil aliud voluit dicere Sanctus Petrus: *Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti:* Et meo sensu hæc verissima sunt, quia nescio an sit peccator, qui tam sæpe, tam assiduo offendat Deum, quam is, qui se prostituit huic maledictæ passioni, talis peccat diu, noctuque, in urbe & in agro, in labore, in quiete, & fortè sæpe unico die committit viginti peccata mortalia, si nempe voluntarie, & deliberatè viginti cogitationibus inhonestis inhæreat & consentiat. Quodsi vigesies concupiscat maritatam, vigesies committit adulterium, quod si concupiscat consanguineas, committit viginti incestus. Immo in somno offendit Deum, si habeat somnia, & illusiones inhonestas, quibus præcedenti die per cogitationes inhonestas dedit ansam, vel si post somnum illis delectetur, & ita incessanter, assiduo nulla interposita mora offendit.

1. Pet. 2.

VI. Quoad mendacia & perjuria, quæ sunt contra secundum & octavum præceptum, hæc quotidianus libidinosi sunt panis, nam pro regulâ maxima status habent, si aliquam misellam possint seducere filiam, & promissis falsis eam allicere, sicut pueri alliciuntur nucibus. Lex magis authentica in extravagantibus est amor. Ita Tibullus

Ne jurare time, Veneris perjuria venti
irrita per terras, & freta longa ferent.

Adolescens ille jurat per omnem suam fidem, se devovet omnibus Dæmonibus, suam partem cœli tibi addicet, Si te derelicturus sit, & alteri adhæsurus, jurat, quod sanguinem pro te fundet, verum si concupiscentiæ suæ satisfecerit, ille Deum, & te irridebit, quod si post peccatum commissum oriatur aliqua suspicio, & reprehendatur, quot non committit perjuria, execrationes, imprecationes, quoties se non devovet Diabolo, ut neget aliquid veritatis subesse.

VII. Contra tertium præceptum peccat, quia violat dies festos, & dominicos, ille eos transigit in levitatibus, dissolutionibus, choreis, osculis, suaviationibus, non venit ad Sacrum, nisi ut videat, vel videatur. Tempore missæ parochialis, vesperarum, concionis; in absentia parentum vel mariti occasionem quærunt se videndi, conveniendi, & solicitandi ad peccatum.

VIII. Quodsi condemnant & vilipendant obedientiam & honorem erga Deum, tibi cogitandum relinquo, an curaturi sint alios homines? putasne an respectum & obedientiam erga parentes sint cordi sumpturi?

Quæso te, paulisper propositum illud insanum illius miselli perditi in Ieremia, qui

qui per amorem destructus est, considera: *Desperavi, nequaquam faciam, adamavi quippe alienum, & ambulabo post eum.* Profecto hic modus loquendi stultus est, non me permittam impediri, ego eum volo videre, ego ei volo loqui, ego eum volo amare: Optime, sed scias velim, quod tuus honos in discrimen adducitur, digito ab omnibus notaberis, fabula eris plebis, nil loquuntur nisi de tuis levitatibus. Quod si ita te jactes ob affectum, erga honorem, verus honor tibi curæ esse debet, *nequaquam faciam.* Verum agitur de tua salute, tu incurris periculum damnationis æternæ & damnaberis, si in hoc statu moriaris, absque ullo processu de te actum est, ergo æternitatem apprehendere debes: *Nequaquam faciam.* Verum tuus confessarius tibi negabit absolutionem, quod si eam tibi impertiatur, tecum damnabitur, quia quoties agis cum illo adolescente, tu es in occasione proxima peccandi, unde timere debes, ne absolutio tibi negetur. *Nequaquam faciam.* At enim vero ille qui cruciat & torquet matrem suam, ille incurrit maledictionem Dei. Tua mater tabescit præ mærore, dum videt quomodo regeris. Tuus pater moritur præ tristitia, unde debes condolere, *Nequaquam faciam.* Tu in horas tuam totam familiam, tu stemmati tuo perpetuam inuris ignominiam, tu omnium amicorum tuorum in te derivas odium, & malevolentiam, hæc considerare debes. *Nequaquam faciam.* Quod si parentes adolescentis te reperiant cum eo, illi tibi injuriam aliquam inferent, vel etiam vulnus infligent lethale, non permittent, ut te ducat, non est tuæ conditionis, melius quis potest emergere è ripa, quam è fundo. *Nequaquam faciam.* Viden quod forma sine ulla qualitate sit esca sine hamo, quæ nil capit, sed quæ potius capitur, quando ille à te illud obtinuerit, id quod omnibus thesauris mundi nequis recuperare, ille suum affectum à te ad aliam transferet. Illa byssina verba, ut promissionibus ornata, illa promissa selecta, tot juramentis confirmata, juramenta illa perjura evanescent & anni labuntur. Et ideo non debet iis fides adhiberi. *Nequaquam faciam.* Et quamvis te ducat in uxorem, tamen tibi non fidet, tua nimia facilitas ei præbebit ansam zelotypiæ, per experientiam debes ostendere quod plus sapias quam ipse putet; *desperavi. Nequaquam faciam.* O Te miseram & infelicem? Tu ne desperes? Ita, desperas per oblivionem, quâ sepelis Deum per contemptum ejus consiliorum, auctoritatis paternæ & maternæ, tu concipis resolutiones pravas, & paradoxas, tu ruis in excessus horribiles & præternaturales, ut gratificeris huic passioni, tu committis cædes, maleficia, crudelitates execrandas, tu convolas ad secundas nuptias per necem illius conjugis, quem tibi Deus & Ecclesia donavit. Tu adhibes medicinas, ut abortum procures, & infamiam evites, tu animam & corpus occidis miselli embryonis, qui necdum est bene formatus, tu venenum paras ut ipsos parentes occidas, qui impedire possent hujus phrenesis complectionem.

Cicero testatur, quod apud antiquos mulier convicta de adulterio, etiam fuerit convicta de homicidio, vel de collusione viricidii, quia nil est adeo violentum, quod nos posset agere in resolutio-

nes, adeo extremas, quam hæc concupiſcentia effrœnis. Quod ſi non committantur dicti exceſſus contra quintum præceptum, ad minus committantur contra illud, diſſenſiones, odia, rancores, invidiæ, zelotypiæ. Nam ſi hominem ſemel occuparit hæc paſſio, jam actum eſt de negotiatione, de officina, de lite, de œconomia & familia. Quamprimum Dido deperit Æneam, nil amplius actum eſt de murificanda Carthagine, nec de munitionibus ejus perficiendis.

Semiputata manet frondoſa vitis in ulmo
Æneid. 54. *Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus*
exercet, pendent operæ interrupta minæque
murorum ingentes æquataque machina cœlo.

Uxor nequit amplius tolerare otium ſui mariti, nil lucratur & tamen expenſæ ſunt multæ, illa plangit, angitur, murmurat, gemit, murmurat, virum non habeo, non eſt maritus, eſt leno, Arabs, veneficus, maritus non poteſt pati querelas illius, quam tantum amat media ex parte, quia ſuum amorem dividit, tota die ſunt in fermento, non audiuntur niſi rixæ, imprecationes, maledictiones. Et quales ibi non ſunt ſuſpiciones, judicia temeraria, zelotypiæ & pavici timores, quos habet maritus de ſua uxore, eo quod ſit nimis agilis, hilaris, levis, affabilis & gratioſa, urbana.

IX. Poſt hæc porro veniunt furta, & injuſtitiæ, quas committis occaſione adulterii, dum es in cauſa, quod proles legitimæ defraudentur ſua legitima, & ea donetur prolibus ſuppoſititiis & adulterinis. Magnas committis injuſtitias, ut poſſis amicitiam illam fovere, quæ ſeſe tibi tantum inſinuavit. Dona comminuant montes, munuſcula, quæ vulgo vocantur *præſens*, tanquam illa, quæ comprehendant illos quibus dantur. Ignis, infernus, fœmina ſunt tria, inquit Spiritus ſanctus, quæ ſunt inſatiabilia, & quæ nunquam dicunt ſatis eſt: *Puteus altus* eſt, qui nequit repleri, expilandi ſunt parentes, auferendum eſt vicinis, ut hæc concubina in deliciis & voluptatibus foveatur. Et hoc ſignificat ornatus hujus fœminæ apocalypticæ, quæ ornata eſt purpura, lapidibus pretioſis ſculpta, in fronte ſcriptum habēs *myſterium*. Quod ſi videamus puellam vel fæminam plebejam, cujus parētes vel maritus non vivunt ex propriis reditibus, geſtare veſtes holoſericas, pallas argento, aut auro intertextas, colore pretioſiſſimo tinctas, dicere potes *myſterium*, quia neceſſe eſt, quod furtum patret, quod alicui illa ſurripiantur, & quod hæc fœmina in ſua manu portet ſcyphum auro abominationis plenum. Et quidem in principio omnia ſunt aurea, byſſina, non audiuntur niſi ſuaviationes, baſiationes, verba affectata, promiſſa ſpecioſa, oblationes ſervitiorum, in principio nil eſt niſi amicitia, & benevolentia ſincera, nam te amat tanquam ſuam ſororem, nil cogitat mali, ille tibi condolet, ille ægre fert humorem tui mariti, qui eſt tyrannus, eamque deteſtatur.

Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus.

Quæſo te ne unquam effidas, quia hæc verba fucata ſunt, velut veſtigia limacis corru-

corruscantis instar argenti, & non sunt nisi spuma oris, ille vult tibi servire instar Patris, matris, tutoris, mariti, immo vult tibi esse omnia, vult tuum agere procuratorem, vult tuos monere debitores, tuis solvere creditoribus, tuam prosequi litem, tuas proponere querelas, injuriam tibi factam ulcisci, nunquam te deserere, sed solum sunt verba aurea, & in hoc scypho aureo bibere debes abominationem.

PUNCTUM SECUNDUM.

Habebat poculum aureum plenum abominatione, quia abominabile est hoc vitium Deo Patri Christo, Spiritui Sancto, Angelis Sanctis, hominibus hujus mundi, ipsi etiam luxurioso.

X. HOc peccatum in abominatione est Patri æterno, qui in punitionem illius immisit diluvium, quem pœnituit fecisse hominem, qui totum universum detestatus est, qui voluit suum opus destruere, qui igne cœlesti, quatuor hausit villas, & urbes totius mundi florentissimas & bellissimas, qui viginti quatuor mille animas in pœnam hujus delicti occidit.

XI. Hoc pecccatum in abominatione est nostro Salvatori nam hic adeo illud horret, ut ipsemet contra illud decertare voluerit. Verum quidem est, quod ut vobis daret animum, & in se ipso vires nostrarum tentationum experiretur, in hoc mundo voluerit probare omnes insultus quibus invadimur, nam permisit se à Sathana tentari peccato gulæ, vanæ gloriæ, ambitionis, avaritiæ, at à libidine nunquam legitur fuisse tentatus, nec minimam scintillam illius tentationis sensit. Apostolus quidem dicit *tentatum per omnia*, sed addit *absque peccato*, hoc est, concupiscentia, quæ à concilio Tridentino vocatur peccatum, eo quod sit effectus peccati originalis, & dispositio ad peccatum actuale. Et ita non solum in se, immo nec in Apostolis suis voluit hujus peccati tentationem permittere.

Ego quidem lego in Evangelio, quod ante adventum Spiritus Sancti fuerint nonnullis vitiis objecti, & quod Salvator noster eos patiẽter supportarit, quod dissimularit ambitionem filiorum Zebedæi, avaritiam proditoris Iudæ, iram eorum qui voluerunt, ut immitteret ignem cœlestem in Samaritanos, desidium Sancti Petri in horto dormientis, infidelitatem Sancti Thomæ, sed nullibi invenio, quod vel unum Apostolum luxuriosum permiserit vel dissimularit. *Pascitur inter lilia*, nam ille non conversatur nisi cum personis castis, quin imò nec suspicio hujus vitii, unquam gloriam sui nominis adussit, quia quamvis accusatus fuerit quod esset heluo & ebrius, seductor populi, transgressor legis Mosaicæ, attamen adeo occasiones hujus peccati vitavit, ita se & suos sensus intra limites honestatis coercuit, ut nunquam minimus nævus impudicitiæ ei potuerit affricari, nam adeo hoc vitium abominabile est.

XII. Propterea hoc vitium abominatur Spiritus Sanctus, qui est ipsa puritas, amor cœlestis, & divinus qui est Spiritus in proprietate suæ personæ. Ille abhorret omnem carnalitatem, velut id,

quod è diametro naturæ ejus oppositum est: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Gen. 6.

XIII. Similiter hoc vitium Angelis in execratione est, nam hoc peccatum nunquam committitur sine amissione duarum animarum, quæ Angelis charissimæ sunt, illis Angelis qui gaudent in conversione unius peccatoris, qui contristantur, quando una anima perditur. Tu committendo libidinem contristas, offendis tuum & illius personæ Angelum, quam inducis ad peccatum.

XIV. Ulterius in abominatione es Sanctis, qui nil non fecerunt, passi sunt, tentarunt, reliquerunt, ut hoc vitium extinguerẽt, & conservarent puritatem. Sancta Sanctorum repudiavit dignitatem maternitatis Dei in casu, quo eam sine læsione virginitatis habere non posset. Sanctus Martinianus prius se projecit in mare, seque commisit prudentiæ divinæ, quam quod solus degeret cum filia, quæ ad Insulam confugerat, in qua ipse vivebat. Sanctus Benedictus dum tentatione valida carnis quadam vice oppugnaretur, nudum inter sentes se volutavit, ita ut sponsus de hac sancta anima dicere posset, *sicut lilium inter spinas. Clavus clavum pellit.* Punctiones harum spinarum retundent aculeos, & cuspides concupiscentiæ. Sanctus Bernardus unicum intuitum inconsideratum & subitaneum fœminæ insilitione in stagnũ congelatum, in quo tam diu permansit, quo usque hic calor naturalis quasi extinctus fuit, punivit.

Sanctus Franciscus has sensuabilitatis flammas, quas Sathan in ejus corpore accendit, volutando se nudum inter nives extinxit. Sanctus Ignatius aquæ frigidæ se immisit, ut unum qui in gurgite impudicitiæ, in quo miserabiliter peribat, liberaret. Cardinalis Baronius, dum formidanda tentatione urgeretur, cimicem tam diu dentibus contrivit, quousque hoc fœtore hostem dæmonem fugaret.

Et sicut Angelus Raphael eum fugavit per alium odorem, ita & sæculo nostro quandoque fecit celebris ille Carmelita discalceatus Pater Dominicus à Iesu Maria. Anno sexcentissimo Cajanus Arabum Rex in Italiam irruperat, & urbem Friaulensem ceperat; filiæ Ducissæ Romildæ ne deflorarentur à militibus, pullos occiderunt gallinarum eosque ad ubera infra indusium appenderunt, qui dum putrefacti tetrum postea exhalarent odorem, omnes milites, qui ad eas accedebant, fugerunt, dumque crederent illum fœtorem iis fuisse naturalem, & ordinarium, eas intactas reliquerunt, postea vero in præmium castistatis, una matrimonio juncta est Imperatori Germanorum, altera Bavarorum Duci. Idem narratur de quibusdam aliis religiosis. Præterea Anno octingentesimo septuagesimo Sancta Ebba Abbatissa monasterii Collingheimensis in Scotia generosum actum, dignum, qui stylo adamantino in templo æternitatis sculpatur, elicuit; dum enim timeret ne defloraretur à Danis, qui Regionem illam devastabantur, nares & superiora labra sibi præcidit, & eloquentia sancta omnibus monialibus idem suasit, ut ita milites ab illo vitio absterreret. Idem narratur de Abbatissa, & Religiosis, quæ olim fuerunt Iecani, nunc autem sunt in monte Pessulano. O quam formosæ & bellæ fuerunt hæ sanctæ virgines adeo

muti-

mutilatæ? profectò deformitas hæc eas reddidit gratas conspectui divini sponsi, & Angelorum. Domicella Sanchez Carilla Cordubensis filia spiritualis Patris Aquilæ, in hyeme se immisit in vas aquæ frigidæ in quo magnum morbum contraxit.

Maria Coronnel comitissa Hispaniæ revera hoc nomine insigni Maria dignissima, & corona immortali merito redimenda, in flore suæ ætatis in regione calentissima, complexionis calidissimæ, marito diu absente, ut furiosos insultus hujus vitii repelleret, & hos ardores reprimeret, accepit titionem ignis, eumque carni nudæ admovit, & ita non minus promeruit, per fortem resistentiam, qua huic voluptati restitit, quam per violentiam doloris, quem in hac ustione toleravit. Idem fecit in Italia Beata Angela à Fulgineo tertii instituti Sancti Frãcisci & nostro ævo in Gallia Domicella Chantal. Quomodo ergo tu qui minimæ succumbis tentationi, cum iisdem speres eundem paradisum? quomodo tu præsumas Societati admitti Sanctorum in cœlo, & gloria beatitudinis donari, qui habes animum maculatissimum fœditatibus peccati, quas ipsi summe execrantur.

XV. Insuper hoc vitium in abominatione est hominibus, quia in vili habentur ii, qui huic vitio serviunt, nam qui illud peccatum cõmittere volunt, quærunt latebras, & tenebras, & velut nullus datur fumus sine igne, nullus ignis sine fumo, ita non datur ignis amoris illiciti, sine fumo infamiæ & dedecoris, adeoque illud peccatum cito vel sero in apricum prodit. Ignis, Tussis, Lumen tria sunt, quæ nequeunt celari.

Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui semper proditur ipse suo.

Gloria sexus fæminei est virtus castitatis, si ambias honorem, debes habere hanc virtutem. Et quamvis sis superba, avara, invida, iracunda, ignava, tamen si sis casta, tu es fæmina honorata, æstimata in mundo, tu incedis capite elevato. Et dato, quod habeas omnes alias virtutes, in summo gradu, si tamen vel minimo nævo hujus vitii sis respersa, tu non amplius es fæmina honesta, sed mundo abominabilis.

XIV. Ultimò, libidinosus se ipsum abominatur; nam postquam condescendit suæ passioni ille se ipsum abhorret, dum vidit, quod ob minimam voluptatem, & quidem momentaneam, se tributarium reddidit, millenorum remorsuum & cruciatuum conscientiæ, tentationum & aculeorum impudicitæ, quæ occupant ejus spiritum, ejusque cor dilacerant, quod obligetur ad restitutiones, quas nunquam potest facere, quod ad ignominiam perpetuam, quæ denigrat ejus honorem, & morbos infames deductus sit, & quod magis dolendum est, dum se videt obligatum ad toleranda asperrima tormenta & supplicia atrocissima alterius vitæ.

PUNCTUM TERTIUM.

Remedia. Primum consideratio malorum. Secundum fuga abusus sensuum, conversationum, dispositionum, affectionum, occasionum. Tertium oratio.

XVII. IDeo subjecto & vasallo huic passioni, illud consilium dare

 vellem,

vellem, quod quondam dedit morio quidam Francisco primo, nam stultus quandoque bene consulit. Rex consiliarios status in senatum convocaverat, deliberaturus, quænam via papiam versus ineunda consultius esset. Porro consultoribus in diversa abeuntibus, & quibusdam non suadentibus illuc eundum esse per Rhetorum patriam, aliis per Pedemontum, aliis per Massiliam, Morio qui retro tapetem latens, hæc omnia audiebat, postquam omnes è conclavi abiissent exclamare cœpit consultares per quam viam Papiam eundum esset, & non per quam redeundum. Et eventus monstravit hoc consilium fuisse salutare, quia Rex captus est, & bene edoctus redivit. Quod si tentatio tuum cor aggrediatur, ne deliberes, ne consulas, qualia debes adhibere media, ut ei gratifices, quomodo possis solicitare illam puellam, quo modo ejus animum expugnare possis, quomodo illam queas invenire solam, quomodo possis habere occasionem ut satisfacias tuæ bestiali concupiscentiæ, sed potius deliberare debes, quomodo possis effugere inconvenientia, quæ inde sequuntur, periculum ne à marito, vel ejus Patre deprehenderis, restitutionem ad quam obligaberis, potentiam spiritus maligni, & regnum peccati, quod sibi dominabitur, & damnationem æternam, ad quam curris, nam audi verba illius qui non potest mentiri: *Hoc autem scitote* inquit Sanctus Paulus, Ephes. 5. *quod omnis fornicator, aut avarus, aut immundus non habet partem in regno Christi & Dei.*

XVIII. Idem Apostolus aliud dat remedium valde potens, ad fugiendum hoc peccatum: *Fugite* inquit *fornicationem*, non dicit, pugna cum tentatione, 1. Cor. 6. sed fuge. Oportet in hoc prælio pugnare velut Parthi, qui pugnare solebant fugiendo.

Si fugias veneris prælia tutus eris.

Fuge aspectus, curiositatem oculorum, inconsideratos intuitus: *Oculus meus deprædatus est animam meam. Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarem de virgine.* Thren. 3. v. 51. Iob. 31. v. 1. David devictus est per unicum aspectum temerarium. Tu ergo in templo genu flecto esse in eo loco, è quo non possis videre eos qui intrant, & exeunt, E domo tua abige illas picturas inhonestas, illas tabulas nudas, quod si sint tabulæ Sacræ, fac ut earum nuditas tegatur.

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Et quamvis illi forsan te non lædant, forte tamen possint lædere unum è tuis domesticis, vel alios, qui te veniunt visitatum, amove illos libros obscœnos, tragœdias amorosas, libros Ovidii de amore projice in ignem, alias, quamvis tu eas non legas, tamen reus eris peccatorum, quæ patrabuntur ab iis, qui eas legunt.

Devita garrulos, confabulationes, vanas laudes, adulationes, discursus amorosos, verba inhonesta, fuge inquam talia velut cantum Sirenum, quæ non cantant nisi ut te incantent, quæ te non incantant, nisi te ut perdant, responde illis torve & morosè. Fuge inquam verba inhonesta, cantiones amorosas, qui

qui sunt venti Meridionales, qui accencendunt ignem infernalem.

Fuge familiaritates sensuales, nugas & jocos impuros, libertates immodestas; recorderis Sancti Ludovici Archiepiscopi Tholosatis, consanguinei Sancti Ludovici Regis, filii natu majoris Caroli Secundi Siciliæ Regis, hic enim adhuc sæcularis, dum in captivitate Barcinonæ degeret, cum mater cum post tam diuturnam absentiam videret, eumque osculari vellet, hic Sanctus Princeps hoc osculum repudiavit & admittere noluit. Et quid, dicebat illa, hoc sibi vult? An nescis quod sim tua mater? Ita respondebat, sed & scio te esse fæminam. Recordaris illius quod literis consignatum est in Chronicis ordinum Religiosorum. Religiosus ordinis cujusdam, quem nominare possem, cum manum alicujus puellæ tetigisset, sæcularis quidam qui hoc vidit, illud ad ejus Prælatum detulit. Hic dum hanc immodestiam perstringeret, & hic subditus se excusaret, quod nec ipse, nec illa aliquid mali cogitasset, eo quod ipsa esset adeo casta, devota, sapiens, ille respondit, nil est adeo purum quam aqua, quæ omnia mundat, & nil est magis siccum quam terra, quod si hæc duo elementa se tangant, causant cœnum & lutum. Illa oscula amorosa, illæ familiaritates sensuales, lædunt insignem amorem puritatis, & te mille impuris cogitationibus commaculant, sensim tuum cor emolliunt, & ad actiones disponunt, & quandoque indignius, turpius, gravius castitatem perdunt coram Deo, quam vis non apud homines, quam si amitteretur per adulterium. Post peccatum Adæ nostra caro est corrupta. Duo poma putrida, si vel in minimo se tangant, putrefiunt. Puella vel fœmina quamvis Christiana & casta, à nemine, quisquis ille sit, permittet se tangi vel in facie, collo aut manibus, & hoc sive sit consanguineus, sive frater sive Sodalis, vel quantumvis notus, quod in suo sano sensu intelligi volo.

Fuge & non accepta munera, capiunt illos qui illa acceptant, dona frangunt montes, quamdiu Atalanta cucurrit, fuit casta & victoriosa, sed mox ut incepit colligere poma aurea, quæ illi in via objiciebantur, victoriam & castitatem amisit.

Munera crede mihi vincunt hominesque Deosque

Fuge conversationes suspectas, amicitias familiares, colloquia cum sola, discursus, qui habentur in latebris, vel absque testibus. Recorderis, quod Apostoli summè demirati fuerint, dum Iesum in patente campo contra morem solum cum Samaritana colloquentem viderunt. Recorderis, quod Sanctus Augustinus consanguineam suam noluerit secum morari, quod Sanctus Carolus propriæ sorori loqui noluerit, quod omnibus subditis inculcarit, ne, quantum possibile est, fratres cum sororibus post septennium in eodem lecto cubare permitterent, & sanè si tu scirès incestus, scandala, tragœdias, quæ ex hoc orta sunt, revera tibi crines arrigerentur.

Fuge ebrietatem, immò ipsum vinum, quantum potes, nec vinum permittas tuis prolibus, quia est venenum juven-

juventuti, sulphur & fomes libidinis. *Luxuriosa res vinum*, inquit sapiens. Esto illud iis non dones, tamen ideò non desinent bene se habere; in omnibus sola consuetudo valet, natura contentatur omni eo, quod ipsi datur. Si in aqua educentur, illa iis erit salubrior, quàm vinum. In duobus, inquit S. Hieronymus, præstat, quod malè valeat stomacho, quàm animæ. Ita quidem irridebis hoc monitum, sed irride spiritum sanctum, qui valdè illud monitum commendat. *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum.*

Prov. 31. v. 4.

Fuge affectiones particulares, & quælibet inclinatio ad aliquam personam, quæ non est tui sexus, debet tibi esse suspecta. Amor primò est spiritualis; secundò sensualis; dein carnalis, & in fine brutalis. Sancta Teresia de seipsa in sua vita narrat, quod annos habens decem, vel duodecim aliquibus benè affecta fuerit, non ex libidine, aut sensualitate, sed ex complexione naturæ. Naturalia si benè temperata sint, ordinariè habent inclinationem ad complacentiam, nihil intercurrit sensualitatis, nullum osculum, nulla impuritas, nulla familiaritas, immodestia, non fuit nisi inclinatio, & affectio particularis, & tamen Deus ei quadam die monstravit locum ei in inferno præparatum, nisi per infinitam suam misericordiam eam præservasset à periculis, in quæ hæc dispositio illam agebat. Illa dixit, quod postquam vidit illas pœnas, nullum esse tormentum, quod non lubenter subire vellet, ut posset animam ab illo periculo liberare: Et rogat omnes quotquot sunt, velint vitare illam occasionem. In hoc negotio maximum secretum in hoc consistit, quod vincamus fugiendo, ut nempe exeamus, si ita necessarium sit, ut exeamus domo, platea, villa, provincia, si ita necessarium sit, immo ex ipso mundo, ut concludamus nos intra quatuor muros in monasterio.

Cap. 22. vitæ.

Tandem oportet ire ad aliquem locum, sed ad meliorem non poteris ire, quàm cum Magdalena, ad pedes Christi. Si sis manceps hujus vitii, humilia te ante Iesum, agnosce tuas miserias, & ejus potentiam, qua te potest resuscitare, plora, geme, suspira in ejus præsentia, ei declara, quod sorditates, immunditiam, peccata, miseriæ, debilitates, nihil sint tuum opus, & quod ex te tantum possis labi in peccata, & in nihilum, è quo es educatus, & quod ipse solus sit sanctus, ipsa Sanctitas, puritas, innocentia, & hinc Psaltes dicit: *De stercore erigens pauperem.* Honora puritatem conceptionis immaculatæ virginis, puritatem in qua est concepta, in qua concepit, & peperit Salvatorem, roga ut de ea possis participare purificatam conscientiam per gratiam sui filii, ut purus & mundus corde eum videre possis: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Amen.



SERMO

SERMO SEXAGESIMVS

Pro Festo Epiphaniæ Domini.

De Excellentia Virginitatis contrariæ libidini.

Videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Matth. 2.

EXORDIUM.

QUod si Magi gaudio magno gavisi sint, revera nos etiam gaudio magno gaudere debemus, siquidem per, & in Magis nobis etiam Stella apparuit, & de tenebris nos vocavit Deus in admirabile lumen suum, & cœpimus fieri Christiani hoc est sapientes, & illuminati, qui antea eramus Ethnici, id est omnium errorum tenebris involuti, unde & hodierna solennitas maxima pompâ semper celebrata fuit; ut autem majorem ansam gaudendi habeamus, videbimus qualis stella nobis illuxerit. Et quidem meo sensu hodie Magi didicerunt ejus matrem fuisse virginem, Josephum vero tantum ejus Patrem putatitium, unde cognoverunt quantis in tenebris ipsi Ethnici versabantur, de quibus inquit Apostolus ad Rom. primo; quod traditi sint à Deo in desideria cordis in immundiciam, & passiones ignominiæ, hoc est, libidines pudendas nam fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum in usum contra naturam, & prostibula apud eos vigebant, & in ipso Fano Virginis Corinthi, erant plusquam mille meretrices. Hodie vero nobis stella apparuit docens virginitatem esse maximum, & præstantissimum donum Deoque gratissimum, uti in hoc Sermone hodie ostendemus.

Non Mœchaberis. Exod. 20.

I. QUæ heri nobis dixit liber Apocalypseos de abominationibus peccati libidinis, meo sensu efficacissima sunt ad honorem ejusdem gignendum etiam in animabus maxime à naturâ deflectentibus; verum illa, quæ in bono loco sedent, deberent cognoscere turpitudinem, & fœditatem hujus vitii per pulchritudinem, & excellentiam virginitatis, quæ est ei contraria, nam dicitur in philosophia, quod contraria juxta se posita magis elucescant. In hac missione ego omnibus debitor sum nec solum debeo conari, ut convertam peccatores, sed etiam debeo sanctificare, & perficere animas electas, & particulariter Virgines Christianas, quæ ut inquit sanctus Cyprianus sunt illustrior portio gregis Christianorum. Præmia, quæ merentur per hanc excellentem virtutem, fructus sunt suorum seminum, effectus suorum bonorum exemplorum, productiones tuorum influxuum ô sancta, & benedicta virgo. Propheta Regius dixit, quod omnes animæ, quæ DEO consecrant suam virginitatem te se

Psal. 44. quuntur, & fiant tibi à cubiculis. *Adducentur Regi Virgines post eam.* Nec mirum est, quod virgines, qui sunt Angeli terræ ambiant sibi reddere homagium cum Angelus cœli, & quidem unus è nobilioribus maximo sibi honori duxerit te prosternendi ante suos pedes, & te salutandi *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

Virginitas comparatur lilio, & quatuor punctis consideramus ejus plantationem, irrigationem, culturam, fœcundationem.

II. In illo insigni libro, qui ob excellentiam sui styli intitulatur cantica canticorum, sapientissimus Salomon dum describeret venâ subtili castos & divinos amores Jesu erga suam sponsam, ut ostenderet amorem illum quo prosequebatur suam dilectissimam, non esse tantum amorem benevolentiæ, sed etiam delectationis, & complacentiæ; ille comparavit Ecclesiam fertili, & gratioso horto, & Jesum principi adolescentiori, qui spaciabatur in suo horto ut animum recrearet, & se delectaret insigni odore florum gratiosorum. *Hortus conclusus soror mea sponsa.* In hac areola spirituali tulipæ sunt Patriarchæ, holotropia sunt Apostoli, rosæ purpuratæ Martyres cariophylla prælati, & confessores, verum lilia sunt Virgines. Verum enimverò sicut Dominus quidam, quando intrat hortum, ambulando considerat attente omnes flores, & delectatur eorum venustate, elegantiâ, varietate prælustri colorum, & communiter hæret circa illos, qui ei magis placent, illos decerpit, ut sæpius eos contempletur, ut tincturam, & colorem consideret, & excellentem eorum decorem admiretur, eorum suavi odore fruatur, & manibus eos portet ad ostentationem, vel delicias. Ita non absimiliter Jesus; cum enim amore infinito amet omnes virtutes animarum electarum, quæ sunt fideles in servitio vocationis, ad quam sunt vocati; attamen, quod singulariter notandum est, ille intuitus coniicit fixiores, affectus habet ardentiores, delectationes magis particulares circa insignem florem lilium, hoc est versus puritatem, & viam Angelicam virtutum Christianarum, quare sponsus cum loqueretur de aliis floribus dicit sponsum venisse non solum, *ut aspiceret si floruissent*, sed & loquendo de lilio flore, Cant. 2. v. 16. dicit, quod eo delectetur, quod inter lilia cubet, & pascatur, quod, venit in suum hortum ut ea colligat, decerpat, manu gestet, iis delectetur, ea reponat in suo sinu, & medio corde. *Descendit in hortum suum ad areolam aromatum*, ut lilia Cant. 6. v. 1. colligat: *Pascitur inter lilia.*

Doctus, & devotus Esdras DEUM orans sic rogavit: *Dominator Domine ex* 4. Esdr. 2. v. 24. *omnibus floribus orbis, tu elegisti tibi lilium unum.* Et sane tu videbis, quod meritò Jesus particulariter eligat hunc insignem florem, & mecum admiraberis ejus excellentiam, si mecum consideres quatuor puncta, quomodo plantetur, irrigetur, colatur, fœcundetur.

PUNCTUM PRIMUM.

Pensat primo, quis plantaverit hoc lilium? Beata Maria. Secundo ubi? In eodem fundo, quo Christus. Tertio quando? In instanti Incarnationis. Quarto, Quomodo? præferendo hunc florem maternitati Divinæ.

III. Por-

III. PORrò Beata virgo hunc florem plantavit in areola Ecclesiæ, quia illa prima est, quę vexillum virginitatis in Ecclesia statuit, & eam DEO consecravit seque obligavit perpetuo voto eam servandi: *Primus discendi ardor*, inquit Ambrosius, est nobilitas Magistri. Philippus Macedo DEO gratias egit, quod filium habuerit Magnum Alexandrum, & quod hic Magistrum habuerit Aristotelem. In schola puritatis sumus sub ferula non Aristotelis, non Platonis, Socratis, sancti Thomæ Scoti, sed Matris DEI.

Quod si Regina consentiente Rege, immò ipsius jussu Magistram se faceret in schola, & laborem assumeret instruendi nonnullas filias, nonne quælibet magno sibi honori duceret, si admitteretur ad illam scholam, & in numero discipularum recenseretur? Profectò ad eam non admitterentur nisi nobilissimæ domicellæ, Comitissæ, Marchionissæ, Principissæ, & verosimile est, quod doctrinam, & artem traditura esset insignissimam, & utilissimam. Serenissima Regina Angelorum, Imperatrix cœli, & terræ, sponsa Patris, Mater Filii, templum, & sanctuarium Spiritus sancti, quæ mundo lumen æternum effudit, cui tradita est tutela & gubernatio Jesu Christi, illa DEO consentiente, & inspirante scholam elegit, illa tradit virginitatem, illa prælegit doctrinam mundo usque ad illa tempora incognitam. Et annon sit Magnus honos in illam scholam admitti, nonne est credibile, quod puellæ, quæ sub ipsa student, sint particulariter electæ, & amatæ à DEO? An non debeamus concludere, quòd virginitas sit utilissima, quod hic flos lilium, sit excellentissimus, & pretiosissimus, & hoc, quia nullâ alia manu, quam Matris DEI?

IV. Hic flos est plantatus in ipso fundo, in ipsa areola, in ipso corpore, & anima, in ipso corde, in ipso sinu, quem intravit Filius DEI flos, & germen Patris æterni, in eodem loco, in quo conceptus est Jesus Christus, in ipso solio in quo sedit. Hic flos est ejus prodomus, designator diversoriorum, qui ei hospitium eligit, & præparat, est ultima dispositio, quæ ornat, polit, illustrat, tapetibus, & aulæis vestit sinum, & cor Mariæ in quo Jesus debet suscipi, & commorari.

V. Primum verbum, quod Maria protulit in toto Evangelio, primum, & ultimum verbum, quod protulit in illo sacro colloquio, quod habuit cum Angelo, in quo agebatur de opere adeo serio, in quo tractabatur de incarnatione Verbi, de salute hominum, de redemptione Mundi, de instituenda Matre DEI, primum, & ultimum, inquam in hoc colloquio Verbum, quod illa protulit, immò omnia quasi, quæ in illo dixit, concernebant virginitatem. In negotio tanti momenti, in occasione adeo opportuna, in Legatione tam celebri, quales erant cogitationes hujus spiritus virginalis, hujus ingenii illustrati, hujus animi coruscantis, Angelici, transcendentis? Quid quæso hæc virgo adeo judiciosa, sapiens, provida, à DEO illustrata Legato Patris æterni, qui expresse venit, ut negotium maximi momenti cum illa tractaret? Hic nuntius cœlestis suspensus hæret, & ab ejus ore pendet, Angeli silent, & expectant, ipsemet DEUS ejus responsum præstolatur. Et quid illa dicet? Quid loquetur, de conservatione suæ

Luc. 1. ne suæ virginitatis: *Quomodo fiet istud?*

Porro hic flos adeò DEO est acceptus, & æstimatus à Maria, ut ad tempus differat Incarnationem verbi, adhoc ut eum in mundo plantare possit. O mi DEUS, quod si hanc veritatem bene ponderarent, & addiscerent Christiani, quomodo non claustra replerentur? Quomodo monasteria in hoc mundo & sedes Angelorum in altero non essent refertæ? Quod si haberemus lumen bene penetrandi hanc veritatem, an sit possibile, quod aliquis vellet amittere suam virginitatem, ego non dixerim ob aliquam voluptatem, aut lucrum temporale, sed ob omnes delicias, opes, & felicitates cœli? Incarnatio verbi est mysterium adeo grande, augustum, optabile, vita Jesu est vita adeo chara, pretiosa, nobilis, excellens, Divina, ut unicum tantum momentum hujus vitæ incomparabiliter excedat vitam omnium hominum, & Angelorum immo tota æternitas vitarum illarum. Et tamen per providentiam DEI mysterium incarnationis retardatum est, ut hæc puritas in mundo plantaretur. Propositum quo Maria voluit suam servare virginitatem causa fuit, ut plura momenta vitæ, quæ Jesus habere poterat ei subtracta fuerunt, quod sancta humanitas Christi non fuerit tam citò creata, beatificata Deificata, quam hoc DEUS voluerit.

Angelus ablegatus in hunc finem ad virginem fuit, ut ejus consensum obtineret, & si consensisset ad primum nuntium hujus Angeli cælestis, Incarnatio statim fuisset executioni mandata, & Jesus cœpisset vivere. Et cur quæso distulit suum consensum? Cur opus tanti momenti retardavit? Statim in initio Angelus sufficienter voluntatem DEI manifestavit, nempe, quod velit Filium incarnari, quod agatur de redemptione mundi, de salute hominum, quod ille, qui homo fiet, sit Filius altissimi, & regnaturus sit in æternum.

Et profectò tamdiu jam mundus suspiravit ad illud mysterium, Patriarchæ, & Prophetæ clamando, & gemendo illud flagitarunt, homines hujus operis dilationem luxerunt, ipsamet ardenter, & ferventer ejus accelerationem rogabat: *Veni Domine & noli tardare, utinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Eccur ergo illa moratur, cur suum non præbet consensum in hoc opus, quod ab ejus verbo dependet. *Ecce* inquit Bernardus *offertur tibi pretium redemptionis nostræ, statim delectabimur si consentis, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant, & superi, ipse quoque omnium Rex, & Dominus; Quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum.* Eccur ergo moras nectis? Cur nos tamdiu languere permittis? Eccur cursum beneficii tam optabilis retardas? Sola virginitas ei cordi est, ad minimam suspicionem hujus floris perdendi trepidat.

Hom. 4. super missus est.

Verum enim verò, quandoquidem Angelus ejus cognoverit genium, ejus penetrarit inclinationem, nec potuerit ignorare affectum, quo ferebatur erga puritatem, sed præviderit, eam angendam, eccur statim in initio ei non declarat opus hoc executioni mandandum sine læsione virginitatis? DEUS, qui omnia novit, bene providit, quod non esset

consensu-

consensura ad primum assultum, quo ejus virginitas impetebatur, sed quod informationem esset acceptura de modo, & quod hoc mysterium esset retardatura, cur ergo non dat in mandatis huic legato, cur non jubet huic Angelo, ut statim in principio virginem informaret? Cur non statim ei dixit, tu concipies, & paries filium, sed absque detrimento tuæ virginitatis? DEUS voluit, ut Beata virgo hunc florem lilii plantaret in mundo in illo pretioso momento incarnationis, quo virginitas Mariæ fuit annuntiata universo, eodem tempore, quo Messias venturus erat.

Quod si Angelus in initio hoc ei declarasset, si dixisset, paries, sed sine jactura virginitatis, illa statim consensisset, nec dixisset; quomodo fiet illud, cum sit obstricta voto castitatis? Et quamvis nos equidem bene scivissemus, quod fuisset virgo, tamen non scivissemus, quod habuisset votum virginitatis. Sed an non humilitas ejus hoc secretum mundo occultare potuisset? Ne quaquam. Deus noluit hoc permittere, nam potius voluit retardari mysterium incarnationis, & vitam hominis DEI, ut amor, quo ferebatur erga suam puritatem, quam humilitas abscondisset, innotesceret, & ideo noluit, ut statim in initio Angelus modum hujus mysterii illi declararet, ut inquam amor erga puritatem cogeret illam interrogare, *Quomodo fiet istud?* Ut mundus discat ab ore ejus virginali, quod illa, quæ est electa in matrem DEI, votum emiserit virginitatis, ut homines discant, hanc vitam DEO esse gratissimam, virginitatem esse adeo pretiosam, & charam sanctæ virgini, ut illam maternitati DEI prætulerit.

VI. Et hunc florem lilii adeo amavit, & zelavit, ut filiū DEI noluerit acceptare velut fructum benedictum sui uteri, nisi sub conditione, ne amitteret florem suæ virginitatis. Ex his quæso te paulisper collige tuum exiguum judicium, admirare tuam imprudentiam, exiguitatem tui spiritus, & fidei: Tu perdis hanc pretiosam gemmam, tu jacturā facis tuæ puritatis ob exiguam voluptatem, ob exiguum lucellum, ut uni nebuloni satisfacias. Virgo vero illum thesaurum noluit perdere, ob maternitatem DEI, ut esset Regina Angelorum, & hominum, nam postquam Angelus eam certam reddidit quod esset futura Mater DEI illæsa ejus puritate, per obumbrationem Spiritus sancti, illa respondit, placet, consentio, sed sub conditione adjectâ & non aliter.

PUNCTUM SECUNDUM.

Irrigatus est sanguine sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, & aliorum ordinum.

VII. POstquam verò hic insignis flos lilii esset allatus, & seminatus in mundo per manum adeo nobilem, & excellentem, quis est quæso, qui sibi probro ducat, quod eum irriget, & colat? Quando incipio evolvere Historias Ecclesiasticas invenio hunc florem irrigatum sanguine illustrissimarum personarum, quæ unquam in mundo floruerunt, nam ex omnibus Hierarchiis ecclesiæ militantis fuerunt sancti, qui suum sanguinē

I 3 pro

pro conservando ejus virore fuderunt, nam in quolibet ordine est unus, vel plures celeberrimus Martyr, qui libenter mortem subivit, vel pro conservanda illa puritate, vel quia eam aliis suasit, & consuluit, vel quia ex horto mundi voluit evellere zizania impudicitiæ, quæ hunc sacrum florem suffocant.

Et quidem in ordine Patriarcharum habemus sanctum Zachariam Patrem sancti Joannis Baptistæ, qui à Judæis occisus est ob testimonium, quo virginitatem Mariæ non obstante ejus partu asseruit. In ordine Prophetarum viget sanctus Joannes Baptista capite minutus ab Herode, quia incestum ejus cum Herodiade perstrinxit. In ordine Apostolorum in carcerem conjecti sunt, & demum morte affecti sunt sancti Petrus & Paulus, quia duobus aulicis Neronis virginitatem persuaserunt. In ordine Evangelistarum viget sanctus Matthæus, qui DEO sacrificium immolans, & ipse DEO victima virginitatis oblatus fuit jussu Hirtaci Regis Æthiopiæ, eo quod coram eo laudasset virginitatem, & Iphigeniæ ejus nepti suavisset, ut suam virginitatem DEO consecaret. In ordine Pontificum habemus sanctum Cajum, qui à Diocletiano fuit Martyrio affectus, eo quod ejus neptem sanctam Susannam stimularit, fideliter votum virginitatis DEO factum servaret.

In ordine Episcoporum coruscat sanctus Stanislaus Episcopus Cracoviensis qui per manum sacrilegam, & impiam Regis Boleslai, qui ab eo perstrictus fuit ob impudicitiam, quâ toto Regno scandalo fuit. Fulget quoque in eodem sanctus Lambertus Episcopus Leodiensis, qui jussu Alpaidis necatus fuit, eo quod liberè reprehenderit adulteria patrata cum Rege Pipino. Micat quoque sanctus Fridericus, qui ab eadem velut alterâ impia & crudeli Judith fuit occisus, quia Sanctus perstringebat ejus Matrimonium incestuosum cum Imperatore Friderico.

In ordine sacerdotum splendet sanctus Gerbertus, qui prope Antuerpiam dissectus fuit per satellites Regis Hybernorum, eo quod sanctæ Pympnæ dissuaserit, ne bestiali passioni parentis annueret, qui volebat ei nubere.

In ordine Clericorum radiat sanctus Ariolus, qui dum Mediolani obligationem Ecclesiasticorum quoad cælibatum contra hæresem Nicolaitarum animosè propugnaret, per famulos Guidonis Archiepiscopi schismatici crudeliter fuit necatus, aures, nares, labia superiora, manus dextra præcisa, effossi oculi, lingua per lictorem extracta, & demum capite minutus.

Quoad virgines, quæ proprio cruore hunc sanguinem irrigarunt, & quæ mortem Matrimoniis prætulerunt, habemus innumeras, Agnetes, Agathas, Susannas, Reginas, Margaritas, quæ illustriores sunt.

PUNCTUM TERTIUM.

Cultura per Studium Doctorum, & monita sanctorum Patrum pro cultura, & conservatione virginitatis. Primo ex Augustino, ut virgines fugiant superbiam, Secundo ex Ambrosio, ut fugiant aspectus virorum, Tertio ex Chrysostomo, ut avaritiam, quarto ex Divo Thoma, ut musica instrumenta.

VIII. VElut Martyres fuderunt sanguinem, ut irrigarent hunc florem, ita

ita sancti Doctores, & prælati Ecclesiæ suos sudores, labores, industrias, vigilias contulerunt, ut eum colerent, & conservarent. Quod si laborem velis impendere evolvendi eorum libros, tu videbis, quod sint quasi diversi hortulani, qui areolas Ecclesiæ inter se diviserunt, ita ut quilibet in id totus fuerit, quomodo suum excoleret. Nonnulli magis alicui flori in particulari affecti fuere, ita ut unus hunc, alter illum excolendum sumpserit. Verum omnes conspirarunt, & concertarunt, quis melius insignem florem lilii excoleret. Omnes cum æmulatione studuerunt, quomodo illum conservarent, & propagarent, omnes impenderunt suum ingenium, scientiam, calamum, linguam, quomodo laudarent, & instruerent virgines. Sanctus Cyprianus integro libro virginibus modum vivendi, & sese vestiendi conscripsit. Sanctus Ambrosius exaravit libros in laudem Patriarcharum, Tertullianus integro libro animavit Martyres. Sanctus Chrysostomus librum composuit de sacerdotio ad instructionem Presbyterorum, sanctus Augustinus idem fecit de conjugatis.

Enimvero omnes Doctores unanimiter composuerunt vel homilias, vel epistolas, vel libros, vel volumina integra de laude virginitatis, & ad instruendas Virgines. Sanctus Ambrosius composuit tres libros, de virginibus, sanctus Augustinus unum de sancta virginitate, unum itidem sanctus Basilius, unum sanctus Chrysostomus, sanctus Gregorius Nissenus unum de vera & incorruptibili virginitate, Tertullianus unum de virginitate, & unum, quomodo debeant esse velatæ.

IX. Quæso vos construamus prædium rurale spirituale, & brevi compendio principalia monita, & consilia, quæ hi sacri hortulani dederunt excolendo, conservando, propagando huic flori lustremus. Sanctus Augustinus dicit quod lilium sit unus ex altissimis floribus unius areæ, magis expositus ventis, adeoque quod debeat profundiores radices figere, ne alias cadat & flaccescat. Virginitas cum sit unum ex præstantioribus donis Ecclesiæ, magis exposita est agitationibus ventorum vanitatis, & nisi sit radicata, & stabilita in humilitate, brevi everteretur; quod si omnes illi, qui honorem suum prostituerunt, statim examinent suam conscientiam, illi invenient, quod principalis causa eorum lapsus sit defectus humilitatis, præsumptio, ambitio, vel vana gloria.

Quando Scriptura significare vult aliquam puellam amisisse suam virginitatem, illa dicit, quod sit humiliata, quia DEUS lapsum illum permittit, ut eam humiliet, & deprimat. Sanctus Augustinus ad hoc propositum citat illa verba spiritus sancti: *Quantò major es, humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam*, & inquit, *mensura humilitatis unicuique data est ex mensura magnitudinis.* Quo eminentior es in virginitate corporis, eo eminentior etiam esse debes in humilitate spiritus. Et magnus hic sanctus dicit, quod debeas quidem præferre statum virginitatis statui matrimoniali, sed non te alicui conjugatæ, quia aliud donum forsan habere poterit, quo te reddatur illustrior, quia forsan est disposita ad Martyrium, tu non, forsan pluribus est ornata virtutibus, quæ quamvis minus nobiles sint in qualitate, tamen

Cap. 3. de sancta virginit.

men

men pretiosiores esse possunt in quantitate.

Inter animas Christianas, inquit sanctus Augustinus aliquæ sunt, quæ valde paucas habent gratias, sed tamen sunt excellentes, & heroicæ, aliæ è contra virtutes habent ignobiliores, sed valde multas. Argentum quidem est minus pretiosum, quam sit aurum, sed magna quantitas argenti excedit parvam quantitatem auri. Et quamvis conjugata in nulla alia virtute esset eminens, tamen ejus humilitas sine virginitate est DEO gratior, quam sit tua virginitas sine humilitate inquit sanctus Bernardus, quamvis sis virgo non tamen non solum te debes præferre in tuo corde alicui conjugatæ, sed nec alicui quæ per consensum in peccatum amisit suam virginitatem, quia in ista humiliatione, in quam eam peccatum præcipitavit, potest esse eminentior, & gratior DEO, quam tu in spiritu præsumptionis & vanitatis, quem tibi dat tua virginitas. Præterea dico tibi cum sancto Augustino, quod quamvis non sis lapsa, sicut aliæ, non debeas tamen considerare, quod sis iis fortior, & generosior, sed quia DEUS per suam meram misericordiam non permisit te tam fortiter tentari sicut illas, aut quia gratiam habuisti efficacem, & potentiorem. *Quidquid mali ipso custodiente non committitis tanquam remissum ab illo deputate &c. de viribus vestris expertis cavete, ne inflemini, de inexpertis cavete ne inflemini, de inexpertis orate ne supra quam potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores quibus estis in manifesto meliores, cogitate sponsum vestrum æqualem patri, subditum Matri, in cœlis dominantem, in terris servientem, creantem omnia, creatum inter omnia.*

Cogita quod DEUS tibi condonarit illa peccata quæ non commisisti, quia nisi te præservasset tu in illa fuisses prolapsus. Nec efferaris ob præterita, sed potius time ob futura; noli superbire, quod periculo fueris exposita, nec tamen fueris devicta, quia hoc est effectus divinæ misericordiæ, adeoque ansam habes diffidendi tibi, & rogandi DEUM, ut tibi gratiam det, ne tenteris ultra tuas vires. Cogita coram DEO, & in interiori plures esse meliores, quam tu sis, esto in exteriori, & coram mundo te viliores sint. In mentem revoca humilitatem tui sponsi, qui obedivit suo Patri, & se subjecit suæ Matri, ille regnabat in cœlo, & erat humilis in terra, ille præerat Angelis, & serviebat hominibus, ille erat Creator mundi, & tamen in mundo creari voluit. Recorderis dicti sapientis quod nemo possit esse continens, nisi hoc illi dederit DEUS, memineris illius sententiæ Apostoli Petri: *Superbis resistit* nempe DEUS, *humilibus dat gratiam.* Non est satis quod corpus tuum consecres Jesu, sed & tuum spiritum ejus Spiritui devovere debes. Spiritus porrò DEI non magis quiescit super spiritum superbum, & arrogantem, quam possit habitare in corpore impuro, & sensuali, DEUS enim dixit in Genesi: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est,* Et per Jsaiam: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & super trementem sermones meos?*

Verbo, humilitas adeo necessaria est ad conservationem virginitatis, ut sanctus Augustinus in libro quem composuit

fuit in laudem virginitatis, quique continet quinquaginta sex capita solum in quinquaginta agat de laudibus virginitatis, in reliquis tringinta de humilitate.

X. Sanctus Ambrosius Pater Spiritualis sancti Augustini aliud nobis dat consilium valde salutare, & utile pro conservatione hujus floris, dicit quod debeamus illum munire forti sepimento, & solida obfirmare sera, ne aliquis possit appropinquare. Lilium nostrorum hortorum est flos adeo tenellus, & delicatus, ut si non bene foveatur, statim marcescat. Virtus insuper castitatis est magis tenera, illa perdit suum insignem odorem & colorem, illa marcescit non solum ad minimum attactum, sed & ad minimum affectum, per minimum tactum, familiaritatem, simplicia oscula cujuscunque, cujuscunque, quod bis repeto, & vellem repetere centies, ne mihi dicere possis, est homo probus, est adeo devotus, & spiritualis, nil mali cogitat, habet bonam intentionem, est meus proximus consanguineus, meus frater Germanus, uterinus, est puella ejusdem mecum sexus, sit quisquis velit, tuum cor maculatur. Puritas animæ tuæ est velut vitrum Venetum, & velut speculum quod tam sæpe consulis; DEUS vult, quod illud consulendo recorderis quotidie hujus consilii, quod tibi do: quod si hoc speculum sæpius tangas, osculeris, si habitu illi aliquis approximet, sive sit fœmina, vir, puella, puer, infans, ejus nitorem maculat. Castitas porro est tenerior hoc speculo, & lilio, nam per solum amorem, & conversationem per simplex verbum inficitur. Virgo quæ pura vult manere, debet evitare conversationes, Discursus vanos, nugatorios, jocosos, petulantes, familiaritatem cum aliquo solo. *Sicut lilium inter spinas.* Non minus quam flos inter spinas omnem adse accessum debet arcere, summè debet esse cauta. Esse incivilem in hoc puncto est sancta, & summa civilitas, & urbanitas. *Trepidare* inquit Ambrosius *virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Nota *omnes*, non solum dicit quod trepidare debeat ad ingressum alicujus impudici, dissoluti, trepidantis, levis, sed *omnes* ingressus etiam virtuosi, modesti, sapientis, spiritualis, cœlestis, si fiat solius cum solo. *Ambr. lib. 2. in Lucam.*

Addit sanctus Bernardus: *Solent virgines, quæ verè sunt virgines, semper esse pavidæ, & ut cavenda fugiant, etiam tuta pertimescere*, veræ virgines timent sicut columbæ, timent incessanter sicut folia arborum, & ut effugiant id quod timendum est, timent id quod timendum non est: puella illa devota de qua facit Severus Sulpitius mentionem fuit vera virgo, verum lilium inter spinas, nam ut servaret suum insignem candorem puritatis, illa sepimento se munivit, & in clausura vixit. Sanctus Martinus, qui rogatus erat ab Imperatoribus, ut eam possent visitare, hoc permittere voluit, sed illa instanter rogavit, ne in hoc dispensare vellet, ne alii, idem postea tentarent, ille ejus petitioni annuit, & modestiam ejus laudavit. *D. Bernar. in illud quæ cum audisset.*

XI. Sanctus Joannes Chrysostomus alius hortulanus spiritualis tertium addit consilium valde salutare, & necessarium. Ille dicit quod magna solicitudine li-

lium præſervandum ſit à morſibus & roſionibus talparum. Nam ſi hoc animal vel ſemel arrodat radicem noſtri floris marceſcit, & ſuum virorem perdit. Talpa eſt Symbolum avaritiæ, quia illa omnino terræ involuta eſt, omnino à terra tecta, non tangit, non ſentit, non guſtat niſi terram, & terreſtria. Radix florum ſpiritualium eſt intentio, quod ſi avaritia corrumpat intentionem tuæ puritatis, amittit ſuum virorem, & meritum. Quod ſi virginitatem tantum ſerves ob lucrum temporale, ob prætenſiones viles & terreſtres, ut ſis dives, nemini ſubjectus, ut tota vita ſis tui juris, ut onera evites matrimonii, quia non invenis parem, vel talem ſicut velles, tunc tua virginitas apud DEUM non erit magni meriti. Virginitatem oportet ſervare per intentiones Chriſtianas, utpote, quia DEO eſt grata, quia Chriſtus eſt virgo, quia te reddis ſimiliorem ejus Matri, ne dividas tuum cor inter Jeſum & maritum, & Jeſus totum tuum cor poſſideat, ut habeas meliorem occaſionem ſerviendi DEO, utpote expedita ab oneribus & negotiis matrimonii.

Quinque illæ virgines fatuæ, quarum mentionem Jeſus facit in Evangelio huic conſilio non paruerunt, nam virginitatem quidem ſervarunt, ſed cor ſuum permiſerunt corrodi à talpa avaritiæ; lampades virginitatis earum quidem nitebant, & erant mundæ, ſed non ardebant, quia non aderat ignis amoris, & deficiebat oleum miſericordiæ verſus proximum.

Quod ſi liceat ſervo & diſcipulo, loqui poſt ſuos Magiſtros & Dominos ſuamque aperire mentem, ego dicerem, quod lilia in hortis parumper flacceſcant ad tonitru, lilia vero in Eccleſia ſint delicatiora, utpote quorum nitor aliquando per cantum hebetetur, unde ego conſulerem, ne illi, qui præſunt monaſteriis virginum in earum Eccleſiis Muſicam non permittant. Et en meas exiguas rationes, prima, quia tuæ celebriores fundatrices ſancta Clara & Thereſia, eam in ſuis ordinibus non introduxerunt, ſecundo, quidquid facimus, debet tendere ad gloriam DEI, gloria porrò ejus exterior conſiſtit in hoc, ut ei ſerviamus, eum amemus, ei obediamus, ego autem nullatenus video, quomodo melius eum cognoſcamus, eum amemus, ei obediamus per muſicam. Dices per eam attrahi populum ad Eccleſiam, id non nego, ſed hoc nil aliud eſt, quam quod plures, qui in paſchate aut aliis diebus feſtis, irent ad cathedralem, aut parochialem Eccleſiam audituri cantum Gregorianum, qui nihil ſonat profanum, aures demulſuri & ſeſe oblectaturi vadant, ut audiant inflectiones vocum, & Chromas puellarum. Dices præterea quod hic cantus ſæpe elevet corda ad DEUM, aliquorum concedo, ſed corde eorum quæ ea ita elevat, ſolum ad devotionem ſenſibilem quæ non eſt ſolida, & hic plures ſunt quam decem, talis autem devotio potius alligat, & affigit cor creaturæ. Ipſa experientia namque nos docuit quod hæ voces blandæ, molliant, incantent & impuras adferant cogitationes. Tertio Cantatrices inſigniores melius habendæ ſunt, oportet cum iis diſpenſare in frequentatione matutini & aliis obſervantiis regularibus, ne raucæ ſint in matutinis tenebroſis aut feſto paſchatis, verbo, dum aliæ religioſæ ſub canone miſſæ ſeſe

occupant

occupant actibus adorationum, amorum, oblationum, submissionum, gratiarum actionum illæ occupantur, ut suum tonum addiscant, citharas temperent, voces aptent, inspiciant quid cantandum sit. Salvator porro dixit DEUM esse Spiritum, qui principaliter in Spiritu adoratur. Et sanctus Augustinus de se ipso fatetur, quod dum sæpius moveretur & tangeretur per cantum, quam ea quæ cantabantur, cognoverit, quod plus peccarit, quam meruerit. Addit sanctus Thomas quod musica potius moveat ad delectationem quam ad devotionem.

Ioan. 4.

Lib 10. Confess. cap. 33. 2. 2. q 92 a. 2.

PUNCTUM QUARTUM.

Virginitatis fœcunditas primo producit Martyres, secundo ordines religiosos, tertio Christum.

XII. QUod si magnum desiderium habeas hæc consilia sequendi, & hanc puritatem colendè multum fructum afferet. Et quamvis magna sit convenientia, similitudo, proportio, inter lilium & virgines, tamen etiam intercedit magna differentia. Lilia habent insignia folia sed nullos fructus, sunt ornatus hortorum, sed non Thesaurus. Lilia vero spiritualia habent folia, & fructus sunt ornatus & garæ ecclesiæ, sunt pulchræ & fœcundæ. Ego vobis dicere possum cum sancto Ambrosio, quod hæc virtus gignat Martyres. *Non ideo laudabilis virginitas quia in Martyribus invenitur, sed quia ipsa Martyres facit*, & hoc non quod virginitas perpetua sit Martyrium non cruentum, minus horrendum. Et atrox cruento, sed quod sit Martyrium longius & molestius: *Illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Et in hoc sunt Martyres, quia virgines illæ, quæ firmæ, & immobiles manserunt in sancto suo proposito inter insultus tentationum ad fidem, & desiderium Martyrii eos converterunt, qui eas ad malum solicitarunt, vel eos qui illas irriserunt aut cruciarunt, aut qui illas respexerunt. Sic sanctus Cyprianus Nicomediensis adhuc paganus & magus conversus fuit per sanctam virginem Justinam, ita quoque conversus fuit Advocatus Theophilus per sanctam Dorotheam, quinquaginta Philosophi per sanctam Chatharinam, sanctus Valerianus per sanctam Cœciliam.

XIII. Possem præterea dicere, quod virginitas sit mater ordinum Religiosorum, nam sancti Patriarchæ, qui ordines & communitates religiosas instituerunt, vel reformarunt, fuerunt omnes quasi virgines. Ita legimus de sancto Benedicto, Brunone, Bernardo, Romualdo, Norberto, Stephano Grandmontano Dominico, Francisco Assisiate, Francisco de Paula, Phillippo Nerio, Cardinale Berullo, sancta Clara, sancta Catharina Senensi Teresia. Verum ut omnia uno verbo comprehendamus dicere oportet, quod virginitas sit adeo fœcunda ut produxerit ipsum Sanctum sanctorum, ut genuerit Jesum. Ejus fœcunditas par est fœcunditati Patris omnipotentis quia concepit, donavit mundo eundem filium, idem verbum, eundem DEUM, quem Pater æternus in suo sinu infinito & divino concepit. Hic conceptus est sancti Chrysostomi, nam super illa verba: *Quomodo fiet istud, quoniam virum*

rum non cognosco? Ille dicit, id ideo futurum, quia votum emisit virginitatis: & in alia homilia relata à Metaphraste ait: *Cum enim beata Maria supra omnem naturam humanam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit.* Illa omnibus virtutibus eminentibus, excellentibus, & quidem in summo gradu ornata fuit, verum nisi fuisset virgo, reliquæ non fuissent sufficientes, quæ allexissent & attraxissent filium ad ejus sinum.

Præterea sunt plures sancti, qui per praxin virtutum magis insignium & celebrium, quas quis optare posset, maxime conspicui fuere, quis in charitate magis excelluit, quam pulchra Rebecca? illa aquam hausura ad quendam puteum iverat, dumque casu illuc veniret homo quidam incognitus & peregrinus. Plures camelos ducens, isque eam rogaret ut pauxillum aquæ ex ejus hydria bibere posset, illa dixit, bibe quantum vis, quia non tantum te, sed & tuos camelos potabo. Nonne in hoc magnam suam charitatem ostendit? Quis fuit austerior Judith? Illa vidua erat juvencula, opibus turgentissima, argento, prædiis, suppellectile ditissima, & tamen scriptura testatur, quod per totam vitam civilem portarit, semper jejunarit exceptis solemnioribus festis; illa sequestrata vixit, & in summitate domus assiduò DEUM rogavit, nonne hoc est esse mortificatum?

Gen. 29. v. 14.

Judith. 8. v. 1.

Quænam fuit patientior quam Sara conjux junioris Tobiæ? una ancillarum in ejus præsentia eam calumniis, conviciis, maledicentiis fodicabat, verum bona illa matrona non rependebat vices, nullas referebat injurias, nullo verbo remurmurabat, nec in minimo querebatur hanc insolentiam non perstringebat, nullum ei malum optabat, sed patienti animo omnia concoquebat, & paulisper ad oratoriam secedens, desolatum suum cor DEO offerebat, suamque ærumnam ei proponebat; nonne hoc est esse patientem? quænam fuit humilior Esther? illa maximo imperavit Monarchæ, quem unquam vidit mundus, nullum scio principem potentiorem, quam fuerit Asuerus ejus maritus, ille centum & viginti septem provincias sibi subditas numeravit, nulla Regina unquã cordi sui mariti adeo dominata est, quam Esther occupavit cor sui mariti, illa omnes hujusmodi eminentias pedibus calcavit, illa has dignitates non magis æstimavit quam pulverem, & stercus, & eas velut fimum in horrore habuit. Et quænam fuit devotior Annâ Prophetissâ? Illa teste Evangelista diu noctuque mansit in templo, illa DEO continuo servivit à vigesimo quarto anno ætatis usque ad mortẽ. Et nihilominus hæ fœminæ adeo devotæ, humiles, patientes, Austeræ, Charitativæ, non attraxerunt filium DEI in earum sinum, nec illæ huic consecrarunt suam virginitatem, sed Maria tantum ejus corrapuit, illa solum eum fascinavit, & alexit per dulcia illicia suæ puritatis.

Tob. 3. v. 9.

Esth. 14. v. 16.

Luc. 2. 36.

CONCLUSIO.

Peroratur primo ad impudicos, secundo ad virgines.

XIV. QUæ cum ita sint quomodo tu non magis æstimes hanc virtutem, nec animas illa dotatas æstimes? an tu sis tam impudens, & temerarius, ut per petulantias, verba lasciva, aspectus impudicos, Desideria sensualia, & impura, eas conta-

contaminare audeas? an post hæc patrata audeas sperare patrocinium Beatæ Virginis? an non timeas ejus incurrere maledictionem, eo quod virginem impedias ne intret Religionem, ut suam conservet virginitatem? an non verearis iram Dei, eo quod puellam aut fœminam Christianam induxeris in peccatum? supponamus â te commissum crimen morte dignum, & quod aliqualem habeas spem, quod Regina â Rege tibi sit gratiam obtentura, ac in hunc finem, interim dum Parisiis te detines, ambulatum vadas ad hortum Reginæ, hortulanus vero quam primum intres tibi dicat: Regina maximi æstimat flores, tenacissime eos amat, præ reliquis tamen lilia; tanto amoris excessu illa prosequitur, ut propriis manibus illa voluerit plantare, quotidie illa irriget, illa colat, tamque solicite illa curat, ut quamprimum unus vel â longe ei approximat, timeat, & è fenestra Cubiculi clamet, ne his floribus appropinquet; si certissimo scires, quod verum diceret, & tu pergeres ad aream liliorum, ut illa decerperes, & ea spectante illa evelleres, maculares, quid de te diceretur? ubi esset tuum judicium?

An ulla dici potest adesse apparentia, quod apud Regem pro te intercessura sit? idem reipsa facis, & quidem in materia majoris momenti. tu reus es læsæ majestatis, tu tot patrasti blasphemias, ebrietates, perjuria, tu eges gratia Reginæ cælorum, tecum est actum nisi ipsa pro te intercedat, & veniam tibi obtineat. & an tu ei ansã prebeas ut pro te oret? tu scis, quod unice amet omnes animas virtuosas, principaliter tamen virgines quæ sunt lilia Ecclesiæ:

Qui pascis inter lilia
Septus Choreis virginum.

Tu scis quod tanto affectu feratur erga puritatem, & ipsamet illam plantaverit in area ecclesiæ, quod illam incessanter irriget suis influentiis virginalibus, quod adeo zelet illa lilia, & tam solicita sit erga illa, ut quam primum unus adolescens levis appropinquat ad hæc lilia, mater Dei pro illis timeat, & vereatur ne hic flos decerpatur, aut ne ejus puritas inficiatur per aliquod verbum inhonestum, quomodo quæso tu adeo sis impudens ut audeas unum sanæ virgini tollere? quomodo iis dissuades ne in monasterio cum filio Dei Sponsalia ineant?

XV. Ultimo ad vos ô virgines Christianæ sermo meus dirigitur, vobis spiritus sanctus applicuit illa verba: *florete flores quasi lilium, date odorem, frondete in gratiam, benedicite Dominum in operibus suis. Flores.* Vos estis flores ecclesiæ, ornatus, & delitiæ areæ Jesu. *florete* bonis operibus, actibus pietatis, humilitatis, charitatis, & misericordiæ. *sicut lilium* loquitur de vobis & non dicit *sicut lilia* sed *sicut lilium.* vos debetis esse unanimes, tam strictim conjunctæ, tam sanctæ & inseparabiliter vinculo charitatis colligatæ, ut unicum lilium esse videamini. *Eccles. 39. v. 19.*

Date odorem ne tantum castæ sitis in corde, & in animo, nec dicite, fateor, quod parum sim liberior in conversatione mea, ego subinde jocosum profero verbum, nolim vocari devotaria, Beguinas sufficit quod reipsa devota sim. Apage his nugis. Sanctus Paulus dicit: *providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* & Christus: *sic luceat lux vestra coram hominibus.* & spi-

ritus sanctus: *date odorem.* bonus odor vestræ modestiæ solitudinis, sapientiæ, taciturnitatis spargatur per totam urbem. *frondete in gratiã.* castitas sine gratia est velut flos sine virore, vigore, elegantia, sed est flos languidus, totus flaccidus, est virtus moralis, & humana, non supernaturalis & meritoria. *Benedicite dominum in operibus suis.* Deo agite gratias, ei benedicite, quod hunc Thesaurum adhuc habeatis, quia semel amissus, nunquam amplius recuperatur, sunt eminentissimi sancti in cœlo, magni justi in terra, qui eum vellent habere sicut tu, ut Deo gratum munus offerrent. quod si illi consecres hunc florem, si illum integrum & purum conserves usque ad ultimum suspirium vitæ, tu habebis aureolam particularem, tu eris in choro sanctarum Virginum, in areola liliorum Archangelorum, in numero eorum, *qui sequuntur Agnum quocunque ierit.* Amen.

SERMO
SEXAGESIMVS PRIMVS
Pro Festo purificationis B. M. V.
Contra vana ornamenta fœminarum quæ sunt esca libidinis.

Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Lucæ 2. capite.

EXORDIUM.

POstquam Rex Ezechias legatis Babylonicorum ostendisset suos Thesauros, aromata, pigmenta, & quidquid pretiosi habuit prædixit Propheta totum illum thesaurum ob eam ostentationem â Rege Babylonicorum diripiendum, uti legitur quarto Regum vigesimo. Beata virgo cautior in hoc fuit. quamvis esset *mulier amicta sole* & portaret maximum thesaurum in suis ulnis, attamen hunc thesaurum abscondit, nec voluit apparere quod esset mater Dei, sed potius humillimo vestita induta intravit Jerosolymam, & significavit se quasi unam esse ex aliis puerperis, nam alias si splendide vestita fuisset, non obtulisset oblationem pauperum, sed divitum. magnum & plusquam Regium thesaurum gestant virgines, sed in vasis fictilibus, sed quid faciendum est ut is conservetur in iis & in aliis. imitari debent hodie Beatam virginem humili, & Christiano vestitu ire ad ecclesiam, prodire in publicum, sic enim illud Vas fictile non ostentando hunc thesaurum virginitatis in se & in aliis conservabunt, è contra si per vanos ornatus illud ostentent non ibunt in spiritu in templum, quin potius graviter Deum offendent, & hunc thesaurum in se & in aliis amittent, de quo agemus hoc sermone.

Non Mœchaberis Exod. 20.

I. HOc verbum, consensus, non solum significat crimen illius qui voluntarie delectatur sensualiter, & aule peccare, absque eo quod exterius peccet, sed & peccatum eorum, qui consentiunt & concurrunt ad hoc, ut alii habeant prava desideria, & cogitationes immundas & lascivas; talia sunt peccata fœminarum, & puellarum, quæ per vana & mun-

mundana ornamenta & per pigmenta, fucos, sunt illicia concupiscentiæ. Ut ab hoc abusu vos absteneam ego argumenta adducam primo eruta ex parte Dei, secundo ex parte proximi, tertio ex parte vestri. quando Salvator locutus est de virginibus sub metaphora liliorum, dicit Salomonem in tota magnificentia gloriæ suæ non füisse tam venuste ornatum, sicut est unus ex his floribus. Et quidem principaliter de te locutus est non sacratissima virgo, quia tu es *sicut lilium inter spinas.* ille dicit, quod hi flores non neant ut induantur, sed quod pater cœlestis eos vestiat, per quod singnificare voluit, quod quamvis tu negligas ornatus vanos, & superfluos; attamen corpus tuum dotatum sit quadam pulchritudine perfecta, pulchritudine quæ non pungit, nec stimulos addit, uti facit pulchritudo puellarum, quæ ideo comparantur spinis. *inter spinas; sic amica mea inter filias*, quia potius insinuat, quod instillet puritatem in eos, qui te respiciunt, & ita monstrat, quod in ipso corpore & exteriori homine sis gratia plena; hunc tibi dedit titulum Angelus, qui te salutavit hisce verbis; Ave Maria.

Idea Sermonis.

Deus diligenter observat vana ornamenta mulierum.

II. Vanitates mundanæ in tam malo prædicamento sunt apud Deum, ut juxta Prophetam Regium horreat, & abominetur non solum eos qui iis afficiuntur, sed & qui eas considerant, & inutiliter contemplantur: *edisti observantes vanitates supervacue.* expresse dicit *observantes supervacue*, quia non prohibemur eas velut stultas admirari, contemnere, reprehendere, corrigere, & condemnare. & hinc tu idem fac, & magno studio conare, ut eas observando particulariter condemnes, & graviter punias. De quodam principe nostri ævi narratur quod cuilibet obvio quantumvis audacissimo incussit formidinem, quia dum alicui occurreret, hunc tam fixe intuebatur, ut â capite usque ad calcem eum metiretur, ita ut nil esset in ejus capite, vestibus, gestibus, corpore, quod non observaret. ita Deus vobiscum agit meæ domicellæ. Dum proditis in publicum, vel venitis ad ecclesiam, vos vultis videri, vos in hunc finem vos politis, & sane sufficienter conspicimini, vos videmini, & de hoc nullatenus dubitetis; rerum vos conspicimini ab oculis à quibus non putatis. Deus obtutus suos tam fixè, attentê, & distinctè idque â vertice usque ad calcem in vos conjicit, ita ut non sit capillus in vestro capite, acus in vitta ceu reticulo crinali, plica in vestra stola, palla, calantica & alio mundo muliebri, ut nullus sit motus in vestris gestibus, quem non videat, consideret, & observet, ut vos puniat.

Psal. 30. v. 7. a

Postquam David considerasset rigorẽ justitiæ Divinæ ad visum judiciorum tam formidandorum terrore concussus est, & extra se actus scripsit: *si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* quod si intelligas propriam significationem hujus nominis *observare*, videbis nil aliud esse, quam indagare, explorare, lustrare, cominus intueri. in tota scriptura non invenies, quod id Deus faciat aliis peccatis, quam vanitati: Sanctus vir Job. dixit: Ps. 12. v. 93

scribis

Iob. 13 26. *scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ: posuisti in remo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti:* peccata adolescentiæ suæ non erant impudicitiæ, *pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine;* nec erant avaritia, *si comedi buccellam meam solus;* nec quæcunque alia, sicut ex dictis apparet quæ de vita sua pronuntiat, nam nihil esse poterant quam vanitates exiguæ: Audite minas Dei & videbitis quam exacte animadvertat & distincte attendat etiam minimas fœminarum vanitates, nec breviter eas puniat,

Isai. 3. 16. *pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & composito gradu incedebant, decalvavit Dominus verticem, verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit: in Die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & luculas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & obfactoria, & annulos & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & teristia, & erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.*

PUNCTUM PRIMUM.

Vanus ornatus improbatur primo Argumentis ex parte Dei, primo quia sic corripiunt Deum, secundo quia mendacii arguunt, tertio quia de throno dejiciunt, quarto quia fiunt ei inimicæ.

III. QUod si hæc dixerit fœminis Israhelitarum, quibus solitus est promittere eminentias ac felicitates temporales in præmium virtutum earum, quid non faciet fœminis Christianis, quæ ex sua professione tenentur contemnere gloriam mundi, & honorare opprobria Christi? quid quæso non faciet fœminis Christianis, quibus dicit Apostolus, *glorificate & portate Deum in corpore vestro?* I. Cor. 6. v. 10. viden quomodo loquatur Apostolus: *Dicit in corpore* & non tantum *in anima.* tu pro eo quod portes Deum in corpore, portas pompam diaboli: ita Chrisostomus. *circa margaritarum cultum insania, est pompa sathanica.*

Glorificate Deum. tu eum inhonoras. crispare capillos, vultum stibio pingere, cothurnis incedere nil est aliud, quam velle opus Dei corrigere, & defectum in eo arguere, hoc nil aliud est, quam dicere: tu me non satis perfecte formasti, unde oportet, ut me reformem, tu non satis grandem, coloratam, hominibus gratiosam me fecisti, unde ego melius id volo facere quam tu. omnes Patres Ecclesiæ unanimiter conspirant, ut exaggerent temeritatem, quam committes, dum vis taxare Auctorem naturæ, omnes quasi in iisdem terminis conqueruntur, ex quo apparet quod idem sit spiritus, qui per diversa organa loquitur: De habitu Virgin.

Et quidem primus prodeat sanctus Cyprianus, qui sic inquit, quod si aliquis pictor celeberrimus aliquam imaginem delineasset, & jam supremam manum admovisset, veniret autem alius multo imperitior, & novos adferret colores, nova duceret lineamenta, nonne hoc esse illum pictorem ostendere, eum irritare, ejus bilem accendere, ejus opus tanquam imperfectum censurare? vos scitis quod.

Postquam Apelles incepisset quandam

dam imaginem, quæ debebat esse caput suæ industriæ, & ante ejus completionem vita defunctus fuisset, nec unicus pictor in toto mundo ausus fuerit manum in illam picturam mittere, non obstante quod maximum præmium iis promitteretur. Quomodo ergo tu sis adeò temerarius, ut velis in te reformare opus DEI jam perfectum, ac si nec dum esset ad perfectionem deductum? *Opus DEI est omne* inquit Tertullianus *quod nascitur, diaboli vero quodcunque mutatur.* Et alio tractatu sic fatur. *Quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis Spiritum malitia transfiguravit, ille indubitate ejusmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo manus DEO inferret; Quod nascitur opus DEI est, ergo quod fingitur diaboli negotium est: Divino operi Sathanæ ingenia superducere quam scelestum est.*

Tertul. de cultu fœm. Cap 5 vel secundum aliam editionem Cap. 3.

IV. Argentum vivum & alia, quæ intrant compositionem stibii, & cerussæ paulatim cerebrum penetrant, & organa spirituum lædunt. Noster Salvator dicit: *Non potes unum capillum album facere aut nigrum*: Nemo nec minimum suæ staturæ adijere potest: Quomodo ergo tu mendacii audeas arguere ipsam veritatem, dum dicis: ergo adijciam, addam meæ staturæ, ego me altiorem faciam per cothurnos ego crinibus alium colorem inducam, mediante pulvere ego ex nigris eos faciam fulvos & cur quæso hoc?

Mat. 5. v. 36.

V. Tu dicis ex sola vanitate ut placeam mundo, verum ut propriè in lingua latina hoc exprimam, id nil aliud est, quam velle occupare thronum DEI, eum solio suo ejicere, & in sede ejus se collocare. Thronus Augustissimus, locus deliciosissimus, quem Deus potest habere in terra est cor humanum, unicum tributum quod DEUS ab hominibus sibi pendi vult, ob tot bona, quæ iis præstitit est ut de eo cogitemus, ut ejus perfectiones admiremur, ut nostra corda ejus amore repleamus. Tu hanc gloriam ei vis adimere, hac voluptate eum privare, tu vis, ut alii occupentur circa te, ut de te cogitent, te admirentur, te ament, te laudent, & hoc pro eo quod deberent cogitare de DEO, eum admirari, laudare, & amare; & hoc vis fieri ab iis, qui DEUM laudare & amare præ aliis obligantur.

Omnia peccata mortalia bellum movent omnipotenti, reliqua tamen DEO concedunt aliquod armistitium, hostilitatem suam per aliquod tempus ponunt, in aliquibus locis, aliquibus temporibus ab armis cessant, quamvis sint in habitu, non tamen sunt in actu. Cessant ab hostilitate sua in templo, sub precibus, & aliis operibus piis. Et quis quæso avarus sit adeo insatiabilis, ut ipso Festo Paschatis, aliquem contractum usurarium, vel injustum ineat? Quis vindicativus sit adeo desperatus, ut velit occidere in ipsa Ecclesia? Quis libidinosus adeos effrons ut velit cogitationes lascivas admittere sub ipsa communione? Sola vanitas operum bellum DEO indicit, illa contra eum certat, illa eum persequitur, in locis, diebus, actionibus sanctioribus, in die paschatis, in die nativitatis, in templo, & quidem tunc cum jam sedes in scamno communicantium tua vanitas eum offendit actualiter expresse, & quidem magis audacter quam aliis temporibus.

Pompa tuarum vestium, ubera tua nuda distrahunt assistentes, & eos, qui orant DEUM, eos, qui volunt communicare, eos, qui audiunt tuam confessionem, eos qui tibi dant communionem, omnes hos separas à DEO, ut observent unum cadaver. Viden quæso illum pauperem opificem, qui forsan ab octo diebus de DEO non cogitavit, qui totâ septimanâ nil oravit, qui nonnisi diebus dominicis precatur, hic venit ad templum, ad sacrum cum bona intentione & bona voluntate, ut DEUM ferventer oret, tu ei in templo occurris, fulgor tuarum vestium ejus oculos perstringit, cor ejus replet, devotionem ejus dissipat, & pro eo, quod occupetur circa DEUM, occupatur circa creaturam. Viden quæso misellum peccatorem, qui DEUM toto anno offendit.

DEUS sperans ejus conversionem maxima patientia eum toleravit, cum toto anno diu noctuque in altari maxima misericordia eum exspectavit. Si unquam eum debeat expugnare, ejusq; cor lucrari hoc est in ipso festo paschatis, in ipsa sacra communione. Hic peccator jam est dispositus ad coversionem, jam est præparatus, hic intime confitetur, hoc festo venit ad sacrum ut communicet, in platea, vel templo tu illi occurris, ille videt tua ubera nudata, ejus bonum propositum, quod recenter germinavit, & est tenellum instar violæ in Martio ad primum radium hujus solis marcescit, vel ut melius dicam hujus lunæ funestæ. Ego non loquor de tuo animo, sed de tuis vestibus, quæ sæpius variantur, quam luna, ille oculos in te conijcit, te concupiscit, adulterium committit in corde, ille indigne communicat, & suum acatorem recipit ad damnationem. Viden amabò unum hominem devotum, & spiritualem, qui aliquo festo Beatæ virginis multum laboravit, ut aliquam devotionem haurire potuerit, die antecedente jejunavit, mane surrexit, actioni vacavit mentali: librum legit spiritualem, vadit ad confessionem, communionem, concionem, tua forma, tua pompa ejus animum sauciant, imaginationem habet vivam & delicatam, toto tempore matutino pro eo quod deberet & posset cogitare de DEO, omnes vires adhibet ut repellat, & vincat has pravas cogitationes, quæ eum infestant, quia homines sunt homines, non Angeli, & quantumvis sint casti, spirituales, interiores, mortificati, perfecti, attamen sunt compositi ex carne, & sanguine, habent sensualitatem, & sunt expositi tentationi, & esto essent Angeli, tamen nescio, an, si te videant tibi loquantur, tecum conversentur, non passuri sint aliquam tentationem. Tertullianus in illa verba *videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ.* Cœperunt amare illas, per filios DEI intelligit Angelos, quos damnatos putat ob affectum inordinatum erga mulieres, idem asserunt alii magni Doctores. Ex quo liquet, quod esto essent homines angelici, adeo casti, modesti, perfecti, ut mererentur per antonomasiam vocari filii DEI, in periculo versarentur, si tecum loqui & conversari deberent. *Tert. de habitu mulier C.2. Gen. 6.*

VI. Et quidem isti ornatus fiunt, ut placeas mundo, ut ab æstimeris, lauderis, & ameris, sed quid inquit Paulus: *si adhuc hominibus placerem, DEI Servus non essem.* Et sanctus Jacobus: *Amicitia mundi est inimicitia DEO.* Et Salvator noster *maledictus qui laudatur ab hominibus,* *Gal. 6. v. 10.* *Iac. 9. v. 4.* *Luc. 6. v. 26.*

minibus. Profecto si rem attentius considerem, hi textus salutem meam inpericulo versare significant, invenio quippe hoc officium prædicatoris esse unam ex periculosissimis functionibus, quæ sunt in mundo. Ego allaborare debeo ut vos per meas conciones proficiatis, nam vix vobis proderunt, vix ex iis proficietis, si haud gravatè illas auscultetis, vos eas gravatè audietis, si benevolentiam vestrum non lucrer. Nisi sim gratus, non sum in vestra benevolentia. Sanctus Paulus dicit, *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*, Christus dicit, væ mihi, si ab hominibus lauder, sanctus Jacobus ait, si sim in benevolentia mundi, sum inimicus DEI; ô Patres venerandi, quam miseri, & infelices non sumus, si ut gloriam mundi, laudem, & amicitiam venemur, simus adeo curiosi, & cum mundanis adeo familiares, si tantum tempus insumamus in poliendis, & ornandis nostris discursibus, quantum impendunt puellæ in poliendo vultu, & crinibus crispandis. Mi DEUS, tu mihi prohibes ne vener amicitiam mundi, hoc est vitiosorũ, reproborum tuorũ inimicorum. Vis autem ut gratiam comparem tuorum servorum, justorum, & prædestinatorum. Da mihi illam gratiam ut vitia tanto zelo perstringam, ut mundanorum odium.

In me derivem, ut virtutes Christianas & Apostolicas doceam, ut ita tuis servis placeam. Dic quæso tu blandiloque, cui tanto labore conaris placere? An servis DEI, vel mundi? à quo vis æstimari & laudari? Tantum abest ut servus DEI propter hoc te æstimet, & laudet, ac amet, ut potius te aspectu non dignetur, & te contemnat, irrideat, detestetur, quotidie DEUM roget, ne te amplius respiciat.

Visum fovendo contegat
ne vanitates hauriat

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Psal. 118. Quod si te respiciat, si te æstimet, si te amet, quia omnibus antecellis, jam non est amplius servus DEI. Sanctus Bernardus propriæ sorori, quæ à longe venerat eum visura, loqui non voluit, & hoc tantum, quia vane fuit ornata. Quinimo nec eam aspectu suo dignatus est, quod si ergo non prætendas nisi suspici, laudari, amari à mundo, nõ es ancilla Christi, sed involveris illa maledictione Evangelica: *Væ illi, qui laudatur ab hominibus.* Tu declaras te Christi hostem. Et quomodo non esses ejus inimicus cum tantam stragem edas?

PUNCTUM SECUNDUM.

Argumenta ex parte proximi, primo scriptura, secundo patribus, tertio ratione.

VII. VErum enimvero interim dum tot animæ DEO adeo charæ, & pretiosæ perduntur, tu nil mali intendis, nec minimam pateris tentationem, tu potius velles millies mori, quam vel minimam impuram admittere cogitationem. Perbelle interim tu illas perdis per tuum ornatum, & factum, & plures tentantur pravis cogitationibus, iis delectantur, consentiunt, & damnantur. Ubi est obedientia quam debes huic mandato: *Diliges proximum sicut te ipsum*? Ubi est detestatio qua debemus abominari peccatum, quatenus est

offensa DEI? An forte peccata quæ alii patrant non sint offensæ DEI sicut nostra? Sanctus Dominicus, & alii magni sancti, an non æque deplorarunt peccata aliena, ac propria? quod si timeas tantum peccata propria, tu ea tantum times ex amore proprio. Sed vide, & audi id, quod dicit sanctus Augustinus: *Quem vis contemnere* (hoc est quam tam libere perdis) *pretium ejus attende, & cum morte Christi, totum mundum appende.*

De verbis Dom.

Tu dicis quod non intendas animas perdere, credo hoc & id non nego, interim tamen reipsa perduntur, & per tuam culpam. An te excusatum putes, eo, quod non habeas intentionem? an ille, qui horreo pleno frugibus, armamentario pleno pulvere intrato ignem injiceret causa non diceretur magni incendii? Audi decisionem juris: *Eos, qui negligenter ignem habuerint potes fustibus cædi, vel flagellis jubere*, imo talem juste in furcam ageret. Et sane palea, & sulphur non adeo faciliter concipiunt ignem elementarem quam cor humanum ignem infernalem concupiscentiæ. Tu in publico sine ulla necessitate, utilitate, sed ex sola vanitate portas hunc ignem infernalem. Fastus inquit Tertullianus est titio naturalis, *Naturalis invitator libidinis.*

Tuam salutem C. imperatores ff. de officio præfecti vigilum.

VIII. Quis non videt, quod non sis excusanda ab obligatione & pœna ob tot damna, & peccata quæ inde sequuntur? Sanctus Ambrosius non solum non permittit uni fœminæ ut se ornet, & poliat prodeatque in publicum ea intentione ut videatur, sed & fœminæ, ceu puellæ Christianæ hæc verba formalia dicit: *Non facilè vultus ejus in adolescentis oculos incurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus, vel alienum, vel suum, sed utrumque suum vulnus est.*

Ambr. lib. 1. de pœn. C. 13.

Tu præcise ea intentione vadis ad plateas, templa, choras ut adolescentibus obvia fias, ille autem non vult ut casu iis occurras, ne eos in periculum adducas, & præbeas materiam tentationis. Fœmina casta, & christiana nunquam exibit è suo cubiculo, nec permittet aliquem in illud intrare, nisi omnino vestita sit. Unde nec decens, nec honestum est, quod aliquæ se conspiciendas præbeant, iis, qui sunt à pedibus, à cubiculo, domesticis, dum ubera, collum, brachium sunt denudata, quod balneent in aliquo balneo, in quo ab aliquo possunt audiri, aut videri, vel præbere coram viris lac parvulis sugentibus, nisi omnia bene tegantur, & cooperiantur. Et quamvis tu non agiteris pravis cogitationibus, sed alius ad tui aspectum iis vulneretur, vulnus tuum est. Tu illud per tuam negligentiam inflixisti, nec es excusabilis, sed culpabilis.

Sanctus Chrysostomus ulterius pergit, & inquit. *Etsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia, paravit quippe virus, temperavit venenum.*

Chrys. hom. 17. in Matt.

IX. Et sane ejus ratio convincens est: sit aliquis perversus homo, qui venenum tuo vitro, vel scutellæ injiciat, quamvis casu fiat, ut ex scutella non comedas, vel ex vitro non bibas, vel si comedas, aut bibas, ob naturalem vigorem, aut robur id tibi non noceat, vel quia antidotum mane contra venenum sumpsisti nonne æque coram DEO est reus homicidii, ac si mortuus esses. Tu aptas cerussam, stibium ut vultum pingas, tu te

ornas,

ornas, tu ubera denudas, ut corda hominum allicias, tu vadis hac intentione ad Ecclesiam, aut loca publica, quamvis nemo te videat, quamvis nemo hoc venenū sumat, immo illi, qui te vident nō lædantur, quia sunt genii fortis, & frigidi, aut quia in suis precibus mane bonum propositum formarunt, an non æque culpabilis es, ac si omnes vulnerasses? Profecto deinceps nulla verba impudica nullæ cantiones inhonestæ audiri deberent, quia ut inquit Plato Corpus inficitur per os, anima per aures. Nemo crederet, quantum verba impudica noceant saluti hominum, cum tamen pauci illa confiteantur sicut oportet, pauci scrupulum sibi de iis faciunt, & multi judicant ea non esse nisi lusum infantum. Si obligationi nostræ satis faceremus, nos his oribus infamibus communionem negare deberemus. Et qualem habet apparentiam, quod corpus immaculatum, hunc sanguinem pretiosum Jesu imponamus his sepulchris infernalibus, his oribus fœtentibus, qui quotidie sordescunt & commaculantur? Jesus de iis conqueritur: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psal.

Quando contingit unum verbum lascivum inconsiderate proferri, & imprimi uni animæ, quæ tenax est talium impressionum, quæ habet imaginationem vivam, quæ hujusque fuit immaculata, in corde, & operibus suis, quoad pravos effectus manens tota vita, & omnia peccata tibi imputabuntur. Quod si illud proferat in præsentia decem personarum, tu potes esse in causa, quod decem animæ perdantur. Et quamvis hoc non fieret, attamen propter hoc non desineres esse culpabilis, quia ut inquit Chrysostomus, tu aptasti venenum, sagittam ejaculatus es, tu struxisti laqueos quibus plures perduntur. Idem dicendum est de picturis impuris, de comœdiis inhonestis, de cantilenis impudicis & aliis illiciis lubricis: *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis* inquit Jsaias. Cap. 5. v. 18.

PUNCTUM TERTIUM.

Argumenta ex parte fœminarum, primo quia ex hac superbia oriuntur multa vitia, nempe indevotio, avaritia, prodigalitas, luxuria, invidia, ira, otiositas, scandalum.

X. O Insignem comparationem! quid dicitis vos domicellæ de illo, qui cum in Paschate confiteretur dixit: Reverende Pater ego me accuso quod abstulerim unum capistrum, confessarius qui solum juxta dicta judicabat, quia ad alia non habet jus, nulla eum increpatione perstrinxit sed solum dixit: Charissime debes illud restituere & non amplius facere, furari malum est, prosequere tuam confessionem. Ita, sed non dixit quod loco capistri dissolvisset equum, eumque despoliasset, an ejus Confessio fuit bona? An non decepit DEUM, Confessarium & seipsum. Tu ejus modum agendi irrides, cum tamen idem facias, tu dicis confessario, Reverende Pater accuso me, quod fuerim nimis superbus, confessarius qui omnia in meliorem partem interpretatur non credit, nisi quod ex vanitate peccaris, & ideo nil tibi dicit, nihil tibi imponit, sed

te dimittit & ne pergas, inquit. Et hinc dicis, esse superbum non est peccatum, quia confessarius me objurgasset, si superbia foret peccatum. Tu confiteris quod abstuleris capistrum, sed non id quod inde secutum est. Hæc catena aurea, illud monile, illi torques sunt illud capistrum, ita sunt capistrum, quod te stringit quodque te strangulabit aliquo die. Non dicis quid inde secutum sit.

X. Tu non dicis quod tres vel quatuor horas insumas in tui ornatione & politione, non dicis quod impediaris per hoc à precibus, à præparatione ad communionem, quod per hoc distraharis cogitationibus vanis, & inutilibus in oratione, quod tuum cor totum ponas in te & in tua vanitate prætensâ, & non in tuo Deo, bonitate infinita.

Tu non dicis quod debeas etiam clam surripere patri & matri ut hunc fastum foveas, non dicis quod sis in causa, quod ideo ancillæ trahantur in suspicionem, non dicis quod ut tuum fastum maritus conservet debeat exugere sanguinem pauperum, quod debita non solvat.

Quod si sis paupercula, tu vendis verum honorem, ut hunc falsum honorem veneris, tu illum prostituis illi nebuloni, ut te potire queas. Si sis dives, tot facis impensas in has vanitates, ut eleemosinas vix dare possis, & filium DEI mori sinas ut ornes & nutrias hoc cadaver.

Tu non dicis quod his vanitatibus jungas attractivos aspectus, risus incompositos, fictos gestus verba lasciva, ita ut per hos affectatos mores spem præbeas quinquaginta levibus adolescentibus illud à te obtinendi, quod nec uni convenit, & sis in causa quod prava desideria longo tempore in corde foveant.

Tu non dicis quod in templo oculo invido spectes puellam, & quidem talem quam putas ornatius vestiri, quam ejus status exigat, dumque ejus bona nequis diripere, dente canino dilaceras ejus famam. Tu non dicis quod si vel minimus nævus aspergatur tuo collari, si desit unica acicula, in mille maledictiones prorumpas. Tu non dicis quod hic ornatus sit tibi occasio, quod quinquaginta vicibus debeas te consulere in speculo, huc illucque currere, apparenter tantum ire ad Ecclesiam ut roges Deum, reipsa tamen ut ostentes tuam pulchritudinem prætensam, quod vadas ad confessionem, apparenter ut instruaris reipsa tamen ut videaris. Tu non dicis, quod quamvis tu habeas media fovendi hanc ambitionem, sit alia, quæ te vult imitari, nec hæc media habet, & tamen velit tibi æquiparari, & aliæ similiter plures nolunt minus facere, ut hoc exemplo duarum, vel trium superbarum, tota civitas, & vicinia turbetur.

CONCLUSIO.

Ex Divo Bernardo considerat primo, unde venis, secundo ubi sis, tertio quo vadis. Disce à Tertulliano, quæ ornamenta tibi conveniant.

XII Ut has omnes stultitias deseras adhibe tres considerationes, quas sanctus Bernardus tibi dat: *Considera unde venis, & erubesces ubi sis, & ingemisces, quo vadis, & contremisces unde venis?* Tu descendis ab Eva, tu hæreditasti ejus sexum, defectus, pœnas. Fœmina fuit janua, per quam diabolus intravit in mundum. Illa dedit fructum vetitum, illa prima fuit prævaricatrix legis divinæ. Fœmina induxit ad peccatum, quod Dæmon

Dæmon solus non fuit ausus tentare; illa destruxit hominem, qui fuit imago DEI, illa in causa fuit, ut filius DEI debuerit morte ignominiosa in cruce affici. An ergo post hos errores illa velit esse fastuosa? An putas quod non participes culpas primæ fœminæ? Profectò nimium in te experiris effectus funestos, incommoditates, dum uterum fers, dolores partus, subjectionem mariti. Cum feras pœnam, sine dubio culpas commisisti. *Vivit sententia DEI super sexum istum in hoc sæculo, vivat & reatus necesse est.*

Verum enim vero si pœnalitates peccati alieni non adeo te humilient at minus propriam tuam coercebunt temeritatem, quod si dicas te nullum habere
Ioh. 5. v. 8. peccatum, mentiris inquit, sanctus Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum*
Luc. 13. *non habemus veritas in nobis non est.* Quod si habeas peccata, nec de iis pœniteas, actum est de te. *Nisi pœnitentiam egeritis peribitis.* Pœnitentia porro, ut
Psal. 50. DEO sit accepta, debet esse humilis: *Cor contritum & humiliatum DEUS non despiciet.*

Et quomodo quæso cor contritum & humiliatum possit formari & conservari in habitu fastuoso? Audi sanctum Cyprianum: *An, illa ingemiscit & plangit cui vacat cultum pretiosæ vestis assumere, nec indumentum Christi quod perdidit cogitare? Tu licet vestes sericas & indumenta peregrina induas, nuda es, auro te licet & margaritis condecores, hinc Christi decore deformis es.*

Quod si tuus parens vel avus moriatur, tu ponis vestes coloratas, & induis atras; tu amisisti tuam animam illa mortua est per peccatum, quomodo ergo per pœnitentiam illi non parentas nec funeralia celebras, sed æque fastuosa es, ac ante? hæc vanitas vestium fastuosarum est adeo contraria veræ dispositioni, quam debet habere anima verè pœnitens ut sanctus Carolus Borromæus hanc legem condiderit, *Mulierum confessiones non audiantur, quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ ex auribus gestant monilia, quæ levibus & vanis ornamentis, aliisve similibus lasciviis comptæ accedunt, & ut semel omnia dicam, quæ vestes modestas non habent, cum cogitare debeant, quod ante Tribunal & judicium DEI sui se sistant, & quasi peccatrices misericordiam & veniam suppliciter imploraturæ veniant.*

XIII. Et an hic sit habitus & indumentum unius rei? Quod si velis tua deplorare peccata, an non aliquis te irridebit, dum vides inquit Chrysostomus, ex eodem corde procedere has lachrymas & hanc ambitionem? Et quamvis nunquam aliquod patrasses peccatum, attamen in periculo es, quod illa sis commissurus, tu es in loco pleno laqueorum & retium, in valle lachrymarum, in terra miseriarum. Et qualis sit spes quod possis elabi sine auxilio cœlesti? quale porro habes medium.

Illud impetrandi sine oratione? O quem possis exorare adeo fastuosa & elata? An filium DEI? si sis è numero mundanorum, tantum abest, quod admittet tuas preces, & illas præsentet Deo suo patri, ut suam intercessionem tuæ orationi adjungat, ut à contrario in longiori, affectuosiori, & ferventiori oratione, quam fecit in nocte suæ mortis, in momen-

momento sui sacrificii, in introitu sacrificii cruenti expresse dixerit, *non pro*
Ioan. 17. *mundo rogo.* An sis de mundo, vide bene, attende, cave ne ampulleris. Ille dicit, *si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret*, mundus te amat ob tuos ornatus, & hoc ideo, quia tu te ornas, ut mundo placeas. *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi de mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.*

XIV. Quod si tam viliter tracteris in hac vita, quæ est tempus misericordiæ, quid putas futurum in altera, tum tempus futurum est severitatis, & justitiæ? *Considera quo vadis, & contremisces*, Quales non experieris angores, terrores, horrendas conclusiones, dum coram severo judice Christo debebis sisti? an audeas comparere coram illo cum his genis cerussatis, crinibus adulterinis, cum istis mitris acupictis? Ille pro suo te non agnoscet, inquit sanctus Augustinus, ille te talem non formavit.

In magno speculo exemplorum legimus quandum devotam matronam DEUM rogasse frequenter, dignaretur sibi revelare, quid in suo sexu maximè displiceret divinæ Majestati, ut illud vitare posset, tandem quadam vice vidit animam cujusdam Comitissæ, quæ ei valdè familiaris fuerat à gryphis Ocemonicis acriter cruciari, dumque hæc misella anima coram sua sodali traheretur, horribiliter exclamare cœpit. Eheu ô me misellam! Ego fui casta, sobria, & eleemosynaria, ego solum damnata sum ob meos vanos ornatus, & quod pejus est per illos.

XV. Ut hæc omnia in commoda evadas sequere consilium, quod tibi dat Tertullianus: accipe ornatus, quos tibi præbet Apostolus, vel ut melius dicam ora Jesum, ut tibi illos donet, ille est, qui te fecit, qui tibi dedit esse, illius est te perficere, & tuum esse finire, & complere. Roga ut tibi det fulgorem charitatis, carbasum puritatis, cerussam candoris, & sinceritatis christianæ, nimium sancti pudoris, inaures fidei, & obedientiæ verbi DEI, gemmas & uniones perfecti amoris cum omnibus, adamantes generosæ constantiæ contrà impudentes, & leves adolescentes, catenas aureas, & torques obedientiæ ergà superiores, armillas eleemosynarum, & operum misericordiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem, sic eritis objectum non amoris stulti, & hominis insani, qui vult vos perdere; sed compacentiæ, benevolentiæ, & liberalitatis Dei omnipotentis, qui vos æternaliter beabit.

Amen.

SERMO

SERMO
SEXAGESIMVS SECVNDVS.
Pro Festo Sancti Matthiæ Apostoli.
CONTRA CHOREAS
Saltus; comœdias, atq; alias mundi ineptias Libidinis incentivæ.

Transite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Matthæi 11.

EXORDIUM.

HYæna sermonem humanum inter pastorum stabula solet imitari, nomenque alicujus addiscere quem advocatum foras laceret ut testatur Plinius Lib. 8. cap. 30. Hyænæ similis est mundus, quia ipse imitatur nostri supremi pastoris Christi vocem, & loquendi modum, ut ita incautos homines ad se evocatos perimat. & invitat nos Dominus in hodierno evangelio ad suum suavissimum jugum his verbis: *Venite ad me omnes* &c. sed hanc eandem vocem imitatur mundus & clamat per voluptuosos: *Venite & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter: vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis &c.* Sapientiæ secundo. Verũ attentos & consideratos nos esse oportet, & videre cujus vocem hodie audiamus, an Christi dissuadentis chorearum saltationes, ac varias mundi voluptates, an verò mundi eas persuadentis. Nos in hoc concione contra hanc mundi persuasionem agemus, ac ostendemus invitationem ad hujusmodi esse fallacem.

Non Mœchaberis. Nec corpore eris, nec assensu lascivus. *Exod.* 20.

I. DEi Filius cum venisset in mundum, ut amoris Dei cœlestem adferret ignem, ut in Evangelio inquit; Spiritus malignus, Simia atq; hostis ejus capitalis conatu suo omni allaborat, ut infernalem sensualis atq; inhonesti amoris ignem accendat: Hunc in finem, inter alia media choreas, saltus, atq; alias invenit reperitq; exorbitantias, quas reprobi appellant humanitates aut urbanitates; & S. Augustinus *lugendas* vocat *lætitias*, quod lubricitatis ignis fomentum ac flammæ devorantis titio sunt, à quo luxuriosi in omnium sæculorum protensionem torquebuntur.

Ad evitandas hasce dementias motivum efficacius, quod habere possumus, tuum est, ô Sacra Virgo, bonum exemplum, figurata es per Sanctam illam Virginem, quæ in S. Literis inquiebat. *Nunquam cum ludentibus me miscui.* Honorabile magis epithetum in cœlesti hac divinæ Maternitatis tuæ prædictione tibi datum est, te absconditam, seclusam appellare, *Ecce virgo concipiet*, Hebr. *Haalma.*

Solitudo namque tuum extabat elementum, centrum deliciæ; in hac te Angelus reperit, cum verbis hisce te salutaret: *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

Exordium. Argumenta mundanorum pro choreis.

II. FAteri oportet, Domini, quod prolixo tempore coram Deo considerârim, in corde ponderans, ultrùm hoc subjectum tractare valerem, ac plures rationes, optimæ, apparenter, Spiritui meo se obtulerunt, intentũ istud dissuadentes.

Primùm suscipere, ut quis à recreationibus mundanis homines avestat, quæ tot post sæcula sunt in usu, ac præscriptionis acquisiisse jus videntur; est me ingratum efficere, tædiosum, importunum, Auditoribus meis odiosum; est homines à vitæ hujus dulcoribus velle avertere, dulcoribus, quibus adeò sunt affixi, ut, Tertulliano teste, plures effici noluerint Christiani, metu potiùs, ne recreationibus hisce privarentur, quam martyrii timore. *de spect. c.2.*

Deindè, suscipere est impossibile, est tempus meum ac laborem deperdere, est contrà ventum ac maris fluxus velificare; homines mundani sunt expediti: clament Prædicatores, quantùm velint, nec plùs fiet, nec minus: *Cœperunt hæc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec opere compleant.*

Tertiò denique non solùm impossibile vobis est illas devincere, sed nec convincere poteritis; ut enim idem Tertullianus inquit, hominum sensualitas ingeniosa admodum est, ut rationes adinveniat, argumenta formet, quò suo in jure se tueatur, eloquens valdè, ut causam agat, quam cum passione affectat.

Quodnam delictum est procedere ad saltus, cum sodalibus conversari, personam obducere, chartis atque aleis ludere, assistere comœdiis? Levamina curarum sunt innocua, nemini infertur opprobrium, ut quis se recreet, haud est prohibitum.

Religiosus non sum, uxorem ducere intendo, includi velut Carmelita nolo; ni choreas ac saltationes frequentem, ceu præsidiarius miles deserar.

Recreationes hasce in lege Divinâ prohibitas esse non cerno, Dei neque Ecclesiæ mandata hac de re loquuntur; silet Confessarius, novit me illas frequentare, absolvor cunctis Dominicis, & adhuc ultrà, ludam quantumvis, ac sex licet quod diebus horas lusui impendam, Communionem permittit. Sanctus Augustinus pari delectatione est usus; Auditoribus suis ajebat; Nil mihi videtur dulciùs, quàm in conclavi esse occlusum, Sacram legere Scripturam, ejus indagare intellectum, in quiete ac silentio illius gustare dulcorem. At quid, hîc vobis existam tædiosus, correctionibus meis animos vestros perturbabo, ac tempus in carpendis vitiis, quæ plures haud evitabunt, deperdam. Verùm me deterret Evangelium; Sanctus Paulus mihi occinnit: Insta, argue, obsecra, importunè, à veritate quamvis habeant aversionem. *hom. 25. Exod. 50. circa med.*

Apud S. Matthæum lege, servum qui talentum, nè illud perderet veritus, haud impendit, à Domino suo esse condemnatum, dicebat ei Dominus: *Erogatorem te posueram, non exactorem; quarè non dedisti pecuniam meam, & cum usuris exegissem eam.* Non de prædicationis meæ profectu, ast si veritatem non divulgâro, rationem sum redditurus.

Veri-

Veritas est Orthodoxa magniq; momenti, à mundanis hujusmodi recreationibus Christianis abstinendum esse; quod omni methodo, ad veritatem Catholicam demonstrandam, probare nitor, nempè Scripturis, Patribus, Conciliis, Ecclesiæ primitivæ practicâ, exemplis, rationibus, experientiâ.

PUNCTUM UNICUM.

Punctum unicum: Choreæ & Ludi improbantur: Primò Scripturâ. Secundò patribus; Tertiò conciliis; Quartò praxi primitivæ Ecclesiæ; Quintò exemplo; Sextò rationibus; Primò ob sanctitatem ad quam tenemur; Secundò ob vitia quæ inde oriantur; Tertiò ob periculum concupiscentiæ; Quartò quia perit ibi devotio; Quintò læditur charitas; Sextò pœnitentiæ Spiritus extinguitur; Septimò respondetur ad argumenta mundanorum; Octavò experientia.

III. ECclesiæ filiis Scriptura mandat gravitatem ac modestiam Christianam: *In populo gravi laudabo te.* Ps. 34. v. 18. *Modestia vestra nota sit omnibus.* Nec quicquam adeò repugnat, ac indecentes, hi stolidique motus, qui in saltibus contingunt. Filii mundi hujus tripudiant, capiuntque voluptatem, inquit sanctus homo Jobus: *Infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & cytharam. gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Job 21. 11.

Non inquit, se invicem trucidant, confligunt, conqueruntur, inebriantur, futilia proloquuntur; verùm lusu delectantur, ad sonitum tympani ac cytharæ gaudent, & in momento descendunt ad inferos. Non, ait, cadunt, sed descendunt, ut iis os obstruat, qui cum Deo contendere non cessant & expetunt, An agitare choros, aut ad choreas procedere sit lethale?

Dum Patres vitia reprehendunt, dicere non solent, mortale, veniale peccatum est; sufficere namque Christiano debet, nosse, actionem quampiam Deo displicere, ut abstineat, eamq; detestetur: Et plura sunt peccata, quæ non nisi venialia reputantur, ac nihilominùs sunt gradus, per quos in tartara mortales descendunt, aut ob circumstantias, quæ veneno illa inficiunt, vel quod ad alia graviora delicta deducant, aut divinis succursibus & gratiis Dei actualibus nos privant, quæ maxime nobis necessariæ, ut bono in statu servemur, nec traditionib⁹ succumbam⁹.

Spiritus Sanctus in Ecclesiastico ait: *Averte oculos tuos à muliere comptâ*, ubi Eccles. 9. v. 8.
prohibet, nè videaris, & tamen ad saltus properas, ut fœminas ejusmodi conspicias, sive ut conspiciaris. *Væ! qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam*, ait Propheta Isaias, *Cythara & Lyra, & tympanum, & tybia, & vinum in conviviis vestris, &c. propterea aperuit Infernus os suum, absque ullo termino.* Et prophe- Esaia. 5. v. 11.
ta Amos: *Væ! qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem Psalterii, bibentes vinum in phialis, ingredientes pompaticè domum Israël.* Amos. 6. v. 4.
Et Propheta Michæas: *Væ! qui cogitatis inutilia.* Mich. 2. v. 1. Et benedictus Salvator noster: *Amen dico vobis, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Matth. 12. v. 36. *Væ! vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Væ! qui ridetis.* Luca. 6.

Ut quis se recreet, prohibitum non est, at nota, dum Scriptura de lætitiâ loquitur, semper adjũgere in Domino, *Lætemini*

Psal. 31. v. 11. Habac. 3. v. 18. Phil. 4. v. 2. Eph. 5. v. 6.

temini justi in Domino. Exultate justi in Domino. Exultabo in Deo salutari meo. Gaudete in Domino semper. & scribens ad Ephesеos: *Fornicatio nec nominetur in vobis, aut scurrilitas, aut stultiloquium, sicut decet Sanctos.* Nec fraudulentas permittite adulationes, dum inquiunt, non esse grande malum; hæc etenim in eos, qui Deo non obsequuntur, ejus iram attrahunt. *Nemo vos seducat, inanibus verbis; propter hæc enim venit*, græcè ἔρχεται, *ira Dei in filios diffidentiæ. Ibid.* Paucis, Ecclesiasticus ait, *Cor sapientum ubi tristitia, & cor stultorum ubi lætitia.* In quæ S. Augustinus. An stultis Deus dabit regna cælorum? quibus autem non est daturus regna cœlorum, quid illis restat, nisi pœna gehennarum? Non alios, quàm vosmet ipsos, expeto testes, annon ad convivia, saltus, ac conventus mundanos pomposè proceditis? ut vobis ad sonitum barbitus complacentis? ut hilariter epulemini? rideatis? appetitui satisfiat? An non ibi cogitationes inutiles, verba otiosa, joci, stultitiæ, facetiæ, turpia ac fœda verba? aut æquivoca?

Eccles. 7. v. 5. Serm. 19. de verbis Apost.

IV. Sanctus Chrysostomus in hæc Sancti Pauli verba, *Nec scurrilitas, aut stultiloquium*, evidenter demonstrat, Christianum, de salute suâ sollicitum, non assuefieri verbis jocosis, quæ vos facetiarum nomine coloratis; ordinariè vanitatis proferuntur Spiritu, ut videamini nobiles, dextri, agiles, sodalium recreativi. Inter facta dicta subintrant fœda, non expresse quidem, ast æquivocè, intellectu duplicia; efficiuntq;, & audientes iis adhæreant subtilitatem suspicientes.

hom. 17. in Epist. ad Ephes.

Sæpiusculè immiscentur dicteria, vexationes ob proximi imperfectionem; Si præsto est, confunditur, indignatur, conticescat licet; si absens, eidem refertur, irascitur, vindictam meditatur. Dissensionum hæc sunt incentiva, rixarum, odiorum, inimicitiarum, duellorum.

Post jocos, in res sacras dicta jaciuntur, in Confessionem Prædicationum, Imagines, Ecclesiæ cæremonias, Religiosos; verba Scripturæ immiscentur, Sanctissima quævè in Ecclesiâ sunt augusta, prophanantur; servi, famulæq; & alii minoris ingenii isthæc audientes, quam sacris de rebus concepêre opinionem, venerationem earumq; æstimationem deperdunt; eas ceu prophana, communia, indifferentia, ac parvi momenti reputant; in statum, insensibilitatis, atq; obturationis incidunt, adeò ut perfunctorie confiteantur, communicent, Deum deprecentur, Sermonibus intersint.

Idem S. Chrysostomus cùm percepisset instructas fuisse choreas, atq; Auditorum suorum quosdam iis interfuisse, quamprimùm Cathedram conscendit, acriter in abusus hujusmodi invectus est, atq; inter alia retulit: Si nossem, qui dementiis hisce se præsentes stitissent, de Ecclesiâ expellerem, formidandis eos assistere Mysteriis haud permitterem, easq; ineptias diaboli appellat pompas. Et alibi notat, in nuptiis Patriarcharum Jacobi, Isaac, Abraham, Tobiæ, aliorumq; Sanctorum, quos Scriptura recenset, nullam chorearum ac similium dementiarum fieri mentionem; nuptias quoq; eorum benedixit Deus; ac vos crebriùs in maledictionis ejus anathemata inciditis, quod vestræ mille peccatorum, quæ perpetratis, sunt occasiones.

Tom. 1. Hom. 2. de David & Saul in initio. hom. 56. in Gen.

S. Augu-

S. Augustinus loquens de fœminis, tempus diebus festivis in stultiis alias impudicis choreis perdentibus, inquit, Melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm quod totâ die impudicè saltarent. Et alibi ait, Melius est arare, quàm saltare, aulamq; saltatoriam, nuncupat turpissimam diaboli caveam; & licet tripudiantes in Ecclesiâ sint Christiani, extrà eam sunt Pagani.

lib. de choreis cap.3. 22. q. 122. art.21. ad 1. in Psal. 91. Serm. 215. de temp.

Tertullianus & S. Cyprianus longo antè S. Augustinum tempore vixerunt, & per consequens Apostolis viciniores, judicârunt, vanitates has ita Christianismo esse contrarias, ut integra ad ea damnandum volumina conscripserint, atq; ut demonstrarent se non solùm de Paganorum loqui spectaculis, ubi homicidia, & publicæ fiebant impudicitiæ. Tertullianus objectionem, quâ uti consuevistis, adfert: Nil ibi fit mali, nihil refertur inhonesti, respondet; Qui hostem intoxicare vult, non felli aut absynthio venenum permiscet, at in jusculo benè condito, aut dulci ac delicato parat falerno.

de Spectaculis Sap. 27.

V. Non solùm Sancti particulari, sed & Synodi atque integra Concilia hæc delectamenta improbârunt *in Trullo canone 51.* Patres Constantinopoli post sextam Synodum congregati, sub pœnâ depositionis Clericorum & Laicorum excommunicatione illa prohibent. Concilium Lerida *Canone ultimo*, sub Papa Joanne II. Anno quingentesimo vigesimo quarto habitum pronuntiat, Christianum non decere Choreas, nè quidem in nuptiis ac solennitate matrimoniali.

VI. In primitivâ quoq; ecclesiâ Christiani ab Apostolis aut eorum discipulis instructi omninò abstinuerunt. En, ut Ethnici parentes suos Christianos apud Minutium Felicem Advocatum Romanum deplorabant: Vos verò suspensi ac solliciti, honestis voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica sine vobis, non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis. *Minutius Felix in Octavio; vivebat sub Imperatore Severo, initio 3. ser.*

Quod commune adeò ac notorium erat, ut referente Tertulliano Christiani ab aliis in hoc dignoscebantur, quod ineptiis hisce nunquam assisterent. Et quod id ex obligatione factum ex eo apparet, quod, utidem Tertullianus ait, Pagoni complures Christiani effici recusârint, metu potiùs nè oblectamentis hisce privarentur, quàm apprehensione Martyrii.

Lib.2. de Sacul.

VII. Primævi hi Christicolæ in Scripturâ legerant, devotam Saram Junioris Tobiæ conjugem, Dei in magnâ afflictione suâ auxilium implorasse, atque ei exhibuisse, quod nunquam cum ludentibus se miscuerit, neque cum iis, qui in levitate ambulant, participem se præbuerit. Nôrant è Scripturâ JESUM sæpius plorasse, risisse nunquam; nec unquam subrisisse, aut verbū protulisse jocosum, ut S. Basilius notavit. Et S. Chrysostomus in memoriam nobis revocat, post Christi passionem Sanctorum neminem unquam risisse, posteaquàm mortales Salvatorem necârunt, criminis Deicidii culpabiles. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, *Vocavit nos Deus in sanctificationem, vocatis sanctis, Elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, ut essemus Sancti. Pacem sequimini & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum.*

Tob.3.v.17. homil. 6. in Matth. 1. Thess. 4. v.3.v.7. Rom. 7. Eph.1. v.4. Heb.12.

VIII. Dicitis mihi, Non sum ego JESUS, Sanctus non sum, nec fieri expeto,

sufficit mihi salvari, ut Sanctus sim nō obligor. Non obligâris esse sanctus, inquis? falleris: S. Paulus ait: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Vocatio tua est esse sanctum. *Elegit* nos *Deus in JESU Christo, antè sæcula, ut essemus sancti & immaculati.* Et ad Hebræos: *Pacem inquirite & Sanctitatem, sine qua nemo videbit Deum.* An non Dei voluntatem perficere obligati sumus? vocationem nostram amplecti, & esse fideles?

Salvari vis, nec Sanctus esse curas, duo sunt impossibilia. Non es Christus, at Christianus es, & hac in qualitate obligaris, ceu ipse, vivere, agere, loqui: Servus ejus es, sequi eum teneris; discipulus es, imitari eum debes; unum de membris ejus es, Spiritu ejus animari debes; In vitæ metâ nobis dicebat: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: Apostolus ejus nobis inquit: *Qui spiritum JESU Christi non habet, ejus non est*; An salvari quis potest, si ad JESUM Christum minùs pertineat? Qui non habet spiritum Christi, hic non est ejus, Cum baptismatis undâ ablutus es, dementiis hisce abrenunciâsti, promissis te oppignorâsti has diaboli pompas fugere; si reincidis, perfidus es, falsarius, infidus. Nî baptizatus fores, baptismo careres, ni eas evitaturum te addiceres; Quî tibi communio, Baptismo præcellentior, porrigi potest? Quonam pacto absolvi vales, voluntatem habens falsificandi promissa JESU Christo solenniter ore Patrini coram Ecclesiæ facie facta, & ad quæ Sacramentorum retulisti participationem? Sanè Confessarius te minùs absolvet, nisi obligationis sit immemor, aut Magistro suo infidelis; demonstrabit tibi, choreas hasce similesque conventus

Rom. 8.

seminaria esse vitiorum, mille delictorum formularia; ut enim infit S. Chrysostomus, si uxoratus es, causa extat, quod alienas expetas, tuam despicias, nec ei faveas; atque illa met te dedignatur, alios enim te meliores est conspicata.

IX. Si viduus existis, cum hisce ineptiis assistis, à domo tuâ abes; domesticis tuis minùs invigilas, depravantur servi, filiæ famulæque loquacitate multâ tempus fallunt, negotia tua non perficiuntur.

Si juvenis, contemplaris ac filias concupiscis, in corde tuo infernalem ac diabolicum succendis ignem, ad pudibundos ac degeneres actus te propellentem; verba profers dissoluta, aut æquivoca, vexationes, proximiq; contemptus, querelarum titiones, duellorum, dissensionum atque immortalium inimicitiarum.

Si filia es, juvenes concupiscis, aut ad eorum fabulas attendis, admiraris te respici, adamari; invidiâ in consodales torqueris, quia te pulchriores, excellentiores sunt ac magis venustulæ. In Evangelio JESUS ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est illam in corde suo*: & Tertullianus addit: *Videre, & videri velle, ejusdem libidinis est.*

X. Post originale peccatum, filii ac filiæ, viri & fœminæ sibi invicem adeò periculosæ extant, ut non nisi oculi ictus inconsideratè jactus, obiter, momentaneè, in viâ aut ipsâ quoq; Ecclesiâ, ad magnum quoddam incendium suscitandum sufficiat: testis Salomon, David, testis, qui ajebat:

Et vidi, & perii, sic me malus abstulit error.

Quantò grandius extabis damnum, cum

cum fœminas juxtà te conspicis, non defunctoriè at fixè, ad libitum, binis ac ternis horis? affabiles, blandas, benè comptas, festivas, elaboratis gestibus, chorearum motu, cum in cantationum tubâ sensibus adulantur, & ad lubricitatem provocant? *Multi speciem mulieris admirati*, ait per os Sapientis Spiritus Sanctus, *reprobi facti sunt*.

Eccles. 19. v. 11.

XI. Et sis, quiscunque velis, tempus adeò pretiosum, irrevocabile, ad salutem tibi concessum, magno emendum pretio, deperdis, cujus vel quadrans pro animabus in Purgatorio patientibus optimè impenderetur.

Extinguis in te Spiritum pietatis, charitatis ac pænitentiæ, devotionis Spiritum: Optimè Tertullianus *Deus præcepit Spiritum Sanctum, utpotè pro naturæ suæ bono tenerum & delicatum, cum tranquillitate & lenitate, & quiete, & pace tractare.* Devotionis Spiritus ceu odoriferum est balsamum, velut essentia aquæ vivæ; nil facilè adeò evanescit, non nisi unâ dissolutionis horâ opus est, ut pietatis Spiritus, pluribus septimanis meditatione atq; oratione collectus, abigatur. Nunquam ad Choreas aut Comœdias de Deo aut rebus divinis fit sermo, nec de pietate aut personis devotis, ordinariè fit jocosè, ac computu ad libitum.

cap. 11. de Specta.

XI. Proximi quoque charitas ibi notabiliter læditur, non invidiis solùm, querelis, duellis, inimicitiis ac dissensionibus immortalibus, quæ crebrò maledicentiis & detractionibus, progenerantur; sed & impensis ac profusionibus, quæ ibi fiunt, undè solamen miseris esse posset. Propheta Amos, rationem hanc trutinans ait: *Væ! qui comeditis, agnum de grege, bibentes vinum in phialis, & non compatiebantur super contritione Joseph.*

Amos 6. v. 6.

Basilius Imperator, Macedoniensis dictus, lautum Curiæ suæ Principibus atq; Optimatibus instruxit convivium; conjecerat priùs in vincula filium proprium, coronæ hæredem, Leonem sapientem dictum, innocentissimum Principem; falsè verò calumniis Thedori Santabereni calumniis de parricidio accusatum; jam septem effluxerant anni, cùm in carcere putrescebat, dum medium celebrabatur convivium, Psittacus in aulâ, sive instructus, sive divinæ providentiæ instinctu, lugubri voce, linguâ patriâ exclamavit: αἴ αἴ κύριε λέων, Ah, ah, Domine Leo: Obstupefacti convivæ edendi perdiderunt appetitum, ceu statuæ hæserunt immobiles, ex oculis lachrymarum quantitas distillabat: Quid rerum, Domini, agitur, inquit Imperator? quis vos detinet? eccur non editis? Quomodò manducare absque confusione horribili poterimus, conspicientes animal hoc irrationale nobis ingerere obligationem nostram ac nos reprehendere hîc liberi sumus in luxu ac gaudio, dum filius tuus Princeps in tetrâ captivatis fossâ detinetur. Nôstis, tot orphanos, tot alios pauperes desolatos, Dei filios, ac Salvatoris membra, esse nudos frigore perire, fame mori, nec eis assistitur, pecunia in ludicris oblectamentis insumitur. Quænam isthæc insensibilitas? ubi fraterna charitas? ubi Christiana compassio? ubi misericordiæ viscera, quæ habere debent Prædestinati? *Induimini, sicut electi Dei, viscera misericordiæ.*

Coloss. 3.

XII. Ubinâ pænitentiæ Spiritus est, qui toto vitæ vestræ tempore corda penetrare deberet, jugiterque infinitæ Majestatis offen-

offensam vobis objicere? Qui Regis personam, quam læsisset, præstolaretur, an in risum diffunderetur? Mortis Dei causa sumus, Deus loco nostri occisus est, parricidii hujus complices sumus, & immergemur vanis mundi oblectamentis? Nil adeò compunctionis spiritui contrarium ac hæ dissolutiones, pænitentia ad salutem præcisè necessaria est, dicente Salvatore, *Nisi pænitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, Dulciorem, faciliorem, magisque salutarem peccatorum transactæ vitæ pœnitentiam facere poteritis, quam oblectationibus hisce ac lusibus, ob Dei amorem, vos privando: pœnitentia hæc sanitatem non tollit, bona haud imminuit, familiæ non obest, neque negotiis vestris obsistit.

Lucæ 13.

XIII. Ergò oblectare se, culpâ non caret? non: prohibitum haud est subindè se recreare; ut relaxetur spiritus ac reparetur; verùm cum quopiam tui sexus, at honestè, modestè, rarò, atque ex necessitate, ut defatigata mens vivida magis meliusq; disposita in seriis nostræ professionis ad Dei servitium efficiatur, *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*; ut enim benè Chrysostomus ponderat, quis unquam hominum Spiritu magis intenso rebus seriis, ac S. Paulus se addixit? Quis ampliorem se recreandi causam habuit, ac magnus hic Apostolus? Trium annorum decursu in conversione animarum desudârat, die ac nocte, plorans, prædicans, exhortans, publicè ac privatim, in Ecclesiis ac domibus fideles instruens, *Per triennium, nocte, & die, non cessavi cum lachrymis monens unumquemque vestrûm, publicè, & per domos*, Post tot defatigationes, lachrymas, vigilias, sollicitudines pro omnibus Ecclesiis, oblectamenti loco castigat corpus suum, atque id metu nè reprobus fiat. Non inquit præ timore, nè sanctus sim, nec Apostolatu dignus; verùm ne damnationem incurram. Non ait, nè reprobus fiam, nî corpus castigem, sed nisi post prædicationem corpus in servitutem redigam. Miser homo, quam meticulosus es? à baptismo delictum non patrâsti, incessanter divino in obsequio laborâsti, ac te reprobari imaginaris, nisi corpus castiges? Donrella Domicella hæc non est scrupulosa adeo neque ceu timida, ac multa aliàs peccata commiserat, haud magna Deo servitia exhibuerat, corpus non castigarat recreationibus tempus terit, nec damnationem veretur, quod ejus oblectamenta sunt spiritus relaxationes S. Chrysostomus eodem, quo S. Paulus, timore angebatur: Crede mihi, inquit, in magnâ salutis meæ apprehensione existo, quandoquidem dum precor ploroque pro aliis, tempus mihi deficit, ut pro me suspirem.

Act. 20. v. 31.

XIV. Verùm oblectamenti mei ergò non fit, neque ad Deum offendendum ad choreas procedo, ideò est, quod nudato incedens pectore, gratiosè inibi saliens, diviti pro legitimo matrimonio sponso jungar. Itaque non appetis, ut qui tibi de parte provideat, Paranymphus sit Deus? vis, ut caro sit, mundus, vanitas, dementia? Maritus, quem attrahere prætendis, an non demens foret, si inescari se sinat ac intercipi ad appetitum pauculæ carnis, elaboratos gestus, ac pulchritudinem effictam?

Falleris, ad hujusmodi loca, ut nubant, juvenes nô vadunt, sed ut fœminas decipiant, adament, verborum lenociniis fallant, nasu adunco suspendant, ut in vestri

præ-

præsentiâ alias cavillent, ac vosmet in præsentia reliquarum. Si benè vis nubere, nube sapienti, industrio, & homo ingenio pollens libentius sapientem, modestam, inclusam, quàm saltatricem, mutabilem, marcidis fructibus similem, quinquaginta dierum spatio expositis vento.

XV. Verùm dum mandatorum Dei atque Ecclesiæ reminiscor, Deum solùm adorabis, non reperio choreas, saltationes, aut comœdias esse prohibitas? Sic indies se inebrians, avarus nemini damnum inferens, at mirè propriis affixus bonis dicere valeret; non invenio ebrietatem aut avaritiam in Dei præceptis esse prohibitam; contrà prima duo ac principalia agitur præcepta, quæ Synopsis extant cæterorum, ut ait JESUS: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum.*

Præcepta hæc nos obligant, id non nisi Deum, aut quod ad eum attinet, diligamus, non gaudium, tristitiam aut aliam quàm pro eo, aut ejus servitio habeamus, non nisi de ipso, aut quod ad ipsum refertur, cogitemus, non nisi pro eo, aut quod ad ejus vergit gloriam, agamus; & tu mihi author eris, interesse choreis non fore contrà Deum? de Deo ibi non cogitatur, nulla ergà Deum ibi affectione moveris, nil ibi contingit quod ad gloriam Dei nec mediatè nec immediatè tendat: tu mihi persuadebis, pecunias à te pro Fidicinibus, Comœdis, Cocis expensas, notabiliter scilicet familiam tenuem solaturas? An id est amare proximum sicut seipsum, in superfluas impendere delicias, quod ab incommoditate maximaque miseriâ avertere eum posset?

XVI. Quî igitur silet Confessor, ac me absolvit? Undè est, quod Casuista ejusmodi mihi retulit, malum ideò me non patrare, choreasque ac comœdias actiones esse indifferentes? An opinaris Dei in judicio esse excusatus, si homini adulatori potiùs, tibi in secreto loquenti, nullam dictorum adferenti probam, quàm Prædicatoribus, nullam nisi veritatis interesse habentibus, in publico sermocinantibus de Pastore tuo Episcopo, Deo, dicta sua è Bibliorum textu, Patribus ac Conciliis probantibus adhibeas fidem? Nunquid verum est Casuistam hunc nullum tibi Scripturæ aut Conciliorum attulisse textum? Annon verum est, eum nunquam pro concione dixisse, nec publicè unquam prolaturum, quod in aurem tibi insusurrat?

Putasnè ad Dei tribunal te fore excusatum, si potiùs novo Casuistæ, inclinationibus tuis addicto, quàm S. Augustino, S. Chrysostomo, S. Cypriano, aliisq; Ecclesiæ Patribus, tibi non blandientibus, quod operâ tuâ non egent, fidem adhibeas? Patribus, de quibus in Sacro Missæ officio dicitur; *Vos estis Lux mundi*? Patribus, Scripturam nocte dieque legentibus ac meditantibus, qui ejus intellectum à Spiritu Sancto accepêre, qui nobis à Deo sunt missi, quò ejus aperirent intelligentiam, hasq; dementias acriter insectarentur?

Paucis, supponamus Theologos omnes, Patres ac Scripturam dicere, ineptias hasce indifferentes esse, quod nunquam dixêre, nec dicturi sunt; verùm esto, dixerint speculativè, non verum est dicere in particulari & hypothesi; ut enim inquit Plato, ac post ipsum S. Thomas, nil adeò facilè, quàm morales quæstiones

ac casus resolvere conscientiæ, dum in Thesi secundùm Theoriam in genere ac specie considerantur, quod actio moralis nec bona, nec mala, aut in specie indifferens est, nisi per relationem, quam ad objectum habet, prout bonum, malum est, aut indifferens; Ast nil difficile adeò, quàm in particulari ac hypothesi easdem resolvere quæstiones; actio enim in individuo bona non solùm est per objectum, sed per circumstantiarum omnium requisitarum coadunationes, nec bonæ circumstantiæ absentia, aut repertio malæ vitiosam reddere debet actionem, quæ de se bona foret aut indifferens: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Undè Casuista iste magnâ absque imprudentiâ ac temeritate horribili affirmare nequit, malum minimè perpetrare vos, dum ad jocos, saltus ac choreas properatis; non perfectè loci, temporis, modi, ac personarum præsentium circumstantias cognoscit; ac præcipuè ni certò cordis vestri, soli Deo cogniti, dispositionem agnoscat, *Inscrutabile cor hominis, & quis cognoscet illud?*

Casuista iste an securum te reddere potest in ludo non habiturum te ad avaritiam affectionem, non vanitatem, nec in sodalitiis hisce mundanis invidiam? non vanam in te aut filiâ durantibus choreis complacentiam? In mundo peccata externa graviaq; damnantur, Deus severiùs judicat, rigorosiùs spiritualia condemnat peccata, peccata dæmonum, idololatram esse sui, horrendè sibi atque interresse proprio affigi.

Casuista hic an affirmare potest juvenem quandam filiam non intrà se dicturam, Domina talis, vetula, devota, frequenter communicans, sæpiùs comœdias adit; nil atque iis mali inest. Exemplum vestrum ei audaciam addit, ac juvenis quispiam eandem concupiscet.

Novi adferre vos posse, ac sæpiùs alias adferre objectiones, ut damnandas has mundi consuetudines approbetis. Ut enim dixit Tertullianus, dum oblectamento cuipiam aut temporali afficimur emolumento, passio nostra apta nimis est atque ingeniosa, ut speciosa reperiat argumenta, falsosque ad adulandum splendores; sic avari, vindicativi, perduelles, ebriosi rationes mille plausibiles ad colorandam justificandamque passionem suam allegabunt; ac licet ad eas minimè respondere possitis, condemnatis, ac pari modo ipsi vos condemnant: sicut actualiter vituperio digni, ita & vos, atque in divino judicio cunctæ rationes hæ, argumenta speciosa, causæ præclaræ, quæ merces in favorem carnis, ac mundi exponunt, ceu aranearum tela subtiliter texta eritis, at quæ minimo flatu dissipantur; cuncta etenim hæc argumenta non adeò solida sunt atque irrefragabilia, ut Cœlum & Terra, nec Cœlum & Terra sunt tam solida ac unum Scripturæ verbum aut syllaba. Faciliùs est cœlum & terram transire, quàm unum apicem de lege cadere. *Luca 16. v. 17.* Undè plus momenti in nos unus Scripturæ textus habere debet, quàm omnes humanæ rationes. Plures senis citavi.

XVII. Et si experientia, stultorum magistra, in sapientum animos aliquid potest; exquire ab omnibus Deo dicatis, à Religiosis inquire omnibus, qui olim in mundo extitêre, annon generali suâ in Confessione doluerint, ac se Choreis interfuisse accusârint? Cùm quis è sodalibus vestris ad mortem decumbit, petite ab eo, annon ibi se fuisse doleat, nec

metuat

metuat in die judicii esse reprehendendus; & nè ambages quæramus, vosmet hæc confiteri nôstis; non enim arguentem præfocare potestis conscientiam; verùm confitemini Deum ac Confessarium irridentes, cùm aliàs, dum occasio se præsentabit, redeundi habeatis voluntatem; Si adeò temerarii estis, ut absque vestri accusatione peccata fateamini, non eo usque estis, quod sine confessione mori velitis. Fateamini veritatem, an finitis choreis absq; dolore ac contritione mori vultis? Oblectamenta itaque innocua non sunt, de eo enim, quod inculpabile est, minimè quis pœnitet; Confessarius itaque, qui nè doleatis efficit, officio non fungitur; non enim de Confessionali dimittere vos debet, nisi in statu, quo divino vos vult judicio præsentari.

XVIII. In vitâ B. Magdalenæ de Pazzi à Patre Dominico de JESU Carmelitâ discalceato conscriptâ refertur, *cap.* 20. *vitæ*, Dominum nostrum die quadam in extasi sat amplum animarum Religiosarum numerum monstrasse, horrendis in flammis ardentium; in illud infinite deplorandum ceciderant infortunium, quod recreationibus à Religione datis fuerant abusæ; Oculi ejus in duos lachrymarum torrentes versi sunt, planctusque tristes adeò ac lamentabiles fuerant, ut adstantibus lachrymas excierint. Hoc in planctu voce lugubri ajebat: O animæ Religiosæ, miserabiles! ô miseria extrema! Quod in sanctam recreationem Religiosis permissum, animæ mortem eis causat, horrendamq; damnationis æternæ pœnam infert!

Et si Historia hæc vobis videatur recens, S. Dominici lege vitam; conspicietis spiritum malignum sancto isti Patriarchæ locum, ubi post refectionem Religiosi ejus colloquebantur, monstrasse, ac gloriabundum dixisse, multùm eo in loco sese lucrari. Religiosi erant Ordinis sacrati atque austeri, Ordinis in suo adhuc exordio, ac primo fervore; Religiosi erant sub Patriarchâ, eorum superiore, sub sancti, tamque magni sancti conductu.

Et aula, ubi juvenum ac filiarum fit congregatio; ubi oculi invicem conjiciuntur lascivi; ubi de gulâ sermo instituitur; ubi vanitatis, invidiæ, contemptûs proximi cogitationes formantur; ubi odia, querelæ, duella progenerantur; aula, inquam, hæc annon Diaboli erit aula; fœdior, impurior, immunditiarum plenior ac hara porcorum!

Deseramus hosce controversos, ô animæ electæ, ac cum Tertulliano dicamus: *Vicibus disposita res est.* Omnium rerum est vicissitudo, mundani suis fruuntur oblectamentis, & vos affligimini; Discipulis id JESUS prædixit: *Mundus gaudebit*, ait, *vos vero contristabimini*, tristemini igitur in solitudine, dum mundani tripudiant; ut vice versâ, dum ipsi tristabuntur, vos exultetis; oblectamenta eorum vana sunt & frivola, solida vestra erunt ac vera; gaudii illorum objectum misera quædam est creatura, vestri, Creator futurus est, verus Oceanus omnisque boni Abyssus; gaudia mille amaritudinibus mixta sunt, invidiæ, æmulationum, timoris, diffidentiæ, aliarumque passionum; vestra pura erunt sine ullâ acoris mixturâ; oblectamenta eorum aliquot durant horis, diebus, aut annis; fine carebunt vestra, absque pausâ erunt, ac sine ullâ diminutione in extensionem omnium sæculorum, *Amen.*

SERMO
SEXAGESIMVS TERTIVS,
Pro Festo Sancti Iosephi.
DE LVXVRIA SPIRITVALI,
quæ est Superbia.

Ioseph fili David noli timere Matth. I.

EXORDIUM.

MEo judicio non sine magno mysterio Angelus compellans Josephum nomine Filii David, rem enim magnam ei persuadere voluit, ut nimirum conjugem gravidam, nec tamen à se cognitam constanter retineret & nequaquam, ubi jam moliebatur relinqueret. Sed quo argumento Angelus rem adeò difficilem ei suasit? Non alio nisi insinuando ei ingenitam nobilitatem David, quasi dicat, memento nobilitatis tuæ, & regii sanguinis, nec illi hanc ignominiæ notam inure hic habent omnes nobiles, immò omnes christiani stimulum ad humilitatem cum enim omnes simus nobiles utpote facti in baptismo filii Dei non debemus superbire, nec unus supra alterum efferri: Hinc Augustinus Sermone de mente Domini; *Admonentur hic divites, vel genere nobiles secundum sæculum, cum christiani facti fuerint non superbire adversus pauperes, quoniam simul dicunt Deo Pater noster quod non possunt pie, ac vere dicere nisi se fratres esse agnoscant.* Quæ cum ita sint hodie cum Auctore de superbia vitanda agemus.

Non Mœchaberis. Nec corpore eris, nec assensu lascivus.

QUemadmodum ex corpore atque animâ sumus compositi, duobus mandata hæc modis transgredi possumus, atque in duas luxuriæ species cadere, corporalem aut spiritualem; luxuria corporalis carnale peccatum est, corpus fœdans; Spiritualis Superbia est, animam maculans, ac quæ effecit, ut in Scripturâ Sacrâ Dæmones appellati sint Spiritus immundi. Cuncta filii Dei verba divina sunt atque adoranda; verùm illa, quæ sæpiùs protulit, chariora nobis ac pretiosiora esse debent; ejusmodi est præclara illa maxima, quam tantâ cum affectione mundo publicavit: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

Propositio hæc duas continet ac demonstrat veritates, quas duob⁹ discursus mei punctis perpendere, ac præclaro Sacræ Scripturæ exemplo verificare debeo.

Primùm visuri sumus, quòd is, qui se exaltat, humilietur;

Deinde, quòd, qui se humiliat, exaltetur.

Si ita

Si ita est, ut est verissimum, concludendum est, quòd extremè te, ô Sacra Virgo, humiliaveris, cum sublimiter adeò te videamus exaltatam; Dei filius tibi dixit: *Ascende superius*; Quia in postremo semper loco te collocâsti; & hoc est, quod in amoris tui cantico ajebas, *Nardus mea dedit odorem*, & in illo laudis, *Respexit humilitatem ancillæ suæ. Digna plane, quam respiceret Dominus, cujus odore suavissimo, ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu*; *D. Bern.* Humilitas tua tantùm potuit in Filium Dei, ut de adorando Patris sui gremio in tuum Virginalem sinum, illum detraxeris, quem benedicimus te salutando, *Ave MARIA.*

Idea Sermonis.

Exordium. *Mirum quod Lucifer peccare potuerit. A. Ejus peccatum continet omnes species superbiæ, & vitia, quæ ex eâ oriuntur. B.*

II. IN *Angelis suis reperit pravitatem*, ait Sanctus homo Job. Mirum est, quod alias in stuporem me rapuit, cernere Spiritus Angelicos, atque ipsum Luciferum, præcipuum, nobiliorem, magis illuminatum, omnibus præcellentem, in peccatum incidisse, ac divinæ Majestati extitisse rebelles. Quicunque lethale peccatum committit, in cæcitate est Spiritus, perversum est ejus judicium, in Syncope ac defectu ratio, *In tenebris est, & in tenebris ambulat.*

cap. 4.

1. Ioh. 1. c.

Omnis peccans ignorans. In Lucifero non fuit ignorantia, tenebræ aut cæcitas, filius erat lucis, Intelligentia separata, corruscanti Spiritu; scientiâ ac sapientiâ perfectissimâ dotatus, *plenus sapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradisi fuisti,*

Ezech. 28.

Qui lumen adeò grande obscurari, evanescere, atq; in tenebras poterat mutari?

Ac dein ad quam speciem aut peccati genus ejus reduci potest crimen? dixêre nonnulli luxuriæ fuisse delictum, innitentes verbis Geneseos, ubi dicitur, *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, pulchritudine earum fuisse infascinatos. Verùm Angeli carnem non habent, corpore carent, Spiritus puri sunt, ab omni materiâ exempti, qui ad nullam sensualem delectationem directos habere queunt affectus; ac licet corpore præditi essent, quod S. Bernardi tempore nec dum decisum erat & incertum, primum in eis aut homine peccatum carnis esse nequibat, non poterat esse luxuriæ, gulæ, aut simile quoddam; peccata namque sensualia non nisi rebellione contrà Spiritum committuntur: rebellio carnis contrà Spiritum, effectus est ac punitio rebellionis Spiritus contrà Deum; Spiritus itaque contrà Deum per Spirituale delictum erigitur, prius quàm caro contrà Spiritum vitio sensuali insurgat. S. Augustinus ait Luciferum in peccatum cecidisse invidiæ, hocq; peccatum homine indignum esse. cùm Diaboli sit vitium, Avertat, inquit, Deus hanc pestem à cordibus hominum, nedum Christianorum; vitium diaboli est; non enim diabolo dicitur, ut damnetur, furtum fecisti, adulterium commisisti, sed homini invidisti, *Lib. de Sancta virginitate, & de doctrina Christiana.*

Gen. 6. v. 2.

Apoc. 12. v 7.

Alii opinati sunt, odii in homines ac malevolentiæ fuisse crimen, aut discordiæ ac contentionis cum Spiritibus reliquis, quod in Apocalypsi dicatur, Draco cum complicib⁹ suis præliabatur cum S. Michaële ejusque sequacibus; & quod

Salvator apud S. Joannem dicat, ille homicida erat ab initio voluntate & affectu. Verùm duæ hæ passiones invidiæ ac malevolentiæ cordis humani aut angelici primæ affectiones esse nequeunt; odium enim efficit, ut malum, bono quod amamus, contrarium destruatur; invidia ob alterius bonum est tristitia, quod nobis imaginamur nostrã diminuere gloriam; Itaque invidia ac malevolentia inordinatum in nobis gloriæ aut boni cujuspiam finiti ac creati amorem præsupponunt.

Joann. 8.

Cuncti Doctores unanimiter tenent, crimen ejus superbiæ extitisse peccatum, quo Creatori similis esse desideravit, partiri cum ipso, in Omnipotentis residere throno. Verùm hæc opinio magnis non caret difficultatibus; objici enim potest; Aut Deus esse per essentiam & naturaliter affectabat, aut per gratiam & participationem: Si per gratiam & participationem, non erat hîc peccatum, erat ejus vocatio, *Ego dixi Dii estis. Efficiamini divinæ consortes naturæ.*

Dicere, quòd similis esse Deo appetierit per naturam & essentiam, nulla hic est apparentia, contrà inclinationem foret naturæ, quæ conservationem sui esse desiderat, quævè generis aut speciei mutationem, spe aliam excellentiorem obtinendi, prætendere nequit.

Aut dignitas, quam Lucifer affectabat, erat similem esse Deo per imitationem, aut ei æqualem extare ac sodalem: non ut ei æqualis foret ac socius, rei impossibilis foret pretensio, gravis error id solùm cogitare; Nôrat benè id Angelus, non ita ceci erat intellect⁹, ut rei adeò evidentis esset ignarus; non tam depravatæ erat voluntatis, ut rem ita impossibilem affectare vellet. Quod si Deo tantùm similis esse appetierit, rem licitam, virtuosam, meritoriam intendit ac perfectam, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est,* creaturæ enim perfectio in similitudine ac conformitate cum Creatore consistit; *Estote perfecti, sicut & Pater vester.*

1. Joann. 3. v. 2.

Matth. 5. v. 48.

Cunctæ hæ difficultates sunt grandes, at his non obstantibus, veteris ac novi Testamenti Scriptura docet, Luciferum & Angelos complures superbiæ commisisse peccatum; esse Deo similes voluisse. Angelis peccantibus non pepercit Deus, ait S. Petrus, *Initium omnis peccati superbia*, inquit Sapiens. Ex superbiâ sumpsit initium omnis perditio. Si superbus est Sacerdos, eandem cum diabolo condemnationem est habiturus, ait S. Paulus, *Nè in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Similis ero Altissimo*, ajebat apud Isaiam Lucifer.

2. Pet. 2. Eccles. 10. Tob. 4. 1. Tim. 3. Isaia 14.

III. Agedum ut noscamus, quonam pacto id contigerit, & allegatorum suprà Doctorum opiniones conformentur; Seraphicus Pater S. Bonaventura nos commonefacit, Luciferi peccatum tribus in statibus gradibusq; considerari posse: aut in dispositione suâ atque initio, vel in consummatione ac complemento, aut in obstinatione suâ & obduratione; fuerit id quopiam temporis spatio ac successivè, aut solo momento, pluribus instantib⁹ æquivalente. Peccatum, quod tribus hisce in statibus patravit, omnes superbiæ species complectitur, cunctaq; delicta, quæ stolonum instar vitio huic capitali adjunguntur, quod ex doctrinâ Scripturæ ac Patrum demonstrabo.

in 2. dist. 5. q. 1.

Primùm, inquit S. Augustinus, superbiâ tumidus, & propriæ potestatis delectatio-

de gen. ad literam.

ctatione corruptus animum in contemplandâ pulchritudine suâ, in suspiciendis perfectionibus suis occupabat, *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Hoc cor ejus inflavit, elevans eum suprà se, æstimatione ac suimet opinione ipsum inebriavit, exin obtenebrari incepit, aut suo in intellectu obscurari; Dispositio hæc vana appellatur complacentia. Ac veluti venustas expetit videri, inferioribus eam Angelis exhibuit, ait S. Bernardus, *Voluit lucere non ardere*, apparatu excellentiæ suæ usus, ut cuncti in se oculos deflecterent, ac perfectiones suas admirarentur, desideravit, *Videbam Sathanam sicut fulgur*, proprium fulguris est corruscare, & en totum, ac hæc superbiæ species ostentatio vana appellatur.

Ezech. 28.

Et quoniam præcellentia omnis honorem meretur, à reliquis voluit honorari, laudari ac glorificari ab eis desiderabat, ut homagium sibi redderent, *Gloria est clara cum laude notitia*, inquit S. Ambrosius; & hi elationis rami, vana gloria, sive encomium mundanum appellantur.

Atque ut cæteros ad se extollendum incitaret, seipsum laudibus extulit, significans eis amplissima animi sui decreta, præaltas negotiorum se ac generosas prætendere partes, se promovere se velle atque elevare, omnesque, qui sibi parituri essent, promoturum, *Ascendam, exaltabo solium meum.* Vana erat jactantia.

Post hoc ait S. Thomas. Solus sibi beatitudinis propriæ objectum esse desiderabat, obligari nolebat, ut aliundè mutuam sumeret felicitatem suam, videbatur sibi sat decorus, excellens, perfectus, ad finem suum completus; velut Deus sibimet sufficit, nullibi complementum sui esse emendicans. Intolerabilis erat arrogantia.

1. p. q. 63. in corp.

Aut si agnovit beatitudinem suam esse supernaturalem, ultimum ejus finem solum esse Deum, atque in ipso felicitatis suæ objectum esse quærendum; propriis viribus obtinere nitebatur, ait S. Thomas, beatitudinem non Dei gratiâ, at perfectionibus suis naturalibus obtinere peroptabat; *Illud appetiit, ad quod pervenisset, si stetisset.* Temeria erat præsumptio.

cap. 4. de casu diabol.

Deniq; excæcatus omninò, stupidus, per peccatum insensatus, *Perdidisti sapientiam in decore tuo*, impossibile affectavit, ceu Deus esse desideravit, exaltare thronum suum divinum, imperii summi tenere jus, independens, reliquis omnibus imperare, cuncti pro beatitudinis objecto forent contenti se contemplari ac suspicere, *Similis ero Altissimo.* S. Michaël, animi ejus decreto resistens, appellavit eum, *Quis ut Deus?* Ambitio erat arrogans.

Ezech. 28.

Has superbiæ species alia sequebantur peccata, progenies & maledictæ hujus viperæ abortus: Ingratitudo immanis, dum, ut semet suasque perfectiones suspiciendo, animum occupabat, non referendo grates ei, qui hæc ipsi donârit: Odium in Deum, qui eum damnârat: Ira & contentio cum S. Michaële, sibi resistente: Invidia in homines, prædestinatos ut suum occupent locum: Luxuria spiritualis, de inordinato suimet amore, & sic de peccatis reliquis, de quibus paulò antè Doctores. Ea propter illum Ezechiel Propheta plurium peccatorum arguit, *In multitudine iniquitatum tuarum polluisti sanctificationem tuam. Primum in unoquoque genere est causa & mensu-*

cap. 8.

mensura reliquorum. Ipse est Rex super
Iob 41. *omnes filios Superbiæ.*

Cum quis aliquem suæ conditionis esse vult, notam ei turmalem præbet, suum eidem characterem imprimit, genium suumsuasq; dispositiones illi communicat, vitiorum suorum omnium colore ipsum tingit. An hujus è Scripturâ petitum lubet videre exemplum? Reperio equidem in Bibliis exempla plura eorum, qui se exaltârunt & humiliati sunt, ut Pharao, Holofernes, Aman, Antiochus. Plures comperio, qui se humiliârunt, & exaltati sunt, ut Joseph, Judith, Esther, Dei Mater: Ast illorum, qui cùm exaltati sunt humiliati, ac post humiliati sint exaltati, rara adeò exempla sunt, ut non nisi unicum, idq; celebre ac notabile comperiam; Nabuchodonosor est; historia refertur in Daniele estq; admodùm
cap. 4. ad propositum, cùm quicquid de eo in sensu literali dicitur, Patres in sensu allegorico de Lucifero explicent.

PUNCTUM PRIMUM.

Luciferum imitatus est Nabuchodonosor, & hujus exemplo superbus incidit in vanam complacentiam in ostentationem, vanam gloriam, jactantiam, arrogantiam, præsumptionem, ambitionem: sic exaltatus humiliatur, Primò temporaliter & apud homines, Secundò spiritualiter, quia incidit in vitia quæ ex septem speciebus superbiæ procedunt; Primo in invidiam; Secundo in prodigalitatem; Tertiò in inconstantiam; Quarto iram, Quinto ingratitudinem, Sexto luxuriam, Septimo avaritiam.

IV. SAnctus Propheta inquit, Superbum hunc Regem in Palatii sui aulâ obambulasse, Curiæ magnificentiam ac Babylonis amplitudinem, ac totum superbiâ inflatum dixisse: *Nonnè hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ, in domum regni?* Annon hisce in verbis fœtidum Luciferi halitum conspicitis? quod verba, tot superbiæ species: *Deambulabat in aula*, en vanam complacentiam: *Nonnè hæc est?* en vanam ostentationem; *Babylon magna?* vana gloria, frivola laus: *Quam ego*: en jactantiam; *Aedificavi*; en arrogantiam: *In robore fortitudinis*; en præsumptionem, *in domum regni*, en ambitionem. Prima est,

V. Vana complacentia, *Deambulabat*. superbus in semetipso deambulat, contemplatur perfectiones suas, intuetur se quoque in decore admiratur, ut in plumis Pavo, animi sui vigorem considerat, bellam corporis sui constitutionem, extractionis suæ nobilitatem, vestium fulgorem, splendorem domus, operum suorum perfectionem; in deliberato subsistit proposito, sibi complacet, delectatur, cogitationibus hisce ceu baneo reficitur; instar obambulantis, & auram captantis. David hoc de peccato se purgat, cùm ait: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* *Exinde altera superbiæ species prodit, vana ostentatio.*

VI. Dum se operaque sua suspicit, ut totus ea videat mundus, contempletur, extollat, digito monstrentur, exoptat, dicaturque *Hic est*, en illum?

Quàm

Quàm pulchrum est digito monstrari,
& dicier, hic est!

Si aliqua in arte præcellit, scientiam suam arbitratur inutilem, si id alii ignorent, *Vult scire, ut sciatur*, ait sanctus Bernardus.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Si miles est, generosa facta per universum vult divulgari; si artifex, opera sua vult ut suspiciantur; si Paterfamilias, ut laudibus proles evehantur; si spiritualis est filia, ut ejus devotio celebretur.

Verus humilis instar plantæ est, quæ *tristis arbor* appellatur, non dehiscunt ejus flores ac folia, nec opulentas merces, nisi obscurâ de nocte exponit. Verus humilis in occulto quantum ei possibile, virtutes practicat, *in abscondito*; Non agere se aliquid æstimat superbus, nihil esse, nisi suspiciatur. Videri vult, cognosci, in mundo celebrari in vitâ, post mortem.

Si librum imprimit, non vult latere Authorem. Si quid fundat, vult, ut omnes pulsentur campanæ, & sæpius quidem, ut quis sit, sciatur. Si Ecclesiæ vilem Calicem aut tritum pannum offert, vult ibidem sua locari Insignia, aut nomen.

Constantinus magnus videns Imperatorem Trajanum ad omnes Palatii partes suum incidisse nomen facetè *Herbam muralem* illum appellavit.

Demosthenes inaudiens famulam consodali suæ dicentem, Ecce hunc, ecce Demosthenem! protulit, illâ se die studiorum accepisse recompensationem. Quæ temeritas?

VII. Tertio loco sequitur vana laus frivolaque gloria. Vult ut sibi, suisque operibus epitheta tribuantur magnifica, laudes ac honorum elogia; Darius appellari se voluit Regem magnum: Constantinus Imperator æternus cognominari voluit, loco, quod ei diceretur: Vestra Majestas, dicebatur ipsi: Vestra Æternitas: magnus Turca se inscribit Imperatorum Imperatorem. Si Dominam tantum vocas, quæ puellam se autumat, aut puellam quæ sibi Dominarum celeberrima videtur; Si inquis: Domine, loco perillustris Domine; cuncta sunt deperdita, fidei naufragium facis, accessus in ædem ultra non conceditur. Quarto loco se sistit.

VIII. Vana jactantia: Nec plus nec minus, inquit Plutarchus, velut qui extremâ fame laborat, alterius cibi defectu propriam carnem vorat; Sic, qui extremâ laudum fame conficitur, dum ab aliis minus laudatur, seipsum laudat, non nisi de se sermones miscet, historiarum, à se actarum, relatione aures vobis animumque perturbat, de ipsismet gloriatur peccatis. Detestabile coram DEO peccatum, gravius, quam de quo se quis jactat. Contemptus est formalis, de non commissis se jactitat criminibus: *Pudet non esse impudentem.*

IX. Hanc arrogantia sequitur, quâ id, quod non præstitistis, vobis arrogatis & attribuitis: Ego, ait Nabuchodonosor, hanc Babylon ædificavi. Hallucinatur, non exstruxit ipse, exornavit. Belus fuit, aut Nembroth.

X. *Quam ædificavi in robore fortitudinis meæ.* Quæ præsumptio? Quis stolidus loquendi modus? Anima humilis diceret in debilitate fortitudinis meæ. Humili nil imposibile; diffidens enim sibi, divinæ assistentiæ confidit; superbo

nil impossibile videtur; præsumit de robore suo: ast fallitur, fulcrum est arundineum.

XI. Ambitio tandem malignum hoc opus coronat; amplam hanc urbem Regiam vult esse sedem; Urbs hæc ultrà duo in circuitu milliaria continens, non nisi Palatium ejus est atque Aula, reliqua mundi omnia dominium suum ac Regnum. Superbus cunctis præeminere vult, oleum esse ac chrisma sodalium, imperare ubique præsumit. Dum hæc cogitaret, ecce vocem de cœlo: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, ut scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Dictum, factum; cerebrum ejus mox immutatum est, hypochondriacus effectus est, imaginationis ejus species adeo turbatæ fuerunt & alteræ, ut sibi imaginarit bestiam se esse: Sunt Doctores, qui tenent Dæmonis ipsum potestati fuisse traditum, ac diabolum ejus pervertisse judicium, sensusq; communes; quatuor itaq; incepit reptare pedibus, privatus est Regno, ab Aula Urbeq; expulsus est, voluntas ejus brutalis est effecta. *Fœnum ut bos comedit: Ungues ejus quasi avium*: Capilli ejus in similitudinem aquilarum, aut, ut septuaginta volunt, Leonum crevere, αἱ τρίχες αὐτῦ ὡλεόντων, corpus ejus injuriis temporum fuit expositum, ac *rore cœli infectum est*, atque id omne septem annorum decursu.

XII. An non conspicis eum admodum esse humiliatum? Punitio superborum est ordinaria; Jesus enim mentiri nequit, qui dixit: *Qui se exaltat, humiliabitur*: Si superbis, infallibiter humiliaberis.

Quod prætendis, haud obtinebis: virtutis umbra est honor, si per campos procedis, sole oculis observante, semper te umbra sequetur, ac velis nolis post te decurret: Ast, si terga, ut umbram respicias, soli obvertis, fugiet. Si in cunctis animi decretis, cogitationibus, affectibus, negotiis justitiæ solem, DEI gloriam, animæ tuæ salutem, oculis objicias, referes honorem, undique sequetur, cum in deserti extrema te absconderis, ibi te reperiet gloria, honoraberis: Ast si à DEO te avertas ut adhæreas creaturæ, honores ac dignitates mundanas, in gloriæ DEI præjudicium, ambias, contemneris, umbram tuam nullo unquam tempore assequeris, vero carebis honore, *Gloria est clara cum laude notitia. S. Ambros.*

Cognosci poteris, non laudari & æstimari; nihil adeo hominibus displicet atque inacceptum est, quam Narcissus se suspiciens, se reputans, ac semet adorans, nihil adeo fœdum, horridum, deridendum, detestandum, abominandum, quam qui videri expetit, de se suisque verba miscens, seipsum laudans atque extollens. Noscitur, non omne, quod splendet, esse aurum, Erronum est, in theato, de iis, quæ norunt, apparatu uti verborum mercatorum vilium, in viarum compitis exponere merces; magni atque opulenti Mercatores in cavernis occlusis pretiosas condunt merces; ter-

ræ aurifodinis abundantes nec flores in superficie, producunt aut virorem, vespæ non mellificantes clariorem apibombum edunt, majorem pavuli rivibus, quam flamina, strepitum edunt, in palude rana improba clamoribus obtundit aures, dum interim piscis in vivario obmutescit: Vasis vacui, cum resonat, signum extat. Dux quidam Lotharingicus Doctori, sermonem de pluribus suis qualitatibus inchoanti subtiliter respondit: *Plus titulorum, minus literarum.* Superbus, non temporaliter solum, sed & spiritualiter humiliabitur. Quænam peccato major humiliatio? Ad magnum peccatorum cumulum inclinatus est superbus, vitiorum namque Rex est superbia, magnum post se comitatum trahens. *Superbi inique agebant usquequaque.* Psal. 118.

XIII. In vanæ complacentiæ sequela, invidiæ, fastidio, ac contemptui alterius est subjectus: *Cor feræ datum est ei.* Pulchra S. Bernardi explicatio est in hæc verba: *Singularis ferus depastus est eam.*

Superbus est, appellatus Aper: unum se reputat, phœnicem, singularem, talis vult reputari: *Erraverunt in solitudine, in inaquoso*, ait Psalmista, *Solitudo hæc superborum est, quia solos se reputant, solos sese appetunt reputari*, ait sanctus Bernardus.

Si quis eos in perfectione etsi exigua, aut alterius accessu comparet, si de virtute eadem alius prædicetur, tabescunt zelo: ferus hic aper in Domini vineam impetum facit, communitates, Resp. Religiones devastat.

XIV. Vana ostentatio prodigalitatis causa existit. Nabuchodonosori dicebatur: *Regnum tuum transibit à te*: Et superbus virtutum Regno exutus est, de quo dicitur: *Regnum DEI intrà vos est.*

Operum bonorum deperdis merita, si ea facis, ut ab hominibus videaris: Eleemosynam elargiris, ut æstimeris charitativus: ut confessario placeas, communicas: verba suffers pungentia, ut patiens habeatis. In hoc mundo recipis mercedem, velut Ezechias thesaurorum in Babyloniorum præsentia, faciens apparatum, illos DEI permissione deperdidit.

Plinius refert certas in Africa familias Lib. 7. c. 2. adeo maleficas esse ac pestilentes, ut si quæ inter eas florem quempiam laudet, flaccescat: Si arborem, confestim arescat, si personam, laudibus interimat: Et in Sclavonia esse venenum adeo præsens ac præpotens, ut si deferentes attente contemplentur infantes eos occidant. Nil opus est in Africam, aut Sclavoniam, ad familias ejusmodi reperiendas, se conferre, Urbis hujus plateæ similibus personis sunt refertæ. Si in animæ horto virtutis cujusdam florem plantas, si quod opus bonum, ut videaris ac laudaris progignis, mox cuncta pereunt. *Videte*, ait Salvator, *ne opera vestra faciatis coram hominibus, ut videantur ab eis.*

Ut flores pestiferæ huic familiæ omni occultantur, si bonum aliquod externum opus facere teneris, frivolam intentio gloriam interior non præsumat. *Ita sit bonum opus in publico, ut intentio* Hom. 11. in *maneat in occulto, Deprædari enim desi-* Evang. *derat, qui thesaurum publice invia portat.* Greg.

XV. Laudem mundanam inconstantia sequitur ac spiritus levitas, in bonis

exercitiis instabilitas. In deserto Nabuchodonosor frigori ac calori erat expositus, vento & pluviæ, aliisque temporum injuriis: hodiè tibi plausibilia occinent, cras parvum quoddam occurret infortunium, fridigi ut glacies erunt, nec dignus reputaberis quod canibus obijciaris. Spiritus tuus, qui non nisi per laudes movetur, ceu culminis pinnula versatilis est, & inconstans. Sol de se ipso lumen habens, illud haud perdit, neque mutat unquam; Luna splendore carens, nisi à sole respiciatur, nunc plena est, modo decrescens: Si non nisi ad laudem quæ tibi datur, devotionem obtines, diurnalis erit ac mutabilis.

XVI. Vana jactantia choleram ac dissensiones adfert: miserabilis Rex hic capillos habuit quasi Leoninos, ajunt septuaginta Interpretes. Nullum adeò superbum, nec mage cholericum animal

Dan. 4. v. 3. ut Leo extat, Inter superbos semper jurgia sunt. Cum gloriaris evidentibus mendaciis ac palpabilibus, semper, qui contradicat, reperitur, aut, quod virtuo-

Proverb. 13. v. 10. sus est, tuasque sufferre, nequit imposturas; Aut quia, ceu tu, superbus extat, gloriæque tuæ invidet. Nulla reperitur volucris, vocem adeò ingratam habens, ut Pavo, dum rotat: Discursus nullus ita odiosus est, quivé magis audientium animos torqueat, ac superbi loquacitas, non nisi de se verba facientis, sufferre non vis, ut tibi contradicatur, irasceris, ac grandes in choras querelas.

XVII. Arrogantiam consequitur ingratitudo, & gratiarum DEI abusus, *Rore cœli corpus ejus infectum est.* Quænam isthæc loquendi ratio? Roris cælestis consuetudo haud est, ut fœdet, verum expurget ac debet: Lintea ceraque rore redduntur candida è contra, miserum hunc Regem fœdavit. Quod abluit, ditat, aliasque animas justificat, id deturpat, evertit ac superbum condemnat; DEI sibi gratis adaptans, non eas, ceu ab ipso procedentes, agnoscit, nec grates refert; elatior efficitur, ingratitudine suâ se efficit indignum.

XVIII. Præsumptio luxuriæ causa est. *Fœnum, ut bos, comedit. Omnis caro fœnum.* Superbus carnalis ac voluptatum, ceu taurus, efficitur mancipium, de robore tuo præsumis, reris te intrepidum, generosum ac constantem, ut tam citò cor tuum, quam honorem quis referat; in occasionem te conijcis, ibidem detineris, perseveras: ut tua puniatur præsumptio, ac debilitatem agnoscas, suam Deus subtrahet gratiã, ut cadas permittet.

XIX. Paucis ambitio avaritiæ mater est. Crescunt ei ungues, quasi avium. Ut quis imperet aliis, dignitates adipiscatur, ad officia promoveatur, honestati convenienter vivat, officii sui conservet statum, aliis oportet esse ditiorem, hunc in effectum rapinæ usurpantur, pauperum sanguis exsugitur, serpens in draconem non mutatur, ni plures vorarit serpentes. S. Paulus Thimotheo scribens, loco quod dicat, ut divitibus præcipiatur, nè sint avari, ait: *Præcipe divitibus hujus sæculi, non sublimè sapere.* *1. Timoth. 6. v. 17.*

Tanquam prudens Medicus, ad mali radicem, quam extirpare vult, accedit. Tibi videris hoc coëmpto statu, beneficio tali prognato obtento, rem benè gessisse? An vi pollet intellectus, virtute, prudentiâ, castitatis dono ad servandam continentiam, sacerdotibus necessariam?

Si vir-

Si virtutibus hisce ac reliquis omnibus sit præditus, non vides ambitionem hanc, desiderium hoc in mille injustitias, simonias, falsitates, perfidias, & alias avaritiæ progenies te detrusurum, ut illa DEI maledictio te apprehensura sit: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus.* Hab. 2. v. 9.

PUNCTUM SECUNDUM.

Nabuchodonosor conversus humiliatur. Ejus exemplo tres actus humilitatis exercendi. Sunt à nobis humiliati exaltabimur tripliciter sicut Nabuchodonosor.

XX. **Q**Ui *secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Daniel, qui prædicatoris instar, Prophetæ, ac velut spiritualis Nabuchodonosoris Pater erat, præcatus est pro ipso DEUM, jejunavit, pœnitentiam egit, eleemosynas pro Rege hoc procuravit, conversionem ejus ac stabilitatem à DEO obtinuit; bonam ei DEUS mentem reddidit, ad se rediit, miseriam agnovit, in cœlum oculos levavit, ternos veræ humilitatis actus exercuit, quos imitari debes, si cum DEO in gratiam redire velis, ac ceu Rex hic exaltari.

Primum inquit: *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi.* Fac ut idem, honorem DEO ac gloriam ob bonum omne, quod in te est, attribue. Dic cum S. Paulo: *Gratiâ DEI sum id, quod sum. Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Dic, ut in Missa sacerdos: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus.* Si sapiens sis, ait Bernardus, ne appelles; si sortem hanc non arripis, si in conversione tua ac virtutum practica, quam DEO debes, tibi gloriam attribuis, pace carebis; Dic, ut David: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Tu solus laus mea, gloria, fortitudo mea; de memetipso non nisi debilitas sum atque infirmitas. Dic, ut Baruch & Daniel: *Tibi Domine, justitia, nobis autem confusio.* Tibi, mi DEUS honor & gloria, quod justus es ac sanctus, justitia sis, ipsaque sanctitas, nobis verò confusio, verecundia & humiliatio. Dic, ut Ecclesia: *DEUS virtutum, cujus est totum, quod est optimum, totum, totum. DEUS, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus. DEUS, qui conspicis omni nos virtute destitui.* Magne DEUS, omne bonum, quod in nobis est, de te est: totum, de te totum, nulla ex nobis virtute subsistimus.

[margin: b. 6. — Ps. 117. v. 14 — Psal. 3. 4. — Baruch. 1. v. 15. — Dan. 9. v. 8.]

XXI. Huic veritati si benè es innixus, proximo tuo in culpam, quantumvis gravem atque enormem incidente, non inflaberis, non irridebis, non torvè aspicies, nec contemnes, cum S. Paulo inquies: Quis te discernit à peccatore hoc magno? DEI misericordia? Quid habes, quod non recepisti? Si autem recepisti, quid gloriaris? Dicetis, ut Augustinus: Agnosce gratiam DEI, cui debes, & quod non admisisti; nullum enim peccatum facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo, verum Sancti virtutis suæ gloriam omnem DEO attribuunt, atque ut S. Augustinus, ipsis consulit, DEO ob peccatorum, quæ non commisere, remissionem obligatos se autumant; commisissent enim, ni

[margin: 1. Cor. 4. v. 7 — Augu. hom. 23. & 50.]

DEUS misericordiæ favore impediisset. Ni hæc perpenderis, permittet DEUS ut in manifestum quoddam peccatum incidas, ut adaperiat, & sanet, aut secretam tuam superbiam puniat, quo id, quod agnovit Nabuchodonosor, recognoscas. *Omnes habitatores terræ, apud eum in nihilum reputatæ sunt.* Vide, quid si, respectu universi, totus Orbis in DEI præsentia nihilum est; itaque parum, parum, parva benè pars nihili es: nihil adeo vile, abjectum ac despectibile est, quam nihilum: nec pulchritudo, nec bonitas, aut qualitas est, quibus recommendati queat. Nihilũ nihil facit, nil valet, nil meretur; ac quicquid de nobisipsis habemus, debilitas est, ignorantia, peccatum & nihil. Hac veritate vobis persuasa, nullam vestri æstimationem habituri estis, nõ vobis complacebitis, laudari detrectabitis, nullum vobis attribuetis bonum, non de robore vestro, cum non nisi fragilitas sit, nec ulli imperare præsumetis. Demeritus mortem homo, à patibulo redemptus, si ob vestem in eleemosynam sibi datam superbiret, an non ridendus foret? Si nunquam nisi solum mortale patrasses, de cruce mala redemptus es, verecundari debes, ceu de patibulo ereptus; & nunquid arrogans superbum atque insupportabile est, & talenta aliquot, quæ DEUS tibi eleemosynæ loco tribuit, cristas erigere? *In nihilum reputati sunt.*

XXII. Quæcunque in vos irruet afflictio, contumelia, dedecus, processus, paupertas, infirmitas, persecutio, ut conversus Rex noster, sic & vos dicetis: *Omnes viæ ejus judicia,*
Dan. 4.
Gen. 42.21. ut filii Jacob: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus,* ut David: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Psal. 118.
Ut Sancti juvenes in fornace: *Omnia, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi.* Dan. 3. 31.
Ut felix ille in cruce latro. *Digna factis recipimus.* Luc. 23.41.

XXIII. Si vos ita humiliatis, ut Nabuchodonosor, eosdem, quos ejus, humilitas vestra sortietur effectus: Dictum est, quod ad bonum redierit sensum; causa subest: nam, ut verum fatear, nemo ita intellectu destituitur, ac superbus de se præsumens, DEI atque Angelorum judicio subest, ut hominum judicio subsunt deliri. *Si quis pu-* Gal. 6. v. 3.
tat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, ait S. Paulus.

Major pars eorum, qui in stultorum palatiis habitant, non nisi in solo hoc puncto delirant, quod esse se putant, qui non sunt. Reperies ibi hominem, qui dimidia tecum hora sapienter de magni momenti rebus ceu in mundo prudentissimus, discurret: At post dicet tibi: En stolidum illum juvenem, bene illusum, arbitratur se esse Angelum Gabrielem, & ego, qui DEUS Pater sum, ipsum non ablegavi. Altes officio suo satisfacit, ego sum Papa, debitum mihi non reddit honorem: Omne ejus delirium in eo consistit, quod arbitretur se esse, quod non est, Papam esse, Deum esse Patrem; Sic & nos coram DEO & Angelis desipimus, cum arbitramur nos esse aliquid; nihil enim sumus: humilis ab hac dementia exemptus est; quod si ante superbiit, vere eloqui potest: *Sensus meus reversus est ad me. Et figura mea reversa est ad me.* Superbus omnino deformatus est atque incom-

incompositus, anima ejus passionibus agitatur, inordinatis motibus corpus, caput ceu culminis, pinnula versatilis rotatur, incessanter oculos volvit, ut exploret, an respciatur, honoretur, utrum è primariis quispiam sibi assistat; ut videat aut ex invidia, aut fastu, vestimenta, constitutiones agendi modum; lingua ejus in garrulitates effusa est; gestus incessus, verba elatos humores suos produnt, fœtidos Luciferi anhelitus atq; influentias contagiosas redolent. Verum humilem si conspiciatis, vos ædificat, gestus habet modestos, compositos, recollectos. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, inquiebat Discipulis Salvator. Interna humilis tranquilla sunt, externa bene ordinata, oculi ejus continentur, exactè & ad unguem agit, verba ejus sedata, quicquid in ipso extat, DEI, quo abundat, Spiritum sapit, & cor vestrum ad modestiam ac virtutem incitat; namque, ut Nabuchodonosor, dicere potest, *Ad honorem Regni decoremque pervenit.* Virtutis Regnum, Regnum, de quo dictum: *Regnum DEI intra vos est*: Regnum, de quo Salvator: *Quærite primùm Regnum DEI*: Pœnitens humilis Regnum hoc recuperat; Apostolus enim nos edocet DEUM superbis resistere, humilibus autem dare gratiam. S. Augustinus nos informat, gratias DEI velut cœli esse rores, denatant, ait, de tumore collis ad humilitatem vallis, *August. S. Bernardus* inquit: Sola virtus humilitatis est læsæ reparatio castitatis, addendum charitatis, sobrietatis, aliarumque virtutum.

CONCLUSIO.

Paraphrasis verborum Ecclesiastici quanto magnus es, humilia te in omnibus.

XXIV. Audiamus igitur, atque in praxin redigamus salutarem illã Spiritus sancti admonitionem: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*, ac si dicere voluisset: Si prosapia minor es, fortunâ, conditione, virtute tenuior, nil opus, ut tibi persuadeatur humilitas, plusquam sufficientissimum in temet subjectum habes. *Humiliatio tua in medio tui.* Superbus existens, monstrum videris. Nil monstruosum adeò, nil magis DEO ac hominibus odiosum, ac pauper superbus. *Pauperem superbum odivit anima mea.* Si bonis temporalibus, spiritu, virtute aut merito destitutus superbis. Simia es in editum conscendens, toxico inflatus Bufo, stultus opinans se Monarcham. Quod si humilis, commendare tibi humilitatem non videtur necesse: verum si dignitate præcellis, quo major, debes esse humilior. Amplus es coram mundo, in divitiis amplus, in honoribus, præeminentiis? humilis sic, ac time: *Quod altum est hominibus, abominatio est antè DEUM.* Non semper ex gratia fit, at sæpe per reprobationem, ut honoribus bonisque temporalibus diteris. *Judicium durissimum his, qui præ sunt, fiet.* Si coram DEO ac spiritualiter magnus es, si longo tempore DEO servijsti, tanto plures gratias, virtutes ac merita possides; perdes, ni humilis extes, magnoque erit detrimento, thesauros adeo pretiosos deperdere. *Quanto magnus es.*

Eccl. 3. 20. / Mich. 6. 14. / Eccl. 25. 4. / Luc. 16. 15. / Sap. 6. 6.

XXV. *Hu-*

XXV. *Humilia te*, quod si diceret: Magnifica te, exalta te; excusare te poteris, laboris plenum esse opus, reperiri difficultates, oppositiones, ut quis sese humiliet. Cum angustam transis portam, nè metue, si, quantum potes, te inclinas, ait S Bernardus. Verum si tantillum te erigas, impingis, sic est de anima; minima elevatio metuenda: at nil verendum, si quantum vales, te demittas.

Serm.37. in Cant.

XXVI. *Humilia te in omnibus*, sis humilis in cogitationibus. P. Magister Avila inquiebat. Non esse nos humiles, ni vivaciter, quid ex nobis ipsis in DEI præsentia simus, apprehendamus: De naturæ corruptione coram eo ceu variæ sordes, quæ vermes alunt, extamus, velut apostemata continuò pus ac fœtorem suppurantia, uti cloaca, intolerabilem fœtorem incessanter exhalans; Si fidem facis, in verbis te humilia, cum scias te nihil esse. si te extollis, ac laudari desideras, est mendacem esse ac hypocritam. Humilia te in actionibus, postremum semper locum cape; id tibi infit Salvator, cujuscunque demum conditionis existas. Si ex officio teneris esse in edito, corde atque affectu exta in imo. *Recumbe in novissimo loco*; cave tibi ab his honorum scopulis, qui reprobos figunt: ac certò noris, sententiam hanc Filii DEI citius aut tardius verificandam. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Amen.

SERMO
SEXAGESIMVS QVARTVS
Pro Festo Annuntiationis Deiparæ.
DE FVRTO.

Regnabit in domo Iacob. Lucæ. I.

EXORDIUM.

MErito quis mirari posset, & interrogare, cur Archangelus dicat, quod Christus regnaturus sit in domo Jacob? Annon alii Sancti in antiquo Testamento fuere, in quibus præclariores eluxere virtutes, quā in Jacob? Ita sane. fuit ibi Abraham, fuit Isaac, Noe, David, qui fuit vir secundum cor DEI, ac alii plures. Cur ergo non dicitur, quod in eorum domo regnaturus sit? Jacob interpretatur supplantator, & denotare potest eum, qui ita supplantat bona temporalia studio justitiæ, ut aliena rapere, & retinere nolit. Talis fuit Christus, qui nil alterius accipere, & retinere voluit, hinc ut hanc justitiam doceret, dixit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO*; & cum non teneretur solvere tributum, tamen illud solvit. Si tu velis regnare cum Christo

Christo in domo Jacob, si velis eum imitari, debes supplantare bona temporalia, & ita illa contemnere, ut nunquam rem proximi accipere vel retinere velis. De hoc agam hac concione.

Non furtum facies. *Bona alterius non rapies nec sciens retinebis.*

I. SEptimum hoc est præceptum, cui jungendum est decimum: Bona proximi tui non concupisces. Exo. 20.

Ut fundamentaliter duo hæc Præcepta tractentur, atque ut bene, quidnam furtum sit, declaretur, primum considerare oportet, quæ ejus causa, deinde quæ essentia ac natura, tum quis proprius ejus effectus. Ordinaria causa est avaritia. Essentia ac natura, injuria est proximi bono illata. Effectus proprius est obligatio ad restitutionem. Virtus ex adverso in Filio tuo ac te, ô sanctissima Virgo, honoranda est. Filius tuus justitiæ sol appellatur, *Ex te ortus est Sol justitiæ Christus DEUS noster.* Ecclesia suis in devotionibus te nominat *Speculum justitiæ.* Filius tuus Sol est, quia de semetipso omnes virtutis hujus perfectiones atque excellentias possidet: Tu Speculum es; ab ipso namque recipis, quæ in te, gratiæ ejus auxilio, imitari debemus, quam imploramus te salutando, AVE MARIA.

Idea Sermonis.

Concio complectitur causam, essentiam, proprium effectum furti.

PUNCTUM PRIMUM.

Furti causa est avaritia, quæ vocatur radix malorum, ob tria: Primò quia occulta. Secundò, quia nutrit omnes ramos arboris, nempe omnia vitia, tertiò quia difficile evellitur.

III. R*Adix omnium malorum est cupiditas.* Loco verbi hujus, *cupiditas*, in Græco est φιλαργυρία, amor argenti. Radix est malorum omnium, inquit Apostolus S. Paulus discipulo suo Timotheo scribens. Angelicus S. Thomas, in Commentario super hunc locum, & alii sancti dicunt, optime ad propositum comparasse S. Paulum avaritiam radici arboris, tres ob causas: quia occulta est, quia omnes arboris ramos nutrit, quia difficulter evellitur. Truncus ac rami arboris visui sunt expositi, cum resecare vis, nil adeo visibile, radix occulta est tota, atque in terra sepulta. Non est vitium, quod periculosius nostram cognitionem lateat, ac crimen avaritiæ: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* En deplorabilem statum atque infelicem avari conditionem! curvam omnino animam gestat, in hæc inferiora ac terrestria semper propensam atque obscuratos Spiritus oculos & excæcatos. Sancti talpæ illum comparant, terra undique cingitur, non nisi terram sentit, terram degustat, tangit, neque oculos, nisi in mortis horâ aperit: idem avaro evenit, anima ejus omnino terræ inhærens, non nisi de terra cogitat, loquitur, non affectionem aliam, sermonem atque occupationem, quam pro terrâ habet: quodvè perniciosius est, miseriam suam minus conspicit. 1. Timoth. 6

Cum blasphemus, ebriosus, aut similis peccator alius noxas eluit, primùm quod agit, est suam patefacere debilitatem: De centū avaris, peccata confitentibus, vix unicus se accusat. Cum in perjuros, luxuriosos, vindictæ avidos fit invectio, ii, qui vitiis hisce detinentur, aiunt intrà

se, hæ invectivæ in me diriguntur. Cum in avaritiam quis verba facit, nemo inquit, me hoc concernit, passio isthæc prudentiæ larva se contegit, providentiæ, necessitatis, obligationis ad familiam, posteritatis, magnum mihi onus incumbit, multi sunt filii aut nepotes, eorum quivis quinque aut sex est habiturus, obligor, ut prospiciam, sapiens sibi videtur vir dives, providentia haud est inhibita, & si quandoque vos terrenis affixos animadvertitis, grande id malum non esse ducitis, vobis blandimini, dicitisque intrà vos, non rapio, nulli injuriam infero, si nossem alterius me detinere bona, media consurgerem nocte promptus ad restituendum, non perpendis, quod inquit Salvator: Quam difficile, qui pecunias habent, in Regnum DEI introibunt? Non ait, qui prædantur, sed qui pecunias habent, atque in iis confidunt. Dum Spiritus sanctus inquit. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam*, non ait, rapere sed amare. Distinguens sanctus Paulus à furto avaritiam, non solum dicit fures, sed avaros nunquam DEI Regnum possessuros. *Neque fures, neque rapaces, neque avari Regnum DEI possidebunt.* Idem Apostolus dixit: Radix malorum omnium est pecuniæ amor. Sanctus quoque Eucherius dixit: *Magna est affinitas vitiis cum divitiis*, quod avaritia nutrit, fovet, ac reliqua vitia sustentat; nutrit illa indevotionem atq; in DEI servitio pigritiam, obiter ac distractionibus referti manè.

Prov.28.11. Marc.10.13. Eccl.10.10. 1.Cor.6.

IV. Sacro interestis: Sermoni aut instructionibus nō assistitis, non nisi bis, aut ter in anno communicatis, ut filios in pietate ac devotione instruatis, nil vobis curæ est, semper namque obcursitatis, processibus aliisq; negotiis intricati estis, fovet illa superbiam, S. Paulus discipulo suo indicat: *Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbè sapere.* Cum avaritia bona quæpiam tibi congessit, videri vis, ubique præeminere. In multitudine divitiarum suarum gloriantur, ab omnibus timeri vis, non permittere, ut voluntati tuæ tantillum resistatur. *Dives effabitur rigide.* Si quis alius pari tecum passu ambulat, eique velut tibi fortuna faveat, æmularis, rabie ac maledicentia in ipsum concitaris. *Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit*, malum ei procuras, sufferre id non vult, en te mox in dissensionibus, atque inimicitiis immortalibus. *Divitiæ à dividendo*, divisionum namque causa sunt, si, qui ad te pertinent, cupiditati tuæ non correspondent, si vitrum diffringunt, aut obolum perdant, ira commoveris, mala iis imprecaris, sanctum Dei nomen blasphemas. *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam.* Avaritia luxuriam, intemperantiam atque ebrietatem nutrit, quia media suppeditat, quæ in popina, prostibulo, taberna lusoria, aliisq; in locis depravatis consumuntur, prosolvendi.

1 Tim.6.17. Psal.51.9. Prov.18.24. Eccles.13.30 Prov.15.27

V. Ecquæ apparentia radicem evellere profundius terræ infixam? Quo pacto sanctificabitur homo, vitiorum mancipium? Quisnam eum convertet? An Dei misericordia? Avaritia impedit, quo minus illam misericordiæ operibus promereri queat, ac Danielis sequi consilium. *Peccata tua eleemosynis redime.* Quisnam eum convertet? Decrepitæ ætatis infirmitas, passiones alias omnes refrigerans ac moderans? At inflammatur illa ad ætatis mensuram. Ecquis eum convertet?

An prædicationes? Quænam sanctiores, potentiores, efficatiores Salvatoris nostri prædicationibus? Et Pharisæi explodebant, erant enim avari, sacra refert Historia. Luc. 16. 14. Ast præterea furtorum causa est avaritia, ad restitutionem obligant rapta, ac non nisi raro atque ad dimidium fit restitutio. Veritati huic adstipulaberis, si furti definitionem una mecum enuclees. Nostri Doctores ajunt, esse arripere, retinere, aut alterius bono, contra possidentis voluntatem inferre damnum. *Acceptio*, aut retentio, aut damnificatio rei alienæ, invito Domino.

PUNCTUM SECUNDUM.

Natura, & definitio sunt, rapinæ, malignitas rapinarum, quæ fiunt in foro, quia sunt inevitabiles, pœnales, monstruosæ, scandalosæ.

Est arripere vel per temetipsum, aut alios, secreto furtim aut aperte exigendo, recipiendo, sive tuis permittendo, ut postulent aut accipiant, quæ tibi minus competunt: Velut si quinquaginta aut sexaginta, ob servitium, mercaturam, expendis solidos, pro justitiæ actu triginta non valente, si exigere finis famulum, quod ei non debetur.

VI. *Acceptio aut retentio*: Ac si in Patris aut Antecessorum bona, male parta successisses, famulis, mercatoribus, artificibus, creditoribus quædam debeas, si quæ alter deperdidit, reperisti, ea retinens, furtum perpetras: *Non multum interest, quoad periculum animæ, injuste detinere, ac invadere alienum*, ait Papa Innocent. III. in Conc. Lateran. *Et refertur capitulo sæpe contingit, de restitutione spoliatorum.* Haud magna pro
Cap. 34.
animæ damnatione acceptionem inter ac retentionem differentia subest.

Si confessario dicas, nunc aureos decem Coronatos abripere mens est, postquam quindeni effluxerint dies, hæc immutata erit voluntas, an absolutionis fores capax? Nil minus, nisi propediem, dum potes, restituas: accipere & retinere in eodem prohibita sunt præcepto: *Bona alterius non rapies, nec retinebis*, non restituere furtum est æque criminale, ac rapere, ut & proximi bonis inferre damnum, veluti.

VII. Dum ad venationem properans fruges destruis, si in officium, magisterium aut exercitium, cujus incapax es, te ingeris: si Advocatus existens, Judex, Procurator, Notarius, Medicus, Chirurgus, Apothecarius, ignorantia aut negligentia notabili, causa extas, ut quis suis in processibus, bonis, sanitate detrimentum patiatur, committis.

VIII. Spirituale alterius aut temporale bonum, si vicini depopularis ædes, prædator haberis, ad satisfactionem obligaris. Horrende animam ejus devastasti, in ejus corde thesauros gratiæ DEI, ad nefas illum sollicitando, deturbasti, nec facis reflexionem, minus cogitas, ut miserum hunc infelicem ad bonam semitam reducas.

In definitione additur: Invito Domino, id est, sine consensu ejus omnimodè libero ac voluntario, licet enim consentiat, si aliter fieri peroptet, si ejus consensus extortus, coactus est, & involuntarius, *secundùm quid*: à furto haud excusaris. Cum pauper hic, ut bona ac brevi potiatur justitia, sive ob interesse argenti, quod ei ad usuram mutuo dedisti, dona tibi offert, cum æmulus tuus in

processu, ubi das manus, una tecum convenit, ac tu medietatem concedis, quam justè prætendere valebat, litigando atque ob impensas fatigatus. Cum subditis imponis opera vectigalis, atque illa mandas, ad quæ non obligantur, dicas licet, quod libentes peragant, coram Deo non excusatus es, nam ut vere juris consultus inquit: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris aut domini*, ac præterea nihil consensui tam contrarium, quam vis atque metus, *l. nihil. ff. eodem tit. D. Th. 2. 2. q. 66. art. 8. ad 3.* ac Poëta,

L. velle ff. de regul. iur.

— — — *Quicunque potentior orat,*
Cogit, & in blando vis latet imperio.

X. Nota vim, aut metum, itaque si exiguum quis tibi aut villico tributum exsolvat, quod injustum expavescat processum, quem intentaturus es: Si ruricola tuus vasallus in matrimonium famulo tuo nihil possidenti filiam locat, Si quis diei operas tibi pro mercede impendat, nec integre solvatur, eo quod formidandus es, harum actionum consensus haud liber est ac voluntarius, minus palliatæ hæ injustitiæ, quæ à mundi Magnatibus, aut in Palatiis per justitiæ ministros fiunt, coram DEO justificatæ sunt, è contrario autem simplici furto circumstantiam addunt speciem mutantem, quæ rapina appellatur.

Sect. 29. probl. 9. 14. Aristoteles bellam proponit quæstionem, petitque, cur veteres Legislatores majorem in eos, qui in loco publico, quam qui in privatis ædibus furarentur, pœnam statuerint? aitque, tempore suo eum, qui in civium domiciliis prædabatur, non nisi ad duplum persolvendum fuisse damnatum, si triginta abstulerat coronatos, reddebat sexaginta, si quadram unam binas reddebat: Verum, qui pileum, pallium, indusium in foro, balneis, thermis, aut aliis publicis in locis rapiebat, morte fuisse mulctatum.

Philosophus quatuor subnectit rationes.

Primùm, in ædibus diversa habes, bona tua custodientia, quæ fures arcent, muros, portas occlusas, cistas, invigilantes domesticos. In foro quasi solos tantum oculos habes, si eos tantillum deflectis, à fure diurno quædam subtrahuntur.

Deinde, non recipis in domum tuam, nisi qui arrident, quorum tibi nota fidelitas, alias in damnum tuum vergit. In thermas, aut alium in locum publicum omnes promiscuè ingrediuntur, honestus cum latrone, habitu similes ac vestimentis.

Tum qui in domicilio spoliatur, bona solum deperdit, at cui pileus, aut vestis publico in loco abripitur, confunditur, exploditur.

Denique in foro dispolians non privato tantum, sed & toti Reip. injuriam infert, proclamata, diffamata est Civitas.

XI. Extrahamus à præclaris hisce luminibus profectum: Curiæ cancelli loca sunt publica, cum Ulpianus Jurisconsultos appellet *Sacerdotes juris, L. 1. ff. de justitia & jure.* Et in Deuteronomio textus sacer habet: *DEI judicium est.* Nulla adeo inevitabilis, sensibilis, degenerans, scandalosa, criminalis, digna animadversione injuria est, quam

Deut. 1. 17.

injusti-

August. 4. de Civ. Dei c. 4. injustitiæ, in justitiâ commissæ, Forum à furando, *ait Columella.* Remotâ justitiâ, Quid sunt regna, nisi magna latrocinia?

Primùm, In ædibus canem alere potes, qui eam tueatur, in thermis, aut foro servum res tuas custodientem; in itinere bonum equum ac velocem, quocum latrones secure declines: Verum rabulas evitare minus potes, necessario in eorum manus incides, commercia ac reliqua societatis humanæ negotia ad id te astringunt.

XII. Deinde, si à quopiam tua in æde dispoliaris, pecuniarum nonnihil tibi abreptum est, injuriam illatam, ne confundaris, occultare potes, dum per falsi testis malitiam, perfidiam aut negligentiam Advocati, Procuratoris astutiam, Judicis corruptionem causa cadis, non bona solum deperdis, sed & confusio tibi est publice damnari, displicet tibi indies æmulum contueris superbientem ac trophæa tuis de spoliis erigentem.

XIII. Quæ monstruosa perfidia? DEI te hoc in officium providentia collocavit, ut altare sis libertatis, gratiæ portus, asylum, refugium, caput bonæ spei miserabilium atque oppressorum, & tu eis scopulus es conquassationis fortunarum, bonorum, honoris, salutis, ob conceptum ergà te odium atque indignationem.

Causa existis, quod ab impiis atque infidelibus diffametur Ecclesia, causa es, ut dicant: En Religionem præclaram, eorum Evangelium non nisi charitatem resonat, ostendunt justitiam, æquitatem, misericordiam, & qui sapientes illorum appellantur, sunt lupi rapaces, suam ajunt Ecclesiam assimilari columbæ, & ipsi velut milvi prædantur.

PUNCTUM TERTIUM.

Furti effectus, obligatio ad restitutionem, de qua explicantur articuli Divi Thomæ.

XIV. UT confusiones hasce, similesq; alias abomineris, consideres velim, vitium hoc in plurima te vitia absque remedio ullo atque irreparabiliter, & in damnationem æternam præcipitem agere. Ratio videns est, non est peccatum sicuti alia quæ plangere, confiteri ac de iis agere debemus pœnitentiam hoc autem insuper ad restitutionem obligat; En, quæ non rudioris ingenii Doctores quidam efferunt? Sed sanctus Thomas, S. Bonaventura, aliisque nominatiores Theologi: In articulo primò docet, restitutionem esse 2. 2. q. 62. actum justitiæ commutativæ, ac per consequens fieri debet redditio, proportio, æqualitas rapta inter ea restituenda, inter illatum damnum, ac, quam facis, reparationem. In justitia vindicativa, si è pura misericordia tantillum rigoris legum relaxas, si pœnæ gravitatem cum illa criminis non ponderas, DEI misericordia tuam facilè excusatam habebit: verum in justitia commutativa, si quinquaginta rapueris coronatos, ac non nisi quadraginta quinque restituas, semper fur extas.

In secundò articulo concludit, restitutionem ad salutem necessariam esse. Multum est dicere, cum de salute agitur, absque hoc pœnitentia inutilis

existit; Confessio adulterina est, absolutio nulla, necessitas adeò absoluta, ut nihil excusare te valeat, quam sola impossibilitas. Verum ad reddendum omne quod alterius est, conditione mea ac statu deijciar? obligaris, cum fortunam tuam stabilieris, illam proximi destruens, an non plusquam rationi consonum, ut alterius, tui licet ruina, redintegres? innocentis conditio nunquid melior esse debet illa criminosi?

At religiosus sum professus: Pius V. gravibus pœnis mulctavit eum, qui debitis obrutus religionem ingrederetur, ejusque professionem. *Ipso facto* nullam declaravit. A Clemente VIII. Decretum hoc nonnihil mitigatum est, atque immutatum quoad professionis nullitatem, non quantum ad pœnas impositas. Doctores inquiunt, obligari religiosum ad petendam à superiori licentiam, ut honesto cuipiam exercitio se dedere queat, ut lucretur, unde debita persolvat.

Verum, absque mei diffamatione restituere non valebo, cui namque restituam, perspiciet sibi à me illatam esse injuriam, ac me proclamabit. Hoc casu fideli amico, confessario tradere oportet, qui personam minus nominando reddant, qui acceptum ferant, tibi exhibeant, ut certo noris te coram DEO ab hac obligatione esse exemptum: obligatione adeo stricta, ut neque Episcopus, nec Papa, nec Concilium valeat tecum dispensare. Non Ecclesia, quæ absolvere, ac nodos potest dissolvere Gordios, vota, quantumvis solennia, peccata sint licet magis enormia, quantum ad culpam ac pœnam; ab obligatione hac te liberare potis non est. Mors ipsa matrimonium consummatum dissolvens haud te eximit, si à Sancto resuscitareris, ut uxorem reciperes, obligatus non fores, verum ad solvenda debita tuisque hæredibus, in tui defectu, id faciendum incumbit.

Concludunt Theologi *D. Thom.* 2.2. *q.* 62. *art.* 7. non solum qui furatur, aut injuriam infert, sed &, qui influnt ac cooperantur injuriæ ac damno, quod proximo infertur, ad restitutionem obligari, ut receptatores, seu furum hospites, de quibus in lege civili: Pessimum genus receptatorum. Præcipitur, ut perinde puniantur atque latrones. *l.* 1. *ff. de receptatoribus.* Velut & falsi testes, ac diem falso literis subscribentes, contractuum falsorum effectores, Advocati, Procuratores, consulentes, ac processum, quem norunt esse injustum, prosequentes, aut qui negligentia notabili causa extant, ut eorum clientes causam justam deperdant: Notarii, ignorantia aut malitia testatoris intentionem mutantes.

Quarto loco docent, *D. Th.* præceptum isthoc omni tempore, semper, incessanter obligare, non enim solum præceptum est affirmativum, restitutionem præcipiens, sed & negativum, retentionem inhibens, ac ceu tale sacris in bibliis terminis negativis ordinarie expressum, *Non remanebit merces operarii apud te, usque mane. Nemini quidquam debeatis.* *ubi supra art.* 8. *Lev.* 19. *Rom.* 13.

Proprium est præceptorum negativorum semper & ubique obligare. Lessius societatis JESU *lib.* 2. *de justitia* *Cap.* 12. *dub.* 3.

tia & jure, aliique Doctores ajunt te continuo peccare actualiter, non solum quod semper in habitu es, sed & in actu peccati continuo. Laxiores inquiunt, verum est, te ad minus toties delinquere, quoties cogitatio supervenit, ut solvas, satisfacias, restituas, ac cum potes, non præstas.

En quare S. Paulus dixerit, avaritiam non solum tentationem esse, sed & Sathanæ pedicam, hoc enim vitium sub potentia sua te detinet, atque in damnationis statu, ob difficultatem laxandi habenas, atque evomendi, quod devorasti.

Glutinosa sunt terræ bona, inquit S. Bernardus, fortiter adeo manibus adhærentia, ut separari nequeant, semper aliquid residui hæret; de centum personis ad restitutionem obligatis, ad minus nonaginta non integre præstabunt.

Cunctæ restitutiones, quæ fiunt, sive sit capitellum, quod servus Domino abripuit, magni atque insignes prædones, qui impetum fecere in plebem concussionibus ac tyrannicis oppressionibus, sunt Leonis instar. Divites
Ps. 33. 11. eguerunt, Hebraicè habetur Kephirin, Leones, nunquam prædam, quam unguibus Leo arripuit, auferes, aut dimittet, conditionem suam, ac proventus imminuere pudet, extenuare mensam, culinam, equos. Essedum, de domus luxu, ac vestium pompa quid demere: magni laboris opus, ut quæ in copia abstulere, minutim reddant, hæreditatis male partæ fructus restituere, pauperi pro interesse bonorum, quæ pluribus annis detinuerunt, satisfacere.

CONCLUSIO.

Exhortatio ad vitandum furtum, & faciendam restitutionem, primò scripturâ. Secundò patribus tertiò rationibus ex parte patris Christi, Spiritus sancti, animæ nostræ Sathanæ, filiorum, quartò comparatione, quintò exemplis.

XV. EMenda in melius, ne fureris, nemini injuriam infer, ne peccatum ad restitutionem obligans admitte, aut enim illa facies aut non: Si ita, peccatum contraxisti ac obligationem absque utilitate tua ulla, cum principale atque interesse restituere oporteat, sin minus, cum possis, actum est de te, perditus es æternum. *Væ, qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, lapis de pariete clamabit*, ait Propheta. Avaritiam Hab. 2. 9. inquit malam, est namque parsimonia laudabilis ac meritoria, cum rem parsimoniâ auges, ut eleemosynas pro DEI amore elargiaris. *Væ! quia lapis de pariete clamabit*, quot tuis in ædibus, de pauperum sanguine cæmentatis, lapides extant, quot vestris in cistis pecuniæ aliæque res male partæ existunt, tot sunt voces justitiam inclamantes, ac vindictam in te exigentes, ac sine restitutione absolutus esses ac liber opinaris? Audi S. Augustinum: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Epist. 54. ad Macedonii.

XVI. An pluris tantillum argenti, quam amorem DEO debitum æstimabis, quam ejus amicitiam gratiasvé, quæ bona hæc retinendo deperdis? Ubi respe-

respectus ac submissio, quam sanctæ ejus voluntati debes, ubi obedientia divinis ejus præceptis debita? Ubinam sunt promissa tot facta vicibus, cuncta potius amittere velle, quam eum offendere? Libentius eum offendis, quam ut pecuniæ nonnihil è manibus dimittas, ubi sunt tot ipsi factæ protestationes. Super omnia eum amandi, modicum flavæ terræ plus diligis, quam infinitam DEI Majestatem.

XVII. Ubinam Christiani nomen est, quod gloriæ tibi ducis? Ubi Evangelium, quod profiteris? Ubi fides, quam hisce Jesu verbis debes: *Omnis ex*
Luc.14.33. *vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Væ*
Luc.6.24. *vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Ubi conformitas atque imitatio, exemplis à Jesu nobis relictis debita? Dives cum esset, pauper factus est. Non pauper solum, sed indigus: Terræ bonis se privando, eorum miseriam, infelicitatem ac contemptum proposuit, *Carendo vilia fecit*, ait S. Augustinus, visum dedit cæcis, loquelam mutis, infirmis sanitatem, vitam mortuis, egeno nulli divitias largitus est, charitatem exhibuit quidem, divitias haud dedit: verorum enim ejus discipulorum nota est paupertas, non divitiæ, cumque ad eos divites efficiendos pauper est factus, fuit, ut illos in paupertate non divitiis faceret divites. Propter nos egenus factus est, ut ejus inopia divites essemus: & vobis divites esse collibet? *Qui amat*
Eccles.5.9. *divitias fructum non capiet ex eis.*

XVIII. Ubi fides, his sanctus Spiritus verbis adhibenda: Qui amat divitias, fructum non referet. *Nihil est iniquius,*
Eccl.10.10. *quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* Animam, DEI imaginem, Angelorum sororem, omnium creaturarum Reginam, adeo pretiose redemptam; propriæ illam vitæ Jesus præposuit, ait, *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Et vos non æstimatis, animam damnationi oppignoratis, ut tota ardeat viva, in omnem æternitatem, ob caduca ac pereuntia bona?

An sufferre valebis ignem? cape experimentum, vivo digitum adhibe carboni, quid non dares, ne flammas has sentires, non dico die uno, sed horâ unâ, quadrante solo? paucula bona reddere non vis, & tamen redimerent te, ne in milliones annorum & millones arderes?

XIX. O quantum Sathanam exhilaras, quantos ei cachinnos exsuscitas, ut sic te explodat, quod tyrannidi suæ tradaris, ac pro tantillo te ipsi divendas? *Venundatus es, id faceres malum.* Idem, ac si ei diceres: Oppignoro tibi, in hypothecam trado animam meam, cedo tibi illam, remitto ac transfero: Sim tuum usque mancipium, parti, quæ mihi de Paradiso est, renuncio, æterni Patris donationi, filiationi adoptivæ, redemptioni ac Filii meritis, gratiis Spiritus sancti, Virginis patrocinio ac favori, Angelorum amicitiæ, sanctorum societati, quieti conscientiæ. In pravo potius statu continuè subsistam, à synderesis torquebor furtis, centena committam peccata, in confitendo fiam negligens, sacrilegia in confessione perpetrabo, Creatorem meum, ceu Judas, indigne sumam, bonorum operum meorum omnium meritum deperdam, murmuris ac complurium odii ero objectum,

ctum, fame, tristitiâ, indignatione pereant, sim damnationis eorum causa ob rancorem, quem ergà me ferunt, & hæredem malè parta nunquam restituentium, horror extem atque abominatio Dei & hominum, libentius cuncta hæc aliaque mille inconvenientia incurram, quàm ut debita exsolvam, viduæ isti satisfaciam, processum hunc injustum deseram, ad hoc, quòd injustè possideo, bonum restituam.

XX. Pro quibus id conservas? pro filiis? qui fortè non sunt, nec erunt, aut forsitan tui haud sunt, pro filiis aut nepotibus ingratis, perfidis, grates tibi non reddituris, qui tui obliviscentur, in sepulturâ tuâ exultabunt, ac profusè cuncta absument, quæ modo sollicitè coacervas; qui insurgent alius in alium in litium impensis, consument & illa, quæ aliundè hæreditârunt, his injustè acquisitis opibus ac injustè retentis perdituri, maledictionem sibi totiq; familiæ provocabunt.

XXI. Fac, ceu piscis ille, Scolopandra dictus, qui cumprimùm piscatoris hamo se interceptum sentit, promptè illicò & escam simul & hamum evomit, sicque effugit. Hamus, quo te Sathan inuncat, peccatum est, esca, quâ te pascit, est malè acquisitum alterius bonum, hamum lubens non escam evomere velles, à peccato te liberare, alterius bona retinere; quod omninò est impossibile.

XXII. Fac, ut nostro sæculo prædives ille Inda, qui finito sermone suos arripiens thesauros, atque iis, quos fraudârat, distribuens, ajebat: *Pereant mihi, nè ego peream*, perdam bona hæc, nè anima perdatur. *Pereant mihi*, bona hæc terrena sunt, *nè ego peream*, anima mea de Cœlo provenit; Bona hæc transitoria, anima mea immortalis; Bona hæc hîc remanebunt, animam referam; Hæredum meorum sunt pro solo me anima mea est; Bona hæc, grandia licet usquequaq;, vera nõ sunt, cùm tot malignos, ea possidentes, bonos haud efficiant; veræ non sunt divitiæ, nec opulentos nec contentos reddunt possidentes. *Tam deest avaro, quod habet, quàm quod non habet*, relinquere illa tempore suo cogor, velim nolim, absque merito, meliùs nunc voluntariè ac meritoriè desero.

Fac, velut in Evangelio Zacheus, staturâ pusillus, promptè, perfectè, gaudens restituit; ne præstoleris, ut testamento reddas, morte prævenieris, Notarius ponet unum *qui pro quo*; Testamenti tui minutum occultabit, non exequentur hæredes, in suo, ceu tu, testamento, ut satisfiat, mandabunt, plus de salute tua curæ ac de temet non habituri.

Fac, uti Zachæus perfectè, dicens: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; Ut damno atque interesse illorum, quos fraudavi, malim ut habeant de meo, quàm ego de hoc, quod ad illos attinet. Cumque parva potuerim patrasse furta; quæ personis iisdem, quibus abrepta, restitui nequeant, dimidium bonorum meorum do pauperibus.

Fac, ceu Christianus, ac pro Dei amore, ut Apostoli præcepto pareas, dicentis: *Reddite ergò omnibus debita*, & JESU asserentis: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Si ita agis, non ex tædio aut invitè facturus es, sed, Zachæi instar, gaudens *suscepit illum gaudens*. Si ita ages, de animâ tuâ, totâq; familia dicetur, Hodiè salus ac benedictio Dei huic domui facta est, Amen. *Rom.* 13. *Matth.* 22.

SERMO
SEXAGESIMVS QVINTVS
Pro Festo Sanctorum Apostloorum Philippi & Iacobi.
DE PECCATIS
Quæ
Committuntur in Aulâ.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Ioann. 14.

EXORDIUM.

VErni hujus temporis amœnitas & omnis generis florum undique pullulantium suavitas jure meritò animos nostros erigere debet, ut ad cœlum suspiremus, & modum investigemus, quomodo ad cœlestem patriam perveniré possimus, & dicere cum Philippo, *quomodo possumus viam scire*, scilicet ad patriam illam cœlestem, amœnissimam, jucundissimam perveniendi. Et quamvis omnes Catholici meritò deberent hodie incipere, & solicitè quærere, quænam sit via, quâ itur ad astra, tamen ante alios meritò hoc debent facere judices, advocati, & ii, qui in Curiis versantur, quia illi sunt in periculosiori statu declinandi à via, illi ergò meritò dicere debent, *quomodo possumus viam scire.* Et quærere cum Davide: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescit in Monte sancto tuo?* Et cum eodem respondere: *Qui operatur justitiam, qui non egit dolum in lingua sua, videbunt viam esse*, si operentur justitiam. De hac agemus hoc sermone.

Non furtum facies, Exod. 20.

I. QUidam Demosthenis æmulus, cùm Oratorem hunc, magnam, ob præclaros discursuum successus, acquisiisse famam conspiceret, die quodam ad societatem non vulgarem eidem objecit, dicta ejus olere lucernam, ac si diceret, elaborata nimis esse; Sapienter respondisse fertur; Metuerem sanè, nî præmeditatè ac studiosè de Reip. negotiis verba Atheniensium populo facerem. Advocatus erat eloquentissimus, qui plebi dicturus erat: hodiernâ luce indisertissimus comparet Orator, cui coram Advocatis, judicibus, Magistratu perorare incumbit: illi non nisi Atheniensibus dicendum, mihi Christianis, illi Reip. negotia, mihi provincia animarum, salutis, æternitatis demandatur: Verùm quid profari debeam, valdè mihi perpendendum, insufficientissimum me ad id muneris comperio, nî Filii tui gratia, ô sacra Virgo, mihi præsto sit; à S. Joanne peccatorum vocatur Advocatus, *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem.* Et Ecclesia in te eandem agnoscit qualitatem, *Eja ergo Advocata nostra:* Ipse ad Deum Patrem suum nostram agit causam, tu apud Verbum incarnatum; Ille causam orat, Patri latus ac sacrata vulnera exhibens; tu dilecto maternum pectus & ubera: *Filius ostendit Patri latus & vulnera; Filio ostendit Mater pectus & ubera; nec potest esse repulsa, ubi tot ac tanta sunt amoris insignia;* Pater nihil denegat

negat Filio, nec Filius Matri, neque tu unquam miseris animabus pœnitentibus, quæ ad pedes tuos confugiunt, ut devotè facimus nos verbis te Angelicis salutantes, *Ave MARIA.*

Idea Sermonis.

Laudes virtutis justitiæ.

II. JUSTUS *Dominus, & justitiam dilexit, Ps.*10. *Domine, qui habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in*
Psal. 14. *monte sancto tuo? qui ingreditur sine maculâ, & operatur justitiam.* Verum id est, Domini, nullam Deo magis acceptam virtutem, Reip. utiliorem, ac vobis proficuam magis atque honorabilem in praxin redigere noveritis, quàm si dignè ac Christianè in justitiæ administratione officio fungamini, *Diligit Dominus por-*
Psalm. 86. 1. *tas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Qui scripturæ notitiâ pollent, nôrunt antiquitus ad populū Dei, Auditoria fori, palatia, audientias, justitiæ tribunalia in portis urbium fuisse celebrata: *Nobilis in*
Prov. 31. *portis vir ejus, cùm sederit cum Senatoribus terræ: Non confundetur, cùm loque-*
Psalm. 126. *tur inimicis suis in portâ.* Plus diligit Deus Septa ac Basilicas, quam reliquas Urbis domos omnes, id est, acceptior ei est bona justitiæ administratio, quàm cæteræ virtutes in ædibus privatis ac particularibus practicatæ.

Dixêre veteres, Themidem est Astræam, justitiam & æquitatem utrumque Dei cingere latus, ceu ejusdem delicias, easque intimas suas; At Plutarchus eorum dicta corrigens, ac veri instar Christiani loquens in Tractatu quem confecit, ut probaret Principem debere sapientem esse, prudenter ait, non solùm dicendum esse, Deum justitiam inter & æquitatem residere, sed ipsummet Justitiam esse & æquitatem. Benè; dicit enim JCT. in 1. Reg. Juris in Digestis: *Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat, non ut ex regula jus sumatur, sed ut ex jure quod est, regula fiat:* Leges justitiam & æquitatem haud faciunt, ast ipsam supponunt, explicant ac mandant: Deus est prima omnis recti regula, lex æterna & essentialis, radix ac justitiæ totius origo: & velut in divinâ suâ essentiâ perfectiones possibiles omnes atq; imaginabiles continet, justitia eminenter virtutes cunctas complectitur:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλαμβάνεται πᾶσα ἀρετή.
Justitia in sese virtutes continet omnes;

Proprium & hoc illi inter alias virtutes atq; excellens est, quod non solùm in profectum ac particulare eam possidentis, tendat ornamentum, sed & ad universale ac generale totius Reip. bonum. ἀλλότριον ἀγαθόν, ait Plato. Justinianus in principio Institutionum fatetur, Coronas Regias ac Majestates Imperiales non minùs jurisprudentiâ, quam vi ac robore armorum protegi: & Leo atque Antonius Imperatores, hominum præcellentissimi ajunt, Advocatos, qui benè officio funguntur, atque à fortiori judices. *Non minus providere generi humano, quàm si prælijs ac vulneribus patriam parentesque defenderent, L. Advocati, Cod. de Advocatis diversorum judicum.* Cùm motivo, ac Christianâ è charitate id præstant, merentur, ut ad honorem eorum dicatur, quod Imperator Anastasius de temporis sui Advocatis proferebat: *Laudabile vitæque hominum necessarium Advocationis officium, maximè principalibus præ-*

miis oportet remunerari, L. laudabile, Cod. de Advocatis diversorum judicum.

Benè inquit, Laudabile officium oportet remunerari; quid enim laudabilius, gloriosius ac recompensatione dignius judice, ab omnibus æstimato, verè incorrupto, inviolabili, juris Ecclesiæ protectore Patre orphanorum, viduarum defensore, bonorum scuto, flagello maleq; viventium terrore? *Qui imperio nil minus, quàm imperium cogitat, qui se civibus datum arbitrator, non sibi cives; quem prodeuntem certatim velut beneficium, ac salutare numen aspiciunt; inter amorem, timoremq; medii & alternis judiciis ambigentes dominum salutent, an patrem.* Psal. 46. 10. *Pij fortes terræ vehementer elevati sunt,* Verùm, ut privatio tantò funestior est ac deploranda, quantò forma ei opposita excellentior est ac perfectior: *optimi corruptio pessima*; Justitia virtus adeò nobilis ac pretiosa est, docet Scriptura, experientia demonstrat, ac tribus in punctis exhibebo: nil coram Deo esse criminosius, Reip. perniciosius, sibimetipsi inimicum magis, ac judex injustus. Admonitiones meæ præservativa sunt remedia, non curativa: ad præveniendum malis futuris, non ad præterita corrigendum; ecquis enim ignorat Urbis hujus Palatium in totâ Europâ celebre semper extitisse, Themidis templum, fidei Catholicæ propugnaculum, oppressorum asylum, omnibus alibi jus obtinere non valentibus altare securissimum; Ac de urbe hac, quod de Caji Aquilii tribunali Cicero protulit, dici potest: Certè aut apud eos, qui hic adsunt, veritas valebit, aut ex hoc loco repulsa, ubi consistat, reperire non poterit, *Cicero or. pro Quintio.*

PUNCTUM PRIMUM.

Argumenta ex parte Dei, contra injustitiam Judicum quia judicantur primò infallibiliter, Secundò exactè, Tertiò severè.

III. QUi populorum scripsère mores, docent in Aethiopiâ in Consistoriis vacuam semper retineri sedem elevatam ac magnificè adornatam: Dum causa inquiritur, ajunt illam esse Dei, invisibiliter descendentis, ac concilio assistentis. A Regio id didicêre Propheta, qui ait: *Deus stetit in Synagogâ Deorum,* Psal. 81. 2. *in medio autem Deos dijudicat.*

Loco vocabuli, *Deorum*, in Hebræo est *Eloim judicum*; & apparet loqui eum de judicibus, cum adjungat, *usquequò judicatis iniquitatem?*

Ac vobis declarat, Domino, si officio desitis, infallibiliùs, exactius, ac severiùs, plusquàm reliquos, Deum vos judicaturum, *Deos dijudicat.*

Deum Judices judicare asserit; Ecquod in hoc mirum, ecquæ novitas? An non totum terrarum orbem judicat Deus? Scriptura specialiter de peccatis loquitur magis, ac alia, enormibus, ut est pauperum vexatio, oppressio debilium, ac similibus, vindictam divinam inclamantibus, ut magè severiùs, atque in hac etiam vitâ sæpiùs puniat, ut dicitur Gen. 15. 14. & alibi: *Horrendè & citò apparebit vobis. Sap.* Quod & ipsi agnovêre Ethnici; Virgilius namque atrocium recensens criminum multitudinem, quæ exquisitis in Inferno suppliciis torquentur, cum parricidis Advocatos locat & Procuratores, qui suos fraudârunt clientes:

Pulsatusne parēs, aut fraus invexa cliēti, ac si dicere voluisset, fraudare sibi commissos crimen æquè magnum ac dignum esse pœnâ, id est patrem aut matrem excipere verberibus, In quod Servius: *Si clien-*

clientes quasi colentes dicuntur, patroni quasi patres censendi sunt.

Pauperum est oppressio, omnibusque injustior; etenim si orbis potentissimus me supprimat, ad justitiam recurro: ast si à justitiâ opprimar, quò confugiam? non nisi ad Deum? cum omnibus igitur depressis loquar: *judicet Dominus*: vindictæ spiritu id desiderare haud licet, ast infallibiliter per suam adorandam & adamandã justitiam præstabit, *Deos dijudicat, ego justitias judicabo.* Uti Assuerus de crudeli Aman dixit, populum Dei opprimere
Esther. 16. volente, dicet, abutitur potentiâ sibi à me datâ, honore quem ei exhibui; ut subditos meos opprimat; meam in hoc coronam lædit, & insuper plura, conqueritur ambitiosum hunc opprimere voluisse
Esther. 7. 8. Reginam, *Etiam Reginam, me præsente, vult opprimere.* Cavete vobis, Domini, ne hoc attẽtetis, si sapitis, nè JESUS de vobis dicere possit: *Reginam volunt opprimere.* Provocationes ceu abusus, grandes sunt abusus si non apposité, congruenter & ad rem sint: Si facilè recipitis, ni condemnetis ac puniatis, Ecclesiam Reginam, ejusque Sponsum JESUM opprimitis; Si in corde fenestra foret, ut veterum non nemo peroptavit, cerneretis me plùs quàm binis vicibus Deo optimo restitisse, hæc vobis non dicendo, nec dicerem ni Deus optimus me ad id obligaret, urgeret, astringeret; Solus ipse verba hæc in os meum pro salute vestrâ reponit, cùm indignus hoc munere fungor; in pluribus Diœcesibus; vidi verè ubique quod conquerantur pravos Sacerdotes omnium ferè confusionum harum causas extare: defertur ad Episcopum: atque ipsus ego hac usus audaciâ, Reverendissime Domine, Quâ ratione in vestrâ Diœcesi talem suffertis Curatum, qui tot scandalorum causa existit? Quid vis faciam? appellationes ceu abusus ligant manus, oporteret tot habere processus, quo mali meâ in Diœcesi Sacerdotes extant. Absque mendacio affirmare possum: Monasterii cujusdam in Campaniâ Prior mihi aliàs retulit, quòd cum Religiosorum uni ob culpam pœnitentiam trium *Pater* ac totidem *Ave* injunxisset, appellavit velut de abusu Religiosus; Verum quidem causâ eum cecidisse, at in litis sumptus mille Coronatos Abbas impendit. Solum unum inconveniens quod infinita inter alia contingere potest, proponam: at inconveniens in infinitum alia producens, quodq; sanguinem nobis exprimere valeret. Fingamus Parochum ignorantem, ebriosum, suâ in Parochiâ, velit nolit Episcopus, commorantem, aut quod meliùs nôrat ac practicabat formalitates litium captiosarum, aut ejus Episcopus appellationem metuens & obcursitationem, nec non causâ decidendi periculum appetere eum non audebat: *Si iste Curatus baptizando pueros, non pronuntiet aliqua verba essentialia, vel propter ebrietatem, vel per ignorantiam, pueri non erunt baptizati: Si aliquis ex his pueris suscipiat Ordines sacros, non fiet Sacerdos; Si suscipiat Episcopatum, non erit Episcopus: omnes, quibus conferet Sacerdotium, nõ erunt Sacerdotes, omnes quos isti absolvent, non validè absolventur, & si moriãtur post peccatũ mortale cum solâ attritione damnabũtur; quia character Sacerdotalis & Episcopalis supponit characterem baptismalem, quem puer ille non recepit.* Cuncta hæc latinè proferuntur, quod plebi veritatũ hujusmodi capax non est, ac nisi credimus, comburantur libri omnes, atq; occludãtur omnia Theologiæ Gymnasia; hoc namq; ibidem absq; ullâ controversiâ docetur.

Et quod ampliùs est, conqueritur Deus, quod injustitiis vestris non solùm vim ejus subditis atque Ecclesiæ suæ inferatis; sed & sibimetipsi, ac sacrato ejus nomini: Vendiderunt pro argento justum, & pauperem pro calcea, pro exiguo dono, ac sacrum nomẽ meum violârunt.

Cùm in officia recepti estis, Ordinationes Regias custodiendi juramentum præstitistis: Ni secundum leges, at ratiocinationes vestras ac particulares affectus judicetis, multiplicationis processuum ac ruinæ plurimorum causa extatis, qui præjudiciis confidenter, in fine decretorum vestrorum varietate deceptos se comperiunt. Quis non videt Ordinationibus id esse contrarium? Si vobis attribuitis impensarum aut beneficiorum dispositionem; Si plura, pro causâ, quæ solo definitivo expediri potest, interlocutoria datis decreta; Ordinationes infringitis.

VI. Coram Deo falsarii estis, perjuri, fœdifragi, ac sanctissimi nominis ejus prophanatores; vester erit judex simul & cliens, *Deus dijudicat.* Alio modo vos quàm reliquos judicaturus est: *Deus stetit*, judicum proprium est sedere, mos hic apud Nationes omnes & omni tempore fuit observatus, ut in Proverbiorum libro cernere licet, *Nobilis in portis vir*
Prov. 31. 23. *ejus, quando sederit cum senatoribus*, & in his JESU verbis: *Sedebitis & vos judicantes duodecim Tribus Israël*, Hanc
Matth. 10. 12. omnes alios judicaturus formalitatem servat Deus, *Cum sederit filius hominis in sede majestatis.*

Verùm, quando processum facit judicibus eorumque adhærentibus, surgit, stat erectus, *Deus stetit in Synagogâ Deorum.* Qui litigantium causas excipit, dormitare potest aut obdormire, negligenter & ad dimidietatem usque advertere; Qui erectus consistit, vigilantiori est judicio, vigorem spiritus habet ampliorem, plus attentionis & applicationis ad id, quod agit. Erigitur Deus vos judicans, id est, exactè vos examinat, de puncto in punctum perscrutatur, rigorosè pronunciat, nil non integrè advertit, nihil elabi sinit, non magnas solùm injustitias ac nequitias damnat; ast & defectus minores, artes captiosas, protensiones & languores justitiæ, dilationes superfluas, moras, quæ partes gravant, atque ob negligentiam vestram incommodant, *In medio Deus dijudicat*, id est, non connivet, nunquam æquitatis medium deserit, ut ad vanas vestras ac frivolas excusationes condescendat, *Inexcusabilis es, ô homo, qui alium judicas.*

V. Objicitis: opprimor negotiis, vix respirare queo, diffringitur mihi caput, fatigantur spiritus vitales, ac tædio conficiuntur, nec tempus nec vires suppetunt, ut cuncta inspiciam, omnes perlegam scripturas, cum attentione percipiam, & omnes Partium causas, Advocatorum motiva examinem, *Inexcusabilis es.*

Legum vestrarum textus vos condemnat: Meliùs est pauca benè agere, quàm multis interesse periculosè, *In authenticis, Collat. 4. de tabellionibus novella constitutione 44. c. parag. 3.*

Etiam, at ni ita parum expediam, artificio utar, parumper merebor, charo sunt pretio officia, argenti mei interesse non recipiam. Sanctus vobis Salvianus replicat *Lib. 4. de gubernat. Dei. Ad hoc honor à paucis emitur, ut multorum vastatione solvatur: reddunt clientes miseri dignitatum pretia, quas non emunt, commercium nesciunt,*

nesciunt, solutionem sciunt: ut pauci illustrentur, mundus evertitur.

Ut vos purgetis, dicitis: Si male hunc processum expedii, jus tribui cui negandum, non ex malitiâ aut proprio interesse, ex compassione actum est; Eques hic, à me damnatus, ut solvat impensas, esse non debuerat; ast divitiis abundat, prolibus caret; pars ejus adversa pauper est opifex, magnam habet alendam familiam, nec habet, undè enutriat, *Inexcusabilis es.*

Eccur judicem agis ita laxum, mollem, flexibilem, ut à minima tentatrice vinci te sinas? à paucula pietate, incantatione, fallacibus mulieris astutæ lachrymis, quæ plorare solita cum lubet?

Ut flerent, oculos erudière suos.

Non præsides bonis partium, judex es, ut jus suum cuique tribuas: & cùm nobilis centum mille possideat Coronatos, nec infantes, parsque ejus adversa filios quinquaginta, nec obulum habeat: Si eques jure gaudent, pauperi neque de principali neque impensis vel obulum adjudicare vales; Deus est in lege præci-

Exod. 23. 3. piens: *Non misereberis pauperis in judicio.*

Imò verò ad expedienda eorum negotia, jura tuenda, ut ab oppressionibus caveatur, non ut alterius bona eis adjudicentur. En bellam misericordiam, nè quinque de bonis tuis solidos, pietate tuâ non obstante, pauperi huic erogares; & eidem quinquaginta libras aut coronatos de bonis alterius contra fas omne assignas?

Ut te protegas, inquis: Confessarius meus homo est gnavus, ob hæc omnia haud me reprehendit, absolvit, communionem minùs negat? Qui te increparet, dum te non manifestas? aut si mentem patefacis, expositionis ambage sinuosam reddis justitiam, ut magnum te Sanctum esse juraret; aut si apertè effaris, Confessarium adis mercenarium, qui magno sibi honori ducit, quod eum adeas; & obligationi suæ satisfacere non audet, metuens nè agendi cursum deperdat. Tantùm abest, ut te Deus excuset, atque idcircò à te puniendo desistat, idipsum Dei quoad te, punitio est; Si tibi exhibere misericordiam vellet, ad bonum te Confessarium dirigeret, qui te reduceret; Verùm quod graviter eum offenderis, adire te Confessarium sinit tibi similem; malignus es judex temporalis, judicem malignum spiritualem reperis: damnâsti iniquè, inutiliter absolveris; ecquid scio, forsan invicem collusistis: *Manus manum fricat?*

Confitenti tibi blanditur, ambabus vos invicem manibus apprehenditis, eja adjuvemus alterum alter, ut damnemur, simul ad tartara properemus. Cuncta hæc severissimè, exactissimè atque inexcusabiliter judicabit Deus, processum facturus judicibus omnibus, summis ac subalternis, spiritualibus & temporalibus, *Deus stetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos judicat.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Argumenta ex parte proximi, quia injustitia fori est pernitiosa plusquam naufragium, quam latrocinium, quam homicidium.

VI. CUm Creator Moysi Prophetæ populi sui regimen dedisset, ac munus justitiam administrandi, in manus ei dedit virgam; quamdiu Propheta sceptrum hoc tenebat erectum, prodigiosa erat

erat virga, quæ contremiscere fecit Regem Pharaonem, maris divisit fluctus, per medias undas transitum populo effecit; manna de cœlo ut plueret causavit, de petrâ cristallinæ aquæ fontem produxit; alia mille prodigia est operatus. Verùm dum Propheta idem virgam hanc dejecit in terram, serpens horribilis exsiliit, cuncta devorans.

Professio vestra, Domini, Regiæ potentiæ emanatio est, per Sceptrum repræsentata; dum virga hæc in terram non declinat, reproba ac Pharaonica hominum corda contremiscere facit; dispergit ac procul dissipat sinistrorum accidentium fluctus; oppressionum undas populum securè pertransire facit; de Cœlo in homines millium benedictionum manna attrahit.

Verùm, si virgultum hoc dejiciatis in terram, si non nisi motivis atque ob interesse terrenum potentiâ utamini, efficietur draco, veneno, malignitate, astutiâ, plicati eritis ac ceu serpentes replicati. Nihil Reip. adeò pernitiosum, quam injustitia, quæ potentiâ armatur, misero ampliùs verenda populo, quam naufragium, patrocinium, ac homicidium.

VII. Referunt Naturalistæ parvum in mari esse piscem, à Græcis *Echineis*, à Latinis *Remoram* appellatum. Parvum hoc animal tres admirabiles, at pernitiosas habet proprietates: Ad maleficia servit, atque ut processus incantationibus ac sortilegiis prolongentur: *Veneficiis infamis est, & judiciorum ac litium mora*, ait Plinius *Lib. 9. cap. 25.* & addit: *prætereà dicunt, hanc esse vim ejus asservati in sale, ut aurum, quod in altissimos puteos inciderit, admotus extrahat.* Tertiò inquit *lib. 32.* cap. 1. appellari *Remoram*, quod per incantationem secretam, medio in mari navigia sistat, ac mirabilem recenset experientiam. Ait, Imperatoris Caligulæ, cum Romam cum navali exercitu reverteretur, triremim petram in medio mari hæsisse immobilem; per hunc pisciculum ei subnexum.

Nil in naturâ melius litigatoris improbi, ac pisciculus hic *Remora*, proprietates mihi repræsentat, justitiæ curias sistit, suisque artificiorum incantationibus, retardationibus, dilationibus reiteratis quindenis exoptatum processuum finem moratur. Si crumena tua, fontis instar, foret profunda, dum Rabula hic duo salis habeat grana, infallibiliter exhauriet, ut fundum conspiciatis. Etsi familia vestra, ceu navigium divitiis ac prosperitatibus refertum, in procelloso mundi hujus mari feliciter decurreret, si litigator improbus se inserat, si processus nequam domui vestræ se affigat; cœptorum vestrorum cursum ac negotiorum omnium progressum sistet: Eapropter JESUS nobis consulit evitare processus, quantùm possibile: *Ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et in S. Luca inquit: *Qui aufert, quæ tua sunt, nè repetas.* Matth 5. 41. Luc. 6.

VIII. Consilium hoc est saluberrimum, non pro spirituali solùm, sed & pro temporali. Si sequeris, si prætensionum tuarum partem dimittis, ut cum proximo concordes, temporis quamplurimùm, quod aliàs erat perdendum, redimes, ac sumptibus parces: familiam tuam à naufragii discrimine, in quod tuam ob contumaciam, processus prosequendo, incidere poterat, liberabis; Remora enim non nisi navigia sistit; Litigator in fundum mergit, fortunam tuam evertit, domum

mum tuam depopulatur, spoliat, prædatur. Et S. Chrysostomus non sine ratione dixit injustitias, quæ in administratione justitiæ committuntur, durioris esse digestionis, injuriosas, crudeles, immanes, coram Deo magis criminales, quàm furta, prædas, grassationes. Jurisconsultus ait, tria esse furtorum genera: *Improbum, improbius, improbissimum.* In legis glossâ habetur *si te expilasse, verbo improbioris, Cod. ex quibus causis infamia irrogatur.*

Improbum. Est, cùm clanculùm res quasdam proximo subtrahis. *Improbius,* crimen est, quod appellatur *expilatæ hæreditatis, vel rerum amotarum:* cùm quis de successione, post mortem testatoris, antè testamenti publicationem, dum nemo particularem hæreditatis gerit curam, quædam rapit, ut, si fœmina pecunias, linteamina, atque alia mobilia ad defunctum maritum pertinentia abripit. *Improbissimum* est rapina, latrocinium, cùm vis additur furto. Baldus hæc distinguens benè equidem dixit, at non omnia, addi oportebat & quartum, quod improbissimum excedit, est, dum convicem, vicinum, consanguineum, quod cuncti vident, ac nôrunt, ut sua tibi det bona injustè compellis. Mercator in sylvis spoliatus, grandem suffert injustitiam, *furtum improbissimum.* Verùm, ut optimè S. Chrysostomus ponderat, si possibile est, se tuetur, si eques fugit, prædonem hunc in justitiæ manus aliquando casurum sperat, post eum non conspiciens ampliùs, tempore doloris sensum mitigante, obliviscitur: Ast si justitia latrocinio vacat, necesse est, agat quod volet, bona deperdet, antè oculos licet diripiantur; ipse licet porrigere cogatur; ac fateatur admodum ea propter se teneri obligatum; sperare nequit, ut prædonem aliquandò videat pendentem, sed in dignitatibus elevatum; singulis illum diebus intuetur, ac spoliis suis insolescentem.

Adhæc, spoliatus in sylvis, non nisi bona sua deperdit; hîc bonus ille homo bona, quietem, familiæ curam, ac tempus deperdit, tempus, inquam, quod minùs perpendis; injustitiam formalem facere nolles: ast in terendo tempore occuparis, aut in surgendo ac laborando segnis es, aut compluribus implicaris negotiis, causa extas, ut partes procul distantes, quarum est ad alendam familiam colere terram, quò uxorem ac proles manuum labore sustentent, magnas in hospitiis impensas facere cogantur, octo, quindecim diebus, imò & tribus septimanis suspenduntur; an non id furtum opinaris? Qui spoliatur in sylvis, aut navigium in mari deperdit, non nisi semel aut binis vicibus contingit; hic nunquam finis imponitur, semper inchoandum, progressus in infinitum, conclusio processus unius, semen est alterius, *finis unius mali, gradus est futuri.* Non nisi isthæc remoræ sunt super remoras, supplices libelli, Senatusconsulti interpretationes.

Novi equidem sæpiùs id à partium provenire malitiâ, causas suas perorantium; at compertum mihi quoque, Domini, plurimùm vos posse in tollendo hoc abusu: si has rabularum supplicas serio rejiceretis, si ad dispendia eos damnaretis, corrigeretis, punitiones ejusmodi formidarent; bonitate vestrâ abutuntur, audaces ad appellandum extant, quod facilis eis detur accessus. Ne de vobis spargatur, quod Ludovico XI. Morio quidam dicit: Princeps hic diffi-

cilem se exhibebat, ut homicidæ gratiam petenti præstaret; tertium namque interfecisti; Domine, replicavit Sannio, ignosce, non nisi unum occidit, tu binos alios, si primum in rotam agi homicidam mandasses, sequentia duo homicidia non patrasset. Meliùs cum Jobo fieret: *Conterebam*, inquit, *molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Job.24.17.

Non sufficit, ut ab hoc nequam homine præda injustè detenta auferatur, excutiendi sunt ei dentes, ut nunquam ultrò remordeat, mulcta adeò gravis eidem imponenda est, ut deinceps ad captiosas litium artes prosequendas mediis careat.

IX. Cum Propheta Elias ex parte Dei Regem Achab, ob injustitiam erga pauperem Naboth commissam, increparet, ait illi: *Occidisti, insuper & possedisti.* Nota, *Insuper*, bonum illum hominem interemisti, atque insuper ejus vineam possides. Homicidium in genere suo ac specie gravius furto crimen est, ac nihilominus Deus ampliùs hîc furtum exaggerat, quia plurium circumstantiarum respectu, bonorum alterius invasio ac pauperum oppressio homicidium transcendit, in uno instanti fit homicidium, injusta possessio integris durat annis ac sæculis. Homicidium ordinariè fit in impetu iræ, primo cujusdam passionis motu: injusta possessio sensibus quietis, proposito deliberato: Homicida simul non nisi unum quempiam occidit, cùm homini bono insultas eumque opprimis, sæpiùs illum mori compellis, ipsum, uxorem, filios, fame, pauperie, confusione, displicentiâ, indignatione enecas; insuper & spirituali morte interimis, amaritudinibus, vindictæ cupidine, inimicitiis immortalibus in te conceptis ac reservatis, quæve de patre ad filios transeunt in tertiam usque & quartam generationem.

Homicida cæde peractâ dolet, horret, in continuo versatur terrore, verùm cùm bonum hominem evertisti, non doles, ejus miseria ad compassionem te non permovet, gloriaris, erectis ambulas cristis, crimen tuum veniâ incapax reddis, imò veniâ incapax. Atque hoc tertium est punctum, quocum ad vivum pungeris, ni insensibilis existas. Vera loquor, Aud. extremo salutis vestræ desiderio teneor, ac magno labore conficior.

PUNCTUM TERTIUM.

Argumenta ex parte Iudicum, qui obligantur ad restitutionem.

X. VErùm si eorum de numero es, de quibus toto hoc discursu egimus, si Actuarius es, Apparitor, Secretarius, Procurator, Advocatus, Consiliarius injustus, actum est. Alte Reverende Domine, Tuæ hæ sunt oviculæ, tenere illas ac cum passione adamas, noctu diuque cogitas, qui sanctificare illas queas, at salvare non poteris. Altiusne levabo vocem ac cœlorum Regi audebo loqui, ego, qui non nisi terræ sum vermiculus? Salvator mi, pretiosæ tibi hæ sunt animæ, sanguinem pro eis effudisti, mortem, ut eis vitam mereretis, sustinuisti, at dicere ausim, salvare eas non valebis, non, secundùm ordinarium justitiæ ac misericordiæ tuæ cursum salvare non poteris, ut tuum loquitur Evangelium, sic & ego, *Non poterat ibi multas virtutes facere.* Marc.6.5.

Ecquis ordinarius justitiæ ac misericordiæ Dei cursus existit? Est condonare peccata per Ecclesiæ claves, per Sacramentalem absolutionem, vel in re, vel in voto, non alia via est. Age, nemo est Sacerdo-

cerdotum, nullus Episcopus, Papa, qui validè absolvere te queat, ni bona alterius, quæ iniquè possides, restituas; ni damna omnia, omniumque processuum à te malè inchoatis, malè prosequutis, malè judicatis, aut culpâ tuâ deperditis, refundas, nil, nisi impossibilitas tecum dispensare potest. Ecce in quem labyrinthum, pedicas, atque abyssum te conjeceris? Ubinam omnes, quibus injuriam intulisti, reperies? Quonam pacto te resolves, ut reditus diminuas, hæreditatem vendas, equos atque esseda oppignores, ut aliorum bona restituas, ac conscientiam exoneres? De tot injustitias facientibus, ubinam locorum quis integram eos facere restitutionem conspexit? Adulatores comperies, tibi dicturos, non obligari te, ut fortunâ excidas, quò abrepta aliis bona restituas, dicturi quidem: at non Deus, alterius fortunam, ut eriges tuam, evertisti, eccur tuam non diminueres, ut illam ipsius repares? *Dentem pro dente, oculum pro oculo*; Audi igitur Prophetam tibi occinentem: *Nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram: Reges, id est, judices*; Reges namq; erant judices: regnare & judicare in Scripturâ sunt synonyma, *intelligite.*

CONCLUSIO.

Salutaria documenta pro Iudicibus per paraphrasim verborum Spalmi: Nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.

XI. Considerate quam Deo, proximo, ac vobismetipsis, injustitiam committendo, injuriam inferatis: *Non est vestrum, sed Dei judicium.* Commissarii ejus estis ac locum tenentes, ex par- Deut. 17.
te ipsius jura datis; Si proditoriè justitiam administratis, Optimo Deo cujus vices agitis, calamitatis causam tribuent. Pauper hic, ut cum uxore ac liberis residuum dierum quietè transigeret, pauca bona acquisierat, *Intelligite*, perpendite ipsum noctu egisse excubias, quoties laborârit, sudarit, iter fecerit, jejunarit, ut emendo ac vendendo aliquem nummum lucraretur, unico calami ductu hæc ipsi cuncta subducitis, atque ita rapiendo magnam animæ stragem infertis, Dei gratiam, Spiritus Sancti dona, virtutes infusas, filiationem adoptivam, conscientiæ quietem, jus ad vitam æternam evertitis.

Erudimini, in quæstione juris efficiamini sapientes atque intelligentes, in omnibus, quæ vestrum concernunt officium, nunquam Notarii, Procuratoris, Advocati, Judicis, incapaces adite Officium, ne cogitetis, excusari vos coram Deo, dicentes: Verum est, causa exto, quod hic & ille, qui causa bona gaudebant, eadem ceciderint, non data operâ factum, ejusmodi legem, consuetudinem, formalitatem ignoravi, hæc ipsa ignorantia te haud excusabit, peccatum est, crassa ignorantia, vincibilis, culpabilis, *Quia tu repulisti scientiam, repellam* Osee. 4. 6.
te, ait sacer textus. Ac jus civile, *Imperitia culpæ annumeratur* &: *Ignorantia juris non excusat, parag. Imperitia instit. de l. Aquilia l. liberorum. ff. de iis, qui notantur infamiâ.* Cùm in jurisprudentiam incumbere debuisses, nequitiis te dedisti, duobus aut tribus Codicis titulis acquiescis in his Psittaci instar te exerces, Doctor aut Licentiatus promoveris, Consiliarii statum coemis, en præclarum dignumq; judicem! an non consultũ bona,

fortunam, hominum vitam Arbitri hujus judicio submittere? Qui te, ignorantiam tuam habens perspectam, creavit Doctorem, se damnat. Pater tuus ære judicatum tibi parans, aut resignans se damnat; Confessarius te absolvens damnatur; damnaris ejusmodi officium exercendo, & ad damni omnis atque interesse, quod tuam ob inscitiam parti obvenit, restitutionem teneris, *Erudimini.*

In quæstione facti nè partium aut participantium confide dictis, vide, an quod asserunt, probent; nè litis fidas expositori, vide, annon plus aut minus dicat; non fide primo exiguæ rationis in mentem tibi venientis splendori; vide ac pondera, quæ suis in scriptis Advocati ponunt motiva, Fac, ceu Job: Pater eram, inquit, pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Optimum imiteris Deum, qui priusquam Sodomitas puniret, ajebat: Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Si litis expositor extes, vide atque ipse partes omnes examina, nè amanuensi fidas, negligens esse potest, aut corruptus, aut parti adhærens, *Erudimini, qui judicatis terram.*

Iob. 29. 16. Gen. 18. 21.

Servite Domino. In omnibus sæculis, ab ipsis quoque Ethnicis observatum est, devotiores judices fuisse æquiores; Areopagitæ, qui totius universi necnon omnium sæculorum opinione, bonis cum judicibus laude certârunt, religiosi adeò erant, ut eorum devotio velut in superstitionem abierit, *Quasi superstitiosiores vos video*, ajebat eis S. Paulus, judicium intellectus actio est, animæ pupilla est intellectus, qui absque prævio lumine nil cernere potest, & à quonam, nisi Deo mutuum lumen desumet?

Act. 17.

Et quonam pacto lumen mutuabis ab ipso, nisi gratiis ejus suffultus? nî illas crebro, humiliter, instanter expetas? Quare, priusquam ad Curiam te conferas, indies coram Deo te prosterne humiliter; debilitatem, insufficientiam tuam, atque imprudentiam agnosce, nec absque ejus lumine & assistentiâ quicquam te posse fatearis; gratiam ejus, lumen conductum, ac S. ejus Spiritum exquire, ut debito ad gloriam ejus, salutemque tuam satisfacere queas; recita *Veni Creator*, aut similes ejusmodi preces; *Emitte lucem tuam. Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Servite Domino in timore.* Bona ad judicandum dispositio est, non esse temerarium, ac timidum, nè passiones, amor proprius, imprudentia, aut particularis affectio nos decipiant.

Doctus Urbis hujus Jurisconsultus, *Gregorius Tolosanus*, qui de Rep. libros conscripsit, benè observavit, quòd, cùm dicitur judicem esse corruptum, metaphoricè aut per similitudinem id referri, de virginibus sumptam, quæ corrumpi se sinunt, ac reputationem, salutem, & quod in orbe pretiosius habent, deperdunt.

Nôstis, contrà tentationes melius non existere vallum, quàm timorem; *Trepidare, virginum est*, ait S. Ambrosius; & S. Bernardus: *Solent virgines, quæ veræ sunt virgines, semper esse pavidæ*; ita & judex. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, Amen.*

SERMO
SEXAGESIMVS SEXTVS
Pro Festo Inventionis Sanctæ Crucis.
DE DETRACTIONE

Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nominis, Ioann. 3.

EXORDIUM.

DIvus Chrysostomus & Theophilactus, dum quærruntur Nicodemus venerit ad Jesum non de die, sed de nocte, respondet id esse factum ob timorem Judæorum; nam ejusmodi Principes multos fuisse, qui crediderunt in Christum, sed non sunt ausi eum confiteri ob timorem Judæorum. Testis est idem Joannes capite duodecimo, de quibus ait: *Dilexerunt enim hominum gloriam magis, quam gloriam Dei*, quod extra dubium gravissimum est peccatum, sed hic quæri potest, cur Evangelista hoc non expresserit? cur solum dixit: *Erat homo ex Pharisæis, Princeps Judæorum.* Cur non explicuit expresse, quod id fecerit ex timore· Magnam prudentiam ostendit Evangelista, antequam enim illa scriberet, verbis suis fecit stateram, & frænos posuit ore suo rectos; noluit expresse & clare illi detrahere, & sufficienter illum describit, expresse dicendo, *Princeps Judæorum.* Occasione hujus ostendam hodie, quod debeamus verbis nostris ponere stateram, hoc est, illa bene examinare, ne proximi famam lædamus.

Non falsum testimonium dices.
Exod. 20.

I. LEgislator divinus in hoc præcepto octavo injurias nobis omnes quas bonis, honori, reputationi, aut proximi personæ linguæ exorbitantiâ, inferre possumus, inhibet, saluti nostræ periculosa magis atque in mundo usitatior, detractio est ac maledicentia. Hoc in discursu visuri estis primùm vitii hujus naturam; deindè malignos ejus effectus, ac tandem remedia. Efficacior ac facilior tua est imitatio, ô sacrata Virgo, in Canticis tibi loquitur sponsus: *Labia tua, vita coccinea*; nunquam enim nisi charitatis ad dilectionis verba protulisti; effice amabo, ut labia tua vita sint coccinea, ut preces tuæ ferventes atque amorosæ ligent sistantque Filii tui manus, nè eas ad puniendos excessus nostrasque maledicas linguas protendat; humiliter te deprecamur, pedibus tuis nos prosternentes, cum Angelo te salutando, *Ave MARIA.*

Idea Sermonis.

Exordium. *Spiritus sanctus nobis commendat custodiam linguæ.*

II. QUantumvis fidei lumen incomparabiliter nobilius sit, præcellentius ac rationis; bina tamen hæc lumina ejusdem causæ effectus sunt, duæ de patre eodem filiæ, invicem æquales, crebrò conveniunt, atque ad eandem conspiciendam veritatem sibi occurrunt. Interrogatus veterum quispiam, quænam formidanda magis sit bestia? Sapienter respondit: Inter domesticos adulator, inter feras obtrectator; in hoc cum S. Jacobo Apostolo convenit, qui sua in epistola inquit: *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur & domita sunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Iacob.3.

Benè observavit S. Hieronymus non dixisse eum, quod nemo eam domare valeat, sed *Nullus hominum*: Dei gratia illam domare potest, uti & Spiritus Sanctus, sæpiusque eam misericordiâ suâ frænat. In Scripturâ salutaria nobis ad eam domandam præbet documenta, non enim loquendo de præcepto nobis imposito ponderandorum verborum, nullius proferendi nisi diligenter perpensi,
Eccl.28. 29. *Verbis tuis facito stateram*, vult, ut linguam frænemus, *& frænos ori tuo rectos*, *ibid.* Et utut bestia hæc constricta sit fræno, non effugiat, vult ut occludatur, & ostium anteponere mandat, *ostium*
Psal.140. *circumstantiæ labiis meis*, & ne quisquam hanc portam aperire præsumat, serâ firmari
Ecch.28 29. præcipit, *facito ori tuo ostia & seras*, Et ne serâ hæc unco falsâque clavi queat aperiri, vult ut & sigillo obfirmetur, ut olim ad ingressum cavernæ leonum in Babyloniâ, *Quia dabit super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me.* Et quia si- Eccl.22.33.
gillum hoc dimoveri posset, vigilibus continuò custodiri imperat, *Pone, Domi-* Psal.140.
ne, custodiam ori meo. Posui ori meo custodiam. Psal.38.

En captivum diligenter custoditum, aut, ut melius dicam, bestiam indomitam admodùm inclusam. Qualismam ea lingua bestia est, quòd adeò diligenter debeat custodiri? An leo est, tygris, aut leopardus? Bestia non vulgaris est, mostrum est crudele ac metuendum. Recensens Propheta Isaias principalium peccatorum nos damnantium catalogum, & quæ peccatores in Infernum detrudunt, ait, loquens de infelicis illis sedibus, *Erit cubile draconum,*
& occurrent dæmonia, onocentauris, ibi Isai.34 14.
cubavit lamia.

Dion Chrysostomus in historia Libiæ ait, Lamias monstra esse, vultu ac pectore fœmineo, tres in ore dentium ordines habentia, ceu leonum, partem corporis reliquam in draconis exire caudam. Aristoteles & Plinius de simili mostro in Aethiopia, dicto Manticora faciunt mentionem, *Arist. lib. 2. histor. animal. cap. 1. Plinius lib. 8. cap. 21.*

PUNCTUM PRIMUM.

Detractoris explicatur genium & ingenium, comparatur lamiæ & detrahit sub specie veritatis petendi consilii.

III. NIl opus in Aethiopiam se conferre, nec prolixum conficere iter

iter, ut monstri hujus forma conspiciatur, refertus est mundus. Detractores sunt per hanc Manticoram aut Lamiam ad vivum repræsentati. Primùm facie est muliebri, decora apparentia, speciosi excusationis prætextus non desunt ad maledicentiam suam colorandam ac confirmandam. Quidam ajunt, verum est, certi cujusdam vitium revelavi, sed mentitus non sum, pura veritas est, meum non est inventum, quidam talis suismet oculis conspexit; non ego primus hunc sermonem exorsus sum, indignarer sanè si primus hac de re verba ordirer, nil nisi, postquàm inaudii, protuli ad protestationem eorum, qui id sanè nôrant. En verè excusationem præclaram; ac si calumniam inter ac detractionem non foret differentia.

Calumnia, ait S. Thomas 2. 2. *q.* 68. *art.* 3. est falsè incusare proximum peccati ab illo non commissi; Detractio est declarare peccatum commissum, aut notabilem in ipso imperfectionem: Verùm est, calumniam peccatum esse enormius, tetrius, injustius, at detractio etiam peccatum est. Ne fallaris, etsi quod refertur, sit verissimum, quod oculis tuis conspexeris, si occultum est ac patefacis, detractor es. Attende, quod pejus est, cùm voluerit quisquam suffodere famam proximi, dicit: Re manifestâ, compluribus notâ, nec cælari queat, ac de illa loqueris, peccatum lethale haud est: re verò existente secretâ, paucis cognitâ, si ignorantibus reveles, contrâ charitatem ac justitiam delinquis, ad restitutionem obligaris, naturæ lumen, ac JESU maxima hanc te veritatem edocet: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Si filia tua, aut soror, sive parentes in delictum incidissent, ac vicinus suismet oculis conspexisset, an libenter si revelaret cerneres? audiens autem publicando pro excusatione dicat: Inventum meum non est, fraudem non committo, talis id vidit, an non ægrè ferres? Cur igitur alteri facis, quod tibi fieri non vis? En pravam mundi consuetudinem, ait S. Chrysostomus, cùm quis proximi nomen evertere intendit, inquit: Ignoscat mihi Deus, nolui malum ei inferre, non author sum, quo coëmi pretio, eodem tibi divendo. Si malum aliud non agis, id capax est ad te perdendum, atque ad inferos detrudendum, Hoc dixit de illo, Deus ignosce mihi, noli me de hoc discutere, auditionis debeo rationem. Si nihil aliud mali operaremur, hoc idoneum esset ad perdendos nos, & in gehennam mittendos, *Chrysost. homil.* 21. *in Epist. ad Hebr.* Audite reprobationem à Prophetâ datam: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, non, in- *Psal.* 49. quit, mendacia aut calumnias loquebaris, sed adversus eum.

IV. Alii se aliter tegunt, delicta alterius proximo, amico aut patri Spirituali petendi consilii causâ detegunt, effectualiter pruritu linguæ, dicacitatis atque occultæ superbiæ spiritu, per impotentiam nihil cælandi, per malignam inclinationem aliorum auribus, quod nôrunt, insusurrandi, *Cor fatui, quasi vas confra-*

ctum

ctum; Plenus rimarum sum, hac illac Eccl. 21. 17. *perfluo.*

Profectò nisi quis remedium adhibere nôrit, aut malo cuipiam obviare, excepto, quod prudenti ac fideli personæ, quæ in secreto habeat, reveles; hoc in casu absque detractionis metu potes ac debes, velut si domesticorum quispiam, aut alius ædes tuas frequentans ac mala te sollicitet, potes ac debes parentibus seu dominis referre, ut expellatur. At si malo, absquè eo quod proximi vitium detegas, adhibere remedium valueris, aperiendo detrahis. *Corripe proximum inter te & ipsum*, inquit Salvator. In Theologiâ quæstio proponitur, an ad explicandam peccati circumstantiam, in confessione criminis patefacere complicem possis ac debeas? v. g. cum consobrinâ deliquisti, nec non nisi solam illam habes, aperiendo Confessori consanguineæ crimen manifestas; utrum ad id patefaciendum obligaris? Respondent: Si copiam Confessarii habeas, adeundum esse Confessorem, cui persona illa sit incognita, quod si præter eum, qui personæ habet notitiam, alter non extet, hoc casu inquiunt posse te pro illâ vice eam cælare circumstantiam, ac dicere, cum virgine quadam, aut consanguinearum unâ peccavi; donec Confessario illam minùs agnoscenti ut aperias sit occasio; Ratio est: Præcepta positiva duobus concurrentibus, cùm unà simul servari nequeunt, non destruunt naturalia, ac naturale potiùs quàm positivum observandum. Præceptum inhibens ne proximi reputatio lædatur, est naturale, ut peccata cum circumstantiis in confessione manifestes, positivum est, undè si crimen absque famæ alterius læsione declarare nequeas, cælandum potiùs, nisi necessariò, ut remedium peccato adhibeas, complex, ut dictum, sit aperiendus: ut, in peccati occasione existens, cum personâ in malo te lactante, aut quam tu in malo enutris, cohabitans, Confessori, licet personam agnoscenti, quòad occasionem declinandam te obliget, detegendum est, hoc namque in casu bonum ac salus animæ proximi famæ præferenda. Et exindè, quàm impertinentes eorum sint confessiones, qui, ut veniale quod commisêre proferant, sex septemve proximi lethalia patefaciunt, cognosces: ut indignationem quandam fateantur, ebrietatem ac blasphemias mariti ancillæ furtum, declarant.

V. Maligniores alii existunt, ut Lamiæ ac Syrenes, fœminæ vocem imitantes, incantatorio cantu te fascinant, sed ut ceu Crocodilus lachrymis, te dilacerent, ac devorent. Similant, quæ de proximo referunt, fieri ex compassione, sed meræ sunt passiones, velut Sagittarius, qui priusquàm arcum exoneret, pectori admovet, quò fortiùs sagittas emittat. Sanctus Bernardus nativo eos colore depingit *Serm. 24. in Cant. Videas præmitti alta suspiria, vultu mœsto, demissis superciliis, voce plagenti emitti maledictionem: & tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab iis qui audiunt corde non avido, & magis condolenti affectu, quàm malitiosè proferri, &c.* Dicebat Salvator discipulis: Caveте eos, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem

sunt

sunt lupi rapaces. Absentem laudibus efferunt, mox voce balantes imitantur oves: Mæ, mæ, sed dolendum est, ei servio, suiipsius admodum obliviscitur, cum dolore profero, non ut detraham, causa haud sum, quod hoc & illud non evitarit, crebrò ipsum admonui, *venena propinant melle condita.* Facies fœminæ, morsus leonis.

PUNCTUM SECUNDUM.

Effectus detractionis, quæ occidit detractorem, audientem, absentem obligat ad restitutionem.

VI. MOnstrum hoc tres in ore dentium habet ordines: detractionis peccatum ternos ictus, tria vulnera infligit, mortem tribus personis infert: primùm detractori, vitam ei gratiæ surripit, spiritualiter mori facit, in rebus enim magni momenti detractio, mortale est, citra dubium hoc. Casuistæ ac Theologi affirmant omnes. Scriptura testatur. Dicitur in rebus magni momenti detractio, cum id, quod notabiliter proximi famam lædit, etsi verum, si secretum, revelas, ut dicere de Sacerdote aut Religioso indebita cum hora in suspectam intrasse domum, de Judice, injuste adhæsisse parti, de virgine, impudicitiis, furto aut ebrietati esse addictam, de quodam, non esse legitimum patrem aut matrem ejus, de veneficio suspectum: peccatum est mortale, animam occidens, quod ex sancto Paulo
1. Cor. 6. probatur: *Neque fures, neque avari, neque maledici regnum DEI possidebunt.* Et in Epistola ad Romanos, peccatorum, quibus Gentiles subjibiebantur, à Christianis vitandorum catalogum recensens, cuncta simpliciter nominat, verum de detractoribus loquens, ait: *detractores DEO odibiles,* coram eo abominabiles, mortale igitur peccatum est, quia DEO nos reddit odibiles, ac Paradisi nobis portas occludit: ratio est evidens: An non in re gravi furtum lethale peccatum est? Ecquis dubitat? Detractio furtum est admodum notabile, injustum, damnosum, melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ, ait Sapiens. Et Spiritus sanctus, qui in scriptura nunquam nobis præcipit, ut divitiarum habeamus curam, vult, ut bonam famam tueamur. *Curam habe de bono nomine.* Laudibus effert Judith, quod vitam duxerit adeo irreprehensibilem, ut linguæ viperinæ eam lædere non valuerint. Unde boni nominis fama charior multoque pretiosior est, omnibus mundi divitiis. Ecquis vir cum primis honestus non libentius ferret, ut sibi resecaretur crumena, incenderetur domus, villa evertatur, quam ut authoritatis patiatur jacturam? Atqui hoc fit effrænata tua lingua. Concludunt Theologi detractionem peccatum esse furto gravius, quod rem auferat pretiosiorem. Lege S. Thomam Theologorum antesignanum, *2.2.q.73. art. 2. in corp.* & concludere ipsum videbis detractionem peccatum esse mortiferum.

Rom. 1. 30. Prov. 22. 1. Eccl. 1. 15.

Quæres, e. c. Videbis hominem addictum juramentis, blasphemiis, detractionibus, inconsiderate nonnunquam id facit, temere, incaute, an lethaliter delinquit? Cum distinctione. Theologia respondet, aut emendatio ei curæ est, aut non; Si ab aliquo tempore, ab ultimâ confessione emendare se resolvit, di-

ligentiam adhibet, si reincidat pœnitentiam agit, tunc, si ex diuturno habitu juramentum aliquod aut detractio excidat, mortale non est, quia non omnino ei voluntarium est, verum, si non curat, si nullam pravas emendandi consuetudines diligentiam adhibet, quoties jurat, aut in rebus alicujus momenti detrahit, temere licet atque inconsiderate mortaliter peccat, licet enim verba ejusmodi non omnino sint ei voluntaria, in causa eorum sibi voluntaria extant. Quod per Jurisconsultorum decisionem quandam ad nostrum propositum explicari potest. Justinianus in suis Institutis *§. Cæterum instit. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur & l. ex hac lege ff. eodem tit.* inquit: Si canem alis mordere solitum, ursum, leonem, aut bestiam aliam, nisi curam habeas, ut diligenter custodias, ad damnum omne atque interesse obligaris: Ast, si caveæ semper includis, aut alligas, ac te ignorante aliquando effugiat, ad damnum resarciendum minus teneris. Lingua tua bestia est effrænis atque indomita, quod vidimus. *Linguam nullus hominum domare potest*, si ad eam cohibendam ac frænandam invigiles, & quandoque primo motu in blasphemiam aut detractionem prorumpat, à mortali potest excusari, non enim nec in se nec causa est voluntarium, Ast, si eam pervagari finis, fræna laxes, ad cuncta reparanda damna teneris, etsi non plena voluntate tua effundatur.

VII. *Qui sibi nequam, cui bonus erit?* Si detrahens se ipsum interimat, ne cogites, quod aliis parcet. Alterum vulnus audienti infligit, ac si bis deni simul extent, totidem perimit, sanctus namque Thomas loco supra citato, 2.2. *q.* 75. *art.* 24. docet Superiores, Patresfamilias, Dominos, Dominasque obligari ad increpandos sibi subditos cum detrahunt, ut inhibeant, corrigant, & si detrahentis non es superior, ejus te complicem ac criminis participem reddis, si libenter audis, tibi perplaces, verbum quoddam ad id profers, signis tibi arridere demonstras, causa extas, ut promoveatur discursus, aut, cum potes, absentem non defendis.

VIII. Quod ex S. Pauli dictis probat D. Thomas, quod digni sunt morte, non solum qui talia agunt sed etiam qui consentiunt facientibus. *Rom. 1.* Ac Propheta acriter reprehendit non eos solum, qui cum latronibus furantur, sed & eorum consodales. *Si videbas furem, currebas cum eo.* *Psal. 48.*

IX. Et sanctus Bernardus ambigit, quisnam damnabilior sit, an detractor, aut detrahentem audiens. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius, non facile dixerim, lib. 3. de consider. cap. 13. & alibi.* Et insuper ait: *Detractor & detractionis auditor uterque diabolum portat, ille in ore, iste in aure.*

X. Si proximi conflagraret domus, an non charitate ad minus ut ei succurras, & aquam apportes, obligatus fores? amplius detractione quam domus deperditur, hæ rapinæ magis pertimescendæ. *Ecce, quantus ignis quam magnam sylvam incendit? & lingua ignis est.* *Iac. 3.* Quando cum sodalibus versaris, qui detrahunt, ad horum unum obligaris: primum reprehendere detractorem, si ejus superior extas, si cum mendacio alterius famam denigrat, monstrare, falsum esse, quod profert. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* *Iob. 29. 17.* *Contereb[am] molas ini-*

las iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Si, quod refert verum est, excusare absentem, dicendo, non omnia quæ sparguntur esse credenda, linguas reperiri maledicas, plures fama clarere absque effectu, mutare discursum: de aliquo maledici verbo discursus interrumpendi sumere occasionem, de Turcico loqui bello, aut, quod satius, deserere sodalitium, negotii cujusdam prætextum sumere, si nihil horum potest tacere, faciem exhibere severam, cum viderit blaterationes suas minus esse gratas, erubescet, ac silere deinceps addiscet. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Prov. 25. 23

Sanctus Hieronymus Nepotiano scribens alia id comparatione explicat, sagitta in duram emissa petram in ejaculantem retorquetur, detractio telum est, si in auditorem durum incidat, mala illibenter audientem, silebit detractor. *Discat detractor non libenter detrahere, dum te videt, non libenter audire.* Verum si afficeris, indagas, Symbolumque tuum adfers, si id jam nosse te simulas, ut liberius ac sine scrupulo promoveatur detractio, æque reus es, animam occidis. Et en binos demortuos.

XI. Tertius efferri hujus monstri dentium ordo in miserum absentem exacuitur, nec mordet solum, at homicidio triplici vitam aufert. Tres habemus vitas, naturalem, spiritualem ac civilem, naturalis, est unio animæ cum corpore, spiritualis unio gratiæ cum anima, civilis est hominis unio cum concivibus, ac bonum inter se invicem nomen ac fama, maledicus subinde prima, sæpe altera, tertia semper te vita privat.

In ædibus, quas ad usum operarium frequentare solebas, te describit, bonam de te conceptam opinionem ut deperdas efficit, ac manu, ore & lingua te minus esse fidelem, addictum te esse furtis, ingluviei, loquacitati, haud ulta tibi confident, appropinquare non audes. Annon hoc est, tibi, familiæque tuæ resecare guttur, quam hoc usu nutriebas?

Si mordeat serpens in silentio, nihil minus eo habet, qui occulte detrahit. Nihilominus subito aut sero in lucem prodit, absenti à te facta detractio refertur: indignatur, meditatur vindictam, diuturno desiderium hoc tempore excoquit, sic dispositus moritur, damnatur. Eccl. 10. 11.

Et tertiam insuper ei mortem infers. Cum bona opinio, quam alter de altero concepit, commerciorum inter nos cæmentum sit ac nodus, famam proximi denigrando, societatem ei humanam inaccessam reddis & invidiosam, vitam ei civilem eripis, ad satisfactiones impossibiles te obligas.

XII. Et ecce tibi draconis caudam, cui maledicentiæ monstrum confine existit. Quod in dracone metuendum magis, ejus in cauda plicæ sunt ac replicæ, cum te circumvolvit, adeo arcte ab eo constringeris, ut evadere nequeas: & quod in detractione periculosius extat, est quod ad restitutionem te oppignorat, ad honoris ac boni reparationem, tibi factu quasi impossibilem, te obligat, in labyrinthum in extricabilem te injicit.

Maledicentiæ jaculum confestim evibratur, non sic revocatur, volat irrevocabile verbum.

Fama non est instar nuntii, debilitatur is, currendo, hæc, quò plus procedit, augetur ac vires capit, ἔπτα πτερόεντα προσηύδα.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Instar globulorum nivis de Alpibus rotantium, ceu rivuli grandia efficientes flumina; ut ignis scintillulæ, initio nihil apparentes magnum causantes incendium. Virginem te cum prava societate, aut in domo suspecta conspexisse ais; Ast non credere te, quod mala intentione factum, alius post idem recensens, illud ast adjunctionem illam tollet, aperte pronunciabit, pravæ junctam societati fuisse conspectam. Alius, visam fuisse, quod malum patrarit, alter, prægnantem esse, ac denique binos progenuisse: Primum mobile es, ac detractionum harum incendiarius; ejus reparaturus honorem, ubi quibuscum locutus ês reperies? ubi, qui post te id sparsere: Ac reperias licet, quonam pacto impressam proximo existimationem pravam ejus de capite tolles? *Ingenia hominum primi tenacissima*, ajebat optime veterum nonnemo, hominum lingua Achillis lanceæ comparari nequeunt, non facile inflictum sanat vulnus. Et sanetur, remanebit cicatrix dicebat Medicus, Alexandri assentator. Veteres non ineptum de hoc fecere apologum, retulerunt aquam, ignem ac famam simul adornasse iter, ac dixisse: Ubinam locorum ac quonam signo, dum separabimur, nos iterum agnoscemus? respondisse aquam, ubi scirpos visuri estis, semper reperiar, ignis, ubi fumos: Fama, detinete me diligenter, semel perdita inveniar nunquam. Sapiens ait: *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas cito in jurgio, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* Prov. 8.

Primùm, si proximum calumniatus es, falsumque crimen à te fictum, aut quod conjecturis temerariis inconsiderate suspicatus es, adeundus is, quo cum verba fecisti, dicendumque non ita rem se habere, errasse te: quodvè tutum magis, rogandus cui detractum, ut tibi ignoscat, ut à restitutionis obligatione te eximat, ni fecerit (omnium Doctorum judicio approbata est veritas) ad honoris ejus reparationem te obligari, alias ne Papa quidem absolvere te valebit.

Deinde, si relatum à te crimen verum esset, at secretum, æque ad reparationem teneris, non, ut te mentitum esse declares, at tale de tali prolatum, non adhibendam esse fidem, pravas in mundo reperiri linguas, aut detractioni æquipollenter laudandus. Si judicas hasce formulas bene esse animadvertendas, ac crimen pro vero habendum, quodvé restitutionis ergo id agas, penè nescitur, quid agendum, uti & si famosos composuisti libellos, cantiones diffamatorias, prudentis confessarii informationem exquire. Ecce in quem detrahendo labyrinthum te præcipites, cum Doctores cuncti fatigentur, ut expediens te servandi medium indagent, atque interim restituendus est honor ablatus, ni fiat, venia est nulla, valida absolutio nulla; nec honor solum, sed & expensæ, damna atque

que interesse, à maledicentia tua oborta, sunt resarcienda.

PUNCTUM TERTIUM.

Remedia à Spiritu sancto commendata nempe habere stateram examinis, frænum humilitatis, ostium charitatis, seram timoris, custodiam providentiæ, signaculum imitationis Christi.

XIII. AN non horrenda hæc tibi videntur præcipitia? Spiritus sancti sequere consilium, cuncta verba tua, priusquam proferas, in æqua statera ponderes, linguam ceu bestiam indomitam constringe, partam ori ac seram ei superimpone, sigillum seræ admove, ac custodiam pone. Statera, in qua verba ponderanda sunt, est Judicium DEI, in memoriam revocando, cuncta ibi exactissime ponderanda, examinanda, judicanda, punienda esse aut compensanda, de omni verbo otioso in judicio reddenda erit ratio, quantò amplius de iis, quæ proximum diffamant, honorem abripiunt, ac dissensionum formularia existunt? Spiritus sanctus, inquit Sapiens, calliditatum atque injustitiarum hostis est, interiora hominis scrutatur, speciosos prætextus ac vanas allegationes non admittet. *Benignus est Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis, quoniam renum illius testis est DEUS, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ exauditor.* Sap. 1.

XIV. Frænum ori apponendum est humilitas, quæ nos retrogredi facit consideratione criminum nostrorum, atque impedit, quo minus proximum censura notemus. Annon plurima in nobis arguenda sunt? *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ait S. Joannes.

Proximi quamvis peccata apparenter sive & in substantia tuis sint graviora, forsitan in DEI judicio ac veritate quoad circumstantias tua extant majora, cum lumine ampliori ac mali notitiâ, ardore & ad delectationis affectum majore, præviis majoribus DEI beneficiis, sint commissa.

Salvator Scribas ac Phrasæos, qui fœminam in adulterio deprehensam, zelo commoti damnabant, instruere volens, dixit ad eos: Qui peccatum non habet, primus in illam lapidem mittat. S. Augustinus *lib. 8. de adulterinis conjugiis, cap.* 14. notat, non dicere eum, qui adulterii peccato non infectus est, sed absolute, qui peccatum non habet, ab omni siquidem crimine exemptum esse oportet eum, qui judicaturus ac proximum damnaturus est.

XV. Ostium ad vitia proximi occultanda est charitas, quæ, ut sanctus ait Apostolus, operit multitudinem peccatorum. Mater filiam amans, quoad potest, ejus excusat ac minuit defectus: Si nigra est, fuscam dicit: Si gibbosa, aliquantulum curvam pronunciat. Si proximum, prout obligaris, adamas, imperfectiones ejus excusabis, si avarus est, œconomum dices: Si prodigus, esse liberalem: Si cholericus, zelosum,

Ut lateat vitium proximitate boni.

Quod si ita charitativus es, DEI, qui ipsa est charitas, gratiam obtinebis. Devotus Abbas montis Sinay Anastasius, qui circa sexcentesimum octogesimum vixit annum, refert, tempore suo, in certo Monasterio, extitisse Religiosum, quem valde æstimabant imperfectum,

ctum, frequenter in jejuniis monasterii secum dispensabat, ut noctu ad Officium surgeret, & laboriosa alia exercitia obiret, in agone mortis, non horrebat apprehendebat nihil, hilaris extabat ac lætus, invisit eum Abbas, dixitque: Quid cogitas, mi frater? Religiosus, qui, ut tu, laxus extitit, an absque metu esse potest? in angustiis extas, in quibus & sancti timore concutiebantur, ac nil metuis? DEUS, inquit ille, Angelum submisit, qui salvum me fore annuntiavit, vult enim stare promissis, dicens: *Nolite judicare, & non judicabimini, dimittite, & dimittetur vobis*, verum quidem, me communitatis functiones subinde, aut quod bene non valuerim, aut ob exiguam negligentiam effugisse, sed ad minus virtute hac præditus eram, ut aliorum indignationes ac contemptus patienter sufferrem, ignoscebam lubens, neminem judicabam, omnium excusabam defectus, revelavitque mihi DEUS, me haud judicandum, veniamque obtenturum.

XVI. Sera timor est, judicii divini secreta perpendens. Sat temporis ad mortem tibi superest, fragilitatis in te sat, ut peccatorum te maximum conspicias. Quis Luciferum dixisset fore Dæmonem? Saulem à DEO electum, ac ceu biennis infans innocuum fore reprobum? Nicolaum de septem primis Diaconis unum, Spiritu sancto plenum Hæresiarcham futurum? Quod Origenes, Tertullianus, Pelagius in ejusmodi deliria inciderint? *Qui periculose justi sumus, sub securitate semper ignoscimus*, inquit Cassiodorus.

XVII. Custodia portæ huic apponenda, prudentia est apertis semper oculis, prævisio infortunii, à detractione prosmanaturi. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odio habebitur.* Ceu Lycanthropos vitaberis, rideant quantumvis astantes, & applaudant, eorum quivis arbitrabitur te, dum aberunt, tantundem de se spargere posse, quod ceu canis rabidus sis formidandus. *Multis terribilis, caveto multos. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Omnes irrides, à cunctis explodendus: ut in mendaciis mille deprehendaris te exponis, contumeliis mille afficieris.

Sanctus Chrysostomus, *homil. 3. ad populum.* inquit, culpabilem peccatorum te audientium reddis, si homines in sodalitio honesti sunt præsentes, causa es quod superbiant proximi vitia percipientes, æstimabunt non ita se ut illos esse vitiosos: si scelerati presto sunt, lætantur, in vitiis confirmantur, obdurantur in malo, cogitantes non se solos esse, habere sibi in sceleribus pares.

Sæpe in consortio absentis reperitur amicus, tuos de amico sensus explorans: ejusdem se tecum humoris esse fingit, postqam omnia effutieris, alteri denunciat, binos acquiris inimicos, qui nonnunquam nocere tibi poterunt, cujus opera egebimus, ignoramus, non montes at homines conveniunt.

XVIII. Si cuncta hæc te minus concernunt, ad minus exemplum Jesu te commoveat. Sigillum id est portæ huic apponendum: *Pone me*, ait *ut signaculum.* In historia tripartita recensent, devotum religiosum, Pambo dictum, silentium adeo profundum, austerum, adeoque invincibile observasse, ut opinarentur ferinum, sobrie admodum loquebatur, & iis quidem, qui se invisebant.

Theo-

Theophilus Episcopus eum invisens, spiritualem instructionem ab eo expetiit. Domine, effatus est, si à meo non ædificaris silentio, nec verbis. Jesus silentio suo in omnibus vitæ suæ mysteriis nos instruit, Incarnatio in medio noctis silentio perficitur. *Dum medium silentium tenerent omnia.* Ab infantia ne verbum quidem Regibus est locutus: in vita non nisi pro gloria Patris, aut hominum salute os aperuit: in passione comparatur ovi, *Sicut ovis coram tondente se obmutescet*, non se justificat, ad falsas accusationes non respondet, adeo obmutescit, ut præses miraretur vehementer. In Eucharistia dicere potest, *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, ad hæreticorum blasphemias silet, ad malorum Catholicorum injurias, silentium adeo profundum servat, ut exprobrationi huic se videatur exponere, *Os habent, & non loquentur.* Auditor mi, nisi hoc Jesu Christi exemplo instruaris atque ædificeris, minus id hisce meis sermonibus fiet, ac propterea foret in vanum, si ultra sermonem protraherem: Ito in Pace, *Amen.*

SERMO
SEXAGESIMUS SEPTIMUS
Pro Festo sancti Joannis ~~Apostoli~~ Baptistæ
DE PRIMO SATISFACTIONIS OPERE, quod est Oratio.

Apertum est illico os, & lingua ejus & loquebatur benedicens DEUM. Luc. 1.

EXORDIUM.

MUltorum hodie ora & linguæ aperiuntur, sed non ut orent, & bendicant DEUM, quin potius ut sese invicem animent ad nugas hoc die excitandas, ut sese recreent, ut vadant spatiatum, eant ad popinam, choreas, ad campum. Multorum linguæ aperiuntur, ut detrahant proximo, ut eum diris devoveant conviciis, & contumeliis proscindant. Sed hoc sic sanctus Zacharias, hic enim aperuit os, & linguam suam, ut DEUM oret, gratiam sibi det Joannem imitandi, Joannes idem est ac gratia, si gratiam DEI velis, debes orare, per orationem enim gratia, & quodlibet aliud à DEO impetratur. Occasione hac agam hodie & ostendam, quales conditiones debeat habere oratio, ut sit efficax, & fructuosa, nimirum ut sit humilis, fervens, & perseverans.

Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Matth. 18. 32.

I. HUcusque de primis duabus sacramenti pœnitentiæ partibus sermonem instituimus, contritionis adferendo motiva, ac peccata in confessione depo-

deponenda vobis explicando: Restat nunc, ut quæ ad tertiam partem attinent, opera nempe satisfactoria, ut sunt Oratio, jejunium & eleemosyna, deducamus. Oratio ad cunctas functiones digne tractandas adeo necessaria est, ut hæc primum præmittenda, & ad te, ô S. Virgo, dirigenda sit: Sponsus tuus in cant. ait: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Per vestimenta intelliguntur actiones tuæ exteriores: Thus in sacris literis Symbolum est orationis, vestimenta tua thure fumigata erant, id est, quod in ipsa exteriorum actionum occupatione, internè altissima ac perfectionis practica fueris recollecta: In cœlo habitum virtutū omnium, quas habuisti in terris, recondidisti, ast orationis ac sanctæ charitatis virtutem, actum atque exercitium continuum retinuisti, exerce obsecro, illos in favorem ad te clamantium, exerce charitatem tuam pro nobis orando, qui tibi decantamus devote, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

Exordium. *Christus oratur à nobis, orat pro nobis & in nobis: unde ejus oratio est exemplar nostræ.*

III. Certum est ex sententia atque universali omnium sacræ scripturæ interpretum consensu, plures Prophetæ Regii Psalmos, non de ipsomet, ne quidem in sensu literali, neque de ulla persona alia, quam verbo Incarnato Jesu Christo Domino nostro intelligi posse, ut Psalmus 21. qui verbis à Salvatore in Cruce prolatis incipit: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid me dereliquisti?* Ubi adjungit: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et Psalmus 68. ubi inquit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Et nihilominus iisdem in Psalmis plura contineri verba conspicimus, quæ personæ adeo innocenti, sanctæ, impeccabili, divinæ, ut Jesus Christus est Dominus noster, adaptari queunt, ut cum dicit: *Deus meus, tu cognovisti insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.*

III. Incomparabilis S. Augustinus *in Psalm.* 85. *sub initium*, ad declarandam hanc difficultatem sapienter nos erudit, quod Jesus *Oratur à nobis, orat pro nobis, orat in nobis.* Oratur à nobis, est namque Deus Patri æqualis, consubstantialis, coæternus, thesaurus, oceanus, ac bonorum omnium abyssus, principium atq; omnis creaturæ finis, qui ex semetipso, authoritate propria, atque independenter ab omni alio plures conferre gratias potest. Orat pro nobis: S. Joannes id affirmat, dicens, quod Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum Dominum nostrum, & S. Paulus inquit, quod interpellat pro nobis. Atq; id tres ob causas principales: Ad humilitatis suæ probam, muneris sui exercitium, exemplum fidelium. *In argumentum, in officium, in exemplum,* inquiunt Ecclesiæ Patres. *1. Ioan. 2. 2.* *Rom. 8. 34.*

Ceu Pater & ipse Deus est, verum, velut nos homo est *Homo est, humani nihil à se alienum putat:* Æqualis Patri est secundum divinitatem, minor Patre, secundum humanitatem: ceu Deus est, orare non debet, velut homo, complura ei pro se suisque petenda sunt, corporis sui gloria, nominis exaltatio, hominum salus.

Deinde Sacerdos est: id David affirmat. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Episcopus est, asserit Petrus. *Conversi estis ad Pastorem & Epi-* *Ps. 109.* *1. Pet. 2.*

& Episcopum animarum vestrarum. Supremus est Pontifex: S. Paulus refert: *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JESUM filium Dei.* Proprium Sacerdotis, Episcopi, Pontificis summi officium est Deum inter & homines esse mediatorem: Dei gratias hominibus distribuere, desideria atque hominum preces Deo offerre, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum.*

Tum idea est, speculum ac prædestinatorum Princeps, suo eos exemplo, quidquid ad eorum salutem attinet faciendum, instruens, *Exemplum dedi vobis*; & quoniam oratio ex utilioribus ac mage necessariis Christianæ vitæ functionibus una est, exempla authentica ac notabilia dare voluit. Ecce quamobrem, ut notavit S. Augustinus, elatâ crebrò voce orârit; *Poterat Dominus noster si hoc opus esset, orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse Doctorem: proindè eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, Tract. 104. in Joan. sub medium.*

Orat & in nobis, & per nos; est enim caput nostrum, nos ejus membra: indè est, quod in Scriptura miseriarum nostrarum atque imperfectionum, ceu propriæ suæ forent, mentionem faciat, ac pro nobis auxilium ac misericordiam, velut pro se, imploret; Undè sequitur, in orationibus nostris, ut exaudiamur, nihil nos petere debere, nisi quod pro se peteret JESUS nunquam petiit, nec petet unquam pro se neque suis mundi amplitudines, divitias terræ, carnis delicias, expetere igitur à Deo, ceu ejus membra, amorem ipsius, timorem, gratiam, conductum, ac virtutes ei placitas, atque ceu ipse expetere oportet. Apostolus ejus nos informat ejus preces tribus semper circumstantiis fuisse concomitatas, queîs nostræ, ut perfectæ sint, condiri debent; *In diebus carnis suæ*, ait S. Paulus, *preces supplicationesq; offerens cum lachrymis & clamore valido exauditus est pro sua reverentia.* Primùm precari oportet cum humilitate; dein cum fervore; ac tandem cum perseverantia: *Pro sua reverentia*: ecce humilitas: *Cum lachrymis & clamore* valido, ecce fervor: *In diebus carnis suæ*, ecce perseverantia.

PUNCTUM PRIMUM.

Prima orationis conditio est humilitas interior, secunda exterior, probatur primo scriptura, secundo exemplis, tertio patribus, quarto ratione.

IV. Cum humilitate ac reverentia interiori & exteriori orandum est: Interior consistit in profunda humiliatione atque annihilatione animæ in conspectu Dei, admodùm æstimare ac vivè altitudinem Majestatis ejus, sui esse excellentiam, perfectionum immensitatem apprehendere oportet: humilitatem nostram atque infirmitatem, vivum earum habere sensum, agnoscere nos ejus alloquio, quive ei præsentes sistamur indignissimos, velut S. Patriarcha Abraham, qui dicebat: *Loquar ad Dominum cùm sim pulvis & cinis*, ut Daniel Propheta. *Gen. 18. 27.*
Non in justificationibus nostris, prosternimus nos ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, ut Ecclesia, quæ in Missa precatur: *Misericordiæ tuæ remediis fragilitas nostra subsistat, ut quæ suâ conditione atteritur, tuâ clementiâ* *Dan. 9. 18.*

reparetur, per Dominum nostrum, Feriâ 4. quatuor temporum Septembris. Magnã in hoc culpam committimus, in Ecclesiam venimus ceu grande Deo servitium exhibituri, cumque paululùm oraverimus aut devotè, cuncta nobis debere Deum opinamur, quasi multa pro eo præstitissemus, accedere oportet ceu pauper mendicus ad divitem, ut eleemosynam expetamus, velut infirmus aut vulneribus plenus ad Medicum, ut sanemur, ceu criminis reus ad judicem, ad gratiam ac veniam postulandam, ac dicere cum S. Augustino, Tu misericors, ego miser, tu medicus, ego æger, tu ditissimus, ego pauper. Cum vivo sensu extremæ necessitatis ob ejus assistentiam, accedere oportet, firmiter credendo, servitium omne, quod ei exhibem⁹, aut reddere possumus, adoratio ac cultus omnis quem altissimi præstant Cherubini nihil quidem ad gloriæ ejus augmentum ac beatitudinem essentialem addere posse, *Neque enim fonti se quisquam dicat profuisse, si biberit, vel luci, si viderit,* ait Sanctus Augustinus. Populi fuêre quondam rudes adeò ac stupidi, qui sibi imaginabantur egere solem vaporibus terræ, quibus renovaretur, ideoque multum iis obligari, impertinens error, contrarium experientia demonstrat: terrâ vapores Solẽ versus emittente, terræ non Soli prodest, in pluviam hi resolvuntur, nec Solem conspergunt, at terram, atq; ut propriè loquamur, nòn terra vapores emittit, ast Sol attrahit si post pluvii fiant, terram humectent, ac fœcundent, id omne Soli debet. Videtur tibi Deus multùm obstrictus esse, dum ei supplicas aut inservis, quod ei sis utilitati: falleris, adeundo Ecclesiam, has tibi Deus cogitationes, ac voluntatem inspirat, si mentem in eum elevas, ipse attrahit, *Adaperiat Dominus cor vestrum*, Si vocaliter oras labia ipse aperit, *Domine labia mea aperies*, Si ei supplices offers preces, ipse tibi indit hasque omnes tibi gratias exhibet non pro se, ast pro te, non in commodum proprium, at salutem tuam, non per indigentiam, sed abundantiam, per bonitatis, charitatis ac misericordiæ excessum: firmiter id credendum, atque ex apprehensione hac in terræ centrum, sed & in nihili nostri abyssum nos demittere oportet. 2. *Mach.* 1. 4. *Ps.* 50.

V. Ab hac interiori dispositione reverentia procedit exterior, qua cum in Dei præsentiâ se quis antè eum inclinat, submittit, prosternitque, genua flectuntur, quod si fieri nequit situ ad minùs humili, modesto ac reverenti se habendum. Humilitas isthæc exterior honori, quem Deo debemus, adeò propria ac conveniens existit, ut Spiritus sancti linguâ, textu nempè Hebraico, adorationis actus his semper terminis exprimatur, demittere se, inclinare, coram Deo se prosternere, Ischtakah. Situs hic ab iis, qui Dei placare iram atque ab eo impetrare voluerunt misericordiam, in praxin est redactus.

VI. Justus Loth coram Angelo ex parte Dei sibi loquente prostratus, Urbem Segor, ut Sodomæ evaderet incendium, obtinuit: Urbs hæc in ejus gratiam à conflagratione fuit exempta: cumque Angelus, ut in textu Latino continetur, ei diceret *Suscepi preces tuas*, in Græco habetur ἐθαύμασα πρόσωπόν σου, situm tuum admiratus sum: ut doceret humilem hunc situm, ut quæ petierat impetrasset, ei fuisse adjumento. Sic Josue *Gen.* 19. 21

ac

ac populi Seniores placare volentes Deum, qui infaustos exercitui ob peccatum Achan dabat successus, cinere conspserunt capita, ac longo multùm tempore antè Arcam humi fuêre prostrati. Sic generosa Judith, ut Dei obtineret gratiam, ut heroici facinoris à se patrandi prosperum impetraret successum, in Oratorio coram Deo se prostravit, cilicium inducit, ac cinere conspersi caput; Magnus Sanctus Carolus Borromæus, ut pestis ab urbe Mediolanensi, cujus erat Episcopus, flagellum averteret, pulvere caput suum ac Primariorum Urbis conspersit, atque unà cum processione per urbem nudis pedibus, amictu funebri laqueo ceu criminit reus collum implicitus incessit; Sanctus Chrysostomus refert S. Jacobum Minorem assiduitate precum genibus collum obduxisse, *Hom.* 5. *in Matth.* Idem de Sancta Tarsilla & Æmiliana scribit S. Gregorius. Quodque majori admiratione dignum est, Sanctus Sanctorum Salvator noster, omnipotens quantumvis Deus, æqualis ac consubstantialis Patri, cùm tamen quà homo eo sit minor, orans in horto pronus cecidit in terram.

Iosua.7.

Iudith.9

VII. Ob quod Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus jure queritur: dicens *Hom.* 30. *Prosternit se misericordia, non miseria; Sanctitas humiliatur, non iniquinitas, inclinat se innocentia, non malitia; Judex humi provolvitur, ac criminis reus indecore erigitur?* Et S. Chrysostomus *in Psal.* 4. Cum Magnati loquimur, ut id fiat ad unguem, nitimur, gestus componimus ad vestes, corporis motus attendimus, ut nil sit, quod ei displiceat; si Deo loquimur, oscitamus, caput ceu culminis pinnula versatilis invertimus, vulturis oculos gestamus. S. Ambrosius *lib.* 3. *de virgin.* irreverentiam eorum, qui magnos in Ecclesiâ tussiendo atque exspuendo sine necessitate strepitus edunt, atque hac ratione aliorum devotionem turbando exaggerat, refertque ad hoc propositum, boni Presbyteri historiam, qui unà cum populo Deum orans, dum in precibus ranarum clamoribus turbaretur, eis ut obmutescerent, impetravit, ac siluêre. Et Christiani, inquit, in Dei domo non tacent, ast garriunt, ac ceu in æstu vehementi obstrepunt.

VIII. Verum est, Deum esse Spiritum, ac principaliter spiritus nostri humilitatem cordis exigere affectuum: ast è corpore atque animâ sumus compositi, ab ipso utraque recepimus, ambo ad reddendum ei homagium atque obsequium impendenda sunt: Cùm demissè genua flectimus, aut coram Dei prosternimur, id amplitudinem ejus atque excellentiam testatur: demissio nostra, miseria, indigentia, indignitas nostra, originis vilitas, *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis*, quod ortus noster de terrâ sit, peccatorum onus nos obruat, atque ad Deum, ad solamen referendum accedamus, *Venite ad me omnes*; & humiles hi corporis situs humilitatem nostram atque interiorem excitant devotionem.

Sicut ex adverso situs fastuosus, corporis cultus, splendor ac vestium pompa multùm precibus obest, cor inflat, distra-

distrahit atque animam dissipat, à Deo nos atque à nobis Majestatem suam divinam elongat, efficit, ut amicè nos minùs recipiat, nec benignis adeò oculis respiciat, exaudiatque libenter. Cùm Scriptura inquit Deum se precibus nostris inclinare, ait, quòd *Prope est invocantibus eum*, *Inclina aurem tuam.* Eadem scriptura nobis declarat, quod elevata ac secundùm mundum gloriosa respiciat, *Alta à longè cognoscit.*

Montes Gelboë, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri pri-
2.Reg.1.21. *mitiarum*, *Hebraicè* oblationum, David eis imprecatur. Quænam montes hi, ut à Propheta sic maledicantur, commisere? Rationem subdit, *Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo,* Saul ibi scutum perdiderat ac vitam, Jonathas ejus filius ibi occubuit, omnisque exercitus ejus dissipatus est; Montes hi non extitêre causa, nihil ad id cooperati sunt: Verùm David adeò Saulis mortem persen tiscebat, tanto ad Jonatham ejusque exercitum ferebatur affectu, ut ob tristitiæ excessum in montes hos innocuos suam effuderit indignationem. Absque comparatione, majori in Christianos fertur amore Deus, ac in Saulem ac Jonatham David; magis de animarum perditione, quàm in exercitus ejus deletione tristatur. Conquereris, te in Ecclesia carere devotione, nullam habere teneritudinem, aut fervorem, semper te aridum atque internè siccum, cœlum tibi æneum videri ac ferreum, rorem in anima tua non spargere, non posse te, ceu alii, facere hos oblationis actus, sacrificia hæc interiora: *Montes Gelboë*, hi vanitatis montes id causant, crispati hi crines, pretiosa hæc collaria, operis Phrygii superfluitas, de multio ac serico confectæ tunicæ præpediunt: *Ibi ceciderunt fortes Israel*, pluribus hæc Christianis animabus extiterunt pedicæ, plures virtute præditi, his fuere perditi; *Clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo*: nonnulli velut Saul coronam gestantes, sacrâ ac divinâ unctione sanctificati, ibi scutum ac castitatis balteum perdiderunt: cape experimentum, ac verum esse comperies, mundana hæc tolle, simpliciter ut Christiana modestia exigit te vestito, tuo in oratorio Deum precare, ubi Spiritum ad mundi vanitates effundendi ansam non habes, nec videndi, aut visum esse, situ humili ac modesto preces funde, cor tuum faciliùs in Deum ferri, atque inseparabilius eidem affigi conspicies, ac devotiùs orabis, cœli rorem abundantiùs recipies, quemadmodum S. Paulus refert, unam ex causis, cur homo Deus à Patre fuerit exauditus, fuisse, quod magnâ cum spiritus humilitate, reverentiâ profunda, ac corporis demissione orârit, *Exauditus est pro suâ reverentiâ.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Secunda conditio est fervor orandum. Primo scriptura, secundo patribus, tertio rationibus, quarto comparationibus nautarum, quinto pauperum.

Cum lachrymis & clamore valido, ad testificandum cordis sui in oratione fervorem.

Ob-

Observare licet in Scriptura sacra, sæpissimè ac quasi semper, cum dicitur quenquam cum clamore Deum orasse, sacrum addere textum, fuisse exauditum velut in Psal. 3. 16. 17. 29. 30 33. 54. & 119. aliisque sexcentis Scripturæ locis, & promittit expressè Deus Psalmo 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Quid est clamando precari Deum? estnè elatâ clamare voce? Non; Moyses enim orans ne verbum proferebat, & ei dicitur, *Clamas ad me.* *In auribus Dei, desiderium vehemens, clamor magnus*, ait S. Bernardus.

Eccur arbitraris, quòd Deus tam diu interdum preces nostras exaudire suspendat? *ut desideria nostra*, ait S. Augustinus *inflammet*, Sicut si velles implere aliquem sinum, & nôsti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum &c. Sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem, *Tract. 1. in 1. Joan. Pete, quære, insta, petendo & quærendo, crescis ut capias, servat tibi Deus quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare. Aug. tom. 10. ser. 5. de verbis Domini.* Si eleemosynam elargiri vellem pauperi, isque mihi crumenam, quæ non nisi solidi recipiendi capax foret, offerret, non nisi solidum accepturus esset, aperire ampliùs oporteret, ac plures obtineret; Capacitas animæ ejus desiderium atque affectio est, si gratiarum desiderium est exiguum, paucas obtinebis, differt Deus, ut te exaudiat, quò in te donorum ejus æstimationem augeas, quâ amplificatâ, crescit desiderium atque inflammatur, ac desiderium incensum expandit ac cor dilatat. Dicere consueverunt, non magni rem esse valoris, nî benè petatur, atque illa favore eò majori expetendam esse, quantò nobilior ac pretiosior; Et quid amore Dei, ejusque gratiâ, & animæ nostræ salute pretiosiùs extat? Cùm nonnisi corde dimidio, laxè ac tepidè precamur, non magni quas petimus Dei gratias æstimamus, atque ita nos reddimus indignos.

IX. Ratio cur Deum negligenter imploramus, nec magnoperè exaudiri appetimus est, quod extremam misericordiæ ejus indigentiam non apprehendimus ceu indifferens nec magni momenti negotium perpendimus. Firmiter credere oportet, si nobis non misereatur, miserabiliores omnibus futuri sumus creaturis. Ignoramus, an juventutis delicta nobis dimiserit Deus, an unquam de iis contritionem, quam requirit Deus legitimam, supernaturalem, omnibus circumstantiis absolutam elicuerimus; ac licet nossemus, an cor nostrum superbiâ, vanitate secretâ, proprio amore, aut vitiosis dispositionibus aliis, quæ coram Deo nos reddunt abominabiles, sit refertum. Ac si certo nobis constaret nos bono in statu consistere, quid evenire nobis queat, nescitur, vitro fragiliores sumus, arundine debiliores versatili culminis pinnulâ mutabiliores, quid de nobis erit, si nostri non misereatur Deus? Nunquid igitur incessanter ex corde nobis dicendum: *Non secundùm peccata nostra facias nobis. Adjuva nos Deus salutaris noster*; sine gratiæ tuæ assistentiâ, in nobis non nisi imperfectio est, vitium, fœdor, corruptio;

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

X. *Qui nescit orare, ascendat mare.* An non

non unquam in tempestate maris impetuosa ac in extremo vitæ discrimine extitistis? Reminiscere, quomodo Deum depreceris? pari semper modo eum obsecra, atque infallibiliter salvaberis. En, ut nautæ in hujusmodi casu precentur, divæque Virginis ac Sanctorum opem implorent! in majori salutis nostræ versamur periculo; nunc vanitatis turbine extollimur, modò in tristitiæ abyssum depressi, illi non nisi duobus aut ternis ventis exagitantur, nos plùs quam senis: tentatione superbiæ, avaritiæ, invidiæ, luxuriæ, aliisque passionibus: mortem inter atque ipsos non nisi asser est exiguus, me inter atque infernum non nisi voluntas mea, assere illo fragilior: hoc sibi relicto diu conservatur; voluntate mea unico saltem die aut horâ sibi relictâ, in horrenda rueret præcipitia, perdereturque! Magis sanè ad nos regendos incapaces sumus eo, qui mare nunquam conscendit, ad navim in tempestate per scopulos ac voragines dirigendam, judicem te constituo, an non rogandus Deus, exoranda Virgo sacrata ac sancti toto cordis affectu?

XI. Sed mare non conscendamus, commoremur in terrâ, non adeò procul nos conferamus, subsistamus hîc, ut precari discamus Deum. Hac in Urbe amplus est bonorum Regentium numerus, excellentium Rhetoricæ Christianæ Magistrorum; ast ineptus valdè discipulus exto, non benè Lectionem addisco: Pauperes hi sunt, qui eleemosynam petendo, licet minus cogitemus, præclaras præbent instructiones: cùm nôrunt mane summo celebrari Sacrum, quò plurimi conveniunt, haud morantur in lecto, propediem exsurgunt, ad Ecclesiam festinantes: pari modo reliquis dormientibus ad preces exsurge, vividus magis ac liber tunc ad orationem fundendam est Spiritus: omnes pervagantur Ecclesias, ubi indulgentias esse noverunt, ubi divites ac charitativi conveniunt, illuc sanè se conferunt; quod si pedibus inniti nequeunt, eò prorepunt, aut deferri se curant, pariter ad amicos Dei sanctos te confer, meritis divites extant, plurimùm apud Dei Filium potentes, ad Virginem Deiparam, ad Sanctum Josephum Dei nutritium, ad Sanctum Joannem Baptistam cognatum ejus atque amicum accede, vulnera sua ac plagas detegunt; Quod si iis carent, simulant ac fingunt, ut ad misericordiam homines commoveant. Non sanè opus nobis, ut fingamus, aut simulemus, nimiùm quantùm iis in animâ abundamus: agnoscere coram plagas debemus, & ad misericordiæ ejus prospectum exponere: *Ego vir videns paupertatem meam:* Domine Deus meus, tu conspicis, quod non nisi caligo sim, debilitas, pauperies ac miseria, ab ortu meo ignorantiam habeo, nihilum ac peccatum.

XII. Licet complures sint pauperes, idiotæ ac simplices, verba, rationes atque argumenta ad nos commovendos, ut misericordiam persuadeant, sufficientia reperiunt, ut eleemosynam extorqueant; Domina mea, miserere mei, adeò charitatem exerces, porrige mihi de esce-

eleemosynis tuis denarium, non eris indè pauperior; Deum pro te totâ vitâ deprecabor, miser orphanus sum, à patriâ meâ centum leucis peregrinus, bellicis oppressus tumultibus ab illâ cedere sum coactus, exhibe ob Dei amorem mihi charitatem, per sanctam Salvatoris passionem, ex amore bonæ Virginis, matris S. Annæ. Eccur tot ad petendam eleemosynam verba comperiunt, & nos ad orandum Deum haud invenimus? coram Deo obmutescimus? magno eleemosynæ obtinendæ desiderio flagrant, ac nos dimidiâ solùm è parte quærimus, oportet, ut necessitas nostra nobis suggerat verba: Sacra Virgo, tam bona es, dulcis, pia, clemens, peccatorum es refugium, consolatio afflictorum, misericordiæ mater, *Non est auditum à sæculo, quenquam ad tua recurrentem suffragia, à te derelictum*: ne primus ego sim, qui rejiciar, *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, exules filios Evæ*: Missa es, ut ruinas ab ipsâ factas repares. An miser peccator, ad pedes tuos recurrens, in tam bono asylo perdetur? ora pro me ob S. Josephi, S. Annæ, S. Elizabethæ, dilecti Filii tui amorem; Si eum diligis, ejus promovere gloriam debes, ac ne probro afficiatur, curare, idque in me fiet, nî ejus amorem habuero ac timorem. Mî Salvator pronuntiâsti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Non est opus benè habentibus Medico, sed malè habentibus. Veni quærere, & salvum facere, quod perierat. *Qui venit ad me, non ejiciam foras*: Ad te per tuam invitationem venio, extremè sum æger, ne rejicias me, quod expeto, potentiæ tuæ ac bonitatis infinitæ respectu parum est, *Non multùm est omnipotenti Deo, qui plus valet, quàm petimus, aut intelligimus*, *Aug.* Dimidia orationi hora impensa, verbis à devotione, quæ animæ lingua extat, conceptis, quàm tres precum horæ erit conducibilior, si non, quid loquaris, cogites.

PUNCTUM TERTIUM.

Tertia conditio est perseverantia, probatur, primo scriptura, secundo patribus, Tertio ratione, quarto responsione ad objecta.

XIII. Salomon orationem fundebat duabus conditionibus primis associatam, continentiam is à Deo cum humilitate ac fervore petebat: demissè illam expetiit, cognovit namque ac fassus est, non de semetipso, verùm à Deo solo habere posse, ferventer ex cordis intimo postulavit, *Ex totis præcordiis, ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: Adii Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis*, *Sap. 8. 2.* Et nihilominùs, quod admirandum, exauditus haud fuit, castitatem minùs obtinuit: verùm ex adverso ceu bestia immunda in voluptatum suarum turpium cœno, in ætate decrepitâ se volutavit: contigit id, quod tertiâ orationis conditione carebat, perseverantiâ nimirùm, semel aut bis fuerat deprecatus, nec sufficiebat, ad finem usque continuare oportuerat, consilum est à vero Salomone Salvatore nostro datum: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Luc. 14. 1.

Ac posteaquam judicii extremi rigorem prædicasset ac severitatem, Discursum conclusit, dicens: *Vigilate itaque omni tempore orantes*, Non religiosis solum aut Presbyteris, verùm Christicolis omnibus loquebatur, occasiones, quas habituri eramus, nôrat, nostra cujusdam momenti negotia, & inquit: *Sine intermissione orate*, & post eum Apostolus: sine intermissione orate, id est, longo quoad possibile est tempore.

Luc. 21. 26.

1. Thess. 5. 17.

Perseverantia est, ob quam Chananæa à Dei Filio liberationem filiæ obtinuit, ut notavit S. Chrysost. *Hom. 5. in Matth. Marc. 7. 25.* Cum humilitate internâ precabatur, non nisi canem se esse recognoscens; cum humilitate externâ. Refert S. Marcus, quod se ad Salvatoris pedes cum Spiritus fervore ac vocis contentione prostrarit, *Clamavit*: rejiciebat eam Dei Filius, videbatur eam audire nolle, canem appellans; verùm illa luctavit cum eo, ac victoriam importunitate retulit. Qui pro vitæ hujus necessitatibus orationem fundit, quandoque exauditur, subindè rejicitur; ast ex misericordiâ semper; Medicus enim perspectum habet, quid ægro sit conducibile: verum fideliter in oratione persistens ad petendam Dei gratiam, ut ejus valeat custodire præcepta, ac Paradysum mereri, infallibiliter exauditur; Deus enim id promisit, nec fallere veritas potest, ait magnus sanctus Prosper, Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, & misericorditer non auditur, quid enim infirmo sit utile magis novit Medicus, quàm ægrotus: Si autem id postulat, quod Deus præcipit, & promittit, fiet omninò quod poscit, quia accipit charitas, quod parat veritas,

Epist. 93.

XVI. Magister ejus Sanctus Augustinus rationem reddit, cur à nobis Deus hanc exigat perseverantiam, non ex parcitate, nec voluntatis bonæ defectu id contingit, *Cum aliquandò tardiùs dat, commendat dona, non negat; diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt, Ser. 5. de verbis Domini.*

XVII. *Oportet* itaque *semper orare, & nunquã deficere.* Quid ad prolixiùs orandũ tibi obstaculo est? per otiũ tibi non licet, pluribus implicaris negotiis ac negotiis admodũ urgentibus. *Nunquã deficere*, id ad benè precandum Deum te impellere debet; quò seria magis negotia, ut felicem sortiantur successum, perquàm necessarium est. Quænam apparentia, ut absque conductu secundè succedant? absque Lumine? & à quo id recipiendum, nisi à Patre Luminum, & ubi, nisi in oratione? Negotiis detineris? falleris, non nisi unum idque magni momenti negotium tibi agendum est; animæ salus, negotium negotiorum, *Vestrum negotium agatis*, in suis Apostoli Constitutionibus dicebant *lib. 2. Constit. Apost. cap.* 61. studia, similesque alias actiones esse accessorias, opera minus principalia, & accidentalia ἐπέργα, ac proprium Christiani negotium esse Dei obsequium, animæque salutem, ἔργον δὲ θεοσέβεια. Per otium tibi orare non licet? Eccur non? Ad prandendum ac cœnandum, & pro reliquis corporis necessitatibus tibi suppetit tempus, cur minus pro animæ reparatione? anima quid corpore minus est? æquè necessarium orare Deum ad agendam salutem, quàm ad vitam servandam capere quietem, tempus deficit ad rogandum Deum? Crede sufficientissimum tibi esse, si benè impendas. *Non parum temporis habemus, sed*

Iac. 1.

1. Thess. 4. 11

sed multum perdimus, nec inopes ejus, sed prodigi sumus, Senec. de brevit. vitæ: Reseca visitationes superfluas, otiosa verba, conversationes atque inutiles discursus, recreationes atque oblectamenta mundana, omne post occupationes necessarias restans tempus ad precandum Deum insume: si quarta horæ pars, aut dimidia tibi residua, ac libera est, recita coronam aut ejus partem, quinque *Pater* ad quinque vulnerum honorem, S. Virginis Lytanias, ac benedicet te DEUS. An ita negotiis oppressus es, ut ne quartam horæ partem ad orandum DEUM reperire valeas? Ad minus laborando cor ad DEUM crebro per orationes jaculatorias eleva, de tempore in tempus eum adora, ab illo amorem, gratiam pete ac conductum, aciculam pone in veste ad memoriam continuandam, usque dum assuefias.

Oportet semper orare. Quid est, quod ad orandum DEUM obstaculo tibi esse queat? grandis peccator es, valde eum offendisti: *Nunquam desistere*, idem est, ac si diceres: admodum pauper sum, non ita crebro eleemosyna expetenda, infirmitate gravi laboro, ad Medicum haud recurrendum, nimis vulneratus exto, non adeundus Chyrurgus. Venite ad me omnes, qui onerati estis, ait Salvator, ut me ad liberandum vos precemini, ut vobis succurram, sint grandia licet, enormia, numero plurima peccata vestra, si dolore intimo tangimini, si liberari vis, medium hoc aut motivum melius est ad obtinendam DEI misericordiam. Hoc faciebat David: *Inops & pauper sum ego.* [Psal. ...] Hoc publicanus ajebat: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Hoc nobis ab Ecclesia proponitur: *Peccatores, te rogamus, audi nos.*

Oportet semper orare. Quid ad Deum precandum te morabitur? ariditates atq; interiores siccitates? *Nunquam deficere.* Ob id longo magis tempore magisq; affectuose rogandus Deus Salvatoris exemplo, qui tristitia adeo grandi oppressus, ut in agoniam fuerit redactus, tanta ariditate, ut se compararit testæ. *Aruit tanquam testa virtus mea, factus in agonia prolixius orabat.* Psal. 21. Preces tuæ id temporis sunt meritoriæ magis ac Deo gratæ, minus proprii in te amoris est. Si dulcoribus his, teneritudinibus, ac sensibilibus devotionibus abundas, non mirum si Deum preceris, hisce escis alliceris. Ast hoc in fastidio atque internis derelictionibus consistens, devotio tua purior extat.

Oportet semper orare. Quidnam te impediet? Non exaudit te Deus, percipere non videtur, te rejicit ac se elongat, tanto petiisti tempore non bona peritura, sed virtutes, bonaque spitualia, nec obtines: *Nunquam deficere.* Hoc tibi perseverandi ansam præbet, atque ut diutius magisque ferventer ores, cum tantum exauditionem differt, signum est donum quod tibi daturus est, excellentissimum esse ac pretiossimum, etsi rejicere te ac degenare videatur, te conspicit, intelligit, juxta te est, perplacent ei devotiones tuæ, si tardat, causæ subsunt, ut patientiam tuam exerceat, desiderium inflammet, perseverantiam probet, meritum augeat, si sustines, perseveras, si importunus extas, citius aut serius exaudiet, porriget manum, desideria complebit, suam hac in vita dabit gratiam, in altera gloriam. *Amen.*

SERMO
SEXAGESIMVS OCTAVVS
Pro Festo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.
DE JEJUNIO,
ac sanctæ quadragesimæ Institutione.

Tu es Christus filius DEI vivi. Matth. 16.

EXORDIUM.

VOcem gratiose & suaviter canentem esse gratum nemo ignorat, fiet autem gratior, si ei accinas cithara, vel alio instrumento. Hinc David, ut speciosam valde DEO laudem caneret, cantilenæ suæ addidit citharam, Psalmo 42. Confitebor tibi in cithara DEUS, DEUS meus. Pulchra hodie fuit confessio sancti Petri, quam in hodierno Evangelio Christo suo dedit, verum fuit tantum vocalis, non instrumentalis, non fuit vox citharœdi. Teste Beda, Remigio & aliis in illum locum, cantus citharæ significat carnis mortificationem. Non admodum sane difficile est DEUM confiteri voce, sed eum cum cithara confiteri, inter flagella, tormenta, mortificationes, hoc uti majoris est suavitatis, ita & meriti. Petrus hoc sciens in cithara, hoc est cruce voluit DEUM confiteri. Tu etiam ut confessio tua gratior sit DEO, non confitearis DEUM tantum vocaliter, sed in cithara, hoc est mortificatione carnis: Caro porro optime mortificatur per jejunium, de quo agam ideo in hac concione, insinuando virtutes, quæ adjungi debent jejunio, ut gratum sit.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu. Joel. 2. 14.

I. SAnctus Archangelus Raphaël, venerando loquens Tobiæ, dicebat, orationem nostram ut cœlos penetret ac DEO grata existat, duabus alis jejunio & eleemosyna debere sublevari: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.* Universalius in Ecclesia jejunium, solennius ac continuum est illud sanctæ Quadragesimæ: Quapropter non inconveniens mihi videtur ex fundamento id tractare, ut exacte deinceps ac religiose id servandi constantes atque inviolabiles capiatis resolutiones, ac si culpa vestra violaveritis, doleatis. Primùm itaque his in discursibus strictas jejunandi obligationes visuri sumus, dein dispositiones ac virtutis praxin, jejunium concomitantes audituri.

A te illas, ô Virgo sacratissima, addiscere ac recipere convenit, In Cantici

cis dicebas: *Ascendam in montem Myrrhæ, & ad collem thuris*: Myrrha in Scriptura mortificationis est symbolum, orationis hyeroglyphicum est incensum, quam diu in terris commorata es, vita tua non nisi jejunium extitit perenne, continua Spiritus in DEUM elevatio & applicatio, idque his in exercitiis, in austeritatum rigore, in fervore orationum, in quibus cœli te Legatus comperit, te salutans, *Ave Maria.*

Idea Sermonis.

Institutio & obligatio jejunii Quadragesimalis probatur & commendatur, primò Scriptura, secundò Patribus & Conciliis, tertiò Rationibus, quartò Responsione ad objectiones carnalium. Nempe, quod jejunium non nocet sanitati. Et quamvis noceret, esset licitum, quintò Exemplis.

II. ILli, qui adeo sensuales extant, ut oris oblectamenta Ecclesiæ anteponant præceptis, in cæcitate adeo horribili ac deploranda miseria existunt, ut Spiritus sanctus, quod corpore carens plorare non posset, oculos ac lachrymas ab Apostolo mutuas sumpsit, ut infelicitatem adeo extremam, ut meretur, deploraret. *Multi ambulant*, inquit S. Paulus, *quos*
Phil. 3. 18. *sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum DEUS venter est, quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum.* Interitus sane æternus, non puerorum lusus est, animæ concernit salutem. Ciborum abstinentia ac quadragesimale jejunium non simplex consilium est, supererogationis opus, præceptum est opus obligationis, præceptum est à DEO Ecclesiæ datum. Ad Romanos scribit S. Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus* Rom. 13. 1.
subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ ordinata sunt, itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et ad Hebræos inquit: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hebr. 13. 17. Quam admirandum respectum, quam submissionem vult, ut Pastoribus exhibeamus, *subjacete eis*, ὑπείκετε, id est, humiliemini, prosternite vos, coram ipsis in terram provolvamini: non sic loquitur, dum de honore atque obedientia filiorum, quam parentibus debent, infit. Clamare non desinunt Hæretici, Quadragesimam hominum esse præceptum, sic: at non dicitis mandasse DEUM, ut hominibus obediamus? Cum filio præcipis, ut talem in locum se conferat, ejusmodi perficiat opus, an non merebitur favorem respondendo: Pater mi, DEUS, non es, homo es, præcepta hominis tua sunt verba, DEO obsequendum, in DEO mandatis ejusque verbo talem adeundum esse locum, simile opus peragendum haud reperio. Non: at in Scriptura legitur, Patri ac Matri obedientiam esse præstandam. Age, DEUS idem, filio, tibi ut pareat, mandans, idemmet in Scriptura æque expresse atque instanter præcipit, ut Ecclesiæ obedientia præstetur. *Qui* Matt. 17. 17
Ecclesiam, ait, *non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ethnici Deum haud cognoscentes, an non damnabuntur? Ecquis ambigit? S. Paulus id Thessalonicensibus scribit: *In flamma* 2. Thess. 1. 9.
ignis dantis vindictam his, qui non noverunt Deum. S. Joannes in Apoc. *Incre-* Apoc. 21. 8.
dulis, pars illorum erit in stagno ardenti

igne & sulphure, quod est mors secunda. In Evangelio Salvator: *Qui non crediderit, condemnabitur.* An vobis constat, si Ecclesiæ non pareatis, æque certo ac Ethnicis vos esse damnandos? Jam non jejunare, si legitime non excuseris, est Ecclesiæ inobedientem esse, est præceptum transgredi Apostolicum, Apostolicum dico mandatum, non enim hodie institutus hic ordo est, non Episcopi, nec temporis illius Papæ jejunium præcepere Quadragesimale, Jesu ii sunt Apostoli, aut, ut melius eloquar, per Apostolos Jesus.

Joan. 3. 18.

III. Ad veritatem hanc veterum authoritate Patrum probandam, integras huc deferre oporteret Bibliothecas: verum, quod dicat Jesus, in ore duorum aut trium testium stare omne verbum, tria quatuorve, trium mundi partium Africæ, Europæ & Asiæ testimonia adducam, ubi clare visuri estis, in Ecclesia primitiva, quatuor primis durantibus seculis, non quadragesimam solum esse celebratam, cum adhuc sermones supersint, quos de die in diem instituere Patres, velut S. Chrysostomi *Tom.* 1. *Homil. in Gen.* S. Augustini, *Serm.* 64. & *seq. de tempore*: Sed & indubitatum fuisse, peccatum ac in Quadragesima non jejunare præcepti esse transgressionem. In Africa quartum Carthaginense Concilium, cui S. Augustinus interfuit, inquit: Clericus omnis, absque inevitabili necessitate jejunium frangens deponatur, *Canone* 63. Tertullianus in errorem Montani lapsus, volentis tres institui Quadragesimas, in Catholicos, quos sensuales appellas ac brutales quod ternas hasce Quadragesimas observare renuerint, librum conscripsit: ubi objectionem ab iis sibi factam refert, extra Quadragesimam nempe ab Apostolis ordinatam, cum à sponsa Ecclesia in morte ac passione sublatus esset sponsus, reliquas Quadrag. voluntarias esse ac devotionis, quodve Apostoli præter hanc aliam non imposuerint Quadragesimam, *Tertull. de jejunio, contra Psychicos cap.* 1. & 13. Idem in Europa ait S. Hieronymus, de Montanistarum enim novitate loquens, ait tres illos observasse Quadragesimas, quasi tres passi fuissent Salvatores: verum nos, inquit, secundum Apostolicam traditionem, non nisi unam servamus, non quod toto jejunare anno vetatum esse opinemur, excepto à Paschate usque ad Pentecosten: sed aliquod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre, *cap.* 54. *ad Marcellam.*

In Asia sanctus Basilius expresse de hoc verba faciens, ait. Et exercitus, viatores, nautæ, & negotiatores jejunii edictum cum gaudio excipiunt, *Orat.* 2. *de jejunio.* Concilium Gangrense in Paphlagonia ordinavit, ut qui absque necessitate corporali jejunium per traditionem acceptum, & ab Ecclesia observatum, ratione utens, violaret, sit anathema, *Concil. Gang.* 19. *circa annum* 774. Et sanctus Gregorius Nazianzenus Præfectum nomine Gelusium reprehendens, ei dicit, jejunium dispensando injuriam legibus infers, qui divinas contemnens observabis humanas? *Epist.* 74. Atque ut noveritis, quam jejunarint austere, legendus est sanctus Chrysostomus, dicens à vino illos abstinuisse, *Homil.* 6. *ad pop. sub finem.* Concilium

Laodicense, *in Phrigia, sub sancto Silvestro c.* 50. docens Xerophagias observatas, id est, abstinuisse non à carnibus solùm, ovis, piscibus, sed & fructibus, nisi fuerint exsiccati: non abdicanda est, inquit, à Quadragesima quinta ultimæ septimanæ feria, nec dedecoranda Quadragesima, ast utendum Xerophagiis, Quadragesimâ tota jejunandum. Et Tertullianus *contrà Psychicos, cap.* I. Observamus Xerophagias, carnibus abstinemus, jusculis, ac pomis recentibus, nihil edimus, aut bibimus quod vinum redolet. Atque ut noscamus, quàm religiosas hasce observantias custodierint exactè, legenda sunt martyris S. Fructuosi Tarragonensis Episcopi acta, *apud Surium* 21. *Januari.* & *Baron. ann.* 261. Ibi visuri estis, qui magnus hic Sanctus è carcere ad mortem prodiens ut vivus combureretur, cùm de more parum vini aromatici, ut animum ac vigorem conciperet, ei præsentaretur, abnuit dicens: Nondum bibendi aut edendi tempus est, solenniter in carcere quartæ feriæ stationem observamus, totius namque anni decursu omnibus Mercurii diebus jejunabant, quòd die illâ Sacerdotes ac Pharisæi concilium inerint, ut Salvatorem dolo tenerent atque occiderent; Et tu ipsâ in Quadragesimâ non jejunabis? & cùm ebrius fueris, atque inturpitudinibus ac deliciis sensualibus te volutâris, die jovis sancto ad Communionem accedere præsumes?

IV. Non strictum nimis jejunii præceptum comperies, si parum quid tibi sit intellectus, ut rationes, quæ Apostolos atque Ecclesiam, ut Quadragesimam ordinârint, induxerunt, perpendas. Id factum primò, ad commemorandum atque honorandum Salvatoris in deserto quadraginta dierum spatio secessum ac pœnitentiam; honorandum, inquam, per imitationem, pro posse nostro exiguo; S. enim Paulus dixit prædestinatos debere ipsi fieri conformes. *Rom.* 8. 24. Et ipsemet apud S. Joannem inquit servos suos se sequi atque imitari debere, ut secum aliquando cœlorum regno potiantur, *Ioan.* 12. 26 In quo eum sequi atque imitari? non prædicando aut miracula patrando, at jejunando, ac pro Dei amore patiendo: Apostolus ejus expressè declarat: *Exhibeamus nos sicut Dei ministros in jejuniis, vigiliis, laboribus*, & aliis virtutum exercitiis, *2. Cor.* 6. 6. Nota, *in jejuniis*, non semel, aut bis in anno, ut subindè faciunt Hæretici, verum compluribus diebus, ut Salvator, exemplo nobis prælucens.

Deindè instituta est Quadragesima pro conversione animarum, ad conscientias nostras à peccatorum sordibus per pœnitentiam purificandas, atque hac sanctificatione nos ad Dei Filium in Eucharistia dignè recipiendum disponamus. Propheta Joël ait ad veram conversionem utilissimum esse jejunium, *Convertimini ad me in jejunio, in fletu & in planctu.*

Adhæc Quadragesima instituitur ad celebranda parentalia, exequias ac dolorem anniversarium ob Salvatoris mortem. Spiritus Sanctus funeralia à conviviis distinguit, *Melius est*, inquit, *ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii,* *Eccl.* 7. 3.

vii. Conquerentes vice quadam Scribæ ac Pharisæi Filio Dei, quod Discipuli
Matth. 9. 15 ejus minimè jejunarent, respondit: *Nunquid possunt filii Sponsi lugere, quàmdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies, cùm auferretur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.* Ecclesia Sponsi sui in Quadragesima mortem deplorat, quæ circà id tempus contigit; an non benè filiis mandat, ut matri se conforment, ut dum dolet, tristentur, ut secum pœnitentiam agant, ut, dum Sponsi sui in crucem acti absentiam deflet, illi jejunent?

V. Dixit S. Paulus in principio, gulosos suo de ventre formare Deum, suntque eloquentissimi ac zelosi, ut industriè pro defensione suâ causam agant; Pugnant pro aris & focis, pro Deo suo ac culinâ confligunt. Epicuri conqueritur discipulus, à proprii amoris partibus consistens, atq; ut se justificet replicans, quòd dum jejunat, non benè adeò dormiat, quòd ægrè ad prandium sumendum præstoletur undecimam, vitæ nos dominos haud esse, abstinentiam ac reliquas austeritates debilitare corpus, sanitati officere, progenerare infirmitates, abbreviare vitam, ac per consequens jejunare, aliasque assumere mortificationes, esse contrà naturam agere, ac sui ipsius existere homicidam. *Responde stulto secundùm stultitiam ejus, ne sapiens sibi videatur.*

Cùm jejunas, benè dormire nequis: credo equidem, ideò jejunium est institutum, ne longo tempore dormias, atque ut ad orandum, aliaque Christiani exercitia sis expeditior. Undecimam expectare nequis, eousque jejunare tibi difficilè accidit? Sit ita, & arbitraris jejunia hunc in finem esse, ut tibi præbeant oblectamenta? an non potiùs, ut te affligant? non igitur adire Paradysum appetis, nî via holoserica extet, nî rosis ac floribus sit strata? Et ubinam Christianismi lex, mortificationis lex ac crucis? Et quid sibi volunt Sancti Petri verba: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus?* Et illa Sancti Pauli: *Si compatimur, conregnabimus, ac cum eo glorificabimur.* Et Salvatoris illa: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum ac sequatur me.* Luc. 9.

Annon præclarum foret militem conspicere dicentem: Nolo hisce morari in campis, non ita hic velut in patriâ atque hospitio tractor, semper expectandus fistulæ ferreæ ictus, vigilandum noctu ad agendas excubias, sufferendum est armorum onus. *Quid armorum refugis pondus & asperitatem, delicate miles?* diceret Sanctus Bernardus. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos verò incorruptam.* Abstinentiam inquis evertere corpus, abbreviare vitam? Ecclesia, jus Canonicum, boni Medici, ratio, experientia contrarium docent: Ecclesia in oratione Sabbathi primi Quadragesimæ, inquit: *Ut hoc solenne jejunium, quod animabus corporibusque sanandis, salubriter institutum est.* Et in Gratiani decreto habetur, *Cap. quidquid & c. legimus de consecr. distinct.* 5. complures podagrâ & articulari morbo laborantes, & abstinentes, coactâ hac diætâ fuisse sanatos. Omnes boni Medici tibi occinent, si ob jejunium unus infirma-

firmatur, quinquaginta propter intemperantiam pereunt. Doctus Fernelius asserit, *lib. 3. Methodi c. 11. lib. 1. de morborum causis c. 14.* ægritudines plurimas incurabiles solo sanari jejunio. Ratio evidens est, quia, ut alibi Fernelius inquit, omnis cibus, quantumvis bonus, qualitatem quandam habet malignam, ac dispositioni nostræ contrariam, aut ad minus fæcem nonnullam nobis officientem, *Et terit, & teritur.* Et licet aliæ morborum causæ, ut aëris intemperies, atque influentiæ astrorum quandoque magis sint activæ, nihilominùs isthæc longiori tempore in corpore remanet, adhæretque viciniùs, majori robore in id pollet, atque ampliorem vitiosorum ac peccantium humorum materiam subministrat. *Jejunium vero, ait Athanas. Lib. de virginit. post initium. morbos sanat, distillationes corporis exsiccat, dæmones fugat, cor mundum efficit, corpus sanctificat, ad thronum Dei hominem sistit.* Adhæc per experientiam noscitur, magis sobrios atque abstinentes Religiosos, austeritate confectos, ordinariè vitam protrahere: S. Martinus octoginta & uno vixit annis, rigidam continuò vitam agens. S. Maurillus Episcopus octoginta & decem. S. Hieronymus centum. S. Antonius centum ac quinque. S. Pacomius centum & decem. S. Arsenius & S. Romualdus, eorum quivis centum viginti, vixit annis. Posteriori sæculo S. Carolus Boromæus ab ætate minori catharrum contraxit, qui eum valdè molestabat, taliter abstinentiis eum exsiccavit, ut ab eo liber omninò evaserit, ut adhuc Mediolani proverbium floreat, Catharrorum remedium S. Caroli Recipe, benè laborare atque abstinere. Ac sæculo nostro devotissimus & sanctissimus Prælatus Alanus de Solminiaco, Episcopus, qui anno 1660. è vivis excessit, cum aliquot annis pane & aquâ vitam sustentasset, viginti post annis indies unicam sumpsit refectionem, absque carne, ovis, piscibus, pane, herbis, leguminibus, paucâ aquâ rubra pro potu contentus, singulis diebus hora secunda manè surgens, quatuor horis mentaliter orabat, continuè suam invisit Diœcesin, sæpe numero visitatione durante binis de die vicibus prædicando, ac nihilominùs in complures annos vitam protraxit.

Audite experientiam à Sacra Scriptura allatam: Cum Nabuchodonosor Rex Palæstinam intercepisset, captivum duxit in Babyloniam nobilissimæ juventutis florem, atque inter cæteros Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem: honorarios inter Ephœbos enutriri illos præcepit, ut nulla in eis esset macula, sed formâ decori, constituitque eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, undè bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, posteà starent in conspectu Regis. Ipsi ad jejunia assueti, bonam hanc consuetudinem noluerunt deperdere, rogâruntque Eunuchorum Præpositum, ne lautè adeò tractarentur, ut sineret eos jejunare secundùm consuetudinem. Ita: Sed timeo ego Dominum meum Regem, qui constituit vobis cibum & potum, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum Regi. Tenta nos, obsecramus, servos tuos diebus decem, & dentur

nobis legumina ad vescendum, & aqua ad libendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris facies cum servis tuis. Qui audito sermone hujusmodi tentavit eos diebus decem, & apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris. Hic admirari licet providentiam DEI, & abstinentiæ efficaciam. Ex quo sanctus Athanasius, *lib. de virginit. post initium*, concludit: *Si accedant aliqui, & dicant tibi, ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias, ne credas illis, nec auscultes; per istos enim inimicus hæc suggerit.*

Sic indies cernitur in claustris, Religiosos communibus cibis esse contentos, ac vegetos effici, cum alii singularitatibus dediti conspiciuntur esse valetudinarii. Dat gratiam cuivis sua invocatione DEUS: Capucini peculiarem paupertatis habent gratiam: Minimi, abstinentiæ, Carthusiani solitudinis gratia donantur, gratiam ajo, cum cordis lætitia rigores hosce perferendi. Ita cum Christianorum sit vocatio abstinere in Quadragesima, immiscet DEUS jejuniorum cibis, nescio quam dulcedinem, ut æque contenti sint atque incolumes, ac Hæretici, & Catholici sensuales.

In Chronica Ordinis Cistercientium refertur, certo quodam in Monasterio exacte rigorem Regulæ, jejunium ac ciborum abstinentiam imperantis fuisse observatum, cumque Religiosus quidam, stomachi prætendens debilitatem, particulares sibi præparari cibos faceret, die quodam cum reliquis mensæ assidens, vidit sanctam DEI Matrem, duabus aliis Virginibus associatam, in manu vasculum admirabili succo plenum gestantem, quem cum cochleari in cujusvis Religiosi portionem infudit, cumque ad sensualem hunc Religiosum venisset, eo relicto pertransiit, quod cum obstupesceret, inquit ipsa: Non decet, ut hac fruaris dulcedine, cum non contentus sis communitatis esculentis.

Verum supponamus jejunando debilitari sanitatem, quenquam abbreviandæ vitæ discrimini se exponere, annon jejunare permissum? Profectò, Ecclesia dulcis ac pia Mater, filiorum infirmitatibus condescendens, ni absque damno notabili fieri queat, ad jejunium illos haud obligat: at quempiam jejunare non posse, vigilare, cilicium aliasque austeritates perferre, cum Directoris sapientis consilio adincitas redigendam carnem, præcipue cum recalcitrat, bonus Theologus nunquam dicturus est, nec dicet unquam Doctor bonus, licet probabiliter quis crederet pœnitentiam ejusmodi corpus debilitaturas. *Vim vi repellere licet*, Si caro spiritui resistit, atque escis suis, ut vitam perdat æternam efficere nititur, eccur anima resistere non valebit, & aliquantulum vitam abbreviare temporalem? Si caro offensiva arripiat arma, cur non anima apprehendere queat defensiva, ac dicere, velut Anachoreta Evagrius. *Quiescat illa, & ego quiescam?* Si animal hoc recalcitret, quare severitatem adhibere, atque avenam subtrahere non licebit, ac cum S. Hilarione apud S. Hieron. dicere:

dicere: *Ego, aselle, faciam ut non calcitres, ego de paleis & fome conficiam.*

In Jurisprudentia præclara movetur ad propositum meum apta quæstio: e. c. Domus tua, meæ contingua incenditur, vereor, ne si augeatur incendium, ignis in meam prorepat, hoc casu an ut ædes tuas dejiciam, diruamque, mihi licitum? ac si id egero, an ad restitutionem teneor, an actioni locus erit, quam *Legis Aquiliæ* appellant, ut damnum reparetur? Dubitarunt Doctores quidam, ac dixere, Urbis Magistratui, ut domum ad impediandam flammis viam, diruant esse permissum, non ita privato. Nihilominus Ulpianus post Servium aliosque Doctores, decidere, hoc in casu dejicere me ædes tuas posse, quod si actionem intentes, exceptiones ad defensiones proponere valebo, rationes, quas adferunt, peremptoriæ sunt ac relevantes. Primùm ait Ulpianus, domum tuam, ne mea conflagret, dejiciendo justus mihi ac rationabilis metus, non invidia ducor aut malevolentia, ast desiderio quod meum conservandi idque jure defensionis justæ, ut glossa ait: Justo metu ductus, ne ad se ignis perveniret, vicinas ædes intercidit. *l. si quis fumo.* §. *quod dicitur, ff. ad legem Aquiliam.*

Tunc mea res agitur, paries cum proximus ardet.

Deinde, ait idem, cum ædem tuam flagrantem deijcio, damnum tibi non infertur, etenim de se flammis absumenda foret. Nullam injuriam aut damnum dedisse videtur, æque perituris ædibus. *l. si alius*, §. *est & alia quæstio ff. quod vi, aut clam.* Quoad hoc subjectum, dico idem. In ætatis es flore, in juventutis aut virilitatis ardoribus, lubricitatis ignem corpus tuum concipit, concupiscentiæ æstus id inflammat,

Et mollis flamma medullas,
Et cæco carperis igni.

Nihil corpori tuo vicinius est anima, si augeatur ignis, timendum, ne venereo ardori consentiat, ac ne in flammas inde ruat infernales. Quid factura? Debet sane ac justissime potest non corpus quidem destruere, verum evertere, debilitare, ac jejunio aliisque mortificationibus macerare, id agendo, injustitiam haud committit, ne oppressionem tyrannicam. *Justo metu ducta*, vicinas ædes intercidit:

Tunc sua res agitur.

Metus ejus admodum rationi conformis est, si ingluvie corpus foveat, ab igne hoc temporali in flammas perennes deturbabit. Ac deinde ei injuriam non infert, *æque perituris ædibus.* Oportet quoque, ut, ni anima corpus mortificet, pereat, illamque lubricitatis ardor infamibus morbis destruat: gula, ebrietas, aliique excessus, & exorbitantiæ debilitabunt magis, vitamque abbreviabunt, plusquam cæteræ austeritates, ac non modo anima corpori, id jejunare faciens, nullam injuriam infert, verum hoc sibi devincit, à pœnis rebellionibus promeritis eximit, nihil enim adeo DEI iram sedat, nec vindictæ flagel-

flagella avertit, ut jejunium aliæque corporis macerationes, è vera conversatione ac compunctione cordis procedentes.

VI. Testes Ninivitæ. Horrendum, non tanto lumine ac spiritu Hæreticos, ut miserabiles Pagani, esse præditos; Jure Dei Filius dicet, quòd in judicii die ingentem hanc insurgent, eamque sint damnaturi. Non eis prædicat Jonas, ut jejunent, ciliciis induantur, pœnitentiam agant, at solùm inquit: *Quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ac nihilominus Gentiles cuncti lumine illo præditi erant, ut cognoscerent, ad placandum Deum jejunio opus esse ac pœnitentiâ. Jejunium adeò generale atque austerum publicavêre, ut à maximo usque ad minimum, à Rege ad Opificem, imò & bestiæ tribus diebus, totidemque noctibus, absque cibo ac potu, jejunio corpus afflixerint. Si talia præciperet Ecclesia, obgannirent Hæretici, atque inhumanam proclamarent, & nihilominùs Creator edictum hoc approbat, ac jejunantium peccata dimittit. Paucis, si austeritates mortem accelerant, Anachoretas veteres, magnamque primorum Christianorum partem, indies penè solo pane & aqua se enutrientiū damnare oportebit, insuper & Capucinos omnes, Recollectos, Carmelitas discalceatos, Minimos, Benedictinos, Carthusianos, carnem nuditate, vigiliis, abstinentiis, ciliciis, aliisq; pœnitentiæ operibus macerantes: Oportebit damnare Salvatorem, qui noctu in Olivarum monte pervigil erat, atque adeò pœnitentiarum rigoribus corpus afflixerat, ut triginta extans annorum, quinquagesimum attigisse annum opinarentur. *Quinquaginta annos nondum habes.* Ac nihilominùs ejus Apostolus cum affectione nos hortatur, ut ipsius imitemur exemplum. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in longanimitate & suavitate, in verbo veritatis, in castitate, in jejuniis, in charitate non ficta.*

Ioann. 8 57.

2. Cor. 6. 4.

PUNCTUM SECUNDUM.

Virtutes jejunio sociandæ patientia, mansuetudo, verbum veritatis, castitas, charitas.

VII. ECce virtutes ac dispositiones jejunio sociandas, quadragesimali tempore, ut S. Matris Ecclesiæ intentionibus conformemur, in praxin redigendas. Sacri temporis hujus initio inquit: *Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas*; Quadragesima purgatio est generalis à JESU toti mystico corpori ordinata. Plura exercitia ac virtutum practicæ ad purgationem hanc concurrunt, jejunia, vigiliæ, solitudo, silentium, preces, Eleemosynæ, *Exhibeamus nos sicut Dei ministros.*

VIII. *In multa patientia.* Dicis jejunium te observare non posse, quod fœmina es prægans, aut nutrix, fructui tuo nocitura: Ita ait S. Chrysostomus *hom. 12. ad populum*, Deus te excusat: ast aliud jejunium expetit, ut ab ira abstineas; abstinentia hæc fructui, quem portas, injuriam haud infert: è contrà nimiùm ardens cholera multùm ei nocere potest, atque efficere, ut sine Baptismo obeat.

IX. *In longanimitate & suavitate*; Deo tibi

Ioann.8 57. tibi in judicio dicente, eccur minùs jejunâsti? fortè respondebis: Stomachi debilitate laboravi, hemigraniæ fui subje-
Cor. 6. 4. ctus: Equidem, si vera profaris, excusationem hanc recipiet Deus, ast quidnam responsurus es, dum replicabit: & quam ob rem non indulsisti inimico? cur odium in pectore servâsti? Si dulce proximo verbum fuisses locutus eum salutando, an oris exindè tormina aut capitis debilitatem esses perpessus?

X. *In verbo veritatis.* Infirmus es, præcipitur tibi, ut carnes edas, obedi Medico ac Confessori, ast de prohibitis sumere noli: Vereor admodùm, nè plures hac in urbe reperiantur carnem in Quadragesima ipsoque Veneris Sancto die edentes, non illam quidem coctam, at crudam humanam carnem, per maledicentiam ac detractionem, ita loquitur Scriptura, *Dum appropiant super me no-*
Psal.26.2. *centes, ut edant carnes meas*, ait Propheta
Iob.19.22. Regius. Et Sanctus Job. *Quare persequimini me, & carnibus meis saturamini?* Ducis tibi conscientiæ in frustum carnis animalis demortui infigere dentem, nec scrupulo angeris, vivam proximi carnem calumniis ac murmurationibus dilacerans? Horres linguam occiso animantis sanguine madefacere, illam tamen tam impudenter perjuriis ac blasphemiis pretioso Agni immaculati sanguine humectare non vereris? Satiùs foret in Quadragesima agnum manducare, quam vel semel blasphemare.

XI. *In castitate.* Non ore solùm jejuna, non tantùm hoc Deum offendit, omnia corporis tui membra jejunent: oculi, tactus, cogitationes lascivæ cibi sunt carnales, semper ac præcipuè in Quadragesima sunt prohibiti: qui non jejunat, unum per diem tantummodò crimen committit, qui cogitationibus impuris consentit, plura subinde quàm decem patrat.

XI. *In charitate non ficta.* Omnes SS. Patres inquiunt, non modò ad affligendum corpus institutum esse jejunium, sed ad solandos pauperes, ad eleemosynas elargiendas, visitandos infirmos, aliaque charitatis ac misericordiæ opera exercenda: *Fiat refectio pauperis, abstinentia jejunantis.* Aut in Quadragesima jejunas, aut non: Si jejunes, pauperibus dandum, quod in cœna eras consumpturus; Sin minùs, cùm DEO per abstinentiam honorem non exhibeas, per corporalem aut spiritualem misericordiam præsta. Ingeniosum valdè ac Christianum Veteris cujusdam reperio inventum, ægrè servata ab aliis jejunia colebat, pauperem ut unà secum ederet, invitavit, dicebatque, si DEI Filius in judicio mihi dicturus est, Quarè adeò manè jentaculum sumpsisti? dicam, unà mecum id sumpsisti: Fac, ut ipse, forsan quædam ægritudinis incommoditas quoad jejunium tecum dispensat, ast metuis, ne ipse tibi blandiaris, pauperi cuidam infirmo jentaculum ablega, ut dicere tibi queat Salvator: *Esurivi, & dedisti mihi manducare. In jejuniis, in charitate*; Sic ex charitate adversus proximum, adversus DEUM, non per motiva terrestria jejunandum est. In Evangelio nobis DEI Filius inquit, *Cùm jejunas, faciem tuam lava*, id est, intentionem purifica, ne jejunes panis buccellati placentulis,

ut bellè valeas, nec ut avarus, quò impensis parcas, ac crumenam farcias: verùm Christiani observa jejunium, ut Ecclesiæ obedias, plura pauperibus benefaciendi media habeas, complura opera bona præstes, spiritus ut ad precandum sit promptior, justitiæ DEI satisfacias, JESU morti condoleas, ad Paschatis Communionem te disponas, ut JESU in deserto jejunium imiteris, ut ejus in terra pœnitentiis associatus, cum illo in Cœlis voluptatis torrente satiari merearis,

Amen.

SERMO SEXAGESIMUS

SERMO
SEXAGESIMUS NONUS
pro Festo Sancti Jacobi Apostoli.

De Eleemosyna.

Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi Matth. 22.

EXORDIUM.

FEstivitates Sanctorum esse instituras, ut eos imitemur, in dubium trahi nequit. Agimus hodie festum Sancti Jacobi, illud optimè celebrabimus, si conemur esse fratres Jacobi, Jacob. Genes. 25. est nomen, quod dedit Isaac filio suo, qui in ortu suo tenebat plantam fratris sui Esau, & significat supplantatorem bonorum temporalium: Verùm Esau Genes. 27. illud nomen in malam partem traxit, volens illud esse deceptorem. Nos ergo debemus esse Jacobi primo modo, non secundo: erimus autem tales, si supplantemus bona temporalia, illa consternamus, & spernamus largas eleemosynas elargiendo, non erimus autem in secundo sensu, si non decipiamus, hoc est, si illas non elargiamur ex bonis alienis, sed ex propriis. Occasione hujus agam hodie de Eleemosyna, ostendendo, quod illa fieri debeat ab omnibus electis & iis qui volunt videre Deum, & quod facienda sit ex propriis bonis, & non alienis.

Peccata tua eleemosinis redime. Daniel. 4.

I. TErtium Satisfactionis opus peccatorum nostrorum debita exsolvens, Dei iram placans, ac preces nostras ad ipsum conscendere faciens, praxis est misericordiæ; cùm virtus hæc in aliquibus naturalis sit atque humana, Supernaturalis in aliis ac divina; conducit ejus perpendere circumstantias, ut meritoria sit ac perfecta. In binis hoc Prædicationibus efficiemus. In hodierna visuri sumus, quis, de quo, & quomodo Eleemosynam sit facturus. Si verum est, quod inquit Scriptura, Deum esse misericordiam, jure misericordiæ vocaris mater, ô sacratissima Virgo, cum sis Deipara. Afficiuntur matres iis, qui ejus filios adamant, ac tu teneritudinibus atque affectionibus peculiaribus ad animas misericordiæ virtutem diligentes, moveris; Cumque nobis apud Sapientem inquis: *A generationibus meis implemini*, ut fœcundi ad misericordiæ opera reddamur, nos exhortaris: Hoc est, quod per Filii tui gratiam, quam te salutando imploramus, præstare nitimur, *Ave MARIA.*

Idea Sermonis.
EXORDIUM.

Deus præcipiendo Eleemosynam ostendit suam potentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam.

II. BEatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Sacra hæc Regii Prophetæ verba, atque alia mil-

le similia, in Psalmis resonantia, subjectum nobis cum S. Augustino præbent dicendi, quod *Thronus imperantis, est cathedra erudientis*; Non aliâ probatione, quàm præcepto nobis dato opus, ut in egenos simus misericordes; *Si* enim vita æterna in Dei cognitione sita est, ut ipse inquit; hoc charitatis præceptum non faciliorem solùm ac tutiorem vitæ æternæ viam, in qua Deum de facie ad faciem sumus visuri, nobis exhibet, sed & vitæ illius attributa incomprehensibilia, ac perfectiones divinas commonstrat.

Cùm Eleemosynam nobis præcipit Deus, potentiam suam, jurisdictionem summam, atque in omnes terræ divitias ac possessiones, quorum Dominus est & proprietarius, dominium absolutum demonstrat: Sequestres tantùm prætorii, vectigalium redemptores, villici ejus ac dispensatores: nos coactores sumus, œconomi, thesaurarii: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Dominus quispiam se Villæ magistrum demonstrat, dum eam possidenti mandare valet, tot frumenti mensuras da huic, isti tantum hordei porrige. Cum ad te pauperes dirigit Deus, habesque ad ipsis succurrendum media, præcepta isthæc sunt, ab eo data, ut amicis suis bona ad se pertinentia distribuas.

III. Exhibet sapientiam. Rex aut Status Minister intellectum suum patefacit, prudentiam atque industriam, dum jacentia erigit commercia, ut ditescat Regnum; Inventiones reperit, vias faciles accommodas in negotium longè dissitas mittendi Provincias, ut quæ subditis deficiunt, adferatur; ac quibus abundant divendant: Quid à Cælo terrâ magis dissitum est? quid terræ amplius necessarium, ac bona cælestia? quod itaque commercium magis optandum, at plùs difficile, ac negotiatio Cælum inter ac terram. En, si lubet, admirandam Sapientiæ Dei inventionem: numulariam in mundo mensam instruxit, quâ mediante efficere potis es, ut quæ in terris bona possides, habeat Cælum, gratiasque millies pretiosiores, quàm id, quod illuc ablegasti, recipias; Pauperes sunt *Nummularii Christi*, inquit Sanctus Salvianus.

IV. Bonitatem atque amorem gratuitum demonstrat. Testamur affectionem iis, qui nobis exhibere valent obsequia, aut esse adjumento, magnatibus, divitibus, potentibus, quive cæteris authoritate præstant; Dei Filius aliter planè agit, teneritudinem ac peculiarem in pauperes personas miserabiles, ac derelictas habet inclinationem. Provinciæ cujusdam Gubernatore iter adornante, si pauperes Urbis commendaret Magnatibus, diceretque: Domine Præsidens, curam habe processus hujus viduæ; Domine Thesaurarie, orphanum illum vicinum tibi commendo; Quæ bonitas, dicetur, quæ pietas? quis charitatis excessus? Hoc est, quod Dei Filius, priusquam è mundo migraret, egit; in vigilia mortis extans nostrûm cuivis pauperes commendavit omnes, Domine Canonice, Consiliarie Tibi dixit: Quidquid infirmo huic, captivo isti præstiteris, mihi feceris. An non id est suam declarare bonitatem? Exhibet adhæc.

V. Pro-

V. Providentiam, ex malo bonum, de tenebris lucem, aquam de petra, de tribulatione auxilium elicere valentem, *Auxilium*, de tribulatione. Bonum adeò Patremfamilias agit, ut inutilia magis, magisq; abjecta vilia contempta ac contemptibilia velit erigere, paupertatē, miseriā, infirmitatem sublevare atque incommoditatem. Si quis Ethnico, aut alteri cuipiam infideli diceret: Viden, miserum hunc, qui visum deperdidit, qui oculorum lumine, seu digito, privatus est, qui ne binos quidem absque baculi conductu formare novit passus, ad quemvis occursum offendentem? Viden' hunc alterum, claris ac pellucidis præditum oculis? cæcus hunc deducit. Vides hunc paralyticum, in lecto extensum, ceu statua immobilem, omnibus membris captum, nec manus; nec pedes movere valentem? Vides alium hunc incolumem, hilarem, robustum, benè dispositum, inquieti status? Est paralyticus hic, qui eum procul asportat. Conspicis miserum istum panniculamentis omnino confertum, non nisi eleemosynis se nutrientem, incubantem stramini, ab insectis corrosum? Conspicis hunc Comitem, Marchionem, qui in essedo devehitur, amplo comitatu stipatum, auro ac holoserico vestitum? Pauper hic eum sustentat, nutrit, ditat. Gentilis hic crederet nihil, exploderet, delirium nuncuparet; nihilominus pura veritas est; cæcus hic luminibus præditum deducit ad Cælum; Paralyticus hic ad Paradisum portat robustum; divitem pauper hic locupletat; hic etenim perillustris, dives; incolumis, clarè videns, per charitatem erga pauperem, cæcum ac paralyticum exercitam, omnibus bonis refertus deportatur in Paradysum; Quàm admiranda Dei providentia? *Beatus homo, quem tu erudieris, ut mitiges ei à diebus malis.*

Fortunatus millies ac felix ille, cui Deus cognoscendas dat & apprehendendas hasce veritates, easque benè in praxin redigit! Deus ipsi clemens ac mitis est in judicio futurus; in die illa, quam Scriptura malam nuncupat, *In die mala liberabit eum Dominus.* Judicis sententia ei gratiosa erit ac favorabilis; cum honoris elogio ei dicet: *Esurivi, & dedisti mihi manducare &c.* Verba JESU brevia sunt ac Laconica; at fœcunda & emphatica, Si patienter hodiernà & crastinâ luce Sermonem audieritis, conspicietis, quod paucis vos edocebit JESUS, Quis, de quo, quomodo, cui, quando ac quo in statu illa facienda.

PUNCTUM PRIMUM.

Eleemosyna facienda est ab omnibus electis, probatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio rationibus quarto exemplo Hedvvigis, Amadai.

VI. Quis eleemosynam debet elargiri? Christiani omnes, qui Cæli Regnum quandoque obtenturos se sperant. Nolo probationem aliam, quàm illam JESU sententiam in favorem electorum ac reprobos pronunciandam: *Venite, dedistis; Ite, non dedistis.* Omnes aut salvantur, quòd eleemosynam dederint, aut

ob non datam damnantur: ad quod tamen cuncti obligabantur. Et in eodem *cap.* 25. *Sancti Matthæi* totam Ecclesiam congregationi decem virginum comparat, quarum aliæ ad nuptias admissæ, quòd in lampadibus oleum habuerint, aliæ abinde sunt exclusæ, quod illo caruerint.

VII. Unde S. Chrysostomus concludit, quòd illæ, quæ virgines erant, id est, aliis peccatis carentes, Cælo exclusæ sunt, quòd eleemosynam non fecerint: à fortiori, qui peccata commisere, nec eleemosynis redemerunt, sunt damnandi.

Homil. 22. in Joann. Addit: *Colligamus ergo hoc oleum, si cum sponso ingredi volumus, impossibile est, inquam, & si innumera facias, sine eleemosyna, vel cælestis Regni vestibulum attingere, Ibid.* S. Augustinus in eodem sensu decem virginum parabolam explicans, inquit: *Cùm vitam examinas, te opinaris innocentem; indè provenit, quòd nonnisi ab extrà apparens, actus, aut verba exteriora consideras. Quis ascendet in montem Domini*, ait Propheta

Psal. 15. Regius, non solùm inquit: *Innocens manibus*, in actionibus irreprehensibilis, sed &, *mundo corde*; & Spiritus S. *Quis gloria-*

Prov. 20. *bitur mundum se habere cor?* In quod S. Augustinus: *Quantumlibet proficias, sperabis in misericordiam; nam si sententia sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet, in Psal.* 147. Hoc est quod perpendebat David; cùm enim dixisset, *Si iniquitates observaveris, quis sustinebit?* consolando se ac misericordiam effagitando subnectit: *Apud Dominum misericordia.* Age S. Jacobus nobis declarat, quòd judicium sine misericordia ei fiet, qui non fecerit misericordiam; qua-

Lib. 1. offic. c. 51. re peccatum est, ni fiat, & S. Ambrosius non absque ratione dixit: Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat; si scias enim sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat. Cùm in Evangelio Dei Filius inquit: *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum ac Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum*, evidens est, per verbum, *justitia*, intelligere eleemosynam; paulò namque post ait: *Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*; eleemosynam igitur in secreto des, ut sinistra nesciat, quid faciat dextera.

Itaque nobis declarat, plures quàm egerint Pharisæi, à nobis eleemosynas esse Homil. dandas, aliàs Regno cælorum nos privan- 65. in dos. Sanctus Chrysostomus inquit: Ta- Matth. men decimas omnium dabant ter in anno, absque primitiis, & primogenitis, & remissione in anno jubilæi; si hi quidem mediam partem dabant, nihil magni operabatur; quid tu facies, qui nec decimam partem dare pauperibus unquam cogitasti: quarè non injuria, paucos fore salvos quidem dicebat, & hoc ipsum est, quod etiam ego magnâ voce proclamo. Ille super quem debet abundare justitia tua, decimas dat, tu autem ne vigesimam das; quomodo superabis eum, cui non æquaris; præcidite ergò, & deputate aliquid in Psalm. fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quo- 146. tidianis quæstibus vestris. *August.*

An sine charitate salvari quis potest? id est, absque amando Deum, & ab ipso amari? ac dilectus ejus Discipulus nobis occinit, *si quis possederit bona hujus mundi, & videns fratrem suum necessitatem pati, & clauserit viscera misericordiæ ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Non dicit,

dicit, *videns fratrem suum in extrema* necessitate, sed simpliciter: *in necessitate*; Error itaque est credere, præceptum de eleemosyna non obligare, nisi proximo in necessitate constituto; sed & impartienda, cùm momenti alicujus ac consideranda necessitas extat. Divitibus hujus sæculi præcipe, facilè tribuere, communicare, inquit S. Paulus.

1. Tim. 6. 17. VIII. Et alibi rationem adfert; *Nos membra sumus corporis mystici IESV; Si quid patitur unum membrum, compatiuntur & alia membra*, omnia concurrunt ad illud solandum; Si spina pedi infixa est, curvat se dorsum, aperiuntur oculi, & ubi lateat inquirunt, admovetur manus, ut extrahatur; & si aliter fieret, monstrosum quid foret ac immane. A fortiori in corpore Ecclesiæ, cujus caput JESUS Christus, & Spiritus Sanctus anima, membra sese invicem consolari ac servire sincerâ & cordiali charitate obligata sunt.

1. Cor. 12. 26.

S. Petrus Sancti Pauli dicta confirmat, tertiamque rationem addit, nempe, quòd velut corporis membra facultatem quandam vitalem, potentiam aliquam sensitivam aut vegetativam habentia prose eam non possident, sed & pro reliquis membris omnibus: vident oculi, pro corpore toto aures audiunt, os cibum manducat, stomachus illum recipit ac digerit, jecur ac cor sanguinem efficiunt ac spiritus, ut partibus reliquis distribuant; ita divitiæ omnes, talenta omnia, dona, gratiæ, quas à Deo accepimus, non pro nobis solis; ast ut opitulemur, serviamus, ac proximum consolemur; non Domini sumus aut proprietarii, verum œconomi, cellarii, dispensatores; ac si in luxum, dissolutiones, & alias superfluas expensas insumimus; contra Domini, qui ea nobis largitus est, intentionem agimus; *Hospitales invicem sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* 1. Pet. 4. 9

Sanctus Augustinus te admonet, Deum hunc tibi honorem ac prærogativam contulisse, quòd aliis te præferat, facultatem tibi elargitur ac permissionem accipiendi bonorum primum in manus datum, quidquid ad personæ tuæ familiæque sustentationem attinet, te obligans solùm residuum aliis præbendi. Si œconomus panem omnem pro se retineret, ac vinum, nec filiis aut servis secundùm Patrisfam. ordinationem porrigere vellet, puniretur amoveretur que: Si fideliter distribuat, salarium sibi promissum meretur. Potestas atque authoritas, quâ præditus es, tibi à Deo data, ut viduam hanc, oppressum hunc orphanum tuearis. Intellectus, scientia, atque industria, quæ in te vigent, tibi impartita, ut ruricolæ huic succurras: Divitias has, quas possides, à Deo accepisti, id ceu Oeconomus, post honestam sustentationem tuam, pauperibus communices; Ni feceris, tibi, quod servo Evangelico nequam, dicit: Cur pecunias meas non bene distribuisti? Si fideliter hoc officio fungeris, dicet tibi: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Homil. 7. & 50.

IX. Ejusmodi fuit Sancta Hedvvigis, Poloniæ ac Silesiæ Dux, quæ tantum pauperes ac pauperiem adamavit, ut non ad placitum biberet, ni pauper prius prælibasset, non ipsi cibus videbatur sapidus, ni pauper gustasset: panis frusta pauperibus

in eleemosynam data charè emebat, ac ceu magnas delicias edebat: Hospitalia à se exstructa ac dotata visitans, ceu singulorum mater infirmos solabatur; nosse enim eorum necessitatem avebat, contemplari vulnera, intelligere illorum appetitum, plenè iis satisfacere: ipsamet propriâ manu suâ, manu dignâ quæ Sceptrum gerat, non Poloniæ solum, sed totius Universi, buccellas in os ingerebat, leprosus licet, cancrosus fuerit atque aspectu horridus putridusque; ejus gremium scabiosorum erat pulvinar quos ceu mater mundabat: talia agebat, quæ cor faciunt resilire, si quis imaginatione tantùm percurrat. Domicellæ ejus sive pedissequæ horrores istos ac fætores sufferre non valentes, conquerebantur ei ac dicebant: Certè, Domina, te interimis, cur nobis haud parcis? non magnanimæ ita ut tu sumus; subridens respondit: Bono animo filiæ, bono animo; Ecquam securitatem opinamini nos habituras, cum JESUS judicaturus Orbem Sanctis Panegyricum hunc exhibebit: *Infirmus eram, & visitastis me.* Ita sanè respondebo, ita Salvator mi, invisimus te; hoc signum, quod filiæ meæ cordolium sæpius sint perpessæ, ac dimovere me sint conatæ. Hic illas vidisses Domicellas fermè plura quàm Dominam præstantes. Sancta hæc optimè callebat, quæ filio dixit Tobias; *Magnam fiduciam habebimus ad*
Tob.4 12. *Deum, si fecerimus eleemosynam.*

X. Sic beatus Amedæus Sabaudiæ Dux Magnati loquens ad venationem properanti, ac canes suos venaticos expetenti, amplum miserorum numerum ei exhibuit, dicens: en venaticos meos, his Cælum capio.

Ac ævo nostro Maria Godina, sanctissimam agens vitam, annonæ tempore frumenta in ditione sua coemit ad usque modios quingentos; Mercatoribus ea volentibus emere, petiit, quantum sibi pro modio essent daturi: Quicquid rationabiliter petieris. Et illa: an tantundem ac alii persolveris: Ita, & adhuc ultrà. Redite manè, si lubet, & magnum pauperum eis numerum monstravit; & en, inquit, Mercatores, qui plura persolvunt, Regna mihi Cælorum offerunt. Indies complurimos sartores, aliosq; artifices habebat, suis pro pauperibus laborantes. Omnes sua in Parochia ægri quot diebus suum retulere jusculum, luculenta obsonia, aliasque provisiones necessarias.

Et Domina de Cognac faciebat idem, atque in instanti dum vita defungeretur, auditi sunt in ejus cõclavi cõcentus Angelici.

Ita sanè: at objicietis: Ego pauper sum ipsemet, eleemosynis egeo; Religiosus exto, votum emisi paupertatis; nihil in mea habeo dispositione. In Religione moraris? An non bona ante ingressum habuisti? An pauperibus nil erogare valueras? An libere effabor, quod sentio? Præclara admodum nostro ævo juvenis cujusdam vocatio, à S. Malo in Britannia extitit: abundabat divitiis, cunctas Hospitali ac pauperibus distribuebat, post Religionem centum ab inde Leucis ingressus, nè à comparibus ob hanc liberalitatem honore afficeretur, aut à coætaneorum visitatione molestaretur. Decem millia scutorũ possides, illa in Monasterium infers, intentionem non judicabo; si id contingit, ut videaris, ameris, atq; ut dicatur; tam magnam hic pecuniæ vim intulit; tibi non JESU dedisti. Si Loco tui forem ego, tria aut quatuor millia Monasterio, reliqua pauperibus per terram re-

ptantibus offerrem. Temporis hujus Hæretici statum Religiosum explodunt dicentes; humanam esse inventionem. Cardinalis Bellarminus aliiq; Theologi agentes contrà eos, his præcipuè JESU verbis
Matth. 19. utuntur, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, Non ait, Da Consanguineis.

Si Religionem intrans divitibus relinquis bona amico, non nisi dimidiâ tantùm parte hoc JESU consilium in praxin redigis, non integrè es perfectus. Ut verus sis pauper Evangelicus, priusquam professionem facis, vende bona, tribue eleemosynas. Ita sentit Sanctus Augustinus, *serm. 35. de verbis Domini.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Eleemosyna facienda est ex bonis propriis, non alienis, Probatur primo scriptura, secundo patribus, tertio rationibus.

XI. *Esurivi, & dedistis mihi.* Non ait: *Reddidistis*, sed: *dedistis*; non enim afficitur eleemosynis de bonis furto sublatis, aut injustè acquisitis; Cùm aliorum possides bona, & cujus illa sint, ignoras neq; nosse potes, en de illis eleemosynas facere bonum est. Verùm si, ad quem pertineant, noveris, ac reddere vel per temet aut alium valeas, si pauperibus elargiaris aut Ecclesiæ porrigas; illusio est te à peccato haud eximens: Minus ratum habet Deus, quin potiùs admodùm horret, quod hic atq; ibi rapias, quòd falso ad vendendum pondo utaris, despolies orphanos, ac viduas, ut eleemosynam porrigas.

Eccl. 34. 24. Prov. 3. 9. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui*, ait S. Spiritus per os Sapientis, Et in Proverb. libro, *Honora Deum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus*, Et per Prophetam Isaiam: *Frange esurienti panem.* Tuum dixit, non alienum, ait S. Hieronymus.

XII. Eleemosyna aquæ comparatur, quod peccata obliteret, ut aqua extinguit ignem. Aqua pura sordes abluit, sordida magis inquinat. Si argentum pauperi datum rapinis collectum, aut injustitiâ est collectum, peccata non tollit, sed auget, ac magis magisq; coinquinat, ait idem S. Hier. Et Sanctus Augustinus: Pauper, cui Eleemosynam porrigis, lætatur, Deumq; pro te exorat, cui verò abstulisti, plorat ac vindictam clamat: quis horum citiùs exaudietur? Et alibi Sanctus idem ait: Si pauperem sustentas, Dei Filium lactas, & Dei Filium spolias, cum pauperem excorias.

XIII. Ac dein magnus hic Doctor rationibus te convincit: Cùm in jus vocat latronem, qui te spoliavit in sylvis, si prædæ partem cum judice dividat, ut ejus favorem acquirat, & is acceptet, quid dices? quid cogitabis? O nebulo! ô detestande! major prædante prædator est; injustitiam hanc approbare non poteris, injustissimus sis licet ac nequam, & Deum illam committere velle autumas? dives evasisti pauperum rapinis, contractibus usurariis, technis atque artibus litium captiosis, falso pondere ac mensurâ; partem Dei Filio judici tuo porrigis, ut eum quasi corrumpas, ne te condemnat! Impie, Deum injustitiam, quam approbare non vales, committere vis? Noli tibi talem pingere Deum, noli collocare in templo cordis tui tale idolum. Non est talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu. Ipse Poëta Etnicus impietatem hanc deplorat:

— — — — *Et ecce vocatur.*
Iuppiter in nostræ partẽ prædamq; rapinæ.
Ut sis in via Cælum versus, non sufficit facere bonum, à malo declinandum est, *Declina à malo, & fac bonum.* Zachæus se convertens dimidium bonorum dedit pauperibus, sed si quid aliquem defraudarat, reddebat quadruplum. Exsolve Mercatoribus debita, opificibus, debitoribus; famulis promissum solve salarium, pauperi huic agricolæ, ob damna atque interesse hujus malè intentati, aut judicati processus satisfac, ac post Eleemosynam Deo gratam feceris. At Christianè facienda; cum dispositionibus omnibus ad virtuosam ac meritoriam actionem necessariis præstanda est.

PUNCTUM TERTIUM.

Facienda est exercendo varias virtutes, nempe misericordiam, benignitatem, humanitatem, modestiam, patientiam, charitatem.

SAnctus Paulus his eas verbis delineat: *Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiã. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculũ perfectionis.*

Viscera misericordiæ. Cum teneritudine, commiseratione, misericordiæ visceribus eleemosyna est facienda. Anima est, spiritus, forma, virtutis hujus essentia, *misericors, misero corde*, per charitatis sympathiam misericordes ipsa nos reddi: JESUS non dicet, Pauper eram, mihi succurristis, ast sigillatim: proferet, *Famelicus eram, sitivi*; perplacet namque ei; si cuivis proximorum miseriæ atque incommoditatis in particulari compatiamur. *Necessitatibus sanctorum communicantes*, Non inquit Sanctus Paulus *Opitulantes, sed communicantes*, Desiderat namque, ut doloribus atque afflictionibus proximi compatiamur; Ea propter utilissimum est, ut in persona eleemosynam elargiaris, visites infirmos, in hospitalia ac carceres ingrediaris, aspectus miseriarum alterius emollit cor, & ad miserationem excitat. Consilium est à Spiritu Sancto nobis intimatum: Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula, Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.

Rom. 12. 13.

Eccl. 7. 38.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quàm quæ, sunt oculis subjecta fidelibus;
Et quæ.
Ipse sibi subdit Spectator, canit Poëta.

Et Sanctus Bernardus: *Vulgo dicitur, quod non videt oculus, cor non dolet:* Eundem natura sensum visui ac lachrymis destinavit; facilius enim conspectas à nobis miserias, quàm auditu perceptas deploramus; Velut Dei Filius juxtà Lazari sepulchrum plorabat; sic & dum pauperem conspicis infirmum, paleæ pauxillo incubantem, ventis in granario expositum, cum tribus quatuorve prolibus omninò nudis, sine pane, ligno, pecunia, auxilio, cor tuum magis fit tenerum, atque ei, ut S. Paulus mandat, eleemosynam de misericordiæ visceribus elargiris; *viscera misericordiæ.*

XIV. Deindè, cum dulcedine, mansuetudine, bonitate, affabilitate, affectionis ac benevolentiæ testibus; abstinendum ab exprobratione: Cur patriam tuam deseris? Cur non laboras? Cur rationem non habuisti bonorum? quare impensis minus pepercisti? indies ad hãc portam extas. Plus ei doloris per receptam confusionem causaris,

ris, quàm voluptatis ob eleemosynam porrectam. Plus causæ optimus haberet Deus, ut in nos invectivis hisce insurgeret, nec facit, *Dat omnibus affluenter, & non improperat*, ait S. Jacobus.

XV. Tum, cum humilitate interna, nos existimando indignos, qui Deo eleemosynam erogemus; quicquid agimus, in comparatione ejus, quod agendum erat, nihil est; *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cum quis Magnum à nobis quidquam petit, subnectimus: plurimum nobis exhibes, Domine, honoris id petendo, ac servitii deinceps ei exhibendi occasionem; ac deinde excusatio prætenditur, nos minus ea præstitisse, quæ debueramus; Plùs nobis Deus, quàm meremur, honoris exhibet: eleemosynam expetere submissione pauperum: nos eam in favoris hujus recognitionem ac sensum elargiri debemus.

XVI. S. Paulus addit *Modestiam*; etenim ipsius ævo Christiani adeò in liberalitate fuerunt excessivi, ut necessum fuerit eorum parumper mitigare fervorem, *modestus, quasi modum tenens.* Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ut sit æqualitas; En quid Corinthiis mandet.

Non sic intelligo, ut pauperibus ad eorum placitum dando vos reddatis indigos; id solùm desidero, ut æqualitatem quandam inter eos, quos Ecclesia nascens, Evangelii professio, hæreditatis ejusdem spes fratres reddidit ac socios, conspiciam. A perfectione hac modò admodùm elongati sumus; in aliam conjicimur extremitatem, veremur, ne sub pedibus terra deficiat, ita ne quid nobis desit, metuimus, benè nobis foret, si quod necessarium nobis atque utile est essemus contenti, ait S. Augustinus, Multa superflua habemus, si non ni-

1. Corr. 8, 13.

si necessaria teneamus; nam si inania quæramus, nihil sufficit: quærite, quod sufficit operi Dei, *in Psal.* 147. At si vanitates quæramus & superfluitates, nihil nobis sufficit; pauca necessaria sunt operi Dei in nobis, id est, corpori nostro; sed nihil potest sufficere operi hominis, id est ejus cupiditati; rescindite in vobis opera hominis, & habebitis, unde in ejus necessitate operi Dei assistatis.

XVII. Patientia quoq; exercenda non solùm patienter ferendo Hospitalium fœtorem, disgustus ac naturæ repugnantias sed & pauperum murmur, dum conqueruntur te non satis esse charitativum, te habere personarũ acceptionem, de iis qui non egent succurrere: excusandi sunt; pauperies ac miseria amarore eos replet, impatientes reddit ac mali humoris.

XVIII. Paucis charitatem exerce; absq; hac actio tua coram Deo nullius valoris est atque æstimationis; ni eleemosynam ob ejus amorem facias, nihil mereris; si ita, promptè fac, gaudenter, bono è corde ac favore; pinguedo hæc est ac sacrificii medulla: cùm plus bonæ voluntatis tibi est, ac potentiæ & effectus; cum dando solidum, optares esse Imperialem, ac dares libenter si præsto foret; dando jusculum infirmo, velles ut potabili mixtum esset auro, ac margaritis dilutis; quod pro dilecto tuo sit Salvatore benedicto, qui meretur, ut in frusta se quis diffindi sinat, atque ex omnibus mundi thesauris massa pro minimi membrorum ejus servitio.

CONCLUSIO.

Ex Augustino: vide quid emas, quanti, quando.

XIX. Finiamus cum præclaris hisce S. Augustini verbis: Fratres, exercere misericordiam, non est aliud

vinculum charitatis, non est aliud vehiculum, quo perducamur in hac vita ad patriam, *In Psal.* 102. Et paulò infra subnectit: *Vide quid emas? quanti emas? quando emas? emis Regnum Cælorum: & quàm vili emas attende, tantùm tibi valet, quantùm habere poteris; & nō est emendi tēpus, nisi in hac vita.*

Vide, quid emas. Quis favor extremus! quæ incomparabilis felicitas, si agnoscere possumus, Paradisum esse venalem, argento Cælorum Regna posse emi, vitam æternam, Dei fruitionem? Ni permitteret Deus, an vel semel id cogitare liceret? an non Simonia foret? Ite divites, ite, si damnati estis, benè impendistis, Sathan vos irrisurus est: ô stolidos! dimidiam bonorū partem obtulissent, ut triginta aut quadraginta annos vitæ comparassent, & vitæ afflictionibus, morbis, ac miseriis contextæ; &, ut annorum myriades vitæ felicissimæ, ter beatæ emerent, expendere eā noluerūt.

XX Nec dicas: Merx adeò pretiosa charè divenditur, nec aurum, nec argentum, nec gemmæ mihi sunt ut illam coëmam; *Vide quanti emas, quàm vili pretio emas, tantùm tibi valet, quantùm habere poteris:* Haustus aquæ frigidæ, exigua duo minuta vile servitium pauperi exhibitum, si aliis careas, hæc merces istas acquirere valebunt.

Salvator Apostolis loquens paupertatem profitentibus, & qui prius quam cuncta desererent, non nisi naviculam, ac retia diffracta possidebant, inquit: *Pauperes semper habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere,* Non ait, potestis illis dare, sed potestis benefacere, plures enim dare nequeunt, verū omnes benefacere possunt. Sunt, qui pauperes extant, id est, auxilio egentes, consilio, informatione, virtute, vix reperitur, qui in aliqua harum necessitatum eis assistere nequeat. Visitare infirmos potes, etsi quod des nō habeas, consolari illos vales, sternere lectum, ad confessionem hortari, aliud quodpiam exhibere servitium; visitare captivos, tabellariū agere, supplices pro iis deferre libellos potes. Non dicet Dei Filius: Condimenta nō attulistis mihi, de carcere me haud redemistis; sed: non visitastis me, ut inexcusabiles sitis. Conjugata es, magnas de mariti bonis eleemosynas distribuere tibi minus licet, at permissum eaq; bona stipserit, servire, socero ac Novercæ decrepitis atq; infirmis, cū respectu ac teneritudine ob Dei amorem, opem ferre, blandiri. Pedissequa es, integræ famæ virgo, de Domini tui bonis contrà ejus voluntatem erogare pauperibus stipem, non eleemosyna, furtum foret; At charitas futura, si miseræ subvenias ancillæ, eamque soleris.

Marc. 14.7.

Consiliarius es, Advocatus, Procurator, multos filios bona pauca numeras, at gratiâ polles, pauperem hanc viduam, orphanum hunc, agricolam istum, similesque alias personas, quas rejicit mundus, consilio ac servitio adjuvare potes.

In fidei mysteriis aliisq; ad salutem necessariis domesticos, vicinos, pauperes eleemosynam conquirētes instruere vales. Mihi videtur, nos hoc in puncto admodū deficere; de centum pauperibus ædes tuas ad petendam stipem adeuntibus, vix duo futuri, quibuscum de eorum salute agas; nihilominus optima est eleemosyna, corporali illa excellentior, quantùm anima corpore præstantior, Cælum terrâ, Gratia Dei argento aut pane, Creator creaturâ est nobilior: Misellus sexaginta aut octoginta annorum senecio eleemosynam à te expetit, sex jam effluxere menses cum pec-

cata deposuit, fors manè uno mortuus in lecto deprehendetur, an non charitatis erit, ad Confessarium tuum aut alium eum adduci eũ curare, ut confiteatur? Præteritis annis bajulus quidam aquarum, Parisiis extans, cum Dominica Luce confessus fuisset ac devotè communicasset, post prandium in Hospitali eum reperimus tanto zelo ac fervore instruentem infirmos, ut erumperet: Quid hîc, diximus, bone vir agis? Patres mei, hi miselli Prædicationes adire nequeunt, refero ipsis, quæ ex Concione retinui. Id Dominicis omnibus agebat; Quid nos, Domini, cogitamus? Cælum rapiunt Idiotæ, ac nos nostra cum scientia ad Infernum properamus.

Inimicus tuus bipedum nequissimus est, injuriam omnium maximam tibi infert, virtutis inops est. O præclara atque excellens Eleemosyna, si illam ei procuras; procurabis si culpam ei remittas, salutes, amicitiam redintegres. Scitote, fratres mei, ait S. Augustinus *post medium*, binas reperiri eleemosynas, cordis unam, marsupii alteram. Quandoque ob hanc excusare te potes, non ob illam. Cordis eleemosyna est inimicis ignoscere, cordialiter proximum amare, pauperum misereri, dolere non præsto esse, undè queant adjuvari, compassione erga eos moveri, precari Deum, ut divitum nonnemo eis opem ferat. Non solum Salvator inquit: *Date, & dabitur vobis*: ast primum ait: Dimittite, & dimittetur vobis. Ecce, quàm facili bonoq; pretio Cælorum Regna emere valeatis, *Vide quid emas, quanti emas*?

Homil. 5. & 50.

XXI. Quando emas. Non est emendi tempus, nisi in hac vita. Ne ut fatuæ Virgines agas. Nota JESUM eodem in sermone & cap. eod. 25. Sancti Matthæi, de judicio postremo ac Virginum decem parabola instituere discursum. Conspexit fideles è suis discursibus eleemosynam ceu magni momenti rem agnituros, ast prævidebat plures dispensaturos, spe allectos, pia in morte Legata facturos. Ad illas reprobandas inquit, Virgines fatuas olei provisionem facere neglexisse, usque dum sponso obviam procedere jubebantur; cumq; irent emere, clausa est janua, & fuerunt reprobatæ. Prudentes potius imitare Virgines, oleum maturè compara, ne morte præveniaris; ac recordare, in Salomonis Templo, ut quis Sanctuarium ingrederetur, duas è lignis Olivæ constructas reserare portas oportebat; Portæ istæ taliter erant junctæ atq; invicem connexæ, ut nulla absq; altera posset moveri, adaperiens primam reserabat secundam, qui hanc occludebat, obserabat primam. Templum hoc Ecclesiæ erat figura, Sanctuarium Cæli Empirei, ubi JESUS ceu fœderis Arca in medio Cherubinorum residet, symbolum extabat. Ut quis Cœlũ ingrediatur, binas Olivæ oportet reserare portas; binæ nobis misericordiæ sunt necessariæ: Illa Dei ad nos; Væ vitæ laudabili, si Deus absq; misericordia examinet, ait S. Augustinus: Nostra ad proximum: *judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam*, inquit S. Jacobus. Binæ hæ misericordiæ ita sunt dispositæ, altera alteri ita iñexa, ut qui unam, occludat & alteram, unam reserans & alteram adaperiat: Si proximo cordis occludas portam, & Deus Cæli quoq; januam tibi obfirmabit; Si misericordiæ viscera proximo expandas, & tibi sua Deus; *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Amen.*

SERMO
SEPTUAGESIMUS
pro Festo Sanctæ Annæ.
Subjecti ejusdem continuatio.
CUI, QUO TEMPORE, ET QUO in Statu Eleemosyna elargienda.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Matth. 13.

EXORDIUM.

I. ALiquando audimus unum, qui dicat, si thesaurum invenirem, ego me beatissimum, & felicissimum reputarem, quia revera tota vita satis haberem. Et quid si, Auditores, ego vobis thesaurum ostendam, per quem felicissimi, & beatissimi esse possitis? En vobis S. Annam matrem ditissimam thesauro onustam, hujus si filii sitis, thesaurum invenistis, ac felicissimi eritis. Sed quomodo? Juxta Sanctum Joannem Damascenum, Anna idem est ac gratia: igitur qui Annam habet, thesaurum habet, quia gratia Dei thesaurus est, de quo Sapient. 7. dicitur: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Quisquis igitur Annam habet, hoc est divinam gratiam, ille habet magnum thesaurum. Sed quomodo illam acquiremus? Per elargitionem eleemosynæ; per illum enim peccata redimere possumus, & consequenter gratiam divinam acquirere, & ita thesaurum nobis in coelo thesaurizare. Agam igitur hodie de eleemosyna, & ostendam quod sit facienda Christo, & ut thesaurum gloriæ acquiramus, quod facienda sit in Statu gratiæ.

Peccata tua Eleemosynis redime. Daniel. 4.

I. LOco istorum præcellentium verborum, quæ capite 6. S. Lucæ continentur, *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est, ut sitis filii Altissimi:* S. Matthæus eundem sermonem cap. 5. referens inquit: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Ut doceret, si filii Dei esse dilecti velimus, non sufficere taliter qualiter misericordes nos esse; sed perfectos esse oportere; charitatem nostram omnibus circumstantiis & requisitis ad perfectam misericordiam conditionibus debere esse associatam. Hesternâ Luce de tribus primis conditionibus agebamus, hodiè de totidem aliis sermonem instituemus, considerando cui, quo tempore, atq; in quo statu elargienda sit eleemosyna. Si pyxis aromatica, ubi diebus aliquot grana moschi aut ambræ servantur, suaveolentiam postmodum retinet, ac longo tempore placidissimũ exhalat odorem; Ecquod mirum, ait Sanctus Bernardus, viscera tua benedicta & immaculata, ô Sacra Virgo, non nisi respirare dulcedinẽ, quod misericordiæ Pater longo adeò tempore ibidem sit commoratus, iisq; præclaræ vir-

tutis hujus perfectionem communicarit? exindè sæpè adeò Ecclesia *Matrem misericordiæ* appellat; indè in cunctis te necessitatibus suis ac miseriis implorat; indè ad pedum throni gratiæ tuæ humiliter prosternimus, *Ave MARIA.*

Idea Sermonis.

EXORDIUM.

Indigentia & dependentia est proprietas creaturæ. Mira bonitas Christi, qui suam independentiam exuit, & dependere ac indigere voluit in pauperibus.

II. QUemadmodum Apostolus S. Paulus Areopagæ Athieniensibus prædicans; dixit propriū esse Dei nullius egere, *Nō indigens aliquo, cùm det omnibus*; ita ex opposito dicendū, creaturæ partitionem, qualitatē ei propriè, naturaliter & essentialiter convenientem, indigentiā esse ac dependentiam; conditio hæc omni necessariò creaturæ convenit, omni tempore, sibi soli; tam propria illi est ac particularis, *propria in quarto modo, omni, semper soli.* Cùm Philosophi jaciunt sortem, ut creaturæ cuivis de cathegoria suum tribuant progressum, ajunt, nonnullas esse substantias, accidentia alias, inter substantias quasdam corporales, cæteras non item. Inter corporeas quasdam viventes, alias minus &c. Verùm nunquam ajunt quasdam dependentes, non alias. Nulla est creaturā, quæ non indigens, non inter actualiter solùm consistentes, sed & possibiles inter atq; imaginabiles. Intellectus humanus aut Angelicus nullam concipere potest creaturā, à Creatore non dependentem: dependentem, inquam, in omnibus suis partibus, in omni quicquid est, quicquid habet, in omni quod in illa est.

Omne, quod in homine est, substantia non est, accidentibus subjacet; quicquid in eo est; corporale non est, anima Spiritualis est; omne quod anima est, finitum non est; desideria habet, appetitus, atque inclinationes quodammodo infinitas; verùm quicquid in homine ac creatura qualibet est, dependens est. Quodve admirabile est, quò creatura major est, eminentior, hoc succursum ampliorem, aliarumque assistentiam accipit. In ordine naturæ plantæ pro conservatione sua non nisi elementis opus habent; animantia nobiliora plantis atque elementis indigent; elementis homo, plantis, atque animalibus opus habet.

In politia atque ordine societatis humanæ, major magisque elevatus Rex est; & opus habet infinitis vasallis, famulis, Status Ministris, Officialibus, tributis, vectigalibus, armis, exercitibus; queîs agricola minimus facilè carere potest. In ordine gratiæ nobilissima ac creaturarum omnium splendidissima, sacra est humanitas: hæc adeò dependens est, ut ad eam conservandam non solum generali concursu atq; universali, quem creaturis omnibus præbet Deus, opus habeat, sed & particulari assistentiâ Verbi eam portantis, sustinentis, eam sua in hypothesi ligatam continens. Et creaturæ adeò intrinseca est dependentia, taliter inserta atque in esse suo cæmentata, ut extet inseparabilis: dissolvi facilè queunt accidentia à substantia, ut in Eucharistiæ Sacramento, substantia propriâ suâ subsistentiâ atq; etiam existentiâ potest exui, ut in Incarnatione, secundùm Doctoris Angelici doctrinā; verū

à creatura, quæ ei inest, dependentia præscidi nequit: Verbum Humanitati suæ sanctitatem suam, gloriam, personam benè communicare potuit; at impossibile suam ei communicare independentiam.

Tertio loco dependentia hæc atq; indigentia prælegatum est creaturæ adeò proprium, ut sit velut character ac nota; & si ita dici queat, distinctio specifica, *Deus meus es tu*; Psalmista cùm hæc pronunciasset, non subjungit, quia omnipotens es, infinitè sapiens; sed inquit, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Psal. 15. 1.

Quod adeò verum, ut quamvis in Sanctissima TRINITATE duæ productæ sint personæ ac procedentes, una ab altera non dependeat: Filius ac Spiritus sanctus esse recipiunt & quicquid possident, ast sine indigentiâ, sine inferioritate, sine dependentiâ. Vide, obsecro, Dei bonitatem, ac unà mecum admirare incomprehensibile liberalitatis ejus prodigium, ac si displiceret sibi re quapiam gaudere, cujus nobiscũ non faceret partitionem; non valens nobis suam cõmunicare independentiam, quod ejus capaces non sumus, exspoliare voluit, ab hominum regimine dependere, Virginis appendere mammillæ, sub Fabri Lignarii esse conductu, Imperatoris obedire edicto; & quod majus est, Caput nostrum fieri dignatus est, ac sua nos efficere membra, submittere se, penuriam pati, sufferre, nobis ac per nos obedire. Nullum majus donum præstare Deus posset hominibus, quàm ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret.] August. in Præfat. in Psal. 85.

Hoc ipsi magna est humiliatio, nobis ampla Superioritas; magna ipsius est demissio; quia cùm ab omni æternitate plenitudo esset, oceanus, thesaurus, cornu copię bonorum omniũ, factus est pauperrimus, indigens, calamitosus inter omnes; ut enim notat S. Salvianus: Sunt quibus etsi desint multa, non desunt omnia; Christus solus est cui nihil est quod in omni genere humano non desi[t]; nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat; solus cum esurientibus esurit; solus cum sitientibus sitit; omnis egestuosus pro se tantùm, & in se eget; solus tantummodò Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet; Ut S[a]nctus ejus Apostolus, & ipse dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego dolore non percellor?* Ut antiquus ille, dicere & ipse potest: Lib. 4. ad Eccles. cathol.

Quoscunque casus fleveris, flebis meos;
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.

Non dixit S. Paulo: Persequeris servos meos, fideles meos, membra mea: sed, me persequeris, cùm Ecclesiam persequeretur. In judicio di[c]e: *Esurivi, infirmus eram.*

PUNCTUM PRIMUM.

Eleemosyna facienda Christo, id est, pauperibus membris, primo scriptura, secundo patribus, tertio sex Considerationibus circa Christi verba Esurivi, & dedisti.

III. Id magnæ nobis est superioritatis; hoc enim causat, quod Pater æternus nos respiciat, benedicat, ceu Filii ejus membra favoribus repleat, amat nos in illo, & ex amore ejus, *Benedixit nos in omni benedictione Spirituali in Christo.* Favore omnes, quibus nos Pater æternus prosequitur, ceu sibi

b.4.ad
clef.
thol.

sibi factos æstimat JESUS, sibimet congratulatur, agnoscit, evehit, grates agit, *Accepit dona in hominibus*, & gratias omnes, quas à Deo exquirimus, si exaudiri volumus pro eo, ac per eum postulemus.

Inde provenit, ut, quas erogamus eleemosynas, nulli, nisi JESU impartiendas esse, id est, proximis ex amore ejus, ac quasi ejus, membrorum; Si ita agimus, charitas nostra ei acceptior est futura, nobisque meritoria magis, quàm si propriæ ejus personæ illam exhiberemus. Si in aureo sæculo, in quo JESUS egit in mundo, visibilis, extitisses, an non raptus fuisses, si eum domi tuæ excepisses, eleemosynam porrexisses, servitium præstitisses, eum ad mensam recipiendo?

IV. Amplius mereberis, si pauperi Servitium exhibeas, ait S. Chrysostomus; adamabilis namq; faciei ejus splendor, bonæ suæ gratiæ attractus, qui intuentium oculos ac corda ad se rapiebant, ac dulci constringebant violentia cum desiderandi ac benè faciendi: At si in pauperis personâ omninò dilacerati, squallidi, fœtentis; vix hærentis ossibus, ulcerosi bona ei præstes, fide magis vivâ polles, charitas tua generosior est, non ibi proprius viget amor. In extremi judicii die non mentio erit servitiorum sibi exhibitorum aut negatorum, at solum eorum, quæ membris ejus quis exhibuerit, aut recusarit. Grandius malum est, pauperem suis ex ædibus depellere, quam si eum in tuas haud recipis, spoliare eum injustè, quàm ipsum nudum minus vestire; Non conqueritur de Nazaræniis JESUS, quod se de patriâ expulerint, nec de judæis, à quibus in Passione fuit exspoliatus; verùm Christicolis, qui pauperes haud collegerunt aut vestierunt, dicet: *Hospes eram, & non recepistis me*; Matthæo, Zachæo, S. Marthæ, atque aliis ad dextram suam assistentibus: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*. Respondebit ipsi: *Quando tibi charitatem hanc omnem exhibuimus?* Sancto Matthæo dicturus videtur: in conversionis tuæ die convivium mihi adornasti, *Fecit illi convivium*; Sancto Zachæo: In domum me recepisti, *Excepit eum gaudens*; Sanctæ Marthæ: In Castellum me suscepisti, magna mihi cum diligentia ministrâsti, *Mulier quadam, Martha nomine, satagebat &c.* Non, hæc ob officia principaliter eos non laudabit, at dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis.* Pluris namque æstimat membris suis, quàm sibimet facta. Favor hic adeò nobis est grandis, magna adeò misericordia, miranda adeò sui humiliatio, cùm in pauperis se locum ponere ac charitates nostras, tanquam sibi factas, recipere dignatur, quod admirabuntur Sancti: *Quando esurire te aut sitire conspeximus?*

V. Si ita in judicii die loquuntur, non ideò fit, quod ignorent pauperibus præstita JESU esse exhibita: verum id excessivæ ita ac mirabilis dignationis JESU admiratione proferunt. Cuncta ejus verba expendamus. Primum inquit: *Quod uni ex minimis meis fecistis*: principaliter pauperes intelligit, cum de fame ac siti laborantibus sermonem instituat. Admiranda Igitur stultitia est, extremè ipsi displicens, si bona tua, ut facis, adulatoribus, detractoribus, dissolutis, mensæ amicis, nullas tibi grates referentibus distribuas, aut, ut filios locupletes, consanguineos eleves atque extollas, ut habeant unde in luxu, deliciis ac dissolutionibus vitam agant, impendas, dum interim Salvator tuus,

unde

unde in pauperum persona nutriatur, nil possidet. Nonne hæc est magna injustitia, ut habeat unde luxurietur filius tuus, & non habeat unde sustentetur Dominus tuus ait S. Augustinus; Ut habeat, inquit, undè luxurietur; mereri namque potes, si charitatis ac misericordiæ spiritu filiis aut consanguineis, unde pro qualitate sua in modestia ac frugalitate Christiana, non in luxu atque ambitione mundana degant, legas. Cùm bona tua iis præbes, eleemosynæ loco danda sunt, ac velut JESU Christi membris; dicit enim, *Quod uni ex minimis meis fratribus fecistis*, id est, ait S. Chrysostomus, Christianis, qui per Baptismum ac Communionem fratres sunt JESU, ac præcipuè, quod elargiris ac bonis præstas hominibus, qui propriè magis JESU fratres sunt. Apud S. Lucam inquit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Itaque illic esse supponit, ut vos recipiant; Pauperibus igitur virtute præditis consultiùs eleemosyna tribuitur; pauperi huic opifici, viduæ huic miseræ, Deum amanti, nec se enutrire valenti.

Homil. 80. in Matth. Luc. 16. 9.

Mihi fecistis. Si ex compassione naturali eleemosynam præbes, non Christiana est charitas, ast virtus moralis; si per ostentationem, ut habearis liberalis, est vanitas; si, eò quòd de eâdem patriâ oriundus est pauper, professionis ejusdem, paris conditionis, miles, mercator, ac tu fuisti & de facto es, est eleemosynam elargiri homini, militi, mercatori, non JESU. Ob amorem JESU exhibere oportet, quod pauper de membris suis unum est. Credis, Eleemosynam dando, potum aquæ frigidæ, te mercedem non perditurum. Qui id nosti? ESUS dixit. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam:* Verum id, sed addit: *In nomine Discipuli.*

Marci 9. Matth. 10. 42.

S. Stephanus Sacri Ordinis Magnimontani Patriarcha, Ordinis sui Superioribus mandavit, ut, premente inediâ non emitterent de Conventu macilentos, nec habentes in Urbe cognatos; ne, inquit, ex pietate atque humana commiseratione, aut ob respectum parentelæ detur, ast solùm pietatis Spiritu, charitatis, Religionis, ceu Dei servis; aliàs non dicet IESUS: *Mihi fecistis*, sed Consanguineis ac naturæ.

Pari modo si eleemosynam porrigis, ut in recompensationem temporalia tibi Deus bona præbeat, divitem messem, ac vindemiam, non tibi dicet IESUS: *Mihi fecisti*: non pro IESU facis, at pro teipso, non ut Christianus, verùm ceu judæus exhibes; non eleemosyna, ast avaritia est. Verum equidem, amplas charitatem exercentibus Deum donare divitias ac mundi prosperitates, ceu arrhas, præludia, ac bonorum æternorum, quæ iis parat, prælibamen, atque ut charitatis opera sibi probari demonstret: Verùm id crebrò haud facit, metuens, nè boni motivis adeò vilibus ac terrenis bona opera in praxin redigant.

Non inquit: Servis meis, fidelibus, membris meis; *Sed mihi*; Unde in persona pauperis IESUM considerare debemus, eodem cum respectu teneritudine amicitia intima cum paupere ceu IESU agendũ.

Imperatrix Richisa Lotharii II. Conjux, ut refert Baronius *ann.* 1138. pauperum

perum abluebat pedes, capillis tergebat, atque ut Magdalena illos IESU deosculabatur, quod dicturus est: *Mihi fecistis.*

PUNCTUM SECUNDUM.

Eleemosyna facienda per totam vitam, non differenda in mortem per testamentum: quod probatur septem rationibus.

VI. Paucis, inquit: *Quamdiu mihi fecistis*, quod nos, etiam in advertentes, & alterum discursus nostri punctum deducit, edocetque.

Toto vitæ tempore eleemosynam esse faciendam; Si mediis abundamus, evitandus quorundam abusus ac deceptio, eleemosynam non facientium, aut sanè admodum parcè, sub prætextu, se in testamentis magnam pecuniæ vim pauperibus legaturos, Hospitale erecturos, aut dotaturos, amplam Ecclesiæ huic aut Monasterio isti fundationem esse facturos; Fraus est Cacodæmonis; vanâ hac illudere tibi meditatur.

Miser homo! an non conspicis morte subitaneâ te præveniri posse, quâ testamentum condere impediaris, quæ & præclara hæc animi decreta est dissipatura? Non prospicis te in mortis lecto decumbentem à Cognatis aliisque cingendum, qui testamentum impedient, & ad hunc effectum spe à morbo convalescendi tibi blandientur: præcavebunt, ut nemo, qui ad bona egenis danda te incitâre valeat, lectum adeat.

Si testamentum ordinas, Notarius ponet unum *quid pro quo*; ac pennæ ductu bona, quibus jure debentur, abripiet, hæredes tui pium occultabunt codicillum, ubi alicujus formalitatis defectu irritum reddere atque invaldum conabuntur, aut ad exequendum erunt negligentes. An non ævo nostro Tolosæ Ecclesiasticum conspeximus, qui testamento viginti mille Francorum hæredem ordinârat Hospitale, testamento benè condito: Consanguinei, velut Vlysses quidam forenses, viis non dicam quibus, taliter causam agebant, ut impenderit licet Xenodochii Præses in processu francos viginti mille, tandem in fine causa cecidit. En præclarum Legatum! Meliùs age, Sanctum imitare Laurentium, sapiens ac providus is extitit, thesauros Ecclesiæ custodiebat, prævidens quòd post mortem suam tyranni eos essent invasuri, pluribus illos pauperibus distribuit, ut ab hac multitudine consumpti, ignoraret prædator, quorsum devenissent. *Dispersit, dedit pauperibus. Quàm profundum spiritalis viri, & quàm cœleste consilium, ut & egenis consuleret, & multitudine consumente, quæ dederat, invenire non posset, quod raperet persecutor, S. Maxim. homil. de S. Laurentio.*

Si in massa Ecclesiæ aut Xenodochio præbes; proximi affines, qui parvi sæpè tyranni extant, quicquid possunt ad se trahentes, prædam hanc pòst allatrabunt, ac litium astutiis pauperibus abripient: si in partes dividis ac disperdis, pauperi huic florenum, alteri imperialem: securior tua erit eleemosyna, non habebunt consanguinei ansam allatrandi, ac rapiendi.

Ac postmodum nullo existente tuo in testamento defectu, ultimâ voluntate tuâ

integrè completâ, eleemosyna modò præstita incomparabiliter perfectior, Deoq; erit acceptior, majorisq; meriti, ac quam testamento condis.

Interiora tua explores velim, fundum ac cordis tui dispositioné benè examina; probabilissime videbis, cur mortis ad bona distribuenda horam exspectes, causam esse, quod iis corde sis affixus: ægrè te exspolias ac manus vacuas: avaritia tua atq; exigua in Dei providentiam fiducia sub fundationis faciendæ prætextu se occultat; ac nihilominùs id, quod principaliter Deus exigit, est, ne bonis perituris cor apponas, ut mortifices avaritiam, in ejus, atque in ejus Providentia confidas.

Si modò quod commodum tibi est atque utile, cui afficeris, elargiaris, Deum magis, quàm te ipsum amas; Si non nisi in mortis agone facis DEUM magis ac hæredes amas, aut ut meliùs eloquar, te ipsum plùs quam hæredes adamas. Ob vanitatem forsan ita procedis, est ut nomen tibi concilies perenne, ut de te post morté spargatur: talis Dominus id fundavit: Ecquid scio, forsitan in affines vindictæ spiritu id agis? displicuêre tibi, bona iis qui te offenderunt legare non vis. Ex aliorum hæredum defectu Ecclesiæ das aut pauperibus. An Cœli Imperatorem cor minùs nobile ac generosum, quàm terrenum habere opinaris? Hic in legibus civilibus repudiat successionem defuncti, à quo ex animositate ac consanguineorum contemptu hæres est constitutus.

Eleemosyna quartæ partis Coronati, quàm modò erogas, magis Deo probatur, plus meritoria est coram ipso, quàm in morte centum aurei duplones Hispanici: ipsemet nos hoc edocet: cùm bonam illam viduam duo minuta in templum injecisse Luc. 21. vidisset, plùs illā dedisse affirmavit, quàm 4. divites magnam auri atque argenti vim offerentes, quia omnem victum suum, qué habuit largita est; illi verò, ex abundanti sibi.

Quod durante vitā tribuis, cupidini aufers; poteras enim cogitare, quandoq; tibi utile aut necessarium fore: quod in morte facis, inutile tibi est ac superfluum; fermè nō ultrà tuū est, tecum deferre nequis.

Quod in morte erogas, ordinariè non nisi opus consilii est ac supererogationis; Eleemosynam, quam pauperibus fame atque inediâ pereuntibus exhibes, sæpè præcepti est ac strictæ obligationis. Non in judicio tibi dicet JESUS: argenteam Ecclesiæ meæ lampadem non dedisti, nec Phrygii operis paraméta obtulisti; sed: *Ite maledicti, esurivi, & non dedistis mihi manducare.*

Cùm in testamento legas quinquaginta Coronatos, aut totitem aureos duplones Hispanicos, non nisi unum virtutis actum exerces; Si hodie pauperi quindenarium das nummum Gallicum, cum affectione ac dispositione mille, si necesse foret, ipsi tribuendi; cras eâdem cum dispositione tantundem; septimanâ sequenti tantundem, sic adusque quinquaginta virtutis actus facis, ac eorum quilibet æquè meritorius est ac coram Deo pretiosus, quàm donum quinquaginta Coronatorum, quod per Notarium in ultimam voluntatem tuam designas. Non, quòd utilissimum non sit æquè ac necessarium, testamentum condendo aliquid pauperibus legare; nam, ut S. Chrysostomus inquit, Indevotio est atque ingratitudo monstrosa in servitiorum recompensationem legare famulis, nec in

be-

Luc. 21. 4.

beneficiorum recognitionem Salvatori: sed meliùs extet maturè facere, aut ad minus confiteri oportet, priùs quàm testamentum condas, ut bono in statu fiat ac cum merito.

PUNCTUM TERTIUM.

Facienda in statu gratiæ primò scriptura, secundò patribus, tertio Rationibus.

VII. Atque hoc postremum est consilium, quod in Eleemosynæ praxin præbeo, nempe ut salutaris extet, in gratiæ statu fieri oportere. Author vobis sum, quod si ex fragilitate humana in mortale delictum incideritis, ac convertere vos desideretis, atque ut misericordiæ oculis vos respiciat Deus, ac de peccato eripiat, pauperi misericordiam exhibueritis, ac de miseria levaveritis; charitas isthæc ad veram vos conversionem disponit: ast in dissolutionibus, atque in statu peccati perseverare velle, ac cogitare magnas vestras eleemosynas vos infallibiliter salvaturos, est enormiter decipi, est ignorare principia, ac primas Christianismi notitias. Admirabilis est Textus sacer, nè unum quidem verbum reperire licet quod mysteriosum non sit ac significativum: in judicio extremo dicet JESUS ad eos, qui ad textram erunt, Esurivi, &c. his qui ad sinistram: Non dedistis mihi manducare &c. Ibunt hi in supplicium æternum. Videtur adjungere debuisse: & illi in vitam æternam? non ita loquitur, at: & justi in vitam æternam; quia, ut quis salvetur, non sufficit ad manducandum dare Salvatori, justum esse oportet, bona hæc opera in gratiæ statu, sanctitatis ac justitiæ, facienda, serviamus illi in sanctitate & justitiâ.

VIII. Sancti Augustini tempore homines reperiebantur vitiosi ac mundani, qui in errore versabantur, dicebantque, quod quis, in peccatis etiam ad mortem usque perseverans, dummodo eleemosynas largiretur, salvus foret; atque ad blandiendum sibi, ita argumentabantur: Sanctus Jacobus inquit: *judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam*; Ergò ab opposito, quisquis misericordiam fecerit, illam consequetur. *S. August. Libr. 21. de Civit. cap. ult. Et post ipsum S. Gregorius Lib. 12. moral. cap. 23. & lib. 19. cap. 20. & parte 3. Pastoral. cap. 21. Et secundum Concil. Cabilon. Canon. 36. ipsis respondet*: Omninò, qui fecerit misericordiam illam consequetur, sed qui plenè fecerit ac perfectè; & vera misericordia à se ipsa incipit: *Miserere animæ tuæ placens Deo*, Et alibi: *Qui sibi nequam, cui bonus erit?* Si manu dextrâ eleemosynam pauperi tribuas, sinistrâ alium pugione lædas, an misericors appellaberis? Animæ tuæ decem aut duodecim per delictum vulnera infligis, putas te misericordem, pro quopiam argento aut panis parte pauperi datâ? *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si charitatem Dei ac proximi non habuero, nihil sum*, ait sanctus Paulus, Et sanctus Augustinus loquens de iis, qui in Ecclesia panem, vinum, atque oleum Deo offerunt, Non est hoc maximum, ait, & perfectum donum, quod Deus desiderat, *hoc requirit, quod redemit*, id est, amorem tuum, & animam tuam. Ad Cain non respexit; quia offerebat Deo aliquid suum, & non seipsum, Rem suam tribuit Domino, & seipsum peccato: hoc quod minus est obtulit authori, & quod majus est, servavit iniquitati, ait S. Gregorius, & S. Chrysostomus: qui Chri-

Eccl. 30.
Eccl. 14.
1. Cor. 13.
Serm. sept. de tempore post intt.
19. Moral. cap. 20.

Chriſtum diligit in Chriſtiano, hoc animo ei porrigit eleemoſynam; quo accedit ad Chriſtum, non quo vult recedere impunitus à Chriſto.

IX. Hoc ſenſu propriè, non in bonorum temporalium diſtributione hoc intelligi proverbium debet: *Charitas benè ordinata incipit à ſeipſa*: IESVS dicet: *Quod uni ex minimis meis non feciſtis*; Vnus quidam de ſuis es; ſi crudelis es in teipſum, eris erga IESVM. Miſera anima tua tota eſt famelica: nec ſuum ei porrigis cibum, ſanctam Euchariſtiam dignè ac bono in ſtatu receptam. Pauperibus veſtimenta præbes, & animam tuam Dei gratia ſpolias. Captivos viſitas, atque animam tuam diaboli mancipium facis? Scribens S. Paulus Corinthiis Macedonenſium Chriſtianorum eis charitatem exhibet, Etſi pauperrimi forent, in eleemoſynis erogandis liberaliſſimi fuerunt, ultra poſſe faciebant, ac nos magna cum inſtantia deprecati ſunt, ut eorum ſuſciperemus charitatem, atque in Hieruſalem diſtribueremus pauperibus: At quod in eorum ſacrificio notandum magis, eſt, quod *ſemetipſos dederunt primùm Domino* IESV Chriſto, ut vos ad ſe imitandos commoverent.

2. Cor. 8. 1

CONCLVSIO.

Motiva ad ſupradicta.

X. Conſidera Eleemoſynam in Scriptura appellari juſtitiam, *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet. Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*; ut enim benè fiat, juſtum atque in gratiæ ſtatu eſſe oportet. Et quemadmodum juſtitia virtutum omnium eſt congregatio.

Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes. Cunctæ virtutes ad miſericordiam nos obligant, omnes motiva nobis ac diſpoſitiones ad illam benè faciendam præbent. Vivificate ergo fidem ſupra magnam fiduciam, quam in judicio Eleemoſyna eſt datura. Dives, qui aliàs Deum offendit, nec eleemoſynas diſtribuit, magis incredulus eſt, atque omnium in mundo ſtultisſimus; aut judicii ſeveritatem ac rigorem credit, aut non credit; ſi non credit, an non infidelis eſt, veritatibus adeò authenticis fidem non adhibens? ſi credit, an non delirus eſt, quod redimere ſe valens, haud faciat?

Idem qui dixit, quòd in judicio areſcent homines præ timore, & quòd montibus ſint dicturi: *Cadite ſuper nos*: IESVS idem eodem in Evangelio, eâdem cum certitudine dixit, ſe iis, qui ad dexteram fuerint, dicturum: *Venite benedicti Patris mei, Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.*

Si carceri mancipato diceres diviti; cras ad rotam damnaberis, aut vivus comburéris, at bonorum tuorum medietate redimere te poteris; nî faceret, aut fidem tibi non adhiberet, aut omnium foret ſtultiſſimus: Te edocet fides, quod Eleemoſynis diſponere te valeas ad obtinendam à Deo veræ converſionis gratiam, ad evitandas perennes flammas, nè ita amens ſis aut incredulus, ut facias nihil, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

Vivifica in Deo ſpem, atque in ejus providentia fiduciam; cùm tàm crebrò ac tanta cũ aſſeveratione dicat Scriptura: *Beatus vir, qui confidit in Domino, non confundetur.*

Spes, quam in bonis terræ figis, incertiſſima

tissima est, ac malè fundata. Ignis scintilla villam tibi incendere potest, reserare cistas famulus, malignus familiam tuam ruinare processus; si spem tuam ac thesauros in Cœlo locas, nec ignis ibi, nec fures, nec rabulæ illuc deventuri: cuniculis Cœlum haud est obnoxium, minis ac scalis impugnari nequit: *Altissimum posuisti refugium tuum; non accedet ad te malum.* Dic, ut sanctus Paulus: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit.* Dic, velut Comes Gilbertus, Pater S. Caroli Borromæi, dum amplas elargiretur eleemosynas, amicorum nonnemo replicans, filios tuos, inquit, relinques vacuos, respondit, Deus meis non deerit.

2. Cor. 9. 10.

Vivificam charitatem ac Dei amorem amare, est bonū velle, Quodnam Deo præstare poterimus bonum? illi, qui thesaurus, oceanus, bonique omnis est abyssus?

Incomparabilis nobis præstitus favor est, gratia inæstimabilis, dignatum fuisse, suum in locum substituere pauperes, sua eos efficere membra, ceu sibi, quod illis facimus, æstimare factum, nobis dare potentiam in eorum persona sibi benefacere.

Quod si crebrò cum spiritu ac virtutum harum dispositionibus Eleemosynam tribueritis, sacræ hæ praxes erunt flores, maragritæ ac gemmæ Coronæ gloriæ, caput vestrum in cuncta sæcula decorantes in Cœlis. *Amen.*

SERMO
SEPTVAGESIMVS PRIMVS
pro festo sancti Laurentii Martyris.
CONTRA RESPECTUS HUMANOS, Practicæ satisfactionis operibus se opponentes.

Qui mihi ministrat, me sequatur, *Ioann.* 12.

EXORDIUM.

NEmo est, Auditores, qui dum se tradit servitio alicujus Domini, prius non interroget, quod sit ejus officium, munus, functio: & sanè stultus ille reputaretur, qui dum servitio se alicujus Domini tradit, nesciret, quænam essent ejus functiones & obligationes. Omnes nos Christiani sumus servi Dei, & Christi, pauci tamen sunt, qui agnoscant suam obligationem & functionem. Christus porro illam nos docet dicens: *qui mihi ministrat me sequatur*, ac si diceret, obligatio eorum, qui servi mei sunt, in hoc consistit, ut me sequantur, ut me imitentur, non mundum, non carnem, non Diabolum, non terrenas voluptates, sed me. Porro in quonam hæc imitatio potissimum consistit? Ut imitemur singularitatem Dei in bono, nec ab hac singularitate desistamus, esto, mundus nos irrideat & singulares reputet, sicut Laurentius ab hac non destitit, etsi gravissima ob id tormenta sustinere debuerit. Ostendam igitur hodiè, quod non debeamus curare dicteria hominum sed sequi Christum, esto propterea velut singulares traducamur.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Joan. 2.15.

POenitentia interior, ac cordis conversio, pacem ac reconciliationem cum Deo inchoans, ipsum inter ac nos, solo gratiæ ejus motu ac liberi nostri arbitrii consensu efficitur: Verùm preces, jejunia & eleemosynæ, quæ tertiam Sacramenti hujus partem componunt, vix, quin mundo innotescant, in praxin redigi queunt; & si segnes ac timidi extamus, speciosum, ut nobiscum dispensemus, prætendimus impedimentum, ac, quæ legitima videtur, excusationem: metus est apparendi singularem, atque aliter degere ac reliqui assolent.

Cùm virtus obstaculo huic contraria, in duorum vitiorum, quæ ejus in liminibus sita, medio consistat, impugnanda sunt ambo, ac discursus hic in puncta duo dividendus: Primum eos impetit, qui vitiosam ac damnabilem affectant singularitatem: Alterum, qui virtuosam ac laudabilem arripiunt.

Superiori adeò conditione dotata es, O sacra Virgo, ut per excellentiam ab Ecclesia appellaris

Virgo singularis,
Inter omnes mitis.

Quia, ut intimus tuus S. Bernardus inquit, omnes virtutes singulares invenies in MARIA; virtutes tuæ omnes non tantùm illis aliorum erant communes; ast excellentiores altioresque Sanctorum perfectiones prætergressæ, cùm divinæ maternitatis tuæ prælegata fuerint atque ornamenta: de quâ tam crebrò Ecclesia,

Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.

Hoc est, quod in mulieribus te benedictam effecit, dicente Angelo, hisce te verbis salutando: *Ave MARIA.*

II. *Similis ero Altissimo.* Propheta Ezechiel non absque ratione de apostata hoc Angelo dixit, arrogantiam ejus atque ambitionẽ sibi eripuisse intellectum: Altissimo, ait, fieri velle similem; duo hæc verba sibi contra dicunt, quod, cùm per essentiam Deus sit altissimus, ei nihil simile esse queat. Nomina essentiam ac rei cujuslvis naturam exprimunt; unum de ordinariis magis nominibus, privativè ab aliis, epithetum est Altissimi; & particulariter in celebri illâ Legatione, quæ nulli unquam contigit, pro negotiorum omnium maximo, Mysterio nempè Incarnationis Filii Dei; *Filius Dei Altissimi vocabitur*, ajebat Virgini Angelus; &: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In Bibliis quidem reperies quosdam Salvatores fuisse appellatos, ut Josephum ac Josue: Invenies nonnullos ibidem appellari Deos, *Ego dixi Dii estis*; Ast nunquam reperies, quod Altissimi fuerint appellati; Deus solus hanc possidet qualitatem; *Tu solus Altissimus super omnem terram*, ait illi Ps. 82. 9.
sanctus Propheta. Altissimus est, quod esse suum sit transcendens, superlativum, superessentiale, supereminens omni esse, infinitè super omne, quod ipse non est, elevatum; seperatus & exemptus ab omni materia, permistione & compositione, elongatus atque infinitè distans, non ab omni

omni solùm esse creato, physico & metaphysico ; sed & ab omni conceptione : non positus sub aliqua specie, nec sub ullo genere comprehensus : relatione caret atque analogiâ, ipsum inter & creaturam nil commune, neque univocum ; ut Sancti tam crebrò ei dicant : *Domine quis similis tibi?* atque inter Angelos sanctus Michael, ad confundendum Luciferum : *Quis, ut Deus?* Et sanctus Dionysius docet, non oportere simpliciter dicere, Deum esse potentem, sapientem, bonum, sed potentissimum, sapientissimum, optimum, id est, quod supra omnem sit potentiam, sapientiam, bonitatem, non actualiter solùm & existenter, sed & possibiliter & conceptibiliter. Et alibi homo hic Apostolicus inquit : Deum creaturarum suarum omnium perfectiones in se complecti, verùm excellenter atque eminenter, ἐξῃρημένως, *separatè.*

III. Annon id quoadmodo est cum Deo perfectionem ipsi adeò propriam velle partiri? an nō est imitari Luciferum, velle esse singularem? Ordinaria hæc est animarum peccantium excusatio, quæ seriò se convertere nolunt, nec veram agere pœnitentiam, qualem hucusque Scriptura sacra, ac sancti Patres nobis depinxerunt. Ut hoc modo pœnitentia agatur, non ultrà ad modum; quod ajunt, degendum, abdicare oportet, vana ornamenta, visitationes superfluas ac societates mundanas declinare ; choreæ, saltationes, lusoriæ tabernæ, popinæ, comediæ, aliaque mundi oblectamenta sunt evitanda : commorari in ædibus, necesse est ; familiæ negotiis suis vacare, invigilare familiæ necesse est ; pietatis, & charitatis operibus pro virili se dedere ; ac reliquæ functiones, à sancto Ioanne Baptista appellatæ digni fructus pœnitentiæ, sunt obeundæ. quonam pacto id agere, ne quis singularis notetur? nec sapientior nec melior aliis sum, viæ Regiæ magis tutæ, anfractus ac devia persæpè in præcipitia ducunt. Si aliter ac sodales mei egero, ecquid dicent? irridebor, habebor extravagans, melancholicus, Antipodum me vagans, melancholicus, Antipodum me spiritu agi proclamabunt, quod plura me nosce putem atque agere, quàm reliqui ; si minus extraordinariè me vestiam, nisi Libertinus sim, aut minus in sodalitio liber ; ni in splendore ac luxu, ut qui conditionis meæ, vixero, superstitiosus, reformatus, hypocrita appellabor. Consuetudines modò vigentes perantiquæ sunt, hominumque memoriam excedunt, præscriptionis jure gaudent : ac licet leges atque observantiæ forent contrariæ, posteriorum practicis abrogarentur ;

Cùm fueris Romæ, Romano vivito more.

PUNCTUM PRIMUM.

Singularitas vitiosa improbatur primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Ratione.

IV. DUobus diversis modis singularitatem desiderare possumus : aut cum dispositionibus vitiosis ac reprehensibilibus, ac virtuosis ac meritoriis ; aut vanitatis spiritu, aut spiritu sanctitatis. Per vanitatis spiritum ; nam ut ait S. Augustinus, ac post ipsum sanctus Thomas, 2. 2. q. 162. art. 1. ad 2. *Superbia est appetitus propriæ excellentiæ* ; *Superbire, quasi superire* : Superbia maledictus Sathanæ

Satanæ halitus est, quo cum excellere ac præcellere niteris, pereximius esse aut videri affectas, incomparabilis, tuo in statu, conditione, professione Phœnix, & unicus: Si Machærophorum agis, Hercules esse vis aut Achilles: si Magistratui præsides, Cato; si Mitratus, Demosthenes; si Opifex, aptissimus non ob amorem Dei ejusque gloriam, sed amore tuimet, ac satisfactionis tuæ ergo, ut in corde dicere queas:

Non sum sicut cæteri hominum, ut radias ac scintilles ceu Lucifer, & objectum sis visus & hominum admiratio, velut ille Angelorum esse desideravit. *Voluit lucere, non ardere, ait D. Bern. Psal.* 13.14. De vitio hoc intelliguntur Prophetæ Regii verba: *Singularis ferus depastus est eam*, secundùm sancti Bernardi explicationem, *serm.* 1. *de multiplicatione septem panum.* Nil adeo vineam depopulatur ac vastat, ac ferus Aper, ait hunc in locum Theodoretus; neque enim sufficit ei vorare uvas, verùm & eradicat ac sepes exterminat: ambitionis est Symbolum; Gallico enim idiomate vocatur *Sanglier*, ac si diceretur *Singulier* Græcè *μόνιος*, *singularis ferus*; parum namque in probatulo est, perplacet ei solitudo: ac superbus singularis esse vult, æqualem ac socium non admittit; undè prodeunt invidiæ, odia, simultates, dissensiones, ac studium ambiguum, familiarum & Reip. ruina. Si tibi imaginaris quempiam esse tui similem, aut ad præeminentiam tuam prætensam tantillùm accedere, sufferre nequis, zelo atque æmulatione pungeris, præ stomacho furore incenderis, ejus diminuis famam, honorem denigras, processum, aut aliud quid malignum ei suscitas.

VI. Idem S. Bernardus *de gradibus humilit. Grad.* 5. commonefacit, ferum hunc Aprum, vitium hocce in Religiosas quandoque Communitates se ingerere; omnibus suis, iisque nativis id coloribus depingit; ast per otium ejus recensere verba haud licet; sufficit ab ipso, ac Patribus aliis Spiritualibus addiscere, omnem in benè ordinatâ Communitate singularitatem mortificationem omnem, pœnitentiam, austeritatem, devotionem particularem, extraordinariam, irregularem esse nobis debere suspectam; præcipuè cùm exterior est ac publica, quandò communibus nos observantiis avertit, nec voluntati aut Superiorum directioni submissa est, vanitatis secretæ periculum est, præsumptionis nostrimet, fallaciæ dæmonis, ac millæ casuum, qui contingere possunt, *Hi sunt, qui segregant semetipsos, Iudæ* 5.19.

VII. Fugite, inquit S. Bernardus, angulos propriæ voluntatis, in angulis sordes sunt; fugite obstinationem, & nequissimum vitium singularitatis, *S. Bern. ubi supra.* ordinariè ibi plùs immunditiarum est, minùs luminis, in angulis, in conclavibus interioribus, tela aranæa texunt, ubi furunculi occultantur? particularitates progenerant partes, murmuris causæ sunt ac judiciorum temerariorum, cordis producunt inflationem, proprium amorem nutriunt, contumaciam atque obstinationem suffulciunt, efficiunt ut arroganter dicamus: *singulariter sum ego donec transeam.*

PUN-

PUNCTUM SECUNDUM.

Singularitas bona laudatur primo scriptura, secundo Patribus, tertio Rationibus, quarto Exemplis, quinto Responsionibus ad rationes contrarias.

VIII. Dixi, si in Communitate benè ordinata commoreris; nam si in mundo es, aut inordinatô Sodalitio, abusus est aliorum luxus atque exorbitantias sequi velle; discipulus es Filii Dei, atque ipse dixit eis *Ioan.*17. *De mundo non sunt*; Si in mundo sunt, de mundo
1. Ioan 2. 15. non sunt; per dilectum suum dixit. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt* per Apostolum dixit: *Nolite conformari huic sæculo*; tu dicis: conformare quis se mundo debet, & S. Paulus inquit: *Noli-*
1. Rom. 12. 2. *te, Cavete.* ad Galathas Inquit, non debere nos habere sympathiam nec fœdus cum mundo, id est cum iis, qui mundanè vivunt, non plùs ac cum mortuis vivi, ac cum mortuis mortui, *mihi mundus crucifixus est & ego mundo*, *Gal.* 6.

IX. Mundus, inquit S. Thomas *in ep. Iac.* non mundus, sed mundos inquinat; ergò qui manet in mundo, quomodo mundus. Et *S.* Eucherius Consobrino scribens: Caveamus, ne secundùm errores, aut parva aliorum exempla nos dirigamus; ecquam in die judicii de consuetudine, aut multitudine adferemus excusationem, cùm in particulari quilibet examinandus sit ac judicandus? aliorum defectus ceu opprobrium, non ut exemplum perpendas.

X. Homo es, sapiens, Christianus; qualitates hæ munire te debent, nè pravorum exemplis, ceu torrente aliquo in malorum fluenta abripiaris; Non ad rationem, sed ad similitudinem vivimus, pecudum more sequentes antecedentem gregem; pergentes non quà eundum est, sed quà itur, *Senec. Lib. de beata vita.*

Nil ita erroneum ac vulgi opinio, nil corruptum adeò ac perversum, quàm humanum est judicium; perpauci, in quo vera consistat virtus, nôrunt, atque inter eos, quibus id perspectum, pauci admodùm secundùm hanc notitiam degunt, perpauci qui non cantillant

. . . . . . *Video meliora, proboque*;
. . . . . . *deteriora sequor.*

Eorum namque passiones judicium ipsis pervertit, ac corrumpit actiones; atque hæ consuetudines istas formant progenerantque; ut Seneca dicat: *Non ita benè cum rebus humanis agitur, ut quæ meliora sunt, pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est, quæramus quid optimum factu sit, non quid usitatissimum, Senec. ubi suprà.* Ut quis rem quandam nullius esse valoris cognoscat, est cùm major hominum pars illam amplectitur. Si plures in abyssum se præcipitarent, an sapientiæ actus foret, & non potiùs amentiæ, illuc te solam hanc ob causam deturbare, quod aliis non melior extes, ac ceu ipsi & te acturum? *Væ tibi flumen maris humani, quamdiu non siccaberis? quousque volves Evæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint? Aug.* 1. *Confess. cap.* 16.

Refert Eusebius In villa Eliopolis Ægypti Solis Sacerdotes nutrivisse taurum, cujus pili naturaliter in invicem erant inversi, ad significandum Solem particularem sequi motum, illi aliorum cœlestium globorum motui adversum; Sic vitam dirigere

gere sapiens debet, per principia iis, qui mundum sequuntur contraria: à fortiori Christianus; in Baptismo atque aliis Sacramentis est sanctificatus, obligatur esse sanctus, ejus hæc vocatio est, artificium ac professio, *vocatis sanctis, vocavit nos Deus in sanctificationem: vos autem genus electum, gens sancta.* Sanctum esse segregatum, electum, ab aliis separatum. Sanctum esse & esse de vulgari, duo oppositi sunt termini, *quod Deus sanctificavit, tu commune nè dixeris.* Christiani judicaturi sunt mundum, ait S. Paulus. 1. ad Corinth. *De hoc modo judicabunt*; undè nec actionum mundi, consuetudinum, ac modi vivendi complices esse debent.

Rom. 1. 7. 1. Thess. 4. 7. 1. Petr. 2. 9.

XI. Verùm an non evitanda singularitas? ita, illam quam proprio Marte, ac vanitatis spiritu eligis; non eam, quam de voluntate Dei ac sanctitatis spiritu acceptas. Cùm sanctus Franciscus capucio ac veste villosâ indutus Asisium peteret: quando S. Simeon, dictus Salius ad se contemnendum fingebat stultum: Cùm sanctus Ignatius Loyla, nobilis Eques, habitum cum mendici mutaret panniculamentis, cum inter parvulos, ceu ex ipsis unus, Catechismo assideret; actiones hæ erant admodùm novæ, peregrinæ, extraordinariæ; magnæ singularitatis erant. An & repræhensibiles erant? Viæ Regiæ ac magis tritæ plùs extant securæ; ita in viis terræ, non in via Cœli, nec in virtutis practica.

XII. Cùm agitur de vita beata, non eædem velut in aliis viis sumendæ sunt regulæ; Non eadem hîc, quæ in cæteris peregrinationibus conditio est. In illis comprehensus aliquis limes, & interrogati incolæ non patiuntur; hîc tritissima quæque & celeberrima via maximè decipit, *Senec. lib. de vita beata.* Verùm, quid ad propositum citare Senecam opus? cùm id verbis adeò expressis dicat Salvator. *Lata porta est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam!*

Matth. 7. 13.

Verùm, si ordinariis hominum vestigiis non insistam, ut arctiùs vitæ genus amplectar; si Deum serò ac manè deprecer, sacramenta frequentem, sodalitia fugiam, visitem Xenodochia, ecquid dicetur? scrupulosus habebor, endymio, eroque ludibrio: Ecquis te explodet? Libertini, impii, Athei; Deus, Angeli, pii æstimabunt te ac laudabunt. An non magnus tibi honor ab iis vituperari, qui vituperio sunt digni? An non indies dicis, mundum de tribus hominum inimicis esse unum? an salutem tuam, Deique servitium præ metu discursuum ac cachinnationis hostium, es neglecturus? Nondum felix es, si nondū te turba irriserit; si beatus esse vis, hoc cogita, primùm contemnere, ab aliis omnibus contemni, *Sen. L. de moribus.* Idem est, ac si diceres: Nolo esse bonus Gallus, aut in Regis servitio fidus, præ metu nè à Turcis irridear. Fac omne, quod voles, in pedicas, quas declinaturum te opinabaris, propediem aut tardè incides, maledicorum obtrectationes nō evasurus. Os mundo obstruere nequis; Si in te virtutes, quibus obgannire queat, haut reperit, de vitiis tuis loquendi ansam sumet, ambitionem tuam, ignaviam, avaritiam, prodigalitatem, impatientiam, molliciem carpet: quod si contemnas, dicteria in venerationem vertentur. Ipsa

Liber-

Libertinorum conscientia, quæ labia eorum damnant, ut suspiciat, compelletur; Pietas fulgetra jacit, sancto terrore animas amori sui minùs susceptibiles percellentia, atque ipsa ab iis, qui primùm eam reprobabant, laudibus evehitur. Ac præsupposito verè te contemni, quis bonorum hominum unquam id non perpessus est? Tobias, Job, S. Homobonus, an non suis ab uxoribus, ceu simplices atque idiotæ, fuerunt explosi? An non S. Carolus à mundanis, quod integer nimis, & sensibus suis affixus circumferebatur? S. Chrysostomus ceu nimiùm austerus? Grenada & Avila velut scrupulosi habebantur? Et quod notatu dignum, Sanctus Sanctorum JESUS Christus Dominus noster, habitus est ut morio, conviviorum amicus, blasphemator, magus, opprobriis atque ignominiis oppletus. Matth. 7. 15.

Quantùm ad id, quod dicis, consuetudinem obtinere vim Legis, præcedentes abrogantem: primùm, Tertullianus tibi respondet: Hoc exigit veritas cui nihil præscribere potest, non spacium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum, Christus se veritatem, non consuetudinem vocat. *Tertull. lib. de velandis virg.* Deindè, æternitatis tuæ processus non secundùm consuetudinem Parisiensem, aut Pictaviensem, sed secundùm maximas Christianas in judicii die formabitur: in processibus, ubi de bonis terrenis agitur, ordinariè quis consuetudinem citans admittitur: at non sic coram Deo, cùm mundi consuetudines à Prædicatoribus, ceu deputatis à Deo Commissariis, ad illas reformandas ablegatis, contestatæ fuerint semper ac disputatæ.

Atque etiam secundùm jus Civile, *non tam spectandum est, quid Romæ factum sit, quàm quid fieri debeat. L. sed licet. ff. de officio præsidis. Consuetudinis ususve longævi non levis authoritas est, verùm non usque adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem. L. consuetudinis. Cod. quæ sit longa consuetudo.*

Si universitas ad unum redit, magis admittitur eum posse convenire & conveniri, cùm jus omnium in eum reciderit. *L. sicut mancipium. ff. quod cujuscunque universitatis nomine.* Ita supposito, quòd natura nostra contagio in urbe, familia, sodalitio tuo virtutem ac veritatem extinxerit; supposito, quòd existas solus, bonis adhuc sensibus vigens, sat roboris cum Dei gratia habet, ut illas contra mundi insultus tuearis; Sæculorum namque omnium ac sapientum jura tenes, in hoc Ecclesiæ totius ac Dei ipsiusmet Agens extas. Olim exercitum integrum per simplicem militem delevit. Promittit per 2. Reg. 23.
Isaiam, quod unicus homo solus mille sit prostraturus: Si ipsi adhæres, dabit tibi Is. 17.
frontem æneam, ac diamantinam, ut multitudini resistas. Non, veritas ac virtus, Deo laudes, non è mundo totaliter sunt proscriptæ; Nôsti complures ejusdem status, qualitatis, conditionis non sinere se deferri in torrentem; in spiritu pœnitentiæ ac solitudinis degere, in frugalitate, modestia, & humilitate Christiana, & semper æstimari, honorari, suspici.

Nôrunt Dei Filium dixisse, qui me erubuerit coram hominibus, non monstrando quòd meus sit servus, meæ adhæreat parti, causam meam tueatur, erubescam & ego eum coram Patre, & Angelis. Apud S. Matthæum dixit, opera nostra debere aliis prælucere exemplo, ut glorificent

Deum, eorum authonorem; neque in hoc vanitas est; dicente S. Gregorio, ita fit opus in publico, ut intentio maneat in occulto, solam Dei gloriam, non hominum laudes ac favores prætendat.

CONCLUSIO.

Per rationes conglobatas.

XIII. Itaque audacter tuus vivendi modus innotescat, servum te esse Dei, Evagelii lumen, non maximas ac sæculi consuetudines vitæ tuæ regulas esse demonstra negotiationem tuam, mensam, mobilia, habitum, non ad mundi modum, sed secundùm modestiam, ac frugalitatem Christianam moderare.

Primùm, cum hoc modo quinque aut sex mensibus vixeris, non ultrà mussitabunt, non videbitur ampliùs extraneum, nec novum quid apparebit, dicent istius modi tuum esse humorem ac consuetudinem, nemo ad peccatum te incitare audebit, in Ecclesia aut processione nemo tibi loqui, te præsente maledicere nemo, & sic de aliis.


Deindè, plures ad hoc vitæ genus virtutum exemplis pertrahes,

Verba movent, exempla trahunt.

Tùm si viso bono tuo exemplo minùs proficiant, vita tua ipsis processum est factura, atque in judicii die condemnabit; vult namque Deus, ut videant ac justas fateantur esse pœnas, quas merentur, quod eadem in Ecclesia, villa, conditione, fortuna, quâ tu, Christianè non vixerint.

Adhæc, virtus tua magis erit heroica, nobilis, meritoria, radians, ceu fax in obscuræ ac tenebrosæ noctis medio coruscans; velut in terra Hussitarum pietas Jobi, inter Chaldæos Abrahami, Lothi in Sodomis, Josephi in Ægypto, in Persia Danielis, Tobiæ in Syria, *cùm irent omnes ad vitulos aureos.*

Paucis, sodalium tuorum complures offendunt Deum, hoc cum ardentiùs diligere debes, servire fideliùs, ferventior ac pro ejus gloria zelosior, ut aliorum repares suppleasque defectu; sic gratias omnes, quas ipsis præbuisset Deus, recipies solus, benedictiones suam ob negligentiam deperditas coacervabis, præparatas ipsis merebre coronas, coronas caput tuum decorantes, gloriosumque in beatorum consortio in sæculorum omnium extensionem efficientes. *Amen.*



SER-

SERMO SEPTUAGESIMUS SECUNDUS pro festo Assumptionis Deiparæ.

QUOMODO AFFLICTIONES recipiendæ.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Luc. 10.

EXORDIUM.

NOn dubitem quin multi sint, qui dicant, utinam optimam partem eligere possem, utinam scirem, quænam sit optima pars, profectò statim illam eligerem, & beatum, ac felicem me reputarem, si scirem, quænam sit optima pars. Sed quid diceres, si ego tibi dicerē, quænam sit optima pars, quinimmò & ostenderem, quod eam faciliter, & absque ullo impendio, & sumptibus eligere posses? Annon mihi fores obligatus? Ego itaque eam tibi aperiam, & dico eam non esse, quod vadas ad eremū, & solitudinē, quod te des vitæ monasticæ, quod carnem maceres, cilicium gestes, flagris quotidie te cædas, vitam agas contemplativam, & continua meditatione sublimium te occupes, quod ad Indos pergas, & missionarius fias, non inquam hæc optima pars est, sed optima pars est, quod te commendes Divinæ voluntati, & omnia à manu ejus suscipias, sic cum Martha non turbaberis, non eris sollicita, sed cum Maria sedebis ad pedes ejus, semper eris tecta, quieta, & in Domino gaudebis, hoc unum est necessarium; & hoc facies, si cogites omnia mala pœnam esse à Deo. Id hodie ostendam.

Omnia, quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti; quia peccavimus tibi. Daniel. 3.

I. SAcrum Concilium Tridentinum sapienter nos instruxit, è melioribus satisfactionibus, quas ob peccatorum reatum offerre Deo possumus, esse, ut quas nobis immittit pœnas æquo animo suscipiamus, ac patienter toleremus, dicamusque cum S. Azaria: *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti; quia peccavimus tibi.* Vt salutare hoc documentum in praxin redigamus, multùm refert à veritate quapiam Catholica convinci, quam hoc in discursu vobis exhibebo; nempè afflictiones omnes, quæ nobis quomodo libet hac in vita contingunt, à paterna Dei manu provenire. Salutarius, quod hoc in subjecto arripere possumus, consilium est, ad te, O sacratissima Virgo, recurrere; indies in Ecclesiæ devotionibus afflictorum diceris Consolatrix: omnes vitæ hujus afflictiones acorem simul & amarorem deperdunt, si sacrati Nominis tui saccaro illas condire noverimus, tibi magnâ cum fiducia dulcia hæc & gratiosa verba decantaverimus, *Ave MARIA.*

IDEA SERMONIS.
EXORDIUM.

Semper gaudendum in Domino; quia omnia mala pœnæ sunt ab eo.

II. *Gaudete in Domino semper, iterùm dico gaudete*, ait sanctus Paulus scribens ad Philippenses 4. Qui numerare posset stellas Cœli, pisces maris, plantas terræ, infortunia ac vitæ humanæ incommoditates numerare posset: adeò grandi, ut moralis Philosophus edicat: Stratagema naturæ est, à nativitatis instanti hominem rationis usu privasse. Si in vitæ initio se cognosceret infans, ac futura prævideret, in hunc modum lachrymarum vallem, exilii locum, infortunii carcerem, miseriarum gurgitem intrare nollet. *Homo natus de muliere*, & ob hoc cum metu; *repletur multis miseriis*, ob hoc cum fletu. *Bern.* Conceptio hominis est facinorosa, vita ejus incerta semper, mors inevitabilis. O necessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi! *Sidon. Apollin.* Ecquis recensere posset? quis numerare solùm posset corporis ejus infirmitates, animæ passiones, spiritus labores, persecutiones inimicorum, amicorum perfidiam, zelum consanguineorum, vicinorũ contradictiones, debitorum de bonis cessionem, importunitatem creditorum, decretorum suorum inversionem, calumnias invidorum, de præterito displicentiam, fastidium de præsenti, metus futurorum, vitæ suæ labores. convulsiones ac mortis futuræ dolores; & post hæc omnia, S. Paulus nobis inquit: *semper gaudete.* Et si proditoriè unicus viduæ filius occidatur, novellus stirpis suæ exortus, senectutis suæ baculus, omnis spei suæ fulcrum, an illam gaudere oportebit?

Quis nisi mentis inops matrem de funere nati
Flere vetet?

Gaudete in Domino semper. Et si crudelis infirmitas nos diu noctuque torqueat, ac nos mensibus atque annis integris morte omninò vivâ languescere facit; an gaudendum? *Quicunque parte aliqua corporis dolent, & dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat*, ait Aphorismus Hippocratis: & S. Ambrosius: Non est pondus veræ virtutis insensibilitas cordis, & valdè insana per stuporem membra sunt, quæ sentire dolorem incisa non possunt: Apostolus inquit: *Gaudete*; verùm addit: *in Domino*: non persuadere vult nobis, ut naturæ in laboribus spiritus aut corporis renunciemus, nec amaritudines ejus persentiscamus; sed gaudeamus divinum respiciendo principium, unde prodeunt, & salutares quos producere possunt effectus. Antè omnia, mi Lucili, disce gaudere, ajebat Seneca; Lectio hæc in Senecæ schola non addiscitur, non in Academia Zenonis, nec in Philosophia Aristotelis; Sectæ hæ omnes non habent maximas sat potentes atque efficaces ad effectum adeò admirabilem in cordibus nostris producendum: Scientia hæc non nisi in Ecclesiæ addiscitur universitate; fides Catholica principio quodam gaudet, quod benè apprehensum haud insensibiles nos reddit, sed patientes, consolatos, atque in afflictionum acerbissimarum sensu contentos; Obligat illa nos ad credendum, omnia quæ in mundo eveniunt, omnia, peccato excepto, omnia pervenire de manu Dei, ac quod à tam amica Dei manu procedit, non nisi libenter ab animâ, quæ in bono statu existat, suscipi posse ac debere. Haud difficile

ficile nobis accidit credere accidentia illa, quæ à causa quapiam naturali aut fortuita procedunt, ut infirmitates, sterilitas, tempestates, incendia: at, quæ à causis liberis ac voluntariis, peccato atque hominum malitia ortum habent, ægrè nobis persuademus; Ea propter bonis veritatem hanc probationibus stabilire oportet: afflictiones, quæ à Dæmonis hostilitate, aut malignitate hominum nobis accidunt, providentiæ Dei, nec nō adorandæ atq; amandæ ejus voluntatis esse objecta. Nota diligenter, atque in omnibus meis discursibus recorderis, quod dico, peccati effectus, non peccatum. Prohibet Deus peccatum, abhorret, destatur, castigat: ast cruces, afflictiones, egestates indè provenientes, ipsas vult Deus, approbat & ordinat, non quantùm pœnæ sunt, sed media utilia, atque ad bonum aliquem finem necessaria. Quod ex Scripturâ, Patribus, unanimi Ecclesiæ consensu, rationibus evidentibus, Sanctorum practica demonstro.

PUNCTUM UNICUM.

Hoc probatur, primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò sensu Ecclesiæ, quartò Ratione, quintò Comparatione, sextò Instructionibus, septimò Exemplis, sancti Lupi, sancti Iob, Davidis Christi.

III. Sanctus Spiritus in Ecclesiastico inquit: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Eccl.* 11. 14. Ac per Prophetam Amos: *An erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Amos.* 3. 6. intelligit de malo pœnæ, non culpæ. Atque in Esaia dicit Deus: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, Isa.* 45. 7.

Dicens, creo tenebras & malum; cogitationes nostras prævenit, atque errorem, qui in spiritum nostrum subingredi potis foret, corrigit. Afflictiones ceu aliæ fiunt privationes, non per actionem directam ac positivam, sed per bonorum ac formarum, eis oppositarum, subtractionem; velut tenebræ ob solis absentiam contingunt, quo ab hemisphærio nostro subducto, lumine privatur aër.

In Genesis libro, à fratribus divenditus sanctus Patriarcha Joseph, & mancipium factus in Aegypto, vindictæ loco eis dicebat: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Libro 3. R. Roboam in spiritus excæcationem collapsus, consilium sapientum contempsit, mancipium stultè respondens, causa eis fuit rebellionis; *Et non acquievit Rex populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus.* Jeroboam ac populus insurrexêre in ipsum. Textus sacer hæc omnia tribuit vindictæ Dei, infelicem hunc Regem punire volentis, ob peccata Salomonis Patris ejus, *Ecce ego scindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.*

Gen. 45. 8

3. Reg. 12. 15.

3. Reg. 12. 31.

In Isaia dicitur: *Non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta, & elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ.* Et ibidem Rex hic appellatur Virga Domini, atque instrumentum iræ ejus, *Assur virga furoris mei.* Et capite decimo tertio Deus sanctos Cyri ac Darii milites appellat, quod ejus decretis ad Babylonios puniendos serviêre, *Ego mandavi sanctificatis meis. Dominus exercituum* præ-

Isa. 5. 26.

Isa. 5. 10.

Isa. 13. 3.

præcepit militiæ belli. Et in Jeremia Deus nominat Nabuchodonoserem servum suum, id est, executorem, ac justitiæ suæ
Ier. 4. 3. 10. ministrum, *Ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum, veniensque percutiet terram Aegy-*
4. Reg. 18 *pti.* Et Rex Senacherib omninò barbarus hanc agnovit veritatem; obsidens enim civitatem Hierusalem dicebat Judæis: *Nunquid sine voluntate Domini ascendi ad locum istum?*

Ecquæ unquam tolerantia causæ magis injustæ, malignæ, diabolicæ, effectus extitit, quam mors & passio Salvatoris nostri? quis innocentius unquam ac contumeliosiùs, ac ipse, passus est? ac nihil-
Act. 2. 23 ominùs sanctus Petrus, cùm Spiritum sanctum recepisset, in Pentecostes die inquit: *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Et paulò post, coram omni Ecclesiâ de eodem Salvatore lo-
Act. 4. 28. quens, ait, quòd *Herodes & Pilatus cum Gentibus & populis Israel convenerunt in sanctum tuum puerum IESUM, facere, quæcunque manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.* *Facere*; pravæ hominum voluntatis effectus est; *fieri*, sanctissimæ voluntatis atque ordinationis divinæ objectum est.

IV. Ecclesiæ Patres, qui Spiritus sancti lumen, ut intelligerent Scripturas, acceperunt, in hoc omnes puncto conveniunt. S. Petrus Apostolus libro primo recognitionum S. Clementis, ita discipulo suo loquitur: Qui credit summi Dei providentiâ gubernari mundum, non debet quidquam de his, quæ quovis modo accidunt, aspernanter accipere, certus, quod justia Dei etiam quæ superflua videntur, aut contraria in unoquoque negotio opportuno exitu competentique dispensat. *S. Clemens Libro 1. recognit.*

S. Gregorius Magnus, eâdem in Sede locatus, eundem tenet sermonem: Magna est, inquit, consolatio in eo, quod displicet, quod in illo ordinante erga nos agitur, cui nihil nisi justum placet. Si ergò justa Deo placere novimus, pati autem nulla, nisi quæ Deo placuerint, possumus, justa sunt cuncta, quæ patimur, & valdè injustum est, si de justa passione murmuramus, *Greg. Lib. 2. Moral. cap. 12.*

S. quoque Augustinus hanc nobis monitionem præbet: Quidquid hîc accidit contrà voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius; etsi nos non intelligimus, quare fiat. *August. in Ps. 148.* Ita, de legibus ipsius, cùm & post S. Augustinum universa id teneat Ecclesia: *Deus, qui animam famuli tui, hodierna die, de hoc sæculo migrare jussisti.*

Quandò corpus filii tui aut mariti defuncti hac in Ecclesia extat, ut sepeliatur; Ecclesia, quæ errare nequit, cum Spiritu S. organum sit, & veritatis columna, in oratione Missæ, quæ est augustissima, seria ac divina ejus actio, dixit: Deus, qui animam famuli tui, hodiernâ die, de hoc sæculo migrare jussisti; Verùm maritus meus proditoriè interfectus est, *Migrare jussisti.* Filius meus injustè falsa testium subornatorum depositione ad mortem damnatus est, *Migrare jussisti.* Frater meus veneficæ maleficiis, ejus ossa exsiccantis, ac duorum aut trium annorum decursu languere facientis, ex hac vita decessit, *Migrare jussisti.*

V. Quod

V. Quod exiguo spiritui nostro laborem creat, quodque impetu hac in re imaginationem nostram invadit, indè est, quò & sensus noster tenuis non sat solutus sit, imaginatio nostra non satis subtilis atque acuta extet, ut distinguat inter malitiam actionis, & effectum ab eadem actione prodeuntē, ad fatendum, quod à malitia Deus abhorreat, illam detestetur, ac puniat: ac velit, approbet, & ad bonum quendam finem effectum destinet. Verùm anima fide ac cœli lumine illustrata harum rerũ duarum distinctionem & abstractionē comodè facere potest. En judicem malefactorum benè meritum condemnantem, supponamus justitiæ ministrum discessisse, aut esse absentem, nec quenquam reperiri, qui ejus officio fungi velit, nisi imprudentem nonnullum, capitalem patientis hostem, quivé particulari quo eum prosequitur odio motus, ejus se fere carnificem præsentat: hoc in casu judex ac tortor criminis reum morti tradunt; Judex intentione laudabilissimâ, vitiosâ, meritoriâ; Lictor ex inclinatione vituperio dignissimâ, vitiosâ, immeritoria; mors patientis, intellige, quod à judicis ordinatione procedat, optimæ causæ effectus est; quoad à carnificis malevolentiâ prodit, pessimæ causæ effectus est; tortori judex non nisi posse morale ac civile in hunc criminis reum exequendi tradit: Creaturis omnibus, quæ officere nobis possunt, posse physicum ac reale
Rom. 13. Deus, *Non est potestas nisi à Deo. Non ha-*
14. *beres potestatem adversum me ullã, nisi tibi*
Joan. 19. *datum esset desuper*, dicebat Pilato Salvator.
11. Aut si aliam expetis comparationem: En tabulam ad pingendum paratam, victor Lazari depingere funeralia intendit; famulorum nonnemo ex ineptia aut indignatione maculam illuc grandem injicit, atramentarium in velum effudens; at pictor artifex adeò excellens est, hæc ipsi macula commodè deservit, suprà caput delineat cum corpore, brachiis ac manibus; hac labe funebrem Marthæ vestem exprimit. Hoc in casu famuli culparetur iracundia, ac magistri admirarentur industriam; nigredo hæc, subaudi, quòd à servo procedat, labes est; quantùm Domini proposito deservit, est color; displicet ei, in quantùm rabiei famuli effectus est; honorabilis ei est, quatenus subjectum est, ut sua cernatur industria; Pariter ignominia, infirmitas, paupertas, ac reliqua pœnæ mala quæ patimur, in quantùm à creaturæ cujusdam malitia procedunt, causæ odiosæ ac detestandæ effectus sunt; quod de voluntate ac Dei ordinatione prodeunt, sanctissimæ atque adornandæ causæ effectus non nisi optimus esse potest, acceptaitone effectus extant: & causæ adeò bonæ effectus nòn nisi optimus esse potest, acceptatione atque amore dignissimus. Ut enim inquit Salvator, non potest arbor bona malos fructus facere; Ea proprer in cunctis afflictionibus nostris magnam adhibere diligentiam oportet, id cogitationes nostras à causarum secundarum voluntate, ordinariè malâ deflectamus, ac causæ primæ voluntatem, semper optimam, quævé non nisi bonum velle potest, respiciamus.

Si quis tibi diceret: non pridem conspexi lucem per aërem diffusam, quæ obscurum illum reddidit ac tenebrosum; albedinem conspexi applicatam parieti, quæ eum, ceu carbones, denigravit; calorē persensi me velut glacies refrigerantem:

tem: Dices sanè: en mẽdacia grandia; omni impossibilitate impossibiliora hæc sunt; nõ valebit obscurũ quid reddere lumẽ, nec denigrare albedo, nec calor frigefacere; cùm Lucis essentia sit illuminare, albedinis facere album, calefacere caloris; propriũ magis atque essentiale Deo est velle ac bonum facere, quàm Soli producere lumen, balsamo bonum exhalare odorem, nivi album existere, lumini illustrare, calefacere calori: Θεῦ φύσις ἀγαθοποιεῖν, ait Synesius: Et Seneca ut ut est Paganus, *Quæ est Diis causa benefaciendi? natura.* Quod adeò verùm, ut si Judas, malus dives, aut alius damnatus voluntatis perversæ non foret, hancq; veritatem cognosceret, contentissimus esset quod puniatur; cùm id velit Deus, diceret: optimum, me hîc esse, in his morari flammis, hæc perpeti tormenta: *Puniri non est malum, sed fieri dignum pœna.*

VII. Sic magnum illud in vita humana secretum, verum nostrorũ omnium dolorum lenimen, remedium dulcius laborum spiritus, est, ut vivè hanc nobis persuadeamus veritatem, cum judicio ac voluntate divina in omnibus ejus consiliis nos conformemus, quidquid evenerit, de bona ipsius manu suscipiamus, ut à sua incomprehensibili Sapientia ordinatum, adorandæ ejus providentiæ œconomiam revereamur, ordines ac summæ jurisdictionis ejus dispositionem acceptemus. Praxis hæc afflictiones nostras incomparabiliter dulciores reddit ac breviores, quàm si contrà stimulum calcitrare meditemur. In Beotia ajunt flumen esse, in quo pisces aurei ac rutilantis coloris apparent; ab aquis autem extractos, bellum hunc splendorem deperdere, nec nisi colorem pisci-um ordinarium præ se ferre. Si cruces & adversitates extrà voluntatem ac providentiam Dei, quæ radix atque origo earum extat, consideremus, suum habent amarorem, disgustum, spinasque naturales; verùm si in illa bonitate æterna, atque ordinatione Dei, ad bonum aliquod illas destinantis, respiciamus, aureæ nobis apparebunt, supportabiles videbuntur ac salutares.

Supposito habere te filium benè moratum, ac naturæ docilis: cùm eum ob levem quendam defectum à se commissum castigas, non movetur, non plorat, non murmurat, non conatur effugere, patienter flagra sustinet, miserabiliter te respicit, manum percutientem deosculatur; peracto opere, cum virgas dejicis in terram, recolligit, exosculatur, in certo ponit loco, ut aliàs tibi deserviat, cùm bonum videtur.

Si tygridis cor tibi sit, ac viscera Leopardi, virtus hæc te mitem reddet, iram placabit, benevolentiam sibi tuam captabit, prolem hanc plùs quàm oculi tui pupillam adamares. An opinaris Deum minùs esse misericordem, atque flectatur, hominibus magè difficilem? Nebulo ille, qui tuum occidit maritum, qui tecum injustè litigat, honorem tibi ac bona rapiens, virga est, quâ cœlestis Pater tuus ad te castigandum utitur; an bene agere vis, atque ex flagris hisce utilitatem excerpere? nè discrucieris, ne velut maligni filii dum puniuntur exclames, ne viis obliquis atque injustis de manibus Dei evadere tentes, amabiliter eum respice, humiliter grates age, patienter ejus præstolare misericordiam, magnum reputa favorem, quod paterno amoris affectu corripere

te

te dignatus sit: Mi Deus, sinistram manum tuam toto è corde deosculor, revereor atque adoro justitiam tuam me castigare dignatam, *Corripe me, Domine, in misericordia*, tempore tam longo ac rigorosè, ut tibi placuerit, corripe, *Hic ure, hic seca, modò in æternùm parcas:* Ac postmodùm, si virgam, quacum te castigavit Deus in terram dejiciat, si qui te persecutus est in miseriam incidat, & infortunium, erige illum, recollige, fer ei opem, reddere pro malo bonum, pro malevolentia charitatem; Dei placabis iram, ejus mereberis gratiam, veniamque impetrabis.

VIII. Sic omnibus contigit sanctis, ac cōtentissimi sunt reperti. In Historiâ Ecclesiastica refertur, quod anno Domini quadringentesimo quinquagesimo primo Attilla Hunnorum Rex, nominatus Flagellū Dei, cùm vastasset Orientem, perruperit in Occidentem, Provincias omnes perdens ac devastans; in Franciam appulit, ac pluribus victoriis obtentis urbem Trecarum - - - in Campania obsedit.

Sanctus Lupus Urbis Episcopus videns solis viribus humanis furiosæ huic bestiæ resisti non posse, aut auxilium recurrit divinum, cumque sua in Ecclesia publicas preces ac pœnitentias instituisset, ornamentis Pontificalibus se inducit, unà cum Clero Barbaro huic obviam processit, ac sancta audaciâ sic eum alloquitur: Quis es tu, qui Reges, debellas, populos supprimis, ac Provincias reddis desolatas? Ego sum, inquit Attila, Flagellum Dei.

Eja, ait sanctus Præsul, benè veneris, O Dei mei flagellū, ingredere in Urbem, & fac, quicquid justissima sua atque adoranda providentia tibi permiserit Deus.

Præclara hæc verba Tygridē hanc reddidêre inermem, in urbem omni cū exercitu ingressus aversum suscepit iter, ne læso vel uno. Infortunia omnia, hac in vita nobis à Deo immissa vel permissa, ejus sunt flagella, queîs corda nostra à bonis hisce terrenis ac transitoriis avertat, ut à grano palea separatur. An ut propediem absque tuo damno transeant, expetis? aperto illa corde ceu Deo flagella, justitiæ suæ ac paternæ providentiæ suscipito; firmiter crede haud ea tibi nocitura, atque objectum bonæ hujusmodi ac sanctæ voluntatis non posse esse nisi optimum, justissimum, acceptabilissimum.

IX. Erat hæc cogitatio ac practica sancti viri Job, qui in fortunæ eversione benedicens Deum dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Non ait: *sicut Domino placuit, ita fecerunt*, sed: *Ita factum est*: bonorum ejus perditio, domus ruina, filiorum mors non casu fortuito, aut per naturales atque involuntarias causas contigêre; ast dæmonum ac militum malitiâ atque obstinatione, eum despoliantium & ipse Dei beneplacito cuncta tribuit. Non inquit: Deus mihi dedit, & diabolus abstulit; Sed Deus sustulit; Sathan etenim absque Dei permissione ovium suarum minimam attingere non fuit ausus, & ne sui quidem capitos capillum.

Quod adeò firmiter tenet, quòd cùm prædones ipsi pecora adduxissent, eos

eos nominare audeat Dei populatores,
Job. 19. 12. *Simul venerunt Latrones ejus.* Quod à Deo non voluntatem pravam, ast rapiendi potentiam acceperint. Velut Scriptura inquit, *Spiritum Domini malum* excru-
1. Reg. 18. 10. ciasse Saulem. Suprà quod S. Gregorius inquit, *lib. 2. Moral. c. 9.* Spiritus Domini appellatur malus, ob desiderium suum malignum; appellatur spiritus Domini, ob potentiam à Deo receptam; *Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce unus idemque Spiritus & Domini appellatur, & malus; Domini, per licentiam potestatis justæ; malus per desiderium voluntatis iniquæ.*

X. In hac quoque lectione prædesti-
Ps. 38. 10. natorum benè instructus erat David: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove à me plagas tuas.* Quæcunque mihi afflictio obvenerit, audaciam solùm labia aperiendi non assumo, ut exiguam formem querelam, aut verbum impatiens, vocem non nisi ad benedicendum te habeo, & ut laudes tuæ resonent, sciens, omnia velut ab omnis boni scaturigine de te provenire, nec à sinistra accipiendum, quod dextra porrigit. Si adusque mortem à Saule persecutus sum, *tu fecisti*; Si à Palatio meo ac Civitate Regia per proprium filium Absalonem sum expulsus, *tu fecisti*; Si injuriâ affectus, ac per Semei impetitus sum lapidibus, *tu fe-*
Ps. 37. 3. *cisti.* Et alibi: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*: Præclara comparatio! In jurisprudentia quæritur: si in bestiam ejaculatus es sagittam, vulnerata ad mortem erit; at non in eodem instanti moritur; profugit; ac medio abinde milliari intercipio ego, ad quem spectabit? an ad eum, qui læsit, aut qui intercepit? Justinianus respondet §. *Illud. Quæsitum est instit. de rerum divisione, & acquirendo earum dominio*, Illius est, qui apprehendit. Afflictiones à Deo nobis immissæ, sagittæ sunt salutares, quas velut in feras, ut suo nos inserat servitio, ejaculatur Deus, *Ut tradas eos in manus tuas. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*: Ast malum est, quod à Deo læsi, sinamus, ut alius nos capiat. Aeger es, atque ut saneris, ad veneficam, aut ad superstitiosum accurris remedium; perdidisti quidpiam, ablegas ad Incantatorem, ut quisnam sustulerit, nosse queas: Intimatus tibi processus est, ut evincas, justitiæ cuipiam ministro te prosternis. Vulneravit te bonus Deus, at diabolus te rapit. Non ita David; à Deo læsus, non fugiebat: non remedia malo pejora, vias injustas aut illicitas, ut ab afflictionibus immunis foret, indagabat: ad sacros misericordiæ Dei pedes, ut de manu lædente se, sanaretur, se prosternebat: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.*

XI. Verum nihil præclarius exemplo Sancti Sanctorum: Sancto ait Petro in Olivarum horto defendere se volenti: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum?* ab illorum malitia, qui hunc sibi amaritudinis calicem parabant, visum avertit, ut non nisi sanctissimam ac dilectissimam Patris sui præsentantis respiceret voluntatem. Si, ut ipse, ageres, infirmitatum aliarumque afflictionum tuarum amores admodum dulcescerent. Imagineris tibi parvulum quendam, cui, ut à magna liberetur febri, medicinam

sumere

sumere opus; mox, ut Apothecarius in conclave subintrat, vociferatur, plorat, ne quidem aspectu eum dignatur, ad parietem se convertit: accedit pater ejus, dicitque: Apage cum Apothecario hoc, filium meum affligente; Age, anime mî, deliciæ meæ, an non aliquid ob amorem mei facturus es? cape parvulam hanc potiunculam, ut sanitati restituaris, amabo te, saccari habebis globulos, perbellam tibi vestem coëmam, ibis unà cum sodalibus tuis lusum dum convalueris. Recipit à parentis manu infans, quod Apothecario abnuerat. Processus hic injustus tibi intentatus, crimen hoc nequiter tibi impositum, homicidium illud in mariti tui personam commissum; potio nonnihil amara est, at salutaris admodum, si benè sumatur: ut benè sumas, nè rabulam, nè calumniatorem hunc, latronem istum, calumniatorem hunc, latronem illum respice, Apothecarius est, qui aloës tibi poculum præsentat, verte cogitationum tuarum visum versus Deum bonum, Patrem tuum cœlestem, hanc tibi medicinam offerentem; si libenter sumas, globulos tibi saccaro conditos interiores promittit consolationes, exsaturæ tibi cœlestis vestem adornabit, splendore ac gloriâ dotatum corpus, unà cum Beatis ad Elysios Empyrei Cœli campos exspatiaberis: dic igitur carni crucem recusanti: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum: dedit mihi Pater:*

CONCLVSIO.

Dispositiones, cum quibus recipiendæ sunt cruces; nempe timor, confidentia, honor in Deum.

XII. TErna hæc verba tres exprimunt conditinoes, quibuscum adversa à Deo immissa sunt recipienda: Timorem, Confidentiam, Honorem. *Dedit*, est Deus, qui afflictiones immittit, undè si eum non revereamur, formidandus; *mihi*, non *contrà me*, nobis, pro bono nostro, salute nostrâ, nisi nos, ut immittat, præbeamus ansam; *Pater*, non desinit esse pater, ac per consequens, licet afflixerit, honore dignus. *Timeat Deum omnis terra*, ait Psalmista, *quoniam ipse dixit, & facta sunt, &c. Ps. 32.* quod omnia, quæ in mundo sunt; ejus creaturæ sunt, sub eo stipendium merentur, inserviunt, dispositæ sunt, paratæ ad vindicandum offensas, quæ in ejus Majestatem committuntur.

In quod S. Augustinus inquit: Fera sævit; Deum time. Serpens insidiatur; Deum time. Odit te homo; Deum time; Impugnat te diabolus; Deum time. Tota creatura sub illo est, quem juberis timere; cupidinem nocendi potest habere creatura, propriam potestatem verò habere non potest, si ille non dat, *Aug. conc. 2. in Psal. 32.* Si dat, in bonum tuum vergit.

In ipso confide, plus habet affectionis in te, quàm tu in filios. Apothecarius pro filio medicinam componens, non modò cavet, ut nil quod noceat immisceat, sed & Pharmacon salutare; nil nisi quod præcise necessarium est addit; est enim amarum. Sic Propheta de bono Deo inquit: *Tu laborem & dolorem consideras*, cum mensura magnaque consi- Ps. 9. 35. Ps. 79. 6.
deratione potionem parat, *Potum dabis in lachrimis, in mensura.* Mî Deus, ait Sap. 12. 18.
Sapiens,

Sapiens, Tu cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nobis, Videor mihi videre Chirurgum, qui juniori Principi incisurus venam, aut cucurbitulas admoturus cautè ac cum metu agit, nè plùs quàm oportet sanguinis extrahat; Pari modo se habet Deus ergà nos, nunquam plùs nos affligit, quàm sua infinita sibi sapientia dictat esse necessarium; atque id facit, non ut perdat, sed ut sanet, non inimici jactus est, sed Patris amabilis: *dedit mihi Pater*: honorandus est non solùm, cùm blanditur, sed & cùm affligit; quòd semper Pater sit; Honora igitur primùm tuis in afflictionibus summam ejus jurisdictionem: artifex an non operis sui Dominus est, causa sui effectus, creaturæ Creator? an aliquam oviculæ tuæ injuriam infers, vellere eam exspolians, pellem detrahens, deglubens, Si bona tibi auferat Deus, filios, honorem, vitam, non aliâ ratione prævia, quam ut supremum Dominii sui jus exerceat, nulla te injuria afficeret, nil aliud proferre posses, quam quòd miser Hely: Deus est Dominus, jus habet faciendi, quod bonum sibi videtur. *Multiplicabit vul-*
Iob. 9. 17. *nera mea etiam sine causa.*

Honora quoque ejus amplitudinem: adeò amplus est, nobilis, excellens, adeò amore dignus ac respectu, ut licet bona non communicet, honorari mereatur. Servitium ei debetur, licet non nisi ictus sint præstolandi. Cùm processus tuus est deperditus, hæreditas effecta gracilis, domus concremata, fœdata reputatio, per Prophetam occinit tibi Deus, *Ego Dominus creans malum.* O beatum servum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit, *Tertullianus.*

Reverere ejus bonitatem; Annon admiranda bonitas est, pietas excessiva, si per intemperantiam aut impuritatem in ægritudinem incideris, in paupertatem ob exorbitantias ac dissolutiones; in infamiam ac dedecus tuas ob fraudes? Ægritudo hæc, paupertas, infamia, satisfactoria pro te ac meritoria est, si patienter sustines; cum resignatione in Dei providentiam, & ejus amorem.

Honora justitiam: tam crebrò eum offendisti, ejus læsisti honorem, tot tantaque contra ejus egisti voluntatem; an non æquum, ut & tu lædaris: honor tuus debilitetur? ut plura contra voluntatem tuam, injustè etiam atque injuria sufferas? an non tibi, ut sancto isti dicendum, *Dan. 3. Domine Deus, justus es in omnibus, quæ fecisti nobis; peccavimus enim recedentes à te.* Sic justitiam exercens misericordia in nos utitur.

De toto corde tuo igitur ipsam honora, ac gratias age, quòd te hoc in mũdo paternè castigare dignetur, ne in alio æternùm ac severè puniat: Ceu amicos te tractat, Moysen, Aaron & Samuelem: *DEVS tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum, Ps. 98. 8.* Dic ei, ceu S. Bernardus: Volo, irascaris mihi, Pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis de via; non enim cùm nescio, sed eum scio te iratum, tunc maximè confide propitium, *Bern.* Justitia ejus virgæ Moysi comparatur: cùm eam S. Propheta jaceret in terram, mutabatur in serpentem; cùm resumeret, sceptrum erat prodigiosum,

emolliens petras, aquas indè educens, Ægypti Regnum desolavit, transitum in promissionis terram aperuit. Cùm justitiæ virga Deus haud utitur, nec illam ad temporaliter nós castigandos arripere dignatur, serpens in nos efficitur, ad sævitiam atque infernalis Draconis nos furias reservat: at cum manu apprehendere illam dignatur, ac paternè nos corrigere, est, ut durum pectus nostrum emolliat, ab oculis pœnitentiæ lachrymas eliciat, dæmonis in nos imperium evertat, ut viam adaperiat ac planam reddat, vi dulci ad intrandum in Promissionis Cœlum nos feliciter compellat, *Amen.*

SERMO

SEPTUAGESIMUS TERTIUS pro festo sancti Bartholomæi Apostoli.

DE PERFECTIONE CHRISTIANI ergà Deum, proximum, ac seipsum.

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Job. 1.

EXORDIUM.

NEminem hic credo, Auditores, adesse, qui non libenter vellet ingredi cœlum, neminem partem adesse, qui in hoc totus non sit, quomodo viam versus cœlum possit inire, & januam cœlestem reperire? Sed quid agendum, ut eam possis intrare? Christus notat arctam esse viam, & portam angustam, per quam intrare debemus; ut illam plures intrarent, posuerunt cristatas galeas, elatum verticem, gibbos auro & argento, refertos, thesauros sæculi, mundi honores, dicentes, *Ecce nos reliquimus omnia*, alii ulterius caput, brachium, humerus, sanctos Bartholomæus hodiè quoque pellem. Quod si ergo tu velis etiam intrare per illam angustam portam, debes exuere pellem. Hoc tempore dies sunt caniculares, in quibus ponimꝰ vestes, ita tu debes amore Dei ardere & ponere vestes quas soles portare in hyeme, nempe odii erga Deũ, erga proximũ, ad hoc te movebit, si consideres quod sis filius secundo debes ponere pellem delicatam carnis, ut induas pellem, quam dedit Deus post peccatum Adæ & Evæ, hoc est tunicam pelliceam mortificationis & pœnitentiæ, omnia necessaria rescindendo, ita ut Severus erga te sis, uti ostendam hac concione.

Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.
Matth. 5.

I. Dicebat in Evangelio Dei Filius se in mundum venisse, non solùm ut peccatores converteret, sed & eos sanctificaret, redderetq; perfectos: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*: Viri Apostolici, quos in Missionem ablegat, id. præstare debent: S. Paulus jubet, ut Sacrâ utantur Scripturâ, non solùm ut peccatrices animas reprehendant & corrigant, sed ut perfectas eas efficiant, atque ad opera bona propensas. Hoc est, cui binis in Prædicationibus mihi insudandum, ut exhibeam vobis, perfectionem, quâ Christianum suis in dispositionibus atque actionibus præditum esse decet. Hodiernâ luce monstrabo, filii eum corde in Deum, matris in proximum, judicis erga seipsum debere esse dotatum.

Tria hæc, O Sacratissima Virgo, semper observâsti; eapropter, cum in mortis tuæ horâ te vocavit Deus, ut merita in terris acquisita tribus te invitationibus vocavit: *Veni de Libano, veni sponsa mea, veni coronaberis. Cant.* 4. 8. Coronaberis; filialem namque ac perfectum in Deum amorem habuisti. Coronaberis; proximo enim charitatis maternæ obsequia præstitisti. Coronaberis; etenim rigorosas in temet exercuisti austeritates; triplicem hanc in te Coronam devotione cordis, ac verbis Angelicis veneramur. *Ave MARIA.*

IDEA SERMONIS.

EXORDIUM.

Judæi erant servi, nos filii.

II. *Non accepistis spiritum servitutis, iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis Filiorum.* Verum id; hæc judaicum inter ac populum Christianum differentia, quod populus judaicus cùm Fidem ac Religionem, mediante Moyse, recepisset, servili præditus erat Spiritu, corde in Deum mancipii ac mercenarii: Populus Christianus, cùm mediatione JESU filii Dei legem retulisset ac Religionem, cor gestat filiale, Deo se dicat, non ceu Domino servus, sed Patri Filius; Spiritus hic filialis, Christianæ Religioni adeò familiaris extat, ut ceu fundus ejus sit, substantia, nodus, ac Judex supremus; Religio namque à religando appellatur, colligat enim nos Deoque unit; nullus etenim cum Deo nobis est nexus, nullum ad favores ejus ac benedictiones jus, nisi in quantum adoptivi sumus, adjuncti ac JESU associat; prædestinatio nostra suæ affixa est, insita atque inserta, *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo, elegit nos in ipso.* Rom. 8. 15. Eph. 1. 4.

Agedum prædestinatus est ipse, non primariò ac principaliter ad visionem Dei, ad gloriam ac beatitudinem cœlestem, verùm, ad filiationem naturalem; prædestinatio Filii MARIÆ elegit eum, ac prædeterminavit ut sit Filius Dei per naturam, *prædestinatus est filius Dei.* Ita nos Dei gratiam non recipimus, ad gloriam non nisi per filiationis jus admittimur: In ordine naturæ creat homines, nutrit, regit, atque ut DEUS gubernat: In ordine gratiæ prædestinat; Rom. 1. 4.

justifi-

justificat, atque Electos ceu Pater filios sibi charissimos, adoptivos atque unico Filio sociatos glorificat. Sic quoque conspicimus nos non nisi generationis viâ Ecclesiam adire, *Nisi quis renatus*, ac si quis Baptismum administrans dicat: Baptizo te in nomine primæ, secundæ, tertiæ personæ sanctæ TRINITATIS; In nomine Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris; invalidum foret Sacramentum: generationis divinæ facienda mentio, paternitatis ac filiationis, ad demonstrandum, nos à Cælo non respici, approbari, favore excipi, nisi in quantum filii Dei, cohæredes JESU, ad dignitatis Filii participationem admissi; spes nostra omnis precesque super hæc verba fundantur: *Pater noster.*

PUNCTUM PRIMUM.

Debemus Deo amorem filialem non mercenarium. Primò scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus, quartò Exemplis, quintò instructionibus. Primò petendus à Deo amor dilectionis, secundò exercendus.

III. Edocet id nos, amorem Deo debitum, ceu à Christianis, amorem esse filialem, id est, gratuitum ac benevolentiæ debere esse amorem. Opinaris te admodum existere virtuosum, atque in eminenti perfectionis esse gradu, si dicas: valdè Deo obligor, ex toto corde ipsum diligam, creavit me, nutrit ac conservat, in servitium nostramque commoditatem tot pereximios flores produxit, tot sapidos fructus, tot cibos bonos, pecora, aliasque creaturas; à tali me vitæ periculo eripuit, litem me vincere effecit, à magnâ infirmitate me extraxit, filios promovit: Non mala hæc quidem dispositio est, ad aliquid utilis extat, ad ampliorem nos perfectionem deducere valet: Verùm si aliud nil sit, imperfecta admodùm, impura, inculta, Christiano indigna est dispositio.

IV. S Paulus clamat ad Corinthios, 1. *Cor.* 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest:* Et cum Theologiæ Doctor S. Thomas 2. 2. *q.* 23. *a.* 1. de charitate agit, prima quam promovet veritas, à cunctis approbata Doctoribus est, charitatem non esse concupiscentiæ amorem ac mercenarium, sed amicitiæ ac benevolentiæ, amorem per quem Deum amas, non quod tibi bonus, sed quod bonus in se; non quod te obligat, ast quia meretur; non intuitu tui tuæque satisfactionis, at sui divinarumque suarum perfectionum.

Verus amor seipso contentus est, ait S. Bernardus, quicquid amando prætendit, amare est. Comparatur igni, qui non agit nisi ut excrescat, ac magis magisque in flammis augeatur. Ac S. Augustinus de devotione loquens *serm.* 234. *de tempore cap.* 3. ait: Hæc est vera pietas, amare Deum gratis; nam diabolus hoc beato Job, nesciens quid in illo intus ageretur, magnum crimen objecit: *Nunquid Iob gratis colit Deum?* Si quærit diabolus fingere quod non est, quantò magis objicere quod est?

V. Deum amore prosequeris, quod te nutrit, in sanitate conservat, creaturas ad tui obsequium destinat; en sane perfectionem magnam! habes unde glorieris. Id est, æquè ac Socrates, Plato, Epictetus, ac Seneca agnoscis; Deum aliquo modo amore naturali, atque ob gratitudinem amabant.

Deum amas, quod tibi benefacit, id est, quod nō plus quam canes, serpentes,

leones, aliæque feræ degenerâsti: amat te canis tibiq; fidelis extat, ob panis frustum, quod ei objicis: Visi sunt serpentes, nutritores suos adamantes, atque ob illorum defensionem zelantes: Conspecti leones, qui quod spina è pede fuerit extracta, de venatione sua benefactorem alentes: indies cernimus feras, quæ ob bonum aliquod sibi præstitum cicurantur ac mitescunt.

Diligis Deum, quod prosperitatibus te cumulat, id est, quod cùm velut servum, pecora, ac hæreditatem amas: Dicis: En bonum famulum! valdè ei afficior, in tali occasione contra insultantes adversarios me tuitus est, anxiè mea ob bona sollicitus, fideliter, quidquid ad me attinet, custodit: En equum heroicum, en pecudum gregem fœcundum, pingue pratum, agrum fertilem, uberem vineam quotannis tantùm ex illa utilitatis percipio. Similiter inquis: Sanè bonum hunc Deum amare teneor, in tali discrimine à morte me præservavit, gratiam mihi hæc & illa obtinendi præbuit; *Cui assimilâstis me & adæquastis, & comparastis me?* An non aliã in Deo amare bonitatẽ erubescis, quàm illam in servo ac hæreditate adamatam? non affici in Deum motivo alio, quàm quo erga pecus ac tantillũ terræ afficeris?

Non amas Deum, quàm ob bona tibi exhibita, id est, bona tibi præstita pluris ac ipsummet æstimas, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; non ipsum super omnia, non ut vult redamas; aut, ut melius ac propriè magis eloquar, non amas, commoditates tuas amas, teipsum amas.

VI. Sancti juvenes, Ananias, Azarias, Mizaël aliter Deum diligebant: minitabatur eis Nabuchodonosor Rex, se inflagrantem eos fornacem, nî idolum adorarent, injecturos: Ecce, responderunt ei, *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare; Quòd si noluerit, notum tibi sit, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* Dan. 3. 17. Sic venerabilis Tobias ac S. Job non in prosperitate solùm, sed & in afflictione ex corde toto amabant Deum, eumque venerabantur, in captivitate alter, alter in rerum omniũ egestate. Ita magnus S. Ludovicus cùm Crucis suscepisset insignia, ad terram sanctam inquirendam, nec succederet, reversus denuò, peste correptus, priusquam moreretur, filio dixit: Cõmendo tibi, ut Deum ex toto corde tuo diligas. Sic quoq; Charitas tempore suo in præcellentis Dominæ formã comparuit, in manibus ignitabulum, ac refertam aquâ urnam gestans, ac dicens ea se deferre ad incendendum Paradisum, ac flammas infernales extinguendas, id est, etsi merendus non foret Paradisus, nec evitandus Infernus, nõ tamẽ adamare Deum vera cessaret charitas.

VII. Non quod prohibitum, ob bona temporalia accepta, aut recipienda amare Deum; ad id tenemur; verùm non ibi sistendum, non solam hanc consideratione unicum, primum ac principale amoris nostri motivum esse oportet; diffidendum sibi, ac quem in Deum habere arbitramur amorem, verendum, ne naturalis extet amor, impurus, imperfectus. Cùm peteret à S. Petro Jesus: *Simon Joannis diligis me plus his*: respondere non fuit ausus: *Etiam Domine, tu scis, quia diligo te*: sed *quia amo te*; bina inter hæc verba differentia est, ut notavit S. Augustinus; Crebrò in parte inferiori animæ resi-

residet amor, quandoque non nisi naturæ ac sympathiæ inclinatio est, passio ac teneritudinis affectio, in oblectamento nostro aut utilitate, quam recipimus, fundata: amor electionis est dilectio; *Diligere quasi deligere*: Judicii atque æstimationis amor est, benevolentiæ ac bonæ in aliquem voluntatis est affectio, in notitiâ, quam suis de meritis quis obtinet, fundata. Quandoque Deo benè dicere possumus, *Amo te*, cùm teneritudinem quandam ac sensibilem ad eum habemus affectum; ast difficulter noscitur, an cum veritate dicamus, *Diligo te*; ipsum amore benevolentiæ ac charitatis supernaturalis diligentes; Eapropter crebro cum humilitate, fervore, importunitate expetere illũ oportet, ac sæpius obtestari, ut amoris sui nobis elargiatur puritatem, cor ab omni prætensionis interesse expurgatum, spiritum rectum directè, sine reflexione ad nos, in ipsum tendentem, sæpiùs hasce ejaculando sagittas: *Diligam te, Domine: Cor mundum crea in me, Deus: Spiritum rectum innova.*

Atque ut amor noster purificetur, quod charitas perfecta servilem expellit timorem, ad supererogationis opera affici oportet, opera, quæ ordinariè amoris motivo plus quàm timoris in praxin rediguntur, cum Deo ceu mancipia agimus. Cùm quid à nobis expetit, ni virgam in manibus semper gestet, ac minitetur infernum, haud quicquam agere curamus: Dominicâ luce non nisi uni sacro, ac quoad possibile brevissimo interesse lubet, & si dimidio horæ quadrante audiendum est, jam ne Ecclesia in caput tuum corruat, vereris adeò ibi commorari pertimescis. Salutare equidem vis inimicum; Confessarius namque tuus ad id te obligat; ast non benefacere, Turcæ libentiùs id obsequii præstares. Nulli desiderio aut cogitationi carnali consentire equidem vis, quod hac itur in Infernum: at aliis in similia consentientibus, etiam sciente te ac vidente, id minùs te concernit. Ah! testari hoc est, quod Deum taliter qualiter ames, non tamen ames. Ut monstres te filiali ac benevolentiæ eum amore complecti, plura quæ ei placitura nôsti agenda sunt; licet ad hæc sub pœnâ te non constringat; boni infantis instar, cui haud sufficit exequi, quæ pater sibi præcepit; mancipii hoc opus est; ast cuncta peragit, quæ in commodum aut patris honorem vergere posse opinatur.

PUNCTUM SECUNDUM.

D*Ebemus proximo affectum & servitium maternum. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus, quartò Exemplis, quintò Instructionibus.*

VIII. Si pietas nos obligat, ad exhibendum Deo amorem ac servitium, ceu bonus filius patri, commendat nobis charitas, ut proximis obsequia præstemus, ceu filiis mater. Cùm alteri, à quo recompensam diffidis, obsequium ut exhibeas, te exorant, inquis: Ad hoc minus obstringor, ejus non ago servum. Deciperis, falleris; maximas Christianismi ignoras; Religio Christiana te proximorum omnium esse servum obligat. Omninò tu Consiliarie, Prænobilis, Comes, Marchio, Christiana te obligat Religio, ut Artificis hujus, ruricolæ, Orphani servum te paratum exhibeas: *Non servili conditione, sed Christi redemptione: non necessitate, sed charitate*, inquit Sanctus Augustinus. An non Evangelium atque Apostolorum recipis Epistolas? Si minùs; Christianus non es,

nil mihi tecum negotii intercedit: si acceptas, ne prorumpe: En Prædicatorem difficilia exigentem; Ast dicito: Dei Filius atque Apostoli magnam à nobis perfectionem requirunt: en eorum præceptum: Loquens Ecclesiæ Salvator, in qua Principes ac Reges futuros noscebat, in
Matth.20.25 mortis suæ vigilia dicebat: *Reges gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministra-*
Luc.22.25. *tor*, Non, inquit, *sicut minister*, sed *sicut ministrator*, non qualitatem solùm ac conditionem ministri, verùm functiones habeat atque exercitia ministratoris; effectivè & actualiter serviat. Et sanctus Petrus fidelibus inquit: *Subditi estote pro amore Dei omni humanæ creaturæ.* Et sanctus Paulus ad Galathas: *Per charitatem*
Gal.5.13. *spiritus servite invicem.* Et ad Ephes. cùm præcepisset servis, obedire Dominis; sicut Jesu Christo, cum sinceritate ac simplicitate cordis, adjungit: *Et vos Domini eadem facite illis.* Quod ansam dedit sancto Augustino dicendi: In domo justi ex fide viventis, etiam qui imperant, serviunt iis, quibus imperare videntur; nec enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi misericordia. 19. *de civit. cap.* 14. atque in domo Dei, quæ est Ecclesia, hanc praxin cernimus; Summus enim Pontifex, qui est Paterfam. in Bullis se vocat servum servorum Dei.

IX. Ratio à sancto Paulo allegata, ut servos ad obediendum Dominis induceret, dominos omnesque alios, ut proximo cum charitate serviant, obligat, *sicut Christo, sicut servi Christi.* Ecclesia Jesu Christi est sponsa, atque in hac qualitate est Regina; & hoc est, quod inquit David. *Astitit Regina à dextris tuis.* Et Isaias Psal 44.
ei dicit: *Reges ministrabunt tibi.* Isa.68.10.

Ecclesia est mysticum JESU corpus, quam plus corpore suo naturali dilexit; non enim de tortoribus Cruci se affigentibus est conquestus, sed de Saule tantùm Ecclesiam persequente; Christiani omnes hujus corporis membra sunt, quodve ipsis fit, sibi factum æstimat. Non benè dixisset Magdalena, servitium exhibebo Jesu, corpus ejus deificatum venerabor; non ita ejus pedes, manus, brachia, aliaque in particulari membra; thymiamate coràm Pharisæis unxit pedes Jesu, tanta devotione, ut totum in sepulchro corpus ungere voluerit.

X. Si Ecclesiæ honorem, respectum affectionem debes atque obsequium, cuncta hæc officia fidelibus ceu corporis hujus membris, ac toti hujus partibus debes; non es nobilior atque excellentior Apostolis, Angelis, Angelorum Rege atque Apostolorum; & admodum se dimisêre, ut obsequia fidelibus præstarent. Sanctus Paulus ad Corinthios ait: *Prædicamus Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.* Eadem Prædicatio, fides eadem, idem Evangelium annuncians Jesum esse Dominum nostrum, Prædicatio eadem, eadem fides, Evangelium idem sanctum Paulum ministratorem nostrum esse declarat. Et ad Hebr. ait, quòd cœlestes Spiritus Angeli. *Omnes sunt administratorii* Hebr.1.14.
Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et ad Philippenses mandat, ut proximos nostros omnes ceu superiores agnoscamus, Jesu Christi proponens exemplum, qui cum in forma Dei esset,

exina-

exinanivit semetipsum formam servi accipiens: forma, non vult dicere solam apparentiam ac figuram exteriorem, sed veritatem, essentiam, conditionem, ac servi officium: ut, cùm dicit: *Cùm in forma Dei esset*, id est, realitate, essentia, & qualitate. Et in effectu, velut in S. Matthæo refertur, Ecclesiæ servivit, eam expurgavit, sordes ejus in se suscipiens, vitam dans pro fidelibus. Exiguum proximo exhibere servitium recusas, libellum ejus supplicem signare, judicatum exequi, ejus agere causam renuis; Ampliùs pro eo fecit Jesus, impendit non laborem modò, servitia, sudores, sed & propriam vitam profudit.

XI. Sanctus Paulus pronuntiavit, proximo serviendum esse non ex ignavia aut animi abjectione, ast ex charitate atque amore Dei. Charitas benè ordinata, cuncta quæ peragit, benè ordinat, non ut servi tui sis famulus te obligat, sed ut proximis servias, ac secundùm posse tuum, quantùm conditio tua ac qualitas permittit, assistas, idque affectuosè ac cordialiter, velut filiis serviens atque assistens non desinit esse mater ac filiis superior, cuncta eorum infortunia persentiscit, de eorum prosperitate bonaque
Rom. 12. 15. fortuna extremè læta, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum invicem sentientes*, defectus atque imperfectiones eorum cooperit, si contegere nequit, excusat, ac quantùm potest diminuit, non vitiosis illorum inclinationibus morigeratur ac condescendit, desudat ac pro ipsis colligit divitias. Sancti Apostoli nos edocent ita in proximos esse dispositos, de eorum prosperitate lætari, tristari ob infortunia, sensui eorum se accommodare, culpas, quas committunt, occultare; *Charitas operit multitudinem peccatorum*, humoribus eorum non inordinatis morem gerere, ferre imperfectiones, pietatis ac misericordiæ viscera in eos deferre; *Unusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem; etenim Christus non sibi placuit. Dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum patientia, supportantes invicem in charitate. Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, hospitales invicem, sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores.* 1. Petr. 4. 8. Ephes. 4. 1. Col. 3. 13. 1. Petr. 4. 9.

PUNCTUM TERTIUM.

DEbemus nobis severitatem judicis. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus quartò Exemplis, quintò Instructionibus.

XII. Verùm in nos sacrum quendam rigorem judicis ac severitatem exercere oportet; hoc est, quod à nobis exigit Deus, ut peccata dimittat, atque in gratiam recipiat; tam sæpè per Prophetas inquit: Facite justitiam & judicium. Et David cum humilitate demonstrat ita se egisse, ut ab injustis inimicorum persecutionibus mereretur esse liber, *Feci judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me.*

S. Job, aliique Prophetæ innocentissimi licet, justissimi ac sanctissimi, justitiæ divinæ severitatem cognoscentes dicebant: Mi Deus, non intres in judicium cum servo tuo. Verùm S. Bernardus salutare nobis consilium suggerit, quod & ipsus usurpabat: An secretum quoddam nosse vis, ne in mortis horâ judiceris?

Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit & abscondit; volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus, *serm.* 55. *in Cant.* Propheta ejus nos edocet, quod non consurget duplex tribulatio: *Alia versio habet: Non judicat Deus bis in idipsum*: Et Apostolus ejus inquit: *Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur.* Verbum hoc: *Spiritualis homo*, notare me facit, in quolibet nostrûm duos esse homines: Sensualem unum, spiritualem alterum, vetus homo ac novus, exterior homo atque interior, homo peccator & homo Christianus; Primus est corpus nostrum facultatibus & passionibus animalibus informatum; Alter, spiritus noster motibus ac gratiæ luminibus gubernatum. De primo loquitur David, dum suis in precibus toties ait: *Ab homine iniquo & doloso erue me. Eripe me, Domine, ab homine malo.* Injustus est ac malignus; ad se etenim cuncta refert, non nisi propriam quærit satisfactionem, omnis nequitiæ fermentum in se continet, inclinatus est, atque ad omnis generis vitia dispositus, ad hæc, quantum ei possibile, nos sollicitat, *Caro concupiscit adversus spiritum. Abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*; versipelle est & aptum, ad recipiendas inventiones mille, ut injustitias palliet, ac necessitatis, conservandæ sanitatis, ac suiipsius homicidii prætextu sensualitates occultet; continuò spiritui ac virtuti bellum infert: Nî spiritualis homo bono judicio magnâque justitiâ polleat, nisi illuminatus à Deo sit, ut artificia callidi hujus detegat, animumque suum ostendat ac severè illum reprimat, vitiorum

Nahum 1. 9.
1. Cor. 11.
Psal. 41.
Psal. 139. 2.
Gal. 3. 17.
1. Petr. 2. 11.

suorum nos efficit complices, læsæ Majestatis divinæ reos, mortis æternæ sontes. Ac supposito tandem, salutem nostram minùs periclitari, an non sufficit hominem hunc sensualem Dei hostem esse capitalem, in ipsum continuò insurgentem? Inclinationes ejus omnes semina esse rebellionis? Indè est, quòd Deum amantes, ejusque gloriæ zelosi, sacro quodam desiderio animentur, quò in semetipsis perduellis hujus ausus ac machinamenta vindicent.

XIII. Et per experientiam conspicimus, innocentiores pœnitentias agere majores, quemadmodum egêre Vir sanctus Job, Jeremias Propheta, S. Joannes Baptista, Apostolus S. Paulus, S. Jacobus minor, ac primitivæ Ecclesiæ Christiani, sacrarumque Communitatum Religiosi penè omnes.

Id nos edocet, quod veluti Judex, criminis reos mandat in carcerem, eorum bona publicat, & ad mortis pœnas damnat; pariter ut de salute nostra simus securi, nec ob carnis rebelliones propriumque amorem in perditionis discrimine versemur, solitariè, in spiritu paupertatis, ac mortificationis vivendum; id est, evitandæ societates mundanæ, visitationes supervacaneæ, juvenum ac filiarum conventus, tripudia, saltationes, comediæ; domi se continere, ac secundùm conditionem labore spiritus aut corporis occupari, luxus ac superfluitas vestium, comitatus, ædium, mobilium, eduliorum, ut in frugalitate ac humilitate Christiana vivamus, rescindendus; deliciæ ac recreationes, non nisi ad satisfactionem nostram, non ad sanitatis in Dei servitio necessariæ conservationem ten-

den-

dentes, amovendæ. Evangelium sacrum hæc nobis commendat. Sanctus Paulus
Col. 3. 3. ad Colossenses: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*
Luc. 6. Salvator in S. Luca: *Væ vobis divitibus, qui habetis hîc consolationem vestram.* Et
Gal. 5. rursum ejus Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis &*
2. Cor. 4. 10. *concupiscentiis. Semper mortificationem Jesu circumferentes.* Si tibi in hoc nimiùm exigi videtur, sacra hæc Divi Francisci verba sæpè ab illo prolata, non Religiosis solùm, sed & omnibus ad Cœlum anhelantibus inculcata consideres velim ac rumines.

Conclusio per paraphrasin verborum S. Francisci.

M*Agna promisimus, majora promissa sunt nobis; illa servemus, ad ista curramus: voluptas brevis, æterna supplicia: labor modicus, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio: omnium justa retributio.* Quot verba, tot instructiones.

Magna promisimus. In Baptismo secundùm Evangelii maximas vivere promisimus; declarat id Spiritus sanctus, non ambigendum est. Baptizati non solùm tenentur ad legem divinam, sed Evangelicam, *Trid. sess. 7. can. de Bapt.* En primum Evangelii præceptum, omnium maximum, sæpè à Christianismi fundatore publicatum: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis:* Estne ex toto corde amare Deum, ut tibi benefaciat? Non ei servire, nisi te prosperitatibus cumulet? ad minimum tibi obveniens infortunium ab ejus recedere servitio? tanto pro mundi hujus divitiis flagrare desiderio, nec minimo pro Dei obsequio ardore tangi?

Estnè Deum ex toto corde amare, ex potentiis tuis omnibus, atque internis facultatibus, tantâ in eos, qui te offenderunt, irâ ferri, nec zelo in eos duci, qui Deum ad iracundiam commovent? Si filius tuus læditur, si canis, sufferre nequis, si Deus, ejusque servi, non moveris? An ex totâ mente Deum amare est, manè ac vesperi nonnihil ejus recordari, atque id ob persolutionem? An ex viribus tuis omnibus eum diligere est, totâ die ejus oblivisci? Non alium habere cogitationum, desideriorum, actionum, ac decretorum finem præfixum, quàm propriam satisfactionem? fortunarum stabilitionem? filiorum locupletationem? ingeniosum esse atque in domus negotiis industrium, ad Dei obsequium, ejusque gloriam promovendam insensibilem?

En sæpè à novæ legis fundatore reiteratum Evangelii præceptum: *Mandatum novum do vobis, ut quemadmodum ego dilexi vos, ita & vos invicem diligatis.* Fide bonâ refer, huicne præcepto pares? Dei Filius cùm esset dives, amore nostri pauper effectus est, nec pauper solùm, sed & *Egenus*; nôsti tot famelicos extare pauperes, frigore semienectos, scabie arrosos, qui de superfluitatibus tuis abundanter refici possent; tu verò in luxu vivis & deliciis; lusu, tripudiis, comœdiis, mobilibus bonis

minùs necessariis bona consumis? Triginta trium annorum decursu desudavit Jesus, cunctas pro nobis diffudit venas, nec quinque aut senis passibus ad visitandum infirmum progredi, nec viduæ huic pauperi atque orphano ferre opem dignaris?

En crebro à Dei Filio prolatum ac repetitum Evangelii præceptum: *Qui vult venire post me, renunciet omnibus, quæ possidet, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, aliàs non poterit meus esse discipulus. Estne ex cordis affectu renunciare omnibus, quæ possides, obstinatè litigare? proximum quatuor aut quinque annis, ut obcursitet, tantillam ob rem, efficere? Estne abnegare semetipsum, indies sufferre Crucem, ut appetitui satisfacias, non permittere ut voluntati tuæ tantillùm quis resistat, quicquid corpus affligit, aut spiritui molestiam creat, ceu mortem effugere? Ecce quàm procul distes, ut cor filii habeas erga Deum, matris erga proximum, judicis erga teipsum? ac nihilominus in Baptismo promisisti: *Magna promisimus.*

Matt 16 24. Luc. 9. 23. Luc. 14. 27. & 33.

Majora promissa sunt nobis. Si filiali in Deum amore duceris, hæredem te suum constituet, bona tibi promittit, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit; mundi amplitudinem suspicis, terræ miraris divitias, festivas ædium structuras, officia, beneficia, munia, dignitates; videri queunt: Alexandri extollis victorias, Cæsaris gloriam, Crœsi thesauros, Heliogabali delicias, dum recensentur percipiunt aures; Plura à Deo tibi promissa, quicquid lubet expota, honores, possessiones, voluptates honestas imaginabiles, majores tibi parat Deus; invisibilia namque bona, imperceptibilia, ac quæ exoptare possis, promisit, si filii erga eum corde duceris.

Si erga proximum pectus habueris maternum, addixit, quod veluti pia mater ob filiorum prosperitatem æquè ac de sua lætatur, sic & te quoque per amoris reflexionem ob gloriam ac Sanctorum omnium beatitudinem ac de propria tua gavisurum.

Si judicis in te cor gestaveris, temetipsum judicando ac castigando, promittit te non judicandum, *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* In illo die formidando, in quo Cœli columnæ trepidabunt, Imperatores ac terræ Monarchæ metu concutientur cum tremore damnationis fulmen præstolantes, tu absque timore futurus es, solidè securus, à judice non nisi approbationes, encomia ac benedictiones auditurus, *Venite benedicti. Magna promisimus: majora promissa sunt nobis.*

1 Cor. 11.

Illa servemus, ad ista curramus. Nostra servemus promissa, infallibiliter sua observabit Deus, *Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se.* Sacer eum textus ob firmitatem deprædicat ac fidelitatem, teque ob perfidiam arguit, *Generatio perversa est, & infideles filii.* En, ut de iis, qui suis vel semel tantum non stant promissis, conquereris; tuis in afflictionibus, confessionibus ac communionibus toties Deo addixisti seriam vitæ emendationem, nec servas? perpende, quî in Cœlo vitupereris, perfidus habearis ac falsarius, quomodo corripiendus ac post hanc vitam sis castigandus.

Deut. 7. 9. Deut. 32. 20.

Voluptas brevis, æterna supplicia. Labor modicus, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio. Plures ad vitam hanc

æter-

æternam, Catholicam fidem, perfectionē Christianā sunt vocati, pauci huic parent vocationi, pauci conformes vocationi degunt, pauci in debita ei fide adusque perseverant. Beati millies, ac millies felices, qui paucis hisce annumerabuntur; reddet enim Deus unicuique secundùm opera sua, *omnium justa retributio.* Qui obligationi suæ, quoad Deum, proximum ac seipsum defuerit, arguetur, confundetur, reprobabitur ac horrendè punietur: Qui extiterit fidelis, referet encomia, divitias, incomprehensibiles delicias, æternas atque infinitas. *Amen.*

SERMO SEPTVAGESIMVS QUARTUS.

Pro Festo Nativitatis Deiparæ,

DE PERFECTIONE

Christiani in suis actionibus.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Prov. 8.

GEnesis 27. legimus, quomodo illi gemini fratres Jacob & Esau certarint pro benedictione parentis brevi morituri. Esau abiit in sylvam ferinam allaturus patri, isto matris consilio festinavit afferre arietem è grege optimum & à matre coctum, sicut noverat ipsum libenter vesci, obtulit parenti, atque ita benedictionem obtinuit. Nos omnes desideramus benedictionem habere Dei, utpote nobiliorem & efficaciorem; sed quomodo illam consequemur: Si audiamus & evigilemus ad fores Deiparæ quotidie, inspiciamus ejus vitam, actiones, quid ipsa Deo obtulerit, & qualiter ipsa juxta sanctos Patres perfectissima modo fecit cum omnibus circumstantiis, requisitis, in quantitate necessaria, ita ut nunquam à bonis operibus cessarit, sed vigilans, dormiens opera meritoria elicuerit. Tu itaque si benedictionem Dei obtinere velis, consilio ejus tua opera perfectissimo modo fac, sic enim benedictionem Dei obtinebis. Hoc ostendere intendo hac concione.

Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Matth. 5.

I. Hesternâ luce Christiani quoad seipsum perfectionem consideravimus, quodve in hoc consistat, ut filii corde erga Deum, matris erga proximum, judicis in semetipsum præditus extet: Hodiè actionum ejus perfectio consideranda, ac quòd in hoc primùm sita, ut dispositiones habeat internas, sanctas ac perfectas; deindè cum exterioribus circumstantiis convenientibus. Denique in quantitate requisita ac necessaria, dicente Filio Dei: *Omnis arbor bona, bonos fructus facit.* Matth. 7. 17. Si vera hæc maxima, ut est verissima, omnium optima, quæ fuêre unquam, arbor es, ô Sacratissima Virga, quia

quia optimum, pretiosissimum, atque excellentissimum, qui unquam fuit, aut esse possit, protulisti fructum; fructum sublimem, ut eum Propheta Isaias appellat, fœcunditatis divinæ fructum, æterni Patris Filium, benedictum ventris tui fructum, quem adoramus te salutando, *Ave Maria*.

IDEA SERMONIS.

PUNCTUM PRIMUM.

ACtiones nostra debent fieri cum dispositionibus interioribus, perfectis. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Ratione, quartò Comparatione, quintò Exemplis, sextò Instructionibus.

II. Cum Deus sit Spiritus, cui exhibenda servitia, ac præsertim in spiritu honorandus, ut ab ajus Filio Samaritanæ dicebatur; Anima solidas acquirere volens virtutes, ac magnum in perfectionis semitâ facere progressum, singulariter curare debet, ut suis in actionibus sanctas pro possibili ac perfectas interiores habeat dispositiones. Evidenter id cernere licet in eo, quod dum Scriptura virtutum mentionem facit, cor ac spiritum semper expetit: De humilitate ait David:
Psal. 37. *Humiles spiritu salvabit*. De Pænitentia,
Psal. 146. *Sanat contritos corde*. De paupertate: *Beati pauperes spiritu*; & ut inquit S. Bernardus, *Pauperes non necessitate miserabiles, sed laudabili voluntate*. Ac generaliter loquens Spiritus sanctus de virtutis actibus sub metaphora victimarum, vult, ut sacrificia Deo voluntaria, holocausta medullata offeramus, hostias viventes, *Voluntariè sacrificabo tibi, Holocasta medullata offeram tibi. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem*. *Absque eo, quod intrinsecus latet*, Psal. 51. 8. Psal. 63. 15. Rom. 12. 1. *Cant*. 4. 1. & 3. Deus pensat corda, non opera: affectum ponderat, non censum: non respicit quantum, sed ex quanto.

III. Inde est, quòd Sanctus Gregorius, aliique Patres tam crebrò repetant, Deum pensare corda, non opera, magis sibi bonam placere voluntatem, quam effectum. Et S. Paulus cùm dixisset, Unusqnisque secundùm proprium laborem mercedem accipiet, Doctor Angelicus *Lect. 2. in cap. 3. primæ ad Corinth*. nos commonefacit, actionem virtuosam gloriæ essentialis, accidentalis ac diminutionis pœnæ meritoriam esse posse; quo laboriosior est, & magis affligens, pænas in Purgatorio pro delictis perferendas ampliùs diminuit; quo proximum meliùs ædificat, aut Deo animas lucratur, gaudii ac gloriæ accidentalis plus meritoria est, non ita remunerationis essentialis sc gloriæ, nisi per Dei amorem, quo cum facta est. Actio humilis magno cum Dei amore exercita corã Deo prætiosior est actione præcellenti exigua cũ dispositione peractâ; charitas namq; virtutum anima est ac forma; Et quemadmodum pluris æstimatur homuncio sapientiâ præditus, ac magnæ molis colossus, hebes ac stupidus: veluti Nanus quispiam Elephante nobilior est, hic corporis mole, ille animâ præstantior; sic virtus ac perexigua actio majore cum fervore atque interiori spiritu practicata, extraordinariâ atque eminenti actione minori cum amore in

pra-

praxin redactâ, multò ampliùs est meritoria.

IV. Sic amorem Dei architecturæ cuidam machinæ Tympanum dictæ, possumus comparare: cùm prægrandis tibi monstratur campana in altum tollenda, vix quinquaginta illam viros in editam turrim levare posse diceres; ac nihilominùs commoda adeò hæc machina est atque ingeniosè fabricata, ut de terra pondus illud, ac facili quidem negotio elevet.

Plures Sanctos, conditionis vilis ac demissæ, communes atque ordinarias egisse operationes conspeximus, cum dispositionibus tamen internis ferventibus ac virtuosis, & perfectissimos ac Sanctos evasisse, ut SS. Isidorus, ac Leobonus, Agricolæ; S. Deodatus veteramentarius; S. Servulus, pauper Romæ mendicus; S. Maxima in Africa mancipium: S. Blandina Lugdunensis famula.

Hoc nos edocere debet primùm, ne inflemur, ne nos ipsos æstimemus, ne ob bona opera quæ egimus, magna quantumvis, heroica ac numero plurima, aliis nos præferamus. Qui noscitur, forsan materiale multùm, formale parumper habent; externæ multùm internæ dispositionis parum; multùm apparentiæ, parùm soliditatis; coram mundo splendoris multùm, parum meriti coram Deo.

Deindè, ne proximum spernamus, ne temerè illum judicemus, ne damnemus, atque in corde eum dedignemur, etsi non tot opera bona peragat; forsan unum quoddam è suis, ob magnas dispositiones multò pretiosiosiùs est, quàm quæ laxè atque imperfectè à nobis commissa sunt. Leæna cæteris animantibus sibi exprobrantibus, quòd non nisi unum pullum eniteretur, respondit: Verum id quidem, ast produco Leonem. Solus humilitatis actus à Publicano in Templo elicitus in Dei conspectu ac judicii divini trutina plus valuit, ac Pharisæi jejunia, aliaque ejus opera valuêre.

Alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus ait S. Augustinus, alter inferioribus, sed pluribus, & quemadmodum ista vel coæquentur, vel distinguantur inter se, in accipiendis honoribus æternis, quis hominum audeat judicare? *Lib. de virginit. cap.* 44.

Hæc S. Augustini verba ad actiones magis sanctas ac perfectas quoad possibile, movere nos debent, atque operibus nostris animam, spiritum ac virtutis, quam exercemus, formam conferre; Sicut in corpore humano quælibet pars duas habet formas, partialem unam, quæ membro cuivis propria ac particularis est, ut forma manus, oculi, cordis, hepatis; generalem alteram & universalem, animam nempè, quæ informat, animat, membraque omnia vivificat; sic in virtutum compage vitaque Christiana virtus quælibet spiritum suum ac perfectionem habet particularem: charitas informat omnes, & ad finem ultimum Dei sc. gloriam dirigit. Ac per consequens ut excellenter opera nostra fiant ac cum omni perfectione quam Christiana moralis charitas à nobis requirit, præter amoris Dei motum, qui nos illuc applicare debet, actionū cuivis spiritus ac dispositio particularis virtutis, quam practicamus, adhibendus est. exemp. grat. preces peragendæ magna cum attentione, applicatione spiritus, cum respectu atque apprehensione amplitudinis & excellentiæ infinitæ illius, cui loquimur:

Missæ assistendum non corpore solùm, sed in meditatione passionis Filii Dei, faciendo actus adorationis, compassionis erga Salvatorem, gratiarum actionis pro beneficiis, oblationis sui ceu veræ justitiæ victimæ, aliæque similes devotiones obeundæ.

Erga proximum, cum respectu atque amore filiali Superioribus, velut Salvatori Jesu Christo, obediendum, ut nobis commendat S. Paulus; pauperi eleemosynam elargiri, non ex compassione naturali, non quia compatriota noster, aut ejusdem nobiscum professionis, sed quod Filii Dei est membrum: amplectendæ sunt pœnitentiæ atque austeritates cum spiritus compunctione, zelo justitiæ Dei, odio peccati ac carnis: atque in cunctis actionibus nostris desiderio teneri millies plus agendi quàm præstamus: Adorando Deum, vellem in nihili mei centrum me dejicere; faciendo eleemosynam, vellem, ut hoc in jusculo aurum foret potabile, ac margaritæ, cùm dilecto meo offeratur: pœnitentiam agendo, pro peccatorum expiatione ad ultimam usque guttam sanguinem profundero paratus forem.

PUNCTUM SECUNDUM.

Actiones nostræ debent fieri cum circumstantiis exterioribus requisitis, quod probatur rationibus. Primò ex parte Dei, secundò proximi, tertiò nostri, quartò circumstantiarum, quis, quid, ubi, &c. quæ addunt bonitatem operi, quod ostenditur exemplis Scripturæ.

V. Attamen in errorem illorum incidere non oportet, qui sub prætextu, quòd internum essentia sit ac virtutis forma, exteriores observantias, ut nullius valoris ac parvi momenti contemnunt; Orare Deum mentaliter volo, inquiunt, in conclavi orationes fundere, perfectionum suarum magnam concipere ideam atque æstimationem, internè me recommendare Deo, ac separatim instituere examen: Quid opus Rosarium recitare, vesperis ac summo Sacro assistere, ad orandum vesperi unà cum meis Deum ipsos convocare, infirmos ac captivos visitare, alia devotionis aut charitatis externæ opera præstare, *multum per omnem modum?*

Ex corpore atque anima compositus es, utrumque à Deo recepisti, ad ejus obsequium & hommagium impendenda sunt; si fervore magno ac dispositione interiori benè perfecta careas, excusationis ibi nonnihil esse potest, potenti gratiâ opus, magnâ spiritus contentione, circumspectione multâ ac vigilantiâ; si quis illic officio desit, veniâ mage dignus videtur defectus; verùm plùs reprehensibilis es, ac grandem testaris negligentiam, si Deo actionibus externis, quæ sunt faciliores, satisfacere recusas, ac defectus magis est damnosus, proximo ac Communitati perniciosus.

Cùm virtutem exteriùs absque virtutis spiritu practicas, non nisi tibi injuriam infers, proximo ad minus dato virtutis exemplo prodes, si nullum ob pietatem aliamque virtutem interiorem tibi deficientem præmium refers, propter charitatem bonamque ædificationem præbitam relaturus es; quod si nec hoc nec illud præstas, bis culpabilem te reddis.

Observantiæ exteriores istæ non aliis modò, sed & nobismet prosunt; serviunt ut interna ceu arborem cortex, con-

ser-

servant. Si practicæ virtutum exteriori assuevimus, si casu in peccatum labamur, ac bonorum internorum naufragi evadamus, erubescimus externa omittendo exercitia, atque illa continuantes, devotio resuscitatur, atque à peccato, ne merita ac bonarum actionum fructus deperdantur, relevamur.

VI. Ac postmodũ licet exteriùs nõ nisi virtutis sit accessoriũ, nihilominùs multum ad pretii incrementum ac boni operis meritum valet: Si cum reflexione sacram perlegis scripturam, ordinariè eam exteriores actionis virtuosæ circumstantias exaggerare perspicies; quia notabiliter valorem gloriamque operis augent.

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?

Quis. Circumstantia est personæ agentis. Centurio cum Dei Filio dixisset: *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus:* Respondit Salvator: Tantam fidem se non invenisse in Israël; & nihilominùs videtur leprosus, quem paulò antè, ut in eodem capitulo habetur, sanaverat, majori fide præditus fuisse, credens, non verbo ejus solùm sed voluntate sanari se ab eo posse, *Si vis, potes me mundare.* Exaggerat Dei Filius Centurionis fidem; quia Eques erat ac Nobilis; velut & post S. Martini charitatem, *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Nobilis, generosus es, ac perillustris, pauperes visitas & captivos, Sanctissimum comitaris Sacramentum, vesperi unà cum domesticis Deum precaris, eminens Qualitas tua valorem virtutisque tuæ pretium non parùm adauget. S. Bernardus *Epist* 1.13. *ad Sophiam scribens* ait: Non est quidem personarum acceptio apud Deum: nescio tamen quo pacto virtus in nobilili plus placet, fortè quia plus claret:

Aut si persona non adeò sublimis est conditionis, facti circumstantia meritum ejus extollere potest. Sic vidua illa pauper in Templum non nisi binos projiciens obulos, magis ac divites pecuniæ plurimùm injicientes, fuit æstimata; etenim se privavit, quo egebat, & illi, quod superfluum erat, offerebant. In Religionem Deo Optimo filium offers deformem; ad statum Ecclesiasticum filium ingenii tardioris, incultum moribus destinas; En sanè præclarum munus! ast filium formâ decorum, boni ingenii ac judicii, & eruditione clarum; & filiam habens formosam, aptam, gratiosam; dicendum tibi foret, en hi Deo apti sunt, pulchriùs illi semper, meliùs atque excellentiùs offerendum. Cùm pauperi nonnullam jusculi aut carnis partem resi luam porrigis, aliquid præstas; verùm si de primo ac meliori, ut meretur, tradas, majus referes meritum. In prænobili quadam domo, à Deo benedicta praxin hanc conspeximus: dum mensæ accumbebant, ex omnibus ferculis delicatissimum Domina seligebat, atque in orbe nitido dabat pedisequæ dicens: Defer hoc nostro infirmo. Æger hic Dei filius erat in persona pauperis.

Idem faciebat S. Job, *si comedi bucellam meam solus, & non comedit ex ea pupillus*, notatque textus sacer, quod cùm inter infideles virtuosus existeret, *Vir erat in terra Hus*, ejus sanctitas magis enituerit; Sicut enim gravioris est culpæ, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse, *Greg. lib. 2. moral. c. 1.* Religiosus esse nequis, atque in ædibus commorari debes, Iob. 31. 17. Iob. 1.

debes, ubi personæ complures ad iram, violentiam, impudentiam sunt pronæ, & tu castus es, patiens, bonus; vitia eorum virtuti tuæ splendorem afferunt.

Fortis Judith ab alia circumstantia ob robur suum, quòd absque ullo alio auxilio præterquam Dei gratiâ confirmata Holofernem prostrârit; non consiliarios habuit Sacerdotes, non â Capitaneis excitata, nec stipata militibus; major autem Dei resultavit gloria. Si dæmonis Imperium evertis, peccati regnum, si devotus es ac virtuosus, nec semper ceu sodales tui, absque tanta instructione, methodis, directionibus Confessarii cingulo adhæres, opera tua bona non nisi gratiæ Dei ac tuæ cooperationi attribuentur.

Finis quoque ac scopus, undè actionis meritis multùm accrescit, est, cum non nisi sola Dei gloria præfigitur, ac prætenditur. Gentes illæ in Evangelio in Bethaniam venientes, ut viderent Salvatorem, non adeò laude erant dignæ, quia & ex curiositate resuscitatum videndi Lazarum venerunt, *Venerunt non propter Jesum tantùm, sed ut Lazarum viderent, quem suscitaverat à mortuis.* Accedens in Ecclesiam, ad orandum ibi Dei Filium, perfectior est devotio tua, quàm si illuc quoque properes, ut Confessarium conspicias, aut ut ab eo videaris ac lauderis. *Ioan. 12.*

Solebat dicere Henricus Magnus, Regibus tres extare servorum ordines: aliquos propriis fungi negotiis, nec illa Domini peragere: Nonnullos Domini officia, sua autem simul exequi; bonos verò servos illa tantùm Domini, ac ceu propria persolvere; sic & Christianos inter, qui Dei deberent esse servi, quidam se tantùm propriumque commodum respiciunt, in hoc solùm, ut fortunam suam adipiscantur, domosque amplificent, intendunt; si Deo inserviunt, fit per parenthesin, ac defunctoriè, ne impii æstimentur, sive ut Deus ipsis benedicat, & temporalibus bonis cumulet. Alii in veritate Deum honorant, atque ob ejus amorem ipsi obsequia impendunt; verùm una cum hoc promoveri amant, locupletari, atque efferri; Perfecti Christiani nihil in hoc mundo prætendunt, quàm gloriam atq; obsequium Dei, non nisi ejus negotia peragentes; & si aliis insistere videntur, propter Deum efficiunt; vel pedem ad officium aut beneficium quoddam obtinendum, nisi in illo diligenter inservire Deo queant, promovere nollent. Atque ut majus Deo obsequium præstent, Communitati bono prælucere exemplo satagunt, estque sexta isthæc circumstantia Coronam nostram adaugens, bonis illorum operibus, quos ad Salvatoris cognitionem atque amorem attrahimus: velut in Evangelio Regulus, de quo dicitur: *Credidit ipse, & domus ejus tota.* Ac Centurio, qui erat *Vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua.* Cùm bonam servis aut subditis ædificationem præbes, vesperi ac manè una cum ipsis Deum orans, sermoni divinoque officio assistens, Parocho in eorum præsentia honorem ac respectum deferens, particeps es meriti actionum virtuosarum, quas ad tui exemplum in praxin redigent. *Ioan. 4.* *Act. 10. 2.*

Tandem Scriptura sacra temporis expendit circumstantias in sancta ac perfe-

cta venerabilis Tobiæ vita, aitque: *Cùm esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere, in captivitate positus viam veritatis non deseruit; cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Jerusalem ad Templum Domini.* Si Deo non nisi in postrema ætate servis, cùm aliud agere non vales, cùm mundus ac caro te deseruêre, coacta est, aut ad minùs parum liberalis devotio: verùm si in juventutis flore ei obsequium exhibes, cùm mundus ac caro ad alia te alliciunt, cùm spiritus corpusque tuum vividum est ad ei serviendum: Bonæ voluntatis signum est, devotio est ei honorabilis atque amabilis. Si benefacientem tibi, amas, si omnia ex voto concedit, prosperitates accumulat; amor esse potest concupiscentiæ, non charitatis, Dei benedictiones amore prosequeris, non Deum benedictionis; Publicani, Ethnici, canes aliæque bestiæ benefactores diligunt: at si Deum adamas, eique fidelis extas in captivitate, infirmitate, paupertate, in eversione fortunæ, à gratuita benevolentia procedit amor. Si in prima mensis Dominica aut D. Virginis festo horâ matutinâ decimâ ad Ecclesiam properis, non tanti momenti res es, cuncti illuc accedunt: verùm si in Bachanalibus, cùm reliqui omnes ad saltus, tripudia, ad comœdias, *ad vitulos aureos* properant, tu in Ecclesia ante Sacramentum prostratus oras, antè Crucifixum tuis in ædibus preces fundis; magis laudabilis tua est pietas, benedictiones recipis, quas alii suis stultitiis deperdunt.

PUNCTUM TERTIUM.

Actiones bonæ debent fieri in quantitate necessaria. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus; quia in hoc Deus est nobis causa Exemplaris, Meritoria, Finalis.

VII. Quando Dei Filius nobis præcipit, ut perfectiores simus Scribis ac Pharisæis, ne à Cœlorum Regno excludamur; non solùm vult, ut virtutes nostræ sint magis heroicæ, cùm dispositione ac circumstantia perfectiores: sed ut sint abundantiores, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum ac Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* In textu Græco binæ sunt negationes, cum majori certitudine atque infallibilitate affirmantes, οὐ μὴ εἰσέλθητε, *non omninò intrabitis.* Vitam tuam perpende, vide quâ in re tempus consumas? Horâ octavâ surgis aut nonâ, duas aut tres horas vestiendo te perdis, si sacro non Musico intersis, tibi sufficit: Sumpto prandio is spatiatum, alios invisis, aut visitationes admittis; vesperùm futilibus colloquiis aut cartharum lusu transigis. An hæc vita est Christiani? an plura est facere bona opera, quàm Scribæ ac Pharisæi?

VIII. Audi S. Augustinum: Idem Dei Filius, qui in Evangelio dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei;* idem & dixit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum ac Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Cur

Cur illud timendo, multi currunt baptizari, & hoc non timendo, non multi curant justificari? *Aug. lib. 21. de civ. c. 17.* Primitivæ Ecclesiæ Christiani ita ab hac veritate erant convicti, ac solliciti ad hanc Filii Dei admonitionem servandam, ut supponat, quòd id facerent, rogabatque Deum, ut in hoc perseverarent, atque in ipso benè stabiliti ac confirmati, *Confirmet vos Dominus in omni opere bono.* Et ad Coloss. inquit: *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, Coloss. 1. 10. Dignè, Deo.*

2. Thess. 2. Coloss. 1. 10.

IX. En motivum potens, ad hanc praxin vos commovendos, quòd Deus causa exemplaris, meritoria ac finalis esse dignatus sit. Exemplum sanè præbuit, ne ejus in obsequio parci simus atque avari; quicquid pro nobis egit, magna cum perfectione, liberalitate ac magnificentia egit. In ordine naturæ non contentus fuit necessarias ad nostri sustentationem producere creaturas; complures ex blandimento patris erga filios effecit; plures in delicias ac recreationes: *Non necessitatibus tantùm nostris provisum est, usque ad delicias amamur*, dixit Veterum nonnemo. Quot caryophylos, coronarios, rosas, flores, fructus dulces & amaros? pro æstate, pro hyeme? Quot thymiamata, quot avium concentus, quot venaticos canes ad vitæ conservationem non necessarios? In ordine gratiæ, inter infinita media, quæ in omnipotentiæ suæ ac sapientiæ æternæ apotheca, ad nos redimendos, extabant, magis conveniens elegit, caro ei licet constiterit: una sanguinis sufficiebat gutta, sed non amori suo; totum effudit, *Copiosa apud eum redemptio.* In ordine gloriæ, Beatis confert mensuram, bonam, confertam, coagitatã.

X. Dei Filius magni adeò fœcunditatem hanc bonorumque operum abundantiam æstimavit, ut ad promerendam illam pertulerit mortem. *Dedit semetipsum*, ait S. Paulus, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, non taliter qualiter, ast cum zelo & affectione, *sectatorem bonorum operum.* In Græco habetur, *zelatorem*, ζηλωτὴν τῶν ἀγαθῶν ἔργων. Tit. 2.

XI. Atque ut nobis animum adderet, ipsemet vult esse merces, non parva ac mediocris, sed *Ero merces tua magna nimis.* Qui ad illam aspirant, eamque sunt obtenturi, omnia opera bona, quæ ipsis secundùm statum suum ac conditionem sunt possibilia, in praxin redigunt; ecce enim, ut prædestinatum depingat Apostolus. *Erit vas*, dicit, *in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omnia opus bonum paratum.* 2. Tim. 2.

Vas in honorem; Non igitur es prædestinatus, cùm infamiæ ac sordium vas sis? ex vase non effluit, nisi quod continet: neque ex ore tuo prodeunt, nisi verba fœda, infamia, execrabilia; juramenta, blasphemiæ, maledictiones, impuritates: prædestinatus honoris vas est,

Sanctificatum: quicquid in illo est, occupatur, Deique obsequio consecratur, cor, oculi, lingua, manus, anima, corpus.

Utile Domino. En verbum magnificum. Magnus nobis honor posse Deo esse utiles, qui servitium nostrum ad decretorum suorum executionem acceptare dignatur? Vult, ut dicamus nos esse servos inutiles, verùm ipse non dicit, æstimat nos atque utilia instrumenta nominat.

Ad omne opus bonum paratum. Dicit, pa-

paratum; quilibet enim effectivè bona opera cuncta in praxin redigere nequit: Verùm anima prædestinata ad promptè exequendum est disposita, toties, cùm Deus ipsi posse atque occasionem largitur; *Ecce*, quod & nobis S. Paulus commendat: *Hæc loquere, & exhortare, cum omni imperio, admone illos, ad omne opus bonum paratos esse*, illos, nempè senes, anus, juvenes, servos, de quibus immediatè ante, non per modum consilii, ast præcepti, atque obligationis: nî fecerimus, hac parabolâ nobis minatur Salvator.

Tit. 2. & 3.

Conclusio. Paraphrasis illius parabolæ: Homo quidam habebat arborem plantatam in vinea.

XII. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce, anni tres sunt ex eo quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; succide ergò illam, ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dixit illi: Domine dimitte illam, & hoc anno usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum, sin autem; in futurum succides eam.*

Luc. 13.

Tu es illa arbor in Ecclesiæ vinea plantata, Dei manu exculta, gratiis ejus irrigata: Arbor fructifera; Creavit te, ut bonorum operum ferres fructus; Arbor fici, ut dulces ac sapidos virtutum solidarum ac perfectarum fructus produceres: tres, quatuor, decem, quinque effluunt anni, quibus aliquem de te fructum exigit, & nullum profers? Ecquod unquam bonum opus, ab imperfectione exemptum, ob Dei perfecisti amorem? *Ut quid terram occupat?* Si non vult arborem inutiliter occupare terram, quantò minùs, ut tu Ecclesiam, Religionem, Communitatẽ occupes? Si non vult infructuosam plantam occupare terram, an putas permissurum eum, ut homo infructuosus occupet Cœlum? Inutiliter terram occupas, locum alterius magis futuri utilis obsides; Quot creaturas ab omnipotentiæ thesauris de nihilo educere posset, quæ fideliter sibi serviissent? Reliquit illas, ac tibi esse dedit. Inutiliter Ecclesiam occupas. Quot in Canaria infideles, in China, Japonia, in Barbaria ad Christianismum vocare valuisset bonos futuros Catholicos? Reliquit illos, Ecclesiæ filium te fecit Inutiliter Religionem occupas. Quot animæ necessaria optarent media ac talenta ut admitterentur, atque inibi perfectè degerent? Reliquit illos Deus, te suscepit. Quamdiu hisce gratiis abuteris? Virgo, sub cujus protectione es, rogavit eum, ut adhuc parumper expectaret, se tibi inspiraturam, sollicitaturam, molestã ut te convertas futuram. Forsitan hic ultimus ei datus erit anni terminus, ac tu semper sterilis manes? non solum sterilis es, sed & arbor mortua, sicca, absq; spe novi ullius exortus? mortua arbor non modo fructus non profert, sed nec folia protrudit; non illam solares radii vivificant, verùm exsiccant & inducant; à rore cœlesti haud enutritur, sed putrida redditur; nec bonorum operum fers fructus, nec bonorum verborum folia: Spiritus S. lumen te non convertit, sed indurat. Bonorum exempla, sermones, ac reliquæ Dei gratiæ non tibi prosunt, at culpabilem magis reddunt; quid præstolari poteris, nisi ut tibi in uno dierũ harũ dicatur:

succide illam? arbori securis apposita est, hic capitis dolor, sicca hæc tussis, defluxio ista securis est, ictum tibi intentam; si hoc in statu resecaris, mitteris in ignem; dixit enim Dei Filius: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscidetur, & in ignem mittetur.* Custodiat nos Deus, Amen.

SERMO SEPTVAGESIMVS QUINTUS.

Pro Festo Sancti Matthæi Apostoli.

De necessitate boni Directoris, ut supradicta benè observentur, ac de ejus qualitatibus, quibus debet esse præditus.

Euntes discite. Matth. 9.

PHilostratus refert, Marcum Aurelium Imperatorem cognomento Philosophum puerorum more jam senem in ludum literariũ ivisse. Interrogatus porrò à Lucio sibi obvio facto quò iret, & cujus rei gratiâ, respondit: *Honestum est & seni discere, eo ad Sextum Philosophum, & disco quæ nondum scio.* Similiter Socrates omnium sapientissimus non dedignatus est inter pueros discere; idem refertur de Salvio Juliano. Sed quorsum hæc Auditores? Paucis id edicam. Quantumvis simus senes, eruditi, rerum experientia clari, erubescere tamen haud debemus, quin euntes discamus, sed à quo, ut eligamus nempe bonum Directorem, Magistrum, à quo in negotio nostræ salutis, modo vivendi consilium expetamus, instrui rogemus, quid factu opus sit petamus, exemplo David, Moysis, Pauli. De hujus necessitate, difficili inventione, pretio hodie agã.

Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. Tob. 5. 4.

I. Verba hæc perdilecto Filio venerabilis dixit Tobias, in Urbem quandam procul dissitam ablegare eum volens, cujus viam ille ignorabat: atque id est, quod pro Missionis hujus fine sum dicturus, ut vos in Cœlum concomiter, atque ut perseveranter sanctas ac salutares instructiones vobis datas practicetis. Verba hæc sancti hujus Viri notabilia quatuor puncta assignant, hoc in discursu proponenda: Primùm, boni Directoris necessitatem: *Inquire tibi.* Deindè, rem esse raram atque inventu difficilem, *aliquem*, non *aliquos.* Tùm, ejus qualitates, *Fidelem virum.* Denique, quî nos erga eum gerere debeamus, *qui eat tecum.*

Cùm Dei Filius ad sequendam ducis alicujus spiritualis directionem nos obligat, nihil, quod non ipse priùs in praxin redegerit, nobis imperat; Si enim arbitratui tuo se exposuit, Dux ejus extitisti, Tutrix, Gubernatrix, Angelus ejus Custos durante infantiâ: Sic tunc hac in vita jam Regina eras ac Domina Angelorum,

rum, potestatem in eum habens atque authoritatem, qui eis imperabat; ea propter altissimi Cœli Seraphini in terram se demisêre ad honorandã in te admirabilem hanc potentiam, uti nos cum ipsis humiliter ad pedes tuos prostrati, facimus dicentes: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

Exordium. Defecit Sanctus, quia veritates diminutæ sunt.

PUNCTUM PRIMUM.

NEcessitas boni Directoris. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus. Primò ex parte Dei, secundò nostri, tertiò peccati, quartò exemplis Davidis, Moysis, Pauli.

II. *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Non inconsultum foret hæc Prophetæ verba per experientiam verificare: at perquàm difficile illa non admirari. An non prodigium est sanguineis deplorandum lachrymis, calamitoso hoc tempore cernere principaliter amplis in urbibus tot bona ad juventutem informandam Collegia, tot seminaria, tot Prædicationes, Exhortationes, Catechismos, tot Conferentias Spirituales, tot sanctas Confraternitates, Confessiones, Communiones; adeoque parum Sanctitatis, tam parum solidæ virtutis, gentes adeò paucas Deum inquirentes, paucos Deos purè ob amorem ejus servientes, tam paucos qui tendunt, multò minùs, qui ad Evangelicam perfectionem, quam Evangelium ab iis, qui Christianismum profitentur, exigit, pertingunt? *Defecit sanctus, id est non invenitur sanctus,* inquit Augustinus. Ecquæ hujus infortunii causa esse potest: Dicit hoc David, addens: *diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Veritates hoc tempore sunt raræ, earum æstimatio multùm diminuta est, ac velut in mundo deperdita; quidam humilitate carent, ut vitia atque imperfectiones sincerè ac cum veritate Directori detegant; alii Directorem habent, qui charitate ad veritatem eis absque adulatione dicendam vacat.

III. Ad primum inconveniens ordinariè impingunt homines, & particulariter Magni, excellentia ingenia, homines Docti, ac ipsimet quandoque spirituales ac devoti; sicut enim ad conducendos alios scientiâ ac lumine clarent, opinantur ad se gubernandos sufficienter esse se imbutos. Ut sibi blandiantur, ajunt: *Spiritualis homo omnia dijudicat,* ac ceu bonum habent aut habere se putant zelum, atque in omnibus, quæ agunt, intentiones rectas, ipsis videtur se errare non posse; omnes veluti sibi inferiores ac directionis suæ incapaces contemplantur, non advertunt quod inquit Sapiens: *Ego Sapientia habito in consilio*, & quod in omnibus, quæ agimus, consilium expetere oporteat, ne ob factum pœniteamus, *Fili, absque consilio nil facias, & post factum non pœnitebis.* Non auscultant S. Paulum dicentem: Zelum non semper secundùm scientiam esse, tenebrarum principem sæpè in Angelum lucis se transformare; sobriè sapiendum, non audiunt Creatorem, qui per Ezechielem conqueritur, populi sui Directores semetipsos pascere ac regere velle.

Eccl. 32.
Rom. 10. 2.
2. Cor. 11. 14.
Rom. 12. 13.
Ezech. 34.

IV. Non perpendunt, quod S. Bernardus multa cum veritate dixit, cuidam

Regulari Canonico scribens, in Prælatorum omnium, ac totius orbis Doctorum conclavibus majusculis exarare oporteret, *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Bern. Ep. 87. ad Augerium.* Experientiâ didici, ait magnus hic Doctor, capacem me esse ad amplum Religiosorum numerum regendum, majori cum facilitate ac minori periculo id agere queo, quàm gubernare meipsum. Legerat in Cassiano *Collat.* 2. *c.* 11. Patrum veterum opinionem, spiritum malignum, ad perdendum pauperem Religiosum, eumque in mortis æternæ abyssum præcipitandum efficaciora non habere media, quam cùm verbis hisce Moysis non paret: *Interoga Patres tuos*, nimiùm judicio ac doctrinæ confidens, seniorum consilia spernit: quod devotum dicere Gersonem impulit, eum, qui non alio quàm suo regitur ductu, ad se tentandum dæmone non egere, sed ipsummet sibi dæmonem existere, ac periculosiorem omnibus tentatorem. *Gerson tom.* 1. *con-sid. de lib. leg. d* 2.

V. Non considerant, sine Dei lumine omnem sapientiam nostram, utcunque magna sit, meram esse stultitiam, spiritum tenebras, scientiam ignorantiam ac cæcitatem, nec Deo moris esse, ut per proprium nostrum conductum, ac per se immediatè, sed per hominum mediationem, nos illuminet.

Capite 199. Patri Spiritualis refertur, sanctum quendam Episcopum adeò charum extitisse Deo, atque Angelis acceptum, ut Missæ Sacrificium offerens ab utroque latere suo binos radientes semper Angelos conspexerit; scientia ejus non pari cum sanctitate sua passu gradiebatur, quadam die in verbis Mysterii per ignorantiam defectum commiserat, superveniens notus sibi ad sacrum Diaconus quidam, id adverterat, & finito Missœ sacrificio hanc ob rem eum admonuit, non magni S. Episcopus monitionem hanc æstimavit, putant errare Diaconum, ac si defectus quispiam intercessisset, Angeli se commonuissent: Aliâ vice rursùm illũ ob defectum à Diacono monitus ab Angelis quadam vice quæsivit, an id ita se haberet? Omninò, responderunt, ad fidem Diacono adhibendam; Cur igitur se non admonuissent? quia per homines Deus homines instruit. Angelorum milliones millionum in cœlo extant, nõ omnes immediatè à Deo illuminãtur; sed inferiores à superioribus Angeli per Archangelos, per virtutes Archangeli, atq; ita de aliis; à fortiori homines, quorum natura adeò imperfecta, indigna, ac corrupta.

Solus Deus est independens, solus ipse ab extra nihil mutuo accipit, ipse solus nullius indiget, enutrire in nobis vult humilitatem, conservare charitatem & unionem fraternam: hunc in effectum, ut alter alterius succursu, lumine ac conductu egeret, ordinavit. Velut ad foveda diversas inter Provincias ac mundi totius Nationes commercia, noluit, ut quævis terra cuncta ad vitæ sustentationem ejusque delicias necessaria produceret.

Præterea peccatum est opus tenebrarũ, diffundit illas in corda nostra, cùm vel semel patet ingressus: Si grande crimẽ est, nos excæcat; si exiguum est delictum, visum obfuscat, *Malitia exæcavit cor illorũ,* Sap. 2. 21. *obscuratum habentes intellectum.* Ephes. 2. 18. Excæcati oculi magna videre nequeunt, visus obscuratus minora advertere non potest. Sive grande sive peccatum nostrum sit exiguũ, instans valdè est, ut advertatur: *Sensibile positum super sensum, non facit sensationem*; visum inter ejusq; objectum certã

opor-

oportet esse distantiã, ut percipiatur objectum, fiatq; visio. Peccatum nostrum super nos, in nobis, in medio nostrũ est; non igitur adverti à nobis potest. Judex amicus partis unius, incompetens estatq; reprobrãdus; nimiũ nostri amãtes sumus, ut de culpis patratis judicare valeamus.

Ecquæ horribilior cæcitas, quæ lamentabilior obduratio illâ Davidis? Magnus fuerat Propheta, adeò illuminatus ac cœlo acceptus, orationis mentalis exercitio deditus, nocte dieq; legẽ Dei fuerat meditatus, sapiẽtiæ divinæ secreta ac mysteria profundiora cognoverat, *Incerta & occulta sapientia tuæ manifestâsti mihi.* Et post tantam notitiã, cùm patrasset infame adulterium, proditionem tetram, ac crudele homicidium; pravum statum, in quo erat, nõ agnoscebat; putrefiebat in fœtore suo, ut resurgeret à delictis noncogitabat; necesse fuit Prophetam aliũ ex parte Dei illum commonefacere; oportuit insuper Nathan Prophetam artificio uti, ac per circumlocutionem parabolæ crimen ejus demonstrare: adeò delicati sumus, ac censuræ omnis impatiẽtes. Quod si dicis, te, Dei gratiâ, tetris adeò cogitationibus non esse subjectum, alio exemplo visurus es, quòd si gravia peccata nos excæcent, parva oculorum caliginem inducant. Ecquis unquã Propheta quoad statum amplior, sapientior, majori pollens judicio, magis à Deo illuminatus, plus fidei mysteria intelligens, in mundanis negotiis magis gnarus, ac Moyses? in Curia Regis Ægypti, quæ id temporis melior erat, ac quasi bonarũ literarũ nutrix, fuerat educatus; à Pharaonis filia instructus erat, ut fieret adoptivus; In Penthateuco se in omni scientiarum naturaliũ ac supernaturalium genere versatum ac profundũ demonstraverat; Ore ad os, sicut amicus cum amico loquebatur Deo: sic loquitur scriptura: tot lumina ac splẽdores in ejus spiritum immisit Deus, ut facies ejus tota radiârit: nec obstantibus his, culpam, quã minùs advertebat, cõmisit; culpam adeò crassam, visibilem, palpabilem, ut minima spiritualis filia illam facilè notaret; quid filiam dico spiritualem? socer ejus Jetro usq; tunc Ethnicus illam advertit, ac monuit; exindè erat, quod in excursitationibus effusus erat, nimis negotiis se immiscebat, populi querelas nôrat, non sat ei temporis fuerat, ut rebus magè seriis vacaret, *stulto labore consumeris*; reprehẽsio est à socero facta, quamvẽ posteritati signavit, ut ejus saperemus exemplo.

Cùm Dei Filius S. Paulum convertit, ac novellus hic conversus ei diceret: *Domine, quid me vis facere?* plenè de omnibus, quæ ei faciẽda incumbebant, instruere ipsum poterat; in momẽto ac solo luminis radio, quæ ab eo requirebat ut cerneret, efficere poterat; misit ad Ananiam, ut ab eo quid pro animæ salute sibi agendũ, addisceret; quia instruit Deus homines non perseipsum aut Angelos, sed per homines, *Ingredere civitatem, & ibi dicetur, quid te oporteat facere.* Act. 22.

PUNCTUM SECUNDUM.

Quam difficile sit invenire bonũ Directorẽ.

VI. Verùm omne negotii hujus momentum, magna subjecti hujus quæstio est, ejusmodi reperire Directorem, qui talis extet, quali egetis; S. Paulus idẽ hisce terminis profert: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Hic jam quæritur, hic jã quæritur*: Si facilè foret reperire, si boni Directores nõ forent rari, nõ diceret S. Paulus: Quæstio est ut reperiatur unus. Ita unus, *ut fidelis quis*, non, *ut fideles aliqui inveniantur.* Et Salvator eos adeò esse raros æstimat, ut

ut quasi impossibile sit illos reperiri posse, *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Devotus Avila dicebat, è millibus eligendum esse; addiditque S. Franciscus de Sales, de decem millibus; pauciores enim, quàm dici queat, hujus officii esse capaces, 1 *part. introduct. cap. 6. Qui invenit illum, invenit thesaurum.* Si bonus est, ut sanctificemur potenter nos adjuvat: Si munere indignus, omnia simul & te deperdit. Veteris Legis Sacerdotes non erant populi Directores, nisi pro conductu exteriori, pro familiarum, Regnorum ac Reip. Politia, eorum subditi ad aperiendam ipsis conscientiam non obligabantur. Et nihilominùs in Scriptura dicitur, quod Rex Joas sanctissimè vixerit, actionesque Deo acceptas peregerit, dum pro Directore magno sacerdote Jojada uteretur, *Fecit, quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Jojadæ sacerdotis*; verùm post boni Sacerdotis hujus obitum adeò se pervertit, ut Prophetam Zachariam occiderit. Est itaque *Ars artium regimen animarum*, ait S. Basilius *lib. 1. cap. 9.* & S. Bernardus: *Onus Angelicis humeris formidandum.* Regere animam, est regere mundum.

Paralip. 24. 2.

PUNCTUM TERTIUM.

BOni *Directores sunt cœlis similes, ex Aug. nempe. Primò à terra suspensi, secundò Deum portantes, tertiò præceptis tonantes, quartò sapientia coruscantes.*

VII. Sanctus Augustinus boni Directoris qualitates paucis delineat explicans versum Psalmi 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, ait Sanctos, quales esse debent animarum Directores, bene comparari Cœlis, propter qualitates quatuor illis Cœlorum similes, quibus præditi esse debent: *A terra suspensi, Deum portantes, præceptis tonantes sapientiâ coruscantes, Aug. conc. 2. in Psal. 18.* Directorem eligis, ut te, quò in vocatione tua, id est Christianismo, perfectus evadas, adjuvet: hæc autem vocatio est omninò sancta, tota cœlestis ac divina: sic eam sanctus Paulus appellat: *Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, Hebr. 3. 1.* Cùm igitur nemo det, quod non habeat, evidens est, Confessarium, quò in cœlesti hac vocatione te perficiat, debere esse totum cœlestem; cunctis Cœli proprietatibus, quas in sanctis agnoscit Augustinus, esse debere præditum.

Prima est, quod Cœlum à terrâ separatum extet, admodùm ab ea elongatum multa ei bona confert, illam illustrat, calefacit, fœcundat, benignas ac favorabiles ei immittit influentias; atque hoc insensibiliter, sine strepitu, ac sine rei ullius receptione. Verus Pater spiritualis ab omni quoque affectione terrestri ab omni interesse ac prætensione temporali exemptus, quantùm à terra elongatur Cœlum. Pœnitenti bonum exoptat, facit, procurat, nihil accipiens, nihil prætendens, nihil ab ipso sperans; meminit se judicem esse, Judicibus dictum: *Non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba justorum.* Nota *justorum.* Si in Præfectura habens processum, Prætorem, aut ejus Locumtenentem corrumpas, ac exindè in tuum favorem injustam proferat sententiam; Curia hanc annihilabit. Si tibi adulatur Confessarius, si non, ut æquum, te corripiat, si, cùm te nullo dolore affici ac sæpè in peccata re- *Deut. 16. 19.*

a labi

labi conspicit, absolutionem non deneget; si levem ob lethalia pœnitentiam injungit; in divinæ justitiæ tribunali erronea quam tuum in favorem pronuntiavit, sententia annihilatur; Atque à Theologia addisce tria esse munerum genera: Munus à manu, munus à lingua, munus ab obsequio, *D. Thomas 2 2. q. 78. art. 2. ad 3.* Munus à manu est, cùm argentum, esculenta, linteamina, condimenta, Altaribus das ornamenta &c. Munus à lingua, cùm in Confessoris, sibique adhærentium favorem, in judicio aut Parochianorum conventu verba facis. Munus ab obsequio, cùm ei suisque servis, ut conditionem, Cathedram, Officium, aut Beneficium obtineant. Confessarii à prætensione omni & affectione ab his omnibus exempti, uti hac in Urbe, Deo laudes, reperiuntur complures, qui primam habent Cœlorum qualitatem *à terra suspensi.*

VIII. Deindè S. Augustinus inquit: *Deum portantes*; Directorem devotum, sanctum, spiritualem, oratione ac virtutibus eminentem esse oportet; sit benè Deo unitus, sit in ejus corde Deus velut suo in sanctuario, Throno, ac Cœlo empyreo, *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in Cœlo sedes ejus.* Quo enim pacto alias ad Deum se diriget, si ipsemet ad eum non tendat? quomodo virtutis tibi largietur spiritum, si illo sit ipse destitutus? quî ad Deum te deducet, si non ipse ei unitus sit ac conjunctus? Equidem Sacramenta gratiam, aliosque effectus, non obstanto Ministri indignitate, producere novi: At Deo moris non est per instrumenta improportionata atq; elongata, grandia producere opera. Si Confessor non benè unitus sit Deo, nî spiritualis sit, orationi ac recessui deditus, non illo, ad spiritualem ac devotum te efficiendum libenter utetur Deus; si cœlestis est, cœlestem te efficiet, si terrenus, terrenum: Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes: Quomodo illum agnoscam? an meum est judicare? an judicis mei judex ero? Scriptura notas evidentes ac palpabiles reddit, queîs facilè discerni queant, *Ex operibus eorum cognoscetis eos.* S. Joannes Baptista inquit: *Qui est de terra, de terra loquitur.* Si Confessarius vobis frequenter de terra loquitur, de mundi negotiis, temporalibus bonis, de familia, testamento, tuorum matrimonio, parentibus suis, de particularibus suis decretis, aliisque ejusmodi tricis, terrenus est, & præterea, si quandoque proferat ineptias, si frequentibus delectetur visitationibus, longis ac superfluis discursibus, conversatione cum sola absque testibus, in angulis; adhæc si affectionem sensibilem testetur, ut sunt absque Superioris scitu data ac recepta munuscula, Dominæ meæ, aliàs relatum, si castæ estis, si puritatem adamatis, ne permittite, ut quis vos in sinu, facie, brachiis contrectet; sit, quiscunque velit, cognatus, amicus, socer, frater, consanguineus; Addo, si Confessarius jocando, lasciviendo, vel solam tangat manum, ne accede ampliùs, ne ampliùs accede; non absque ratione dico, ne ad illum ultra accede, alterum adi, Ut & pro notâ alterâ, si Magnatum tantùm ac divitum confessionibus delectatur, morti libenter Dominorum Dominarumq; assistit, nunquam aut rarò pauperum funeribus adsit; si famulo se præsentanti dicat: I, Parocho confitearis, aut si confessionem ejus excipiat, mox ipsum absol-

Mat. 7. [margin partially cut: "...nt. 16. 19."]
1. Cor. 15.
Ioan. 3. 31.

absolvat, atque integras horas cum Domicella binis aut ternis in hebdomade vicibus insumat; non purè Deum quærit, commodo suo deservit. Et S. Paulus inquit: *Charitas non quærit quæ sua sunt*, (1. Cor. 13.) metuendum est, ne charitatem habeat; sin minùs, neque in Deo moratur, nec Deus in ipso; non igitur ex illis est, quos S. Augustinus appellat, *Deum portantes.*

Præceptis tonantes. Adulatores esse non debent, laxi, timidi: sed alacres, audaces, generosi, zelo ac vigore pro Dei gloriâ, pro pœnitentium salute pleni. De judicibus Ecclesiasticis æquè ac sæcularibus dixit Spiritus Sanctus: (Eccl. 7. 6.) *Noli quærere fieri judex, si non vales virtute irrumpere iniquitatem*, dices eum loqui de ruina fortè Urbis aut Castelli; plures semper quidpiam opponunt, ne à peccati occasionibus secedant, ne aliorum bona restituant, ne concubinam expellant, ne cum inimicis perfectè se reconcilient; Nî Confessarius extet zelosus, ut prætensas has dejiciat excusationes, acquiescit peccator hac absolutione extortâ, *Custodit atrium suum, in pace sunt omnia.*

VIII. Paucis, Cœlum terram radiis illustrat; ita boni Confessarii prudentiæ ac luminis multùm habent, ut dirigant (Matth. 15. 14) Pœnitentes, *Sapientiâ coruscantes*; è societate aliàs excidunt; Filius namque Dei in Evangelio inquit: *Si cæcus cæcum ducat, nonne ambo in foveam cadunt* Si Confessarius tuus ignorantiâ, imprudentiâ, avaritiâ, adulatione aut passione aliâ sit excæcatus, ac malè te dirigat, in damnationis foveam cadet, sed & tu in eandem decides.

PUNCTUM QUARTUM.

QUomodo cum Directore agendum. Ad evitanda hæc infortunia, fraudes, aliaque incommoda, en meâ opinione regulas pro posse observandas: Ne peccata apud Sacerdotem depone, qui tibi valeat adulari, qui segnis quoad te sit ac timidus, qui de se dicere queat: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*; veluti cùm tibi obligatus est, subditus, piæ stipis erogator, filiorum Præceptor, operâ tuâ pro se suisque egens; imperans ille tibi quidpiam contra Dei legem, etsi prodigia facere videatur, ceu adulatorem declina: S. Paulus inquit: Si ego aut Angelus de Cœlo aliter evangelicet, quàm in Evangelio annuntiatum est aut prædicatum, anathema sit; Angelus enim Sathanæ in Angelum lucis transformare se ac te decipere potest; verùm Ecclesia te fallere nequit. Cùm separatim tibi loquor, adulatio, desiderium tibi placendi, prætensio à te aliquid obtinendi, aut alia quæpiam passio me deducere potest, ut fallaris, à nemine mendacii arguar: Verum hîc coram Episcopo, aut ejus Vicariis Generalibus, quorum est de anima tua reddere rationem, verba facio, proferendo aliquid non orthodoxum, crastinâ luce ut retractem imperabunt, aut Cathedram sunt prohibituri. Salvator quoque judici de doctrina eum interroganti, ut probaret bonam esse atque irreprehensibilem, alio non usus est argumento, quàm protestatione hac: Ego palàm locutus sum, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt: in occulto locutus sum nihil. (Ioan. 15. 24.)

Sanè, Domini, in Deî judicio propter usuras, artes litium captiosas, monopolia, sententias favoris ergò prolatas, ob denudatum pectus, vestium luxum, vitam otiosam ac sensualem, licet, nescio

quis, privatim tibi suggerat, non grande malum est, indifferentia sunt, non malam præfigis intentionem, non adeò oportet esse scrupulosum: S. Augustinus in suis Confess. inquit: *Mî Deus, qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, nec defenditur ab hominibus accusante te, nec eripitur ab hominibus damnante te.* Personas reperies, præcipuè fœminas, adeò Confessoris sui æstimatione præoccupatas, quòd Doctores licet Sorbonæ omnes, cunctique Pontifices Romani veritatem eis sole clariorem proponant, si Directori eorum adversetur, haud fidem adhibebunt; maximâ namque Confessarii affectione detinentur.

Agedum, nôris, cùm te inter ac Directorem nexus quidam sit, non ajo sensualis, ast humanus propriique amoris, non ultra Spiritum habet Sanctum ad te dirigendum, nec tu, ut ab ejus ductu proficias; nî placeat, non mihi crede: at Directori omnium excellentissimo fidem adhibe: Antè Ascensionem Dei Filius dicebat Apostolis: *Nisi abiero, Paracletus non veniet.* Quid sibi vult hoc? ait S. Bernardus? an adeò duæ hæ personæ sibi invicem sunt oppositæ, ut simul commorari nequeant? An Spiritus Sanctus à corpore Jesu, quod de immaculato Virginis sanguine formavit, abhorruit? Affixi non nihil erant Apostoli nô sensualiter at humanitus SS. Salvatoris humanitati, ejusque præsentiæ corporali ac visibili; *Hoc est dicere, si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis, Bern. serm. 3 in Pent.* Apostoli adhuc Dominicæ carni inhærentes quæ sola sancta, quia Sancti Sanctorum erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis, *Idem ser. 3. de Ascensione Domini*; vultque Spiritus Sanctus, ut creaturarum tollamus amorem, si, ut nobis se communicet, expetamus.

Ioan. 16.

Conclusio. Paraphrasis verborum illorum: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat & custodiat te.

Quamobrem, ut Confessarii succedat directio, à Deo de ipso dicendum est: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in locum, quem paravi. Ecce*, verbo huic commune est, favorem exprimere ordinarium, velut: *Ecce concipies, & paries filium. Ecce dispono vobis.* Gratia particularis est, omniumque maxima, destinare te ad Confessorem bonum, hanc demissè atque instanter, exige, ad intentionem hanc fac eleemosynam, bonaque opera. *Ego mitto*, Dei est illum tibi mittere, si hoc in officium se ingerat, benedictione carebit, aut si considerationibus humanis illum eligis, quod clemens est, gratiosus, quia Magnatum Confessor, garrulus, quia te deprecatur, ut ad se accedas. *Mitto Angelum*, in puritate Angelum esse oportet, in scientia Cherubinum, in amore Dei Seraphinum, & in gloriæ ejus zelo *meum*, Dei esse debet, non suiipsius, non ad utilitatem suam, ad exiguam suam commoditatem: *Qui præcedat te*, bono præluceat exemplo, qui, quod docet, in praxin redigat. *Et custodiat in via*, non ipsius est, at Dei, ut te sua in via statuat, custodire te debet in illa, ad quam à Deo collocaberis, non secundùm humores & inclinationes particulares conducere debet, ast secundùm Spiritus Sancti

motus atque instinctus. Medicus corporalis non nisi naturam sequitur, eique inservit; Spiritualis gratiæ submittere se atque obedire debet; considerare debet viam, vitam, ac conditionem, quam à te exigit Deus, ad hanc dirigere te atque in ejusmodi statu locare obligatur, quòd cùm ambo moriemini, te judicio Dei absque timore repulsæ ac spe pervenienad gloriam, præsentare valeat, à Deo vobis præparam.

Amen.

SERMO

SEPTVAGESIMVS SEXTUS.

Pro Festo Sancti Michaelis Archangeli.

Bonorum operum fervorem præservativum contra recidivam esse remedium.

Necesse est enim ut veniant scandala. Matth. 18.

EXORDIUM.

QUi oculos parumper vult conjicere in lumen fidei, rationem & experientiam, ille facillimè potest videre illam sententiam Christi esse veram, quod necessarium sit venire scandala. Scandalum est occasio, & mina peccati, quocunque nos vertimus, quocunque eamus, habemus minam & occasionem peccandi, & amittendi justitiam in baptismate semel acquisitam; ita ut verum sit illud Sapientis: *Creatura secum sentit muscipulam*, hæc est causa, cur Paulus dicat, quod operari debeamus nostram salutem cum timore & tremore. Quid ergò factu opus, quid faciemus? An animo cadamus? An desperemus? An permittamus nos rapi, & devolvi in peccata? Minimè, non desperemus, nec animo cadamus, sed vires resumamus, habemus enim remedia, quibus uti possumus ne relabamur in peccata, nempè gratiam Dei generalem & speciale, quam obtinebimus, si in actionibus nostris fervidi simus, ut hac concione ostendam.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. 2. Petr. 1. 10.

I. Quod Medico corporali proprium est, idem & spirituali: Ambobus invigilandum, non solùm ut ægros suos tractent, ac perfectæ sanitati restituant: verùm & vitæ regimen, ut recidivis obvient, quæ ordinariè magis timendæ, magisque ac infirmitas præcedens sunt periculosæ, ipsis præscribant. Ut debito huic satisfaciam, in tria discursum hunc puncta dividam: In primo visuri estis, indies nos, quamdiu degimus, in recidendi discrimine versari: In altero conspiciemus, ne relabamur, gratiam Dei nobis esse necessariam. In tertio, quòd ad gratiam hanc obtinendam, bonorum operum praxis admodùm proficua existat; apprehendere illam, debemus à te, ô sancta Virgo; tu es fæmina illa fortis adeò in Proverbiorum libris celebrata. Quod Spi-

Spiritus Sanctus majori cum elogio in te deprædicat, est laboris assiduitas, bonorumque operum fervor, *Manum suam misit ad fortia, operata est consilio manuum suarum* Implere digneris, quod adjungit Spiritus Sanctus: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem:* Extende auxilii tui manum ad nos egenos, qui ad pedes tuos provolvimur, à te eleemosynam expetentes, his te salutando verbis: *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

PUNCTUM PRIMUM.

IN hac vita sumus semper in periculo recidivæ. Probatur primò Scriptura. Secundò Patribus. Tertiò Ratione. Quartò Compara-tione. Quintò Experientiis.

II. Qui ad fidei lumina, rationis, atq; experientiæ nolit claudere oculos, absque difficultate fatebitur, sancta licet ac perfecta Christiana sit anima, quamdiu mortali in corpore atq; in peccatis concepto existit, in lapsus, ac receptæ Dei gratiæ in Baptismo aliisque Ecclesiæ Sacramentis perdendæ periculo versari. S. Apostolus Petrus, cùm post resolutiones adeò animosas, audeo dicere nonnihil præsumptuosas, in peccatum esset prolapsus, proprio casu sapiens factus, fideles ut cunctis in conversationibus suis, durante hac vitâ, timidi forent advertit, In timore incolatus vestri tempore operamini salutem vestram. Idem quod S. Petrus sensit & Divus Paulus; commendat Philippensibus: Cum metu & tremore operamini salutem vestram, atque ut demonstraret eadem se præstare, quæ alios edoceret, ait ad Corinthios: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

1. Petr. 1. 17. — Phil. 2. — 1. Cor. 9. 27.

Observari in Scriptura potest, Spiritum Sanctum duodecim Tribuum populi Dei Patriarchæ bina imponere nomina: vocat Jacob, id est luctatorem, victorem, ac supplantatorem: appellat Israël, id est videntem Deum:

III. Verùm SS. Patres hanc fecerunt reflexionem, Textum sacrum nunquam dicere: Sanctus Jacob, at benè S. Israël; quamdiu enim hac in vita moramur, quæ, ut Job ait, continuum est bellum, nunquam perfectè Sancti, stabiliti, in gratia confirmati, & absque ejus perdendæ periculo existimus; benè quidem cùm Deum videbimus, ac lumine gloriæ arctè ita ei uniti erimus, ut separari non possimus. Sic & Ecclesia sæpissimè nobis proponit orationes, quæ, ut fragilitatem nostram agnoscamus ac fateamur, efficiunt, ut cùm dicimus: *Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus. Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus; misericordiæ tuæ remediis fragilitas nostra subsistat. Deus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere.*

IV. En veram exiguæ nostræ securitatis rationem, quàm diu in hac morientium terra subsistimus: Ab una parte fragilitas nostra, ab altera insidias ac pedicas locatas; cuncta certam ac naturalem ad principium, undè manârunt, habent inclinationem: cùm homo de nihilo sit productus, ad peccati nihilum ex naturæ suæ conditione, nî à Dei manu suffulciatur propendet; veluti vapores de terra attracti pondere proprio relabuntur, nî à sole qui illos attraxit suis influentiis sustineat, In ipsis versamur periculis, ab hostibus

ſtibus undique obſeſſi. Mundus mare eſt refertum Piratis, ſcopulis, ventis ac tempeſtatibus agitatum, undique laquei extenduntur, non creatura eſt, quæ hoſti-
Sap. 14. 11. bus ad capiendos nos minùs ſerviat. Creaturæ factæ ſunt in muſcipulam.

V. Quæritur in Philoſophia, unde magna illa, quæ inter globos cœleſtes ac corpora mixta aut elementaria eſt, differentia proveniat? Cœlos conſpicimus à creatione mille ſex annis eſſe incorruptibiles, iidem ſemper extant: inceſſanter volvuntur; ſuperiores motu ſuo rapido inferiores unà ſecum abripiunt, nec corrumpuntur aut alterantur; dum corpora ſublunaria in perpetua viciſſitudine extant, mutationi tributaria, alteratio ac corruptio eorundem eſſentialium atque inſeparabilium proprietatum una exiſtit. Binas Philoſophi differentiæ hujus rationes aſſignant: Primùm, inquiunt nonnulli, cœlorum materiam ab inferioribus hiſce alterius eſſe ſpeciei; materia, de qua compoſita ſunt elementa, naturæ mutabilis eſt, volantis, inconſtantis, nec formâ, à qua eſſe recipit, contentatur unquam; aliam ſemper atque aliam præſtolatur: Ac quemadmodum duas ſimul recipere nequit, in perpetuo fluxu eſt ac refluxu, verum generationis ac corruptionis fermentum. Haud eadem cœlorum materiæ ratio, conſtans magis ac ſolida eſt, cùm à primordio nobiliſſimam atque excellentiſſimam receperit formam, cõtentatur, nec alteram expetit. Deinde, elementa compoſitaque elementaria oppoſitas habent qualitates, irreconciliabile bellum ſibi invicem moventia: frigus & calor, ſiccum ac humidum continuò ſimultates gerunt, loca, in quibus fit conflictus, evertunt, cauſantq; , ut forma materiæ cedat, diſpoſitionum eas nectentiũ naufragio. Aſtra globique cœleſtes contrarias & antipathicas non habent qualitates; etſi producat ſol calorem, humiditatem Luna, Saturni aſtrum ſiccitatem, nec calida, frigidaque, nec ſicca, nec humida ſunt; qualitates haſce nec formaliter aut actu poſſident, verùm virtualiter atque eminenter. Pari methodo de ſpiritibus in cœlo, quivè in terris extant, ut de corporibus cœleſtibus ac ſublunaribus Philoſophi, ratiocinari poſſumus: Sancti in cœlis regnantes ſunt impeccabiles, nõ eis dominatur peccati corruptio; voluntas namque eorum contenta eſt atq; exſaciata, ſummo bono plenariè cumulantur adeò atque explentur, ut aliud minimè appetant; in quiete ſunt, habitatio eorum nuncupatur Jeruſalem: *Viſio pacis*; proſcriptus eſt inibi Diabolus, procul ſeparatus eſt mundus, non accedunt tentationes. Non eadem eſt hominum in terrâ exiſtentium ratio, eorũ voluntas, in nulla uſpiam creatura ſatisfactionem reperiens, fluctuans ſemper ac vagabunda, culminis pinnula verſatilis, Chamæleon eſt rerum in ſe omnium colores aſſumens, atq; ut Ariſtoteles inquit, μεταπτώσεως εἰκών, inconſtantiæ vera effigies. Carnis deſideria, adverſus animam militantia, ut loquitur Apoſtolus, maligni ſpiritus ſuggeſtiones, mundi perſecutiones furioſo ejusmodi in nos impetu ruunt, ut abſque potenti ſubſidio in diſcrimine ſuccumbendi verſemur.

VI. Falſum itaque eſt, quod Calvinus ejusque aſſeclæ inquiunt, nil metuendum eſſe fidelibus, de ſalute ſecuros exiſtere, cum fidem quis ac charitatem recepit, ut eas deperdat, nullum fore ultrà periculum; ac ſi Dei Filius non diceret: Non- Luc. 8.
nulli ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, ac ſi experientiâ nõ vidiſſe-

vidissemus Philetum & Himenæum, à S.
2.Tim.2.17. Jacobo conversos, perdidisse fidē, aliosque ad idem induxisse? Nec S. Paulus di-
1 Tim.1.19. ceret, quosdam ob conscientiæ bonæ defectum, atque avaritiam fidei naufragium passos, quasi ignoremus Luciferum in cœlis Dei perdidisse gratiam, in Paradiso terrestri Adamum, in Salvatoris consortio Judam, instrictissimis ac perfectissimis Religionibus alios mille.

PUNCTUM SECUNDUM.

Remedium præservativum est gratia Dei, quæ est duplex generalis & specialis primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Rationibus, quartò Comparatione, quintò experientia.

VII. In periculis adeò evidentibus magnique momenti gratiæ Dei præsidium absolutè nobis necessarium est, cum devoto Machabæo ei dicendum: *Quomodo*
1. Mach.3.53 *subsistere poterimus, nisi assistas nobis?* Age, duæ sunt gratiarum species: Generalis una, cōmunis, ordinaria, pretii minoris; Specialis altera, particularis, magisque
Apoc.3.20. pretiosa. De prima inquit Salvator: *Sto ad ostium, & pulso.* De altera dicunt fideles:
2.Mach.1.4. *Adaperiat Dominus cor vestrum.* Per pri-
Cant.2.15. mā Sponsus ait Sponsæ: *Veni amica mea.* De secunda sponsa inquit sponso: *Trahe*
Cant.1. *me post te.* Per primam ad conviviū suum cœleste Deus vocavit multos. Per secundam quosdam intrare compellit; *Com-*
Luc.14.16. *pelle intrare.*

De prima in Actibus dictum, quod S. Paulus & S. Lucas in fæminarum conventu prædicabāt: De altera, Deum mulieris cujusdā, nomine Lydia, aperuisse cor, ut verbum Dei reciperet simul & Baptismū. De prima orat Ecclesia, ut Spiritus S. gratia sensus cordaque nostra illuminet. De secunda, eadem inquit Ecclesia: *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Felix atq; exoptandus impulsus, dulcis placidaq; violentia, non libertatem violans, at perficiens; non arbitrium liberum destruens, verùm incantans, non voluntatem constringens, ast suaviter lucrans & sanctificans.

VIII. De prima dixit S. Aug. Dei manū sentiens libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio, *Aug. de lib. arb. & refertur cap. Nabuchodonosor 23. q. 4.* De secunda sanctus idem Pharaonicum atque induratum cor illam nō rejicisse, *A nullo corde duro rejicitur, quia idcircò datur, ut cordis durities auferatur.*

En veram hujus veritatis rationem; nempè dat Deus gratiam hanc animæ ad quam particulare habet inclinationes, si effectum suum producat; non necessariò, sed infallibiliter, absolutam habet voluntatem, efficacem & independentē; & per Proph. inquit: *Consilium meum stabit, &* Isa.46.10.
omnis voluntas mea fiet. Et Psalm. *Omnia,* Psal.134.6.
quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra.

IX. Dicunt Jurisconsulti duobus modis donari quid posse; *Longa manu, brevi manu. L. pecuniam. ff. de solutionibus.* Longâ manu; ut si præsente Creditore in mensa pecuniam ei debitam locas, jam dedisse censeris *longâ manu*; quia potuit assumere. *Brevi manu*, cùm alicui quid in manum suam tradis; ita Ulpianus *L. licet socrat. §. 1. ff. de jure dotium. Brevi manu acceptum quid à muliere, id est, non per acceptilationem: sed ut ajunt de manu in manum.* Diversimodè dat Deus gratias actuales & auxiliares: ordinarias ac minùs pretiosas *longa* dat *manu*, abundanter ac sæpè: verùm videtur non esse *de manu in manum*: illas tibi charitativè præsentat; si recusas, tuâ accidit culpâ, vergitque in damnum tuum; *Vocavi, & renuistis.* Gratiæ speciales & particulares adeò sunt potentes, ut suos semper producant effectus voluntariè sed infallibiliter liberi arbitrii consensum: illas dat *de manu in manum*, voluntatē arctè adeò stringunt, ut duæ videantur esse manus jūctæ; ast illas dat *brevi manu*, rariùs ac numero pauciores, paucioribus, animab⁹ ad quas affectiones gerit ac benevolētias particul.

X. An luculentum hujus rei cernere lubet exemplum? Volens Deus quinque peccatrices illas flammis absumere civitates, duos Angelos Sodomam misit, ut servum suum Loth hac de re certiorem redderent: Spiritus hi Cœlestes circa vesperum accedentes ac charitativè in domo Loth recepti, ajebant: Habes hîc quempiam tuorum generum, aut filiorum, aut filias? Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac; delebimus enim locum istum igne de cœlis misso; Egressus Loth ad generos suos, *& visus est eis quasi ludens loqui; cùmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere Civitatis. Dissimulante illo*, versio Græca inquit, ἐστρατεύσατο ἐμέλλησεν, *cunctabatur*: Septuaginta ἐταράχθησαν, *turbati sunt, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi, eduxeruntque eum.* En vivam Dei ductus quoad animas repræsentationem, stylique justitiæ ac misericordiæ ejus erga personas diversas! Sodomitæ præventi vindictâ Dei, nec admoniti; eorum namque scelera id merebantur. Grandium vestrorum criminum effectus est, ac judicii Dei in vos, ut justitiam ejus non vereamini, quòd vestigia vestra premat haud conspicitis. Cùm in Sermonibus Inferni fit mentio, deambulatum vadis, aut aliis rebus frivolis ac nihili adhæres: Loco, ut Granatensem de judicio agentem legas, evolvis Romanam: quò minùs Confessarium adeas, justitiæ divinæ tibi minas intentaturum, quendam qui tibi blandiatur adis. Alii, ceu Generi Loth sunt admoniti, Prædicationi cuidam intersunt, Confessarium reperiunt se arguentem; verùm ut juvenes illi agunt, *Visus est eis quasi ludens loqui*, atque hi Prædicatores ac Confessarios per exaggerationes minitari arbitrantur. Gen. 19. 14. Aliàs nobis efficacior donatur gratia, at nostram ob debilitatem atque exiguam dispositionem, in nobis nescio quam velleitatem, desiderium inefficax, languentemque a frigidam resolutionem producit: ut cùm Lothum ejusque familiam urgebant Angeli, *turbati sunt*, quòd domum, mobilia, provisiones, commoditates deserere cogantur. *Cunctabatur*, differebat, *profectionem adornabat*, ac si temporis sat foret, cadente interim igne de cœlo super urbes illas infelices. Sic Dei gratia est, dum ad bonum te Confessorem dirigit: hæc verò gratia in te haud operatur, cùm personæ cuidam, domui, exiguis tuis affixus es emolumentis; Confessario tibi præcipiente, ut de tali æde recedas, hæsitas, differs, salarium ac recompensationem præstolaris.

Alii gratiam efficacissimam recipiunt, *de manu in manum*, effectum suum infallibiliter producentem, ut cùm Angeli Loth manu apprehendendo vi de Sodomis extraxêre, *cogebant eum Angeli*, reciproco hac in re usi, par pari retulerunt.

PUNCTUM TERTIUM.

Remedium aptissimum ad obtinendam gratiam specialem est fervor in bonis operibus. Primò Scriptura, secundò Patribus, tertiò Ratione, quartò Comparatione, quintò Experientiis.

XI. Et en tertium discursus nostri punctum, ut cernatis, quod ad obtinendam à Deo gratiam hanc potentem atq; efficacem, à peccati occasionibus præser-

var-

vantem, admodum extat necessarium, ut nos bonorum operum practicâ disponamus.

1. Petr. 1. 10. Sanctus Petrus ad id nos invitat, dicens: *Fratres, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

Et Dei Filius mandavit Episcopo Phi-
Apoc. 3. 10. ladelphiæ: *Scio opera tua, quia modicam habes virtutem*, δύναμιν, non ἀρετὴν, *& servasti verbum meum ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis.*

XII. Sanctus Fulgentius magnoperè veritatis hujus inculcandæ ergò sollicitus erat; sic namque inquit: *Sicut omnia bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non nisi Deo largiente accipimus, sic omnia quæ accipimus non nisi Deo custodiente servamus &c. ille verò certus est bonæ voluntatis profectus, si ea quæ accipit à Deo, ita vigilanter sollicitèque custodiat, ut custodiæ divinæ adjutorium frequentia orationis & studio bonæ operationis exposcat; ita fiet, ut dum oranti auxilium tribuitur, laborans retributione boni operis non privetur, S. Fulgent. Lib. 2. Prædest. cap.* 17. Idem & Ecclesia suis in precibus publicis sæpenumerò deprecatur: *Ut bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereamur protectione defendi. Hebd. Quad. fer. 6. orat. ad vesp. Quantò Majestati tuæ fit gratior, tantò donis potioribus augeatur, Sabb. antè Dominicam in Ramis.*

XIII. In hisce verbis Ecclesia veram hujus veritatis rationem notat; quò plura bona opera agimus, hoc Deo acceptiores sumus; quò gratiores, plus in nos affectionis habet, plus amoris, plus donorum ac gratiarum nobis elargitur; amare enim est bonum velle, ac facit Deus omne, quod vult, voluntas ejus ac potentia pari passu procedunt, cùm anima fervore solidâque virtute fecit progressum, contra inimicorum insultus eam corroborat, redditque victoriosam.

XIII. Quarto Regum, 13. 8. refertur, quòd cum venisset Rex Joas ad visendum in infirmitate Elisæum, in qua & mortuus est, Propheta ei mandavit, ut arcum apprehenderet ac sagittas, cumque extendisset, superposuit Helisæus manus suas manibus Regis, & ait: Jace sagittam, & jecit trinâ vice, & stetit; *Iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem: nunc autem tribus vicibus percuties eam*; Contingit sæpè, ut ad orationis, eleemosynæ ac bonorum operum praxin nos invitet Deus; suâ nos gratiâ adjuvat, manumq; suam quasi supra nostram locat; si plenè ac perfectè ejus admonitionibus cooperemur, quot bona agimus opera, toties de inimicis nostris triumphamus.

XV. Ut habeamus exemplum, à 19. Geneseos capite non discedamus. Ibi refertur, quod venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus civitatis, ivit obviam eis, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi. Excusârunt se Angeli, gratiasque agebant; compulit illos oppido, ut diverterent ad eum. An non hîc veritatem conspicitis ejus, quod Jesus post dixit: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis?* Non sufficiebat ei, in ædes ipsos invitasse, manu apprehendit,

com-

compulit illos; similiter Angelis non sat erat, ut eum ob instans discrimen commonefacerent, manu arripiunt, *Cogebant eum Angeli, vers.* 15. Inquis, non obligari te, ut pauperem illum, qui frigore totâ in plateis nocte conficitur, hospitio suscipias; vicinum decumbentem, omni subsidio destitutum visites; viduæ illi paupérculæ, nihil habenti quod refundat assignationem præbeas? Cur igitur dicet Jesus: Hospes fui, & non collegistis me? Infirmus, nec me visitâstis? quod uni ex minimis meis denegâstis, mihi denegâstis? Supponamus ad id te non obligari: non; nec Deus gratiam tibi efficacem atque extraordinariam, quam solis tribuit amicis, elargiri tenetur. Si, ut Loth ageres, plus quàm teneris, si hospitalitatis, misericordiæ, charitatis virtutem redigeres in praxin, cùm in evidenti periculo ac proximâ futurus esses peccati occasione, in puncto conflagrationis non ab illo cœlesti, sed tartareo concupiscentiæ igne, arriperet te manu Deus, ac retraheret.

An opinaris, ut nunc, ita primitivâ in Ecclesiâ actitatum? Natalis die, Paschæ, Pentecostes, aliisque festorum solennitatibus, ac Dominicis penè omnibus, Parochi & Confessores à manè summo adusque meridiem in Confessionali fœtores tuos excipiunt; desiderarent profectò, quæ Festis illis celebrantur mysteria expendere, Dei adorare Filium, præsente eo dilatare cor, conversari cum Sanctis? An opinaris primorum sæculorum Sacerdotes in continuis istis recidivis audiendis fuisse detentos? Cùm Christianorum quispiam patrasset Lethale nefas, tot ei jejunia, eleemosynæ, aliaque opera pia injungebantur, ut his Dei placârit iram, ac non recidendi gratiam impetrârit, vitaque Christianorum non ut modò perpetuâ revolutione, confessionum ac relapsuum vicissitudine erat constituta.

Conclusio. Per paraphrasin verborum Christi: Spiritus ubi vult spirat.

XVI. Ne igitur dicito: Bonum hoc opus non nisi supererogationis est, absq; ullo incommodo relinquere potis sum. Cum inspirationem atque occasionem tibi præbet Deus, imagineris dicere tibi Filium Dei, quod olim Nicodemo, *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis undè veniat, aut quo vadat.* Quot verba, tot instructiones. Ioan. 4.

Spiritus. Opera Dei ab amore profecta Spiritui Sancto attribuuntur, invitatio hæc à Deo tibi facta, ejus in te amoris est testimonium, benevolentiæ affectus; ut Magdalenæ, & tibi dici potest: *Magister adest, & vocat te* ad pium hocce opus.

Ubi vult. Non omnibus, sed quibus lubet, favorem hunc impertit. Quot in Canaria, Japonia, China extant miselli, avidè hoc manna, si eis immitteretur, collecturi: Quot gratiarum actiones referrent, quam non exhiberent fidelitatem? Commoditatem habes facilem adeò ac præsentem, & contemnis? *Ubi vult.* Non solùm ubi, sed quomodo vult, inspirat, *Dividens singulis prout vult.* Ne dixeris: Non quod opus vult Deus, at ejus loco agam aliud: Non ut inspirat mihi Deus fiam Religiosus, at castè in mundo vivam, non solùm *ubi vult*, sed *quando* vult

vult spirat, ait S. Bernardus; Ne dicas: Generalem instituam confessionem finitis literarum studiis, processu hoc, officio aut beneficio obtento Dei servitio me totum addicam; per Isaiam inquit; Adjuvabo te, non quo tempore tibi, sed mihi libuerit.

Spirat. Civiliter te tractat, non ad permultos, velut ad Eliam, ventu impetuoso venit, Spiritu magno & forti subvertente montes & conterente petram, afflictiones immittit, ut convertat, fortunas evertit, corpora ac corda eorum indurata gravibus morbis frænat; suaviter voce prædulci, inspiratione secretâ te vocat.

3. Reg. 19. 11.

Vocem ejus audis. Etsi haud eum conspicias, modis mille ut percipias efficit. Sonat Psalmus, ait S. Augustinus, vox est spiritus: sonat Evangelium, vox est spiritus: sonat sermo divinus, vox est spiritus, *Aug. tract. 12. in Joan.* Sanctus Antonius in Missa hæc Evangelii verba audiens, Si vis perfectus esse, omnia des pauperibus, Spiritus Sancti vocem esse agnovit: Sanctus Nicolaus Tolentinas prædicationem audiens: Sanctus Ignatius ac B. Cesar de Bus spiritualem evolventes librum, Spiritus Sancti agnovêre vocem.

Nescis, unde veniat. Inspiratio hæc à prædestinationis tuæ decreto provenit, *Quos prædestinavit, hos & vocavit. Unde veniat.* Inspiratio hæc venit à meritis Filii Dei, à sanguine ejus pretioso. *Unde veniat.* A Divæ Virginis precibus venit, quas ad Filium pro te fundit, cùm de ejus sis Rosario, à zelo forsan & matris tuæ, uxoris, pro te Deum orantium.

Quo vadat. Hæc à Deo facta vocatio plus ultra vadit, quàm cogitas, bona hæc motio ad sermonem eundi, Granatensis opera emendi, ac legendi, infirmum hunc aut captivum visitandi, utilior est quàm arbitraris. Sermonem istum audiens, hunc librum evolvens, lumen accipies simul & instructionem, quæ fræni loco erunt, ne in peccata labaris; infirmum hunc aut captivum emolliet & humiliabitur, *Ecce, dabit voci suæ vocem virtutis. Date gloriam Deo.* Mî Deus, vox tua nos attrahat, Lumen tuum in bona semita nos deducat, gratia tua non posse solùm, sed & velle det ac completionem; ut omnis bonorum operum nostrorum gloria tibi attribuatur per J. C. D. N. qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum.
Amen.

SERMO SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS.

Pro Festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.

Contra Recidivam.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Joan. 15.

EXORDIUM.

QUis hodie zelaret, si D. Hieronymo in caput 4. ad Galatas, & alibi credimus, una solennitate celebramus Simonem, qui cognominatus est *Zelotes*, quia à *Cana*, quæ *zelum* significat oriundus, & Judam Jacobi minoris fratrem, quem & ipse Hieronymus Canaam appellat, sive etiam, quia ex Cana oriundus fuit, sive etiam quia extraordinarium zelum pro Christo habuit. Nos hodie conabimur eorum exemplo esse zelotes, & magnum zelum. Sed in quo? Ne nempè justitiam & gratiam in justificatione semel amissam tam faciliter amittamus, & rursum in vetera peccata labamus, & rursum si labamur, sumus ingrati, perfidi, contemptores Dei, zelemus ergò virtutes his viciis contrarias. De cavenda recidiva itaque agam hodie in hac concione.

Vade, & jam ampliùs noli peccare. Joan. 8.

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.

I. Imperator Justinianus non contentus suorum quempiam ad altissimos dignitatis promovisse gradus, honoribus eum cumulasse ac divitiis, die quadam affectionis excessu dixit ei: Ecquid in tui promotionem facere potero? Quidquid appetis, pete. Domine, respondit Aulicus, nil nisi clavum requiro. Qualis hæc deprecatio ab Imperatore clavum requirere? Quidnam cum clavo ages? Ut fortunam constringam, affigam, magnosque illos favores à Liberalitate Vestra relatos reddam immobiles.

Opinor, Domini, usque modò, cum gratiâ Dei, omnes ad salutem instructiones necessarias, ab anima Christiana, ut placidam se Deo efficiat, ac cœli iter arripiat, custodiendas, esse propositas; non nisi clavo ultrà indigeo, ut vestris in cordibus illas figam, aut, ut meliùs eloquar, instructiones cunctæ vobis datæ tot salutares sunt clavi, vos feliciter ad Filii Dei amorem ac judiciorum ejus timorem affigentes, *Verba sapientum, quasi clavi in altum defixi, Eccl.* 12. Malleo ad infigendos clavos indigeo, ne spiritus eos malignus forcipibus suis ferreis, aut meliùs infernalibus extrahere queat. Malleus hic non nisi verbum Dei est, à Jeremia appellatum: Malleus conterens petram, *Jerem.* 23. 24. His itaque divinis utar verbis, ut cernatis, eum, qui post conversionem, & sacramenti gratias, in peccata relabitur, remissione se reddere indignum.

Le-

Demonstro hoc inquam rationibus à parte Dei desumptis, à parte Cacodæmonis, à parte peccatoris relabentis.

Ad evitandum hoc deplorandum adeò malum, habenda est erga te omninò particularis affectio ac devotio, ô Virgo sacrata; compararis balsamo, *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* Balsamum à putredine corpus præservat, & Christianæ animæ influentiis tuis virginalibus à peccati corruptione sanantur, quas humiliter ad pedes tuos prostrati imploramus, cum Angelo te salutantes, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

PUNCTUM PRIMUM.

Argumenta ex parte Dei, quibus dissuadetur recidiva, primò probatur scripturâ, exemplo Ninivitarum. Secundò probationibus, quia recidiva est ingratitudo. Perfidia. Contemptus.

II. *Onus Ninivæ liber visionis Nahum: Deus æmulator & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos, Nahum* 1. Habitatores Urbis Ninive, atque eorum Rex Sardanapalus cùm ad Deum se convertissent, de suis dissolutionibus minis ac prædicationibus Jonæ retracti, atque ex particulari omninò Dei misericordia veniam impetrassent, adeò extitêre temerarii, tamque magni beneficii immemores, ut sat citò primos iterùm assumpserint errores, ac cum scandalo ad inordinatam suam vitiosamque vitam fuerint relapsi. Recidiva est offensa adeò displicens Deo, ejusque iram ita sensibiliter irritans, ut Prophetæ cujusdam præsentiâ non ultrà eos honorare atque ut priùs convertere sit dignatus, verùm Prophetæ Nahum mandârit, ut librum eis mitteret, in quo castigationes horrendæ à divina justitia in eos decretæ continebantur, quæve aliquanto post tempore contigerunt; edocemur namque ab Athenæo *Lib.* 12. *c.* 1. Justino, Eusebio de Cæsarea, aliisque tam sacris quàm profanis Authoribus, Arbacen Medorum Regem, unà cum Phul Babyloniæ Præfecto urbem obsedisse Ninive, ac duobus post annis infortûnatum hunc Regem, cùm ad extrema redactus in hostium manus incidere metueret, media in urbe Lignile ad quadringentorum pedum altitudinem exstruxisse, in quod pretiosissima sua conjecit, ac una cum uxore, liberis, concubinis ingressus, flammis consumptos, atque in cineres fuisse redactos, urbsque ipsa spoliata, depopulata, eversa; Ovidius in infortuniis, quæ Ibidi imprecatur, mentionem facit:

Inque rogum tecum charissima pignora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

Deus æmulator, & ulciscens Dominus. Æmulator est Deus in illos, qui post conversionem animas pervertunt, ulciscens Deus est in animas ad peccatum relabentes, *Deus æmulator.* Æmulatio compages ac binis ex passionibus amore & odio compositum est; Odium est in eos conceptum, qui ei, quod amore prosequimur malefacere, aut privare satagunt.

Jesus cum passione animas à se conversas adamat, de iis, qui eas ipsi rapiunt, inquit: *Occurram eis sicut ursa raptis catulis.* Non animal ullum, tanto erga fœtum zelo fertur ac Ursa, nullum in eos *Ose.* 3. 8.

 tam

tam crudele, qui illum sustollunt; bis enim pullorum mater est; cùm suo de sinu illos produxit, linguâ format & instruit. Jesus binis ad minimum vicibus spiritualem ac divinam animæ conversæ præbuit vitam, semel in Baptismo, alias in Pœnitentia: hanc si ei abripis, atque ut in peccatum reincidat efficis, indignatur, irâ ac furore incenditur, furore, qui non, velut nostra, passio est atque imperfectio; justissima est, adoranda, ac horribilis vindicta, *Deus æmulator, & ulciscens Dominus; ulciscens Dominus & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos.*

III. Ter inquit: *Ulciscens Dominus*; tres namque recidiva habet circumstantias capitalem eam reddentes, indignam veniâ, punitione dignam; ingratitudinis crimen est, perfidiæ, contemptus. Peccatum est ingratitudinis, ingratitudinis adeò capitalis, quæ sic Deo displicet, ut quæstionem moveant Theologi, an datam Deus veniam revocet, ac præcedentia scelera per Pœnitentiam delata redeant, nobisque in peccatum relapsis imputentur? Doctores nonnulli affirmativam tenent, se fundantes in parabola, ubi Jesus se comparat Domino, qui cuncta servo debita dimiserat: verùm cùm servus hic simile conservo eum roganti officiũ negasset, jussit eum Dominus in carcerem mitti, ac debitum omne ad minimum quadrantem usq; persolvere compulit; ac novimus, quod secundùm leges Civiles *L. unica. Cod. de ingratis.* mancipium à Domino libertate donatum, si enormem in Dominum committat ingratitudinem, donatam perdat Libertatem, atque in servitutem relegetur.

S. Thomas 3. *parte, q.* 88. expressam de hoc subjecto quæstionem instituens articulo primo concludit, peccata in Pœnitentia dimissa redire per recidivam non simpliciter & absolutè, sed aliquo modo *virtualiter; Peccata dimissa non redeunt simpliciter, sed secundùm quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur*: Cùm Deus peccatum tibi dimisit, si in illud relabaris, idem licet in genere ac specie crimen sit, nihilominùs plùs multò, ob ingratitudinem admissam, præcedenti est enormius. Si tibi duo, quatuor, viginti, triginta dimisit Deus; novum hoc, quod patras, peccatum duos, quatuor, viginti, triginta malitiæ gradus, plùs quàm prima continebit; Perpende igitur, quem malignitatis atque ingratitudinis cumulum primum à te committendum nefas sit habiturum; cùm plura jam, quàm centum, ducenta, forsan plura quàm millia tibi Deus dimiserit.

Philosophus moralis quatuor ingratitudinis recenset gradus: Primus est: non reciprocare benefactum nec par pari referre, non facere aut benefactori velle bonum. Alter, beneficii oblivisci. Tertius, pro bono malum reddere. Quartus denique ultimus ingratitudinis excessus, adversi aliquid benefactori inferre. Idem agis in delictum reincidens, abuteris misericordiâ à Deo tibi factâ, simul & facilitate, qua tibi dimisit, ut audaciùs ac temerariè magis ipsum offendas.

IV. Deinde perfidiæ peccatum est; violas pactum cum Jesu in Communione factum, promissis in Confessione non stas; præstitum ei fidelitatis juramentum falsificas, turpiter ei terga vertis, ut miseræ

ſeræ cuidam adhæreas creaturæ; deſertores ejus militiæ ac vexilli, proditoriè cum deſeris, ut capitali ejus ſervias inimico. Hoc eſt, quod Leges Civiles ſeveriſſimè puniunt non morte communi & ordinariâ, ſed torturâ ac mortis genere mancipiis, ac infimæ ſortis hominibus criminis reis ſolito. *L. deſertorem.* § *is, qui ad hoſtem. ff. de re militari.*

Hoc ceu peſſimum in Iſraelitis reperiebat Deus, hoc acriùs eis exprobrabat, hoc majori cum ſeveritate puniebat; erat id, cùm non ſervaverunt pactum. Quod cum Salvatore pactum iniiſti, quam in Baptiſmo cæteriſque Sacramentis promiſiſti fidelitas, incomparabiliùs ſacra magis, firma, atque inviolabilis eſt illâ Iſraëlitarum; confirmata namque fuit non ſanguine Agni, aut alterius victimæ, ſed adorando Jeſu ſanguine in Communione tibi dato; Dum ab hoc compromiſſo & transactione abis, contra Dei Filium ſummum tuum Dominum rebellionem faciendo, perfidiam committis, cujus ſtultitia ac malignitas non ſatis poteſt exaggerari.

V. Eſt & peccatum contemptus; ut enim Sanctus Thomas argumentatur loco ſupra citato, 3. *p. q.* 88. *art.* 1. cùm animam peccatricem ad pœnitentiam patienter exſpectat Deus, non tam magnæ bonitatis effectus eſt, quàm dum ei gratiam præbet, ipſique peccata dimittit. Age, Sanctus Paulus inquit, peccatorem divinæ bonitatis contemnere divitias, quando non movetur ac fertur ad pœnitentiam Dei longanimitate & patientiâ, quam erga eum Deus exercet, *Secundùm duritiam cordis, divitias bonitatis illius contemnis.* A fortiori divinæ bonitatis hujus divitias contemnis, cùm

Rom. 2.

facilè adeò factam tibi gratiam, datamque veniam deperdis.

Idem eſt, ac ſi ab ædibus tuis recederet famulus, ac ad priorem ſuum Dominum, à quo ſpontè diſceſſerat, reverteretur; contumeliæ loco duceres, teſtaretur in hoc, priorem ſibi Dominum magis probari, aut dominium ejus tuo ſibi eſſe utilius; per hoc daretur intelligi, quod in te avaritiam, tyrannidem, aut ſimile aliud vitium agnoverit, ob quod tuum ſibi diſpliceret ſervitium: *Diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egiſſe qui utrumque cognoverit, & judicato, pronunciaſſe eum meliorem cujus ſe rurſus eſſe maluerit; ita, qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere; diabolo, per aliam pœnitentia pœnitentiam ſatisfaciet, eritque tantò magis peroſus Deo; quantò æmulo ejus acceptus, Tertul. lib. de pœnit.* Cauſa extas, ut Dei Filium, Angelos, Sanctosque malignus ſpiritus explodat, erectâ criſtâ eis inſultet, trophæa erigat, ac veſtram ob recidivam ſe glorificet, dicens ad Jeſum: In converſione animæ hujus lætatus es, convocâſti Sanctos, Angelosque tuos, ut unà tecum ob perditum dragma inventum, atque ob errantem oviculam in ovile relatam lætarentur: Verùm feſtum tuum breve fuit gaudium, ignis de ſtramine, ſerenum brumale tempus, prætenſus triumphus, viola in Majo exorta; anima hæc octo aut quindecim diebus tua fuit, longo tempore mea eſt futura, jure Angelos Sanctosque tuos, ut tecum lamententur, convocare potes, ut tecum unà triſtentur, lugeantque pauxillum argenti te perdidiſſe, atque ovem tuam plùs quàm unquam periiſſe.

PUNCTUM SECUNDUM.

ARgumenta ex parte Dœmonis.

VI. Ita diabolus naso Jesum suspendit, cumque prædam arripuit, ne opineris quod facilè eam dimittit. Ut urbis Gubernator agit, qui exire compulsus, si expugnare aliquando valeat, meliùs quàm unquam tuetur, munitiones facit firmiores, fortificat, vigilias custodiasq; reduplicat, tormenta nova adduci procurat, respicit debile, introitum per quem intercepta est, muros ac propugnacula exaltat, nullius rei obliviscitur, nulli sumptui parcit, nihil ad se defendendum negligit; Jesus hanc adfert comparationem; *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi, & assumit alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

Luc. 11. 24.

PUNCTUM TERTIUM.

ARgumenta ex parte peccatoris Primò Scripturæ, secundò Patribus, tertiò Rationibus, quartò Comparationibus.

VII. *Et fiunt novissima illius pejora prioribus.* In pejori statu ac conditione es, quàm antè, magis à Deo elongatus, ampliùs diabolo subjectus, debilior, magis inclinatus & inescatus à peccato quàm aliàs unquam. *Vilis facta es iterans vias tuas.* Si, ut inquit Dei Filius, quis manum mittens ad aratrum, & respiciens retrò, non est aptus Regno Dei; quantò minùs ille, qui retrocedit?

Ier. 2. 36.

VIII. Benè ait S. Augustinus: Cùm crus fregeris, atque excellens illud Chirurgus curârit, si vice alterâ diffringitur, difficiliùs sane est ut rursùm accommodetur, eoque magis tertiâ, quartâ, quintâ vice. Cùm peccato consentis, spiritus tuus omninò degeneravit, animæ tuæ potentiæ luxantur, pars inferior haud ultrà superiori submittitur, nec rationi superior; per pœnitentiam curatur; at, si bis, ter, quater relaberis, tibi dicet Jeremias: *Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua, curationum utilitas non est tibi.* Magis magisque à te recedit Deus, non ultra tantum tibi, ut convertaris, gratiarum largitur; quia non commeritus es, in propinquo est, ut eas deperdas.

IX. A remediis destillaris, videns esse inutilia, animo cadis, videns te relapsum, non obstantibus resolutionibus tuis, novas arripere non audes, timens ne illas ceu præcedentes violes, non ampliùs tantam ad Deum recurrendi fiduciam habes, videns te promissa ac protestationes ipsi factas violasse, confiteri erubescis, metuens ne ob recidivam reprehendaris, magis magisque demergeris, ac vitiosos in corde habitus contrahis.

X. Dicito igitur, ut David: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Ab honesto mihi relatum est homine, coactum fuisse se apertas Granarii tenere fenestras, turmatim involasse passeres, tres quatuorvè se cepisse, totidemque diebus inibi tenuisse captivos, liberos tandem dimisisse; mirum, at verum! A parvis hisce prædonibus sic fuisse liberatum, neque hos, neque alios unquam rediisse? Non minùs bestiolis hisce sapias, quandoquidem per Dei gratiam de pedicis Diaboli ac Mundi liber evasisti, cave, cave, ne relabaris.

Non minùs sapias, ac Muli; *Nolite fieri*

fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Portitor quidam Philosopho Thaleti conquestus, Mulum alere se, semper in aquis residere solitum; consilium retulit, ut lanâ illum oneraret, fecit; isque plus solito, cùm ab undis surrexisset, se gravatũ sentiens, semper post abstinuit, dumque transeunda erat aqua; festinavit, ac si fuste percuteretur; An non ita, cum generaliter es confessus, cum verâ vitæ mutatione, te alleviatum; reperis te gravi ab onere exemptum, *Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me?* Suscepisti hoc onus, bestiæ instar in lutosa vanitatum ac voluptatum sensualium undâ volutabaris; expertus oneris hujus gravedinem, an iterum te ei submittes?

Erue de tenebris lumen, ac salutis instructiones, ab inimico salutis tuæ, *Salutem ex inimicis nostris.* Devictus dæmon per Jesu Crucem, horret illam ac reliquas omnes fugit. Si verè pœnites, ac magno salutis tuæ zelo teneris, non solùm abhorrebis ab ea, quæ relabi te fecit, formidabis ejus accessum, & magis adhuc conversationem, ac consortium fæminarum declinabis.

Conclusio. Argumenta conglobata ex tribus punctis.

XI. *Noli* itaque *ampliùs peccare*, cave ne in peccatum relabaris; aliàs pejoris futurus es conditionis, ac magis quàm Judæi, Gentiles aliique Infideles coram Deo reprehensibilis; Sanctus Petrus id declarat: Meliùs erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti; contingit enim illis illud veri proverbii: *Canis reversus* ad *vomitum suum.* (2. Petr. 2. 18.) Cùm voluptates sensuales deglutis, aliaq; scelera patras, odit te Deus; at si post confessionem relaberis, horret te ac detestatur. Desolatio est abominabilis, de qua in Evangelio Jesus; desolatio sanè; per recidivam nempè demoliris destruisque in te gratiam sanctificantem, dona ac fructus Spiritus Sancti, virtutes infusas, habitus supernaturales, bonorum operum merita, filiationem adoptivam, aliasque divitias spirituales, quas tuo in corde thesaurizârat Deus.

Postquam pro te tanta pertulit Salvator, longo adeo tempore te exspectârit, tanta cum patientia culpas tuas dissimulârit, tot sermonibus ad pœnitentiam invitârit, tanta cum misericordia ignoverit, tot impensis sanctificârit; posteaquam tibi suam largitus gratiam, pretioso sanguine suo te irrorârit, merita applicârit, abominabilis ei futurus es, derelinquendo eum, ac miseræ adhærendo creaturæ.

Idem, quod Samsoni, & tibi continget, crebro se in pericula perdendi se immisit, filiam infidelem contra Parentum voluntatem adamavit, à Philistæis captus, miraculosè semel, bis, ter, quater, quinquies liberatus fuit; tandem illum deseruit Deus, cumque sexta vice effugere meditabatur, dicens: *Egrediar, sicut ante feci, & me excutiam*, reperit se viribus destitutum, *nesciens quod recessisset ab eo Dominus.*

Laberis in delictum, confiteris; relaberis, ad confessionem redis, sic à Nativitate adusque Pascha, à Paschate usque ad Nativitatem; jamque id binis, ternis, quatuor egisti annis; forsan ultimum est peccatum, quod remittere tibi vult Deus; rela-

relabêris, dicesque: *Egrediar, sicut antè,* confitebor, & ignoscetur mihi; at deseret te Deus, ac sine confessione mori permittet.

XII. Procedet tecum Sathan, ut cum captivo fugitivo carceris custos; eo recepto arctè custodit, & invigilat. Aut, si mavis, cum mure felis, finit cattus aliquantulum murem currere, mox resumit, & sic deinceps, tandem devorat; Sic & Sathan septem aut octo diebus in hebdomate sancta te sinet, at post Pascha resumet; tandem arctè adeò te constringet, ut ultra non effugias; cum hac tamen differentia, quod tormentum miseri muris quartâ horæ parte duret, tuum verò nunquam sit finiendum.

XIII. An nunquam audivisti, vidisti, aut legisti, vel unum Sanctorum, qui veluti tu, vixerit? in revolutione ac confessionum vicissitudine continuâ ac recidiva? An non conspicis artificia ac Sathanæ esse stratagemata, qui pravo in statu per apparentes hasce conversiones, & ad usque mortis horam te detinet?

Conclusio Missionis in qua frequentia orationis commendatur.

XIV. Molestus vobis sum, finiendum est, vale vobis dicendum: at more Gallico, *A Dieu*, exopto, ut Dei sis, confer te ad Deum. Hic finis est ac Prædicationum omnium scopus, ut dirigaris ad Deum, ut Dei sis in cogitationibus, desideriis, decretis, actionibus & intentionibus.

Ad Deum te confer, inquire Deum, honorem ejus ac gloriam præfixam habe, cor mundum; huc omnia vestra collimcnt studia, ut cognoscatur Deus, honoretur, ei serviatur, obediatur ab omnibus; si ita acturus es, nil metue, *Nolite timere vos; scio enim quod Iesum quæritis.* Timeant Pilatus, Herodes, Caiphas; ambitiosi timeant & avari: at non ita vos, qui quæritis, qui timetis Deum. Obtinebitis benedictionem.

In cœptis vestris ite ad Deum, consulite illum, rogate eum, ut vos illuminet quò cognoscatis, an ejus sit voluntas; an pro ejus sit gloria; *Os Domini non interrogaverunt, Jos.* 9. 14. Et quia Josue quadam vice hujus oblitus fuerat, à Gabaonitis deceptus est.

In afflictionibus ito ad Deum, recurre ad ipsum, ad verum desolatorum asylum, imitare Saram, humiliata, opprobriis, infortuniis, calumniis ab ancilla obruta, non maledicit, non in eam convitia jacit; conqueritur in oratione Deo, suas ei pandit miserias, auxilium efflagitat; fac ita & tu, melius à Deo, quam ab ulla creatura solaberis.

Paucis, ito ad Deum; *Oculi mei semper ad Dominum.* Adora eum, obsecra, *Oportet semper orare*, tempus omne, quod ab occupationibus necessariis liberum est, orationi impende, cùm noctu non dormis, cùm Dominum præstolaris in Aula commorantem, ne tempus perde, recita Rosarium; laborans mentē ad Deum eleva, jaculatorias ad eum preces dirige; ac si pro peccatorum conversione zelo duceris, ora quandoque pro me Deum, novi me vera annuntiasse; verùm non eo, quo debebam zelo, humilitate, intẽtionis puritate, sanctitate; admodũm culpabilem me sentio, cum rubore ob commissos defectus dicendũ mihi, *Miserere mei Deus*, dum alii cantãt *Te Deum laudamus.* Orate pro me Deum, Charissimi, ut mihi noxas dimittat, cùm in mortis hora examini sistar, uti ex tota mente eum obtestor, ut vobis, toti urbi benedictiones suas elargiatur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *Amen.*

SERMO
SEPTVAGESIMVS OCTAVUS.
Pro Festo omnium Sanctorum.
Plus quàm in sexaginta scripturæ locis demonstratur, nos veram amplecti fidem.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Matth. 5.

EXORDIUM.

FEstum hodiernum, Auditores, non minore lætitia, quàm alia, quæ per annum celebramus, peragendum est. Ex hoc enim festo clarè convincitur, fidem nostram esse solùm veram, nosque omnes, qui sumus Catholici, & vivimus sub uno capite Ecclesiæ, Romano Pontifice, vicario Christi, successore Petri, esse intra veram Ecclesiam, adeò nos posse gaudere & lætari, quod nos maneat copiosa merces in cœlis. Verùm hoc unde possumus scire? Ex vita ipsorum Sanctorum, quorum hodie memoriam veneramur; nam si ab Adamo usque ad hunc diem aliquem eorum aspiciamus, videbimus, quod aliquem articulum fidei, nostræ Catholicæ confirmarint, illum docendo, vel pro illo vitam suam profundendo, uti eorum acta tam in sacra pagina, quàm in historiis legendo clarè videre liquet, & in hac concione clarè ostendemus.

Scrutamini Scripturas. Joan. 5 39.

2. Esdr. 4. I. Cùm filii Israël sub conductu devoti Nehemiæ ædificarent Jerusalem, unâ manu faciebant opus, alterâ tenebant gladium, ut contra Infideles, præcellens adeò ac laudabile cœptum impedire volentes, se tuerentur. Palatium à pietate Christiana in corde paratum Deo, sedes ei acceptior ac millies veteri Sanctuario, ut per Isaiam loquitur, est gloriosior. Cap. 66. Dum in Templi hujus fabrica laboro, ut me cum Dei adjutorio contra fidei hostes, qui continuationi ac salutaris adeò animi decreto opponere se conantur, defendam, spiritualis in manu tenendus est gladius. Gladius hic nonnisi verbum Dei est sacris in Bibliis exaratum, ac verbi æterni impressi atque in immaculatis visceribus tuis incarnati auxilium! ô Sacratissima Virgo! de te non sine ratione multa canit Ecclesia; *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*: Nam ut humanis in scientiis, primo principio benè stabilito ac declarato, omnes contrarii errores facilè refutantur; Ita divina in scientia quæ fides est ac Theologia, ad dissipandas hæreses cunctas lumen adduxisti, in mundum proferendo illum, de quo Propheta, Principium verborum tuorum veritas, Jesum Christum Dominum nostrum, quem benedicimus te salutando, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

Exordium. *Calvinistæ ne unum quidem Scripturæ locum citare possunt pro sua hæresi : nos plus quam sexaginta pro fide nostra.*

Puncto unico *probantur veritates Catholicæ, de iis, quæ sunt in cœlo, in terra, in inferis. In Cœlo, Angeli, Sancti: In terra, Ecclesia, & ea quæ in ea sunt, nempè Verbum Dei Scriptum & Traditum: Personæ, nempè Papa, Sacerdotes, Religiosi, Laici, de quibus considerantur in intellectu Fides, in voluntate Libertas, in concupiscibili abstinentia à cibis, in irascibili timor & spes, in actionibus bonis meritum, in malis culpa: Sacrificium, Sacramentum, Sacramentalia. In inferis, Limbus, Purgatorium.*

In particulari, veritates quæ probantur in Cœlo, 1. *Angeli nos custodiunt.* 2. *Invocandi.* 3. *honorandi.* 4. *sciunt cogitationes.* 5. *Sancti audiunt preces.* 6. *miracula per Reliquias & imagines.* 7. *Imagines.* 8. *diversitas gloriæ Sanctorum.* 9. *Ecclesiæ authoritas & infallibilitas.* 10. *ejus præcepta obligant.* 11. *Scriptura indiget interpretatione Ecclesiæ* 12. *Traditiones* 13 *Primatus Sedis Apostolicæ.* 14. *Sacerdotum potestas.* 15. *Religiosorum vota.* 16. *Austeritates eorum.* 17. *fides mortua.* 18. *fides perdi potest.* 19. *liberum arbitrium.* 20 *abstinentia à cibis.* 21. *timor reprobationis.* 22 *Præcepta Dei non impossibilia.* 23. *meritum bonorum operum.* 24. *culpa non tegitur in justificatione.* 25. *Sacrificium Missæ.* 26 *Baptismi necessitas.* 27 *Realitas corporis Christi in Eucharistia.* 28. *satisfactionis necessitas in Pœnitentia.* 29. *Matrimonium est sacramentum.* 30. *Aqua benedicta.* 31. *Limbus.* 32. *Purgatorium.*

II. In principio hæresis Calvini, id est, centum circiter antè annos: Sectæ illius Ministri, ut dolo simplices caperent, clamare non cessabant: *Scriptura, Scriptura.* Adferimus Scripturam sacram omninò puram, verbum Dei sine glossa, sine consequentia, sine verbi humani immixtione; dictum est eis: Benè, Domini, Doctrinam vestram è Scriptura sacra totà pura probate, amplectemur eam, ubique illam prædicabimus, sanguine consignabimus, pro ejus defensione libenter moriemur. Cùm ad factum devenitur, nil minùs quàm promissum præstant. Ne hoc sit, Confessionem Fidei conflârunt, id est, Bibliæ suæ fini impressum adjunxêre, in quam omnes fidei suæ articulos redegerunt, atque in margine Scripturæ loca, unde se illos extraxisse ajebant, citârunt. Alterum alteri conferte, amabo, visuri estis loca, quæ in margine citant, de Articulis in Textu scriptis ne verbum continere. Hos inter articulos à nobis quosdam sumpsêre mutuos, in quibus nobiscum cõveniunt, ut de Sancta TRINITATE, Incarnatione, aliisq; Mysteriis, atque in Bibliis reperiuntur. Sunt & alii, quos nobis opponunt, ac loca, quæ ad probandos eos in margine citant, horum nihil continent: e. g. in præfatæ Confessionis articulo undecimo inquiunt, originale peccatum, etiam post Baptisma, semper peccatum esse quoad culpam, &c, ut probent, in margine Capituli septimi Epistolæ ad Romanos versum septimum citant, ubi sanctus Paulus inquit: *Quid ergò dicemus? Lex peccatum est? absit? Sed peccatum non cognovi nisi per Legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.*

In

In articulo trigesimo quinto non nisi duo esse Sacramenta protestantur, id est, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, Matrimonium non esse Sacramenta: id ut probent, tria in margine loca assignant, Capitulum nempè Actorum duodecimum, ubi ne verbum de Confirmatione, aliisque Sacramentis continetur; Capituli sexti versum ad Rom. tertium, ubi dicitur: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus:* & ad Titum capituli tertii versum quintum: *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*: Judices vos constituo, si hisce in verbis articulus hic sine glossa ac consequentia habeatur: non nisi duo sunt Sacramenta; Confirmatio, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium Sacramenta non sunt: & si omnibus istis in locis vel verbum, undè Articulus hic extrahi queat, contineatur, quæ glossa & consequentia adfertur? En, quod insolens, non nisi Scripturam jactant, nec unicum allegare textum ad doctrinam probandam nôrunt.

Ex adverso plures, quàm triginta formales & expressos sole clariores textus allegabo, ut cernatis nos veram amplecti fidem; atque ut methodicè procedatur, veritates, quas de iis, qui in Ecclesia sunt triumphanti, ac sustinenti, id est, Purgatorio extant, perpendo.

Psal. 90. Credimus quemlibet nostrûm Angelum habere custodem: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Jesus nobis inquit: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* In Actibus Apostolorum capite 12. sanctus Petrus miraculosè de carcere ereptus pulsavit ad ostium domus, in qua fideles extitêre; ancilla quædam ejus inaudiens vocem ait: *Stare Petrum ante januam: at illi dixerunt ad eam: Insanis; Ancilla autem affirmabat sic se habere: illi autem dicebant: Angelus ejus est.*

Matth. 18.

Credimus honorari posse Angelos, non honore Latriæ, verùm hommagio multò inferiori; Abraham id fecit, Gen. 18.2. Justus Loth, Genes. 19. & Josue cap. 5.15.

Credimus invocari posse Angelos, Gen. 48.16. Jacob Sanctus in Scriptura appellatus, paulò antè mortem filiis benedicens, Ephraim ac Manasse ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Oseæ 12.4. dicitur, quod *Iacob cum Angelo luctatus, rogavit eum.*

Credimus Angelos cogitationes ac dispositiones cordium cognoscere posse. *Lætantur in conversione peccatoris*, qui nonnunquam in corde illam facit.

Quod Sancti preces audiant, ac quæ in mundo aguntur nôrint, Luc. 16. Abraham divitis in Inferno preces inaudiit, novitque Lazarum fuisse afflictum, atque Epulonem bona recepisse. Psal. 44.17. Apoc. 5.10. Sancti regnant in terris, an quæ aguntur, ignorant?

Quod per Sanctorum Reliquias atque imagines Deus miracula patret, 4. Reg. 13. Mortuum Elisæi corpus mortuum in ejus sepulchro locatum resuscitavit. Act. 19.12. S. Pauli sudarium languores sanabat, expellebat dæmones. Act. 5.5. Umbra S. Petri sanavit infirmos.

Credimus genuflexiones antè imagines, modò non adorentur, esse permissas. Josue 7.6. Sanctus ille Capitaneus ac Seniores populi coram Archa, ubi Cherubinorum erant effigies prosternebantur.

Credimus gloriæ ac beatitudinis inter Sanctos in Cœlo diversitatem, Matth. 5. In Regno cœlorum quidam minimi, alii magni vocantur, S. Joan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 1. Cor. 15. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum, sic & Resurrectio mortuorum.* In terris considerare possumus Ecclesiam, verbum Dei, extantes in Ecclesia personas, mysteria.

Credimus veram Ecclesiam non fallere nec errare posse in fide, S. Spiritum eam regere ac gubernare, ejus esse nos instruere ac judicare Psal. 45. aut secundùm vos Ps. 46.

III. In 31. Confessionis vestræ articulo dicitis eam esse collapsam, & hîc post Davidem concinitis nihil eam quassare posse, bina hæc paululùm confer, Psal. 93. aut secundùm vos 94. 14.

IV. Legite in Bibliis vestris titulum ac summarium capitulorum 54. 59. 60. & 62. visuri estis affirmare ipsos Ecclesiæ Christianæ Deum loqui: En, quid ei dicat Isaiæ 54. 9. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas diluvii ultrà suprà terram, sic juravi, & non irascar tibi, & non increpem te; montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te; fœdus pacis meæ non movebitur.* Et paulò inferius, vers. 17. *Omne vas, quod fictum est, contra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in judicio judicabis.*

Isa. 59. 21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus amodò, & usque in sempiternum.*

Isa. 60. 12. *Gens & Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Et versu 19. *Erit tibi Dominus in Lucem sempiternam.* Isa. 62. 4. *Non vocaberis ultrà derelicta.* Ais Ecclesiam Meretricem esse, de qua in Apocalypsi? atque ita Sponsus divinus cum scorto morabitur; promittit enim, se nunquam id derelicturum.

Oseæ 2. 19. *Sponsabo te mihi in fide in sempiternum.*

Zach. 8. 3. Ecclesia appellatur civitas veritatis.

Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Matth. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Ad S. Joannem 14. *Mittam vobis spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.*

1. Timoth. 3. *Ecclesia est domus Dei, columna & firmamentum veritatis.*

Credimus eos, qui ab Ecclesia Rom. se separant, evitari debere; quia non serviunt Jesu Christo, ast ventri suo, ac dulcibus verbis seducunt corda innocentũ. S. Paulus est, qui iisdem id terminis dicit, Ecclesiæ Rom scribens, *cap.* 16. 17.

Credimus, Ecclesiam Rom. nunquam fuisse nec esse posse Jesu sponso suo infidelem; S. namque Paulus Ephes 5. 24. fœminis conjugatis mandat, ut viris, sicut Ecclesia Jesu sint subjectæ; de Ecclesia Rom. ubi erat, loquitur. Dicitis vos eam Apocalypsis esse meretricem? En præclaram fœminis vestris datam instructionem! S. Paulus præcipit, ut vobis, sicut Jesu

Jesu Ecclesia, subditæ sint; & dicitis vos, à fidem illam adulterasse? Ecquam fæminæ vestræ conclusionem inde sunt formaturæ, nisi in honore magis, quàm ist doctrina vos, essent puræ?

V. Credimus Ecclesiam edere præcepta posse, quæ in conscientia ad tempus, non semper, aut certo in loco, non in cunctis, ut æquum judicat, prudentiâ sibi à Spiritu Sancto communicatâ, obligant. In Scriptura id continetur Act. 15. in primo Apostolorum tempore Concilio habito, inquiunt: *Visum est enim Spiritui sancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione:* Et vos à sanguine leporum aut columbarum suffocatarum haud abstinetis, ac fatemini non semper præceptum hoc obligasse?

Credimus, Scripturam omnem non adeò claram esse, ut interpretatione non egeat, in ipsis quoque salutis punctis, atque à Pastoribus nostris & Ecclesiâ ejus intellectum exquirendum. *Dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Doctores, ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* (*Ephes.* 4.) In secunda sancti Petri Epistola cap. 1. 20. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*

VI. Credimus, solam Scripturam sacram non omnes nobis credendas continere veritates, sed & recipiendas Traditiones Apostolicas; (*2. Thess.* 2. 14) *Tenete traditiones quas accepistis.* In quo, Domini, vos malam ob fidem accuso; in novo vestro protestamini Testamento de Græco textu vos illas transtulisse, & cap. 15. S Matthæi, ubi pravas Pharisæorum traditiones reprehendit Salvator, ponitis vos: *Traditio?* & ad Thessalonicenses, ubi Sanctus Paulus Apostolicas commendat Traditiones, loco *traditionis*, ponitis: *Instructio verbi*, idem licet verbum binis in locis habeatur in Textu Græco, παράδοσιν, παραδόσεις Jerem. 35. 2. Rechabitæ laudantur atque à Deo, quod à vino traditione à patribus acceptâ, abstinuerint, commendantur.

VII. Credimus, Sanctum Petrum Apostolorum fuisse Principem, Caput ac Pastorem Ecclesiæ supremum, ac post Ascensionem Jesu Christi Vicarium, *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.* (*Matth.* 10. 2) Si Princeps non erat, cur id Evangelista profert? ætate primus non erat, nec quoad vocationis suæ tempus; erat ejus frater sanctus Andreas; nec deliciæ ejus ac dilectus: S. erat Joannes: ast dignitate primus. Ac tandem ne quis opinetur, cùm Evangelista inquit, *primus est Simon*, per modum esse numeri, ut, cùm dicimus: *unus, duo, tres*; non dicit: *alter est Andreas*; taliter primus est, quod secundum non habeat.

Cùm Evangelistæ duodecim nominant Apostolos, confusè nominant, ac mixtim. Sanctus Matth. 10. 2. & Lucas 6. 14. S. Andream post S. Petrum nominant; & Act. 1. 3. S. Lucas SS. Joannem ac Jacobum antè S. Andream locant; ast omnes Sanctum Petrum semper primum appellant; erat enim talis in effectu; ac de eo ceu capite & reliquorum duce loquuntur: & de reliquis velut ejus sequacibus; Quàm agnoscit Petrus commissum sibi gregem, quàm in hoc choro princeps est. *Chrysost. in hunc locum.* Luc. 8. *Dixit Petrus, & qui cum eo erant.* Act. 5. 29. *Respondens*

dens autem Petrus & Apostoli. Matth. 16. Instar primi ac nomine omnium de prima Christianismi veritate quæ est Salvatoris divinitas, professionem edidit fidei, Jesu eis dicente: *Vos, quem me esse dicitis: Respondit Petrus: Tu es Christus, Filius Dei vivi.*

VIII. Luc. 22. 31. Loquens Salvator de tentationibus, quas perpessuri erant, in plurali loquitur; verùm de Fide infallibili à Patre petita, in singulari dicit, eam se pro Petro petiisse; aliæ enim sedes tentationibus everti possunt, non illa Petri.

Fundamentalis Ecclesiæ petra est Petrus, ovium atque ovilis Filii Dei Pastor. Agni sunt inferiores, Prælati oves. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In S. Joanne 21. 15. *Pasce agnos meos pasce oves meas.*

Tributum pro Jesu ipse solvit, Matth. 17. Familiæ capita vectigal persolvunt.

Apostolorum primus ipse, cui post Resurrectionem apparuit Jesus, 1. Cor. 15. ait sanctus Paulus: *Resurrexit tertiâ die, & visus est Cephe. & post hoc undecim.*

Solus ipse in Apostolorum ac fidelium congregatione in Virginis præsentia præsedit ac locutus est.

Primus post Spiritus S. adventum prædicat, ac grande hoc populo mysterium explicat. *Act. 2.*

Primo Apostolorum Concilio præsidet, Act. 15. primus post Evangelii publicationem ad fidei confirmationem edit miraculum Act. 3. ad Templi portam erigens claudum.

Primus Gentilem ex mandato Filii Dei expresso ad fidē convertit, ne Paulus primus Gentilium Apostolus haberetur. *Act. 10.*

Primus in Ananiam ac Saphiram justitiæ actum exercuit. *Act. 5.*

Primus Simonem Magum hæreticum damnat, in hoc demonstrans potentiam se habere ligandi ac solvendi, absolvendi ac damnandi. *Act. 8.*

S. Jacobus Salvatoris nostri consanguineus ac de tribus suis intimis unus, captus ac ab Herode decapitatus est, non movetur Ecclesia, nihilque facit: S. Petro ab eodem Herode in carcerem misso, dolet Ecclesia omnis, velut afflicto capite totum corpus mœret; preces communes ac continuas pro eo instituit. *Act. 12.*

IX Credimus Presbyteros à peccatis absolvendi habere facultatem, Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et in S. Joan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Credimus Sacerdotes ac Religiosos vota falsificantes peccare graviter; ut fecêre Calvinus, Lutherus, Beza. Psal. 75. 12. *Vovete & reddite Deo vestro.* In Ecclesiaste 5. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.*

Credimus rem esse laudabilem ac Deo acceptam austerè vivere, cilicium gestare aut alium habitum rudem, jejunare, ac noctis partem precibus transigere, ut tot boni faciunt Religiosi ac personæ Deo sacræ, Matth. 3 4. Sanctus Joannes Baptista laudatur, quod vestimentum gestârit de pilis Cameli Luc. 2 36. Sancta Anna Prophetissa, quod diu noctuque jejuniis ac precibus vacârit ipsos quadraginta quatuor annos.

Credimus contra vigesimum Confessionis vestræ articulum, solam fidem absque charitate ac bonis operibus non justificare, 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* Jac. 2. 14. *Si fidem*

fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; nunquid poterit fides salvare eum?

Credimus fidem deperdi posse. 1. Timoth. 1. 19. *Quidam bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt;* 2. Tim. 2. 17. *Hymeneus & Philetus à veritate exciderunt, & subverterunt quorundam fidem.*

Credimus liberi arbitrii per peccatum non deperditam esse libertatem, Matth. 19. Jesus cuidam juveni dicit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & sequere me; cùm audisset verbum, abiit tristis.* Matth. 23 37. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* 1. Cor. 7. *Homo potestatem habet voluntatis.*

Credimus, Dei creaturas omnes esse bonas, ac nihilominus à quibusdam pœnitentiæ spiritu ac mortificationis abstinere laudabile existere. Marc. 1 6. Laudatur S Joannes Baptista, quod non nisi locustas ac mel sylvestre comederit.

Credimus de salute nostra nos minus extare securos, semperque nobis in timore degendum. Psal. 2. *Servite Domino in timore.* Job 9. *Verebar omnia opera mea.* In Ecclesiast. 9. *Nemo novit, utrum amore an odio dignus sit.* Ezech. 18. 24. *Si averterit se justus à justitia, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, in peccato suo morietur.* 1. Cor. 9. 27. *Castigo corpus meum, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Phil. 2. 12. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.*

Credimus aspirare nos posse ad custodienda omnia Dei mandata, quia non impossibilia cum gratia Dei, ut vos vestro in Catechismo dicitis. Deut. 30. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Marc. 9. *Omnia possibilia sunt credenti.* Luc. 1. 6. de SS. Zacharia atque Elizabetha dicitur: *Erant ambo justi antè Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela* Phil 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.*

Credimus contrà decimum octavum Confessionis vestræ Articulum, bona opera nostra in statu gratiæ facta, per unionem quam cum Christi meritis habent, recompensationem promereri. Psal. 61. Matth. 16 Rom. 2 Apoc. 2. *Reddet Deus unicuique secundùm opera sua.* Matth 20. *Cùm serò esset, dicit: voca operarios, & redde illis mercedem.* 1. Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem recipiet, secundum suum laborem.* 2. Cor. 5 *Referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Tim 4. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

X. Credimus peccatorum nostrorum culpam non tectam solùm, sed & in justificatione deletam esse atque ablatam. Psl. 102. *Quantùm distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Isa. 1. *Peccata vestra quasi nix dealbabuntur.* Hebr. 9. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.*

Credimus in Ecclesia verum ac reale adorandi corporis ac pretiosi Jesu sanguinis sub speciebus panis ac vini sacrificium contineri. Mal 1 10. Antiqua ceu parvi nimium valoris Sacrificia rejicit Deus; ac de tempore futuro ceu præsenti Pro-

Prophetarum more loquens, ait: *In omni loco offertur mihi oblatio pura & munda.* Non de Crucis sacrificio, quod in Calvariæ tantùm monte offertur, nec de improprio bonorum operum nostrorum, quæ secundùm Calvinum immunda sunt, ut pannus menstruatæ, loquitur, Psal. 109 4. Hebr. 5. 6. *Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Gen. 14. 18.

Credimus Baptismum absolutè necessarium esse ad salutem. In S. Joanne 3. 5. *Veritatem vobis dico, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei*, Eph. 5. 26. *Mundat Ecclesiam lavacro aquæ.* Vestris in precibus fatemini, in peccatis vos esse conceptos ac natos; filius tuus absque Baptismo moriens immundus est, Tit. 3. 5. *Salvos vos fecit per lavacrum regenerationis.*

XI. Credimus, Jesu Christi corpus realiter ac de facto existere in Eucharistiâ, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Jesus verba hæc sole clariora testamentum condens pronunciat: *Hoc est corpus meum.* In S. Joanne 6. *Caro mea verè est cibus; panis, quem ego dabo, caro mea est.* Caro ejus est, non solùm cùm sumitur ac apprehenditur, sed dum datur, ejusque in manibus extat.

Credimus veram pœnitentiam non consistere solùm in agnitione ac culparum emendatione; at in satisfaciendo justitiæ Dei per jejunia, lachrymas, aliaque opera bona. Joël 2. *Convertimini ad me jejunio, fletu & planctu.* Job 42. 6. *Ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Matth. 12. 41. *Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ*, jejunârunt, atque ipse Rex sacco indutus cinere se conspersit, Jonæ 3. 6.

Credimus Matrimonium esse sacramentum. Sanctus Paulus dicit expressè Ephes. 6. Novi quod loco *Sacramenti* vertatis: *magnum esse secretum*: verùm, Catechismum Græcè docentes in Scholis Genevæ, pro eo, quod dicatis Sacramentum, dicere vos μυστήριον; atque idem verbum hoc in loco ad Ephesios continetur.

Credimus bene-factum, ut aqua, panis atque aliæ creaturæ benedicantur: 1. Timoth 4. 5. *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

Credimus Sanctos non in cœlum at Limbum antè Filii Dei mortem concessisse; Gen. 37. 35. Cùm sanctus Patriarcha Jacob se brevi moriturum arbitraretur, filium suum Joseph mortuum credens, ajebat: *Descendam ad filium meum lugens in Infernum.* Sanctus Petrus epist. 1. cap. 3. 19. ait, Jesum in cruce mortuum, *his qui in carcere erant spiritu veniens prædicasse.*

Credimus Purgatorii ignem. Matth. 5. 22. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*; non sanè dicetis hominem alio peccato carentem damnandum.

Vereor, ne vobis molestias creem; residuum differamus in crastinum, in quò, dante Deo, visuri estis, Calvinistas non esse in Ecclesia Jesu Christi & Apostolorum; atque interim rogemus eum, qui sol est justitiæ, ut animas eorum illuminet, ac dicamus: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Amen.*

SER-

SERMO SEPTVAGESIMVS NONUS.

Pro Festo Sancti Martini Episcopi.

Demonstratur plus quam in 50. Scripturæ locis Calvinistas non esse in Ecclesia Jesu Christi & Apostolorum.

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Luc. 11.

EXORDIUM.

OPtima ratione oculus corporeus comparatur cum oculo spirituali animæ, scilicet fidei; attamen non parva est inter utrumque differentia. Nam quod attinet ad oculum corporis, nemo est mortalium, qui se velit esse cœcum, sed omnes volunt videre, & appetunt visum, attamen multi sunt, qui spiritualiter cœci esse volunt, quia respuunt pharmaca, quibus visum recipere possint. Dein qui corporaliter cœcus est, scit se esse cœcum: sic verò non est de iis, qui spiritualiter cœci sunt. Tales sunt omnes hæretici, illi enim putant se habere rectissimam fidem, cum tamen eam habeant soli Catholici, quia tenemus semitam, quam omnes nostri antiqui tenuerunt. Ut ergò videant hæretici, quod lumen, quod in iis est, tenebræ sint, & Catholici videant se rectum lumen habere, legant hanc concionem.

Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus Matth. 18

I. Quemadmodum doctè sanctus Hilarius protulit, nihil mundo tam periculosum, quàm non recepisse Christum; declaravit namque Salvator vitam æternam in verbi Dei, ac quem misit Filii cognitione consistere: sic & verè dicere valemus, nihil post ingratam hanc oblivionem esse periculosius, quam non agnoscere ac veram recipere Ecclesiam; declaravit etenim Salvator idem, quod Ecclesiam non audiens Ethnici instar, verum Deum non agnoscentis, sit habendus.

Cùm sancti Joannis Baptistæ Discipuli de ejus præcepto te adirent, ô Jesu ac Salvator mî, ut à te num Messias esses expeterent, respondisti eis, renunciarent ei cœcos recipere visum; ad neminem enim nisi ad te, & quibus mandas pertinet visum reddere corporalem, eoque magis spiritualem iis, qui illum perdiderant: Sanctus tuus Augustinus ait, & verum est, adeò cœcos esse Hæreticos, ut quo clarior ac visibilior res est, hoc eam minùs conspiciant, nempè Ecclesiam Catholicam. Illumina eorum oculos, Divini luminis tui radium eis immitte, qui eos ad montem tuum sanctum, atque Ecclesiæ tuæ sanctuarium deducat, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Per sanctissimæ Matris tuæ intercessionem te rogamus, *Ave Maria.*

IDEA SERMONIS.

In vera Ecclesia debent credi omnes articuli fidei, quos Christus docuit; administrari omnia Sacramenta, quæ instituit; observari omnia præcepta & consilia, quæ tradidit. Hoc non fit in Ecclesia Calvinistarum, sed in nostra, quod probatur inductione eorum, quæ sunt in cœlo, in terra, in Purgatorio. In Cœlo Angeli, Sancti; in terra Ecclesia, præcepta: & ea, quæ in ea sunt, nempe verbum Dei, personæ, præcepta Dei, Sacramenta; sub terra, Purgatorium.

Et in particulari veritates, quæ probantur in Cœlo. 1. Angeli invocantur. 2. Sancti cogitant de nobis. 3. Sciunt actiones nostras. 4. Sunt judices nostri. 5. In terra Ecclesia una 6. Catholica. 7. Universalis. 8. Visibilis. 9. Libri Machabæorum sunt sacri: Personæ in Ecclesia, nempe 10. Episcopi. 11. Sacerdotes. 12 Exorcistæ. 13. Concionatores. 14. Religiosorum obedientia. 15. Castitas. 16. Paupertas. 17. Virgines Religiosæ. 18. Laicorum orationes. 19. Præcepta, Christi Sacramenta. 20. Baptismus extra templum. 21. Confirmatio. 22. Altare. 23. Eucharistia in Azymo. 24. Communionis frequentia. 25. Calicis benedictio. 26. Confessio. 27. Extrema unctio. 28. Ordo. 29. Matrimonii indissolubilitas. 30. Ablutio pedum. 31. Purgatorium.

II. Sanctus Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo scribens ait *2. Tim. 3. 16.* Scripturam sacram à Deo inspiratam, atque utilem non solùm ad instruendum perficiendumque Christianum, sed & ad corrigendum eum, ac de falsitate, si in errorem contra Orthodoxam Religionis Catholicæ doctrinam labatur, arguendũ. Hesternâ luce plus quàm in 60. locis Bibliæ formalibus atq; expressis nos veram amplecti fidem est declaratum: Die hodierna per alios Scripturæ textus demonstrandum, nullo modo in Filii Dei atque Apostolorũ Ecclesia extare Calvinistas. Non est Filii Dei atq; Apostolorum Ecclesia congregatio illa, in qua non omnes edocti à Jesu atque ab Apostolis prædicati creduntur fidei Articuli; nî &, quæ Jesus instituit, atque ab Apostolis collata sunt Sacramenta, in illa administrentur; nisi omnia, quæ Jesus præcepit ac consuluit, atque Apostoli practicârunt, serventur; in vanum enim præcepta Dei Filius ac consilia Ecclesiæ dedisset, nisi ad minùs aliqui observare illa deberent. Ad minùs aliqui dico; si enim corpori cuidam naturali aut politico quædam imperentur, nec præceptum particularem quemvis tangat, non requiritur, ut omnes corporis istius partes, omnia communitatis illius membra imperata aut consulta exequantur; sufficit, ut totum corpus per aliquas sui partes, particulariter ad id destinatas ea perficiat. Cùm Rex urbi cuidam, ut excubiæ agantur, præcipit, nil opus ut id fæminæ atque etiam cuncti cives exequantur: at nonnulli solùm liberè id facientes, aut conducti ac propterea soluti. Dei Filius hoc in mundo non pro Apostolorum tempore tantùm, sed pro futuro ad sæculorum usque consummationẽ Ecclesiam fundavit; Quidquid instituit, ordinavit, consuluit, in vera Ecclesia practicari debet, nõ necessariò à singulis, verùm ad minùs per aliquos ab Ecclesia approbatos, sacratos atq; hunc in effectum destinatos. Cùm inquit: *Prædicate, baptizate, Eucharistiam distribuite*, nõ requiritur, ut particulariter omnes prædicent, baptizent, Eucharistiam distribuant; verùm nonnullos id facere oportet; & si nemo has Ecclesiæ functiones obiret, Jesu & Apostolorum Ecclesia non foret. Agedum

dum in vestra Ecclesia prætensa, Domini Religionis, pluribus in Articulis non creditur, quod Apostoli crediderunt, plura ab Apostolis administrata Sacramenta nõ administrantur, plures practicatæ ab Apostolis observantiæ non practicantur; quod è Scriptura demonstro, eundem quem heri ordinem sequens, nempè in cœlo, terra, Purgatorio: ac nota, me hîc non loqui de iis, quæ particulariter non creduntur, neque inter vos practicantur; verùm de doctrina ac defectibus Ecclesiæ vestræ, ut illos in *fidei* vestræ *Confessione ac precibus Ecclesiasticis* cernere licet.

III. Vestra in Ecclesia tenetur, non invocandos Angelos? In illa Apostolorum invocabãtur, Apoc 1. S Joannes exoptat *gratiam & pacem à Deo, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni ejus sunt.* Minister quidam mihi respondit de Spiritu S. hoc intelligi, cui dicitur: *Tu septiformis munere.* Verùm ajo esse blasphemiam; S. namque Spiritus antè Thronum servi instar non consistit, in Dei throno est, cùm Deus sit; & si S. Joannes post septem hos Angelos Jesum Christum nominat, ideò est, quod ad longum de eo immediatè post loqui volebat.

Tenetis Sanctos nostrûm in particulari post eorum mortem non recordari? Contrà id, quod scriptum est 2. Petr. 1. 15. *Dabo operã & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis.* Novi hunc vos explodere locum, malitiosè parvulum transponentes verbum; nam pro eo, quòd dicatis, *dabo operam post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*; traducitis, *Dabo operam, ut post obitum meum.* Verùm textus Græcus malæ, fidei vos convincit σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε. *Sigillatim* ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον.

Asseritis Sanctos eorum nihil nosse, quæ apud nos aguntur? Jesus sua in Ecclesia contrarium asseruit. Luc. 15. 6. ait, se in peccatoris conversione amicos ac vicinos, id est Sanctos convocare, ut sibi de inventa ove congratulentur. Act. 10. 31. Cornelio Angelus inquit: *Eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei*: Sancti penes ipsum surdi non sunt, ut minùs percipiant.

Dicitis, nos nimium Sanctis impendere honoris, nostros appellando advocatos, quod Jesus noster vocatur advocatus? plùs adhuc eis tribuit, judices nostros constituit, sæpe licet ipse noster appelletur judex, Matth. 19 *Judicantes duodecim tribus Israel.* Respondebitis eos, ceu testes, judicaturos, contrà nos dicentes; at testes non sunt antè judicem sessuri, benè autem Apostoli, & quidẽ suprà Thronos, in sedibus Regalibus, velut Supremi Judicis assessores ἐπὶ δώδεκα θρόνων. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?*

In Apostolorum Ecclesia fideles cuncti unam amplectebantur fidem: Eph. 4. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*: In vestra fundamentalibus in Articulis fidem omninò contrariam habent: ad Communionẽ vestram recipitis Lutheranos, contrà vos corporis Jesu Christi in Eucharistia realitatem credentes, qui velut Apocryphos librum Job, Ecclesiastis, S Jacobi Epistolam rejiciunt.

Apostolorum tempore, dum querebatur, ubinam esset Ecclesia? illa Apostolorũ ac Discipulorum monstrabatur Si hac in urbe, aut alibi Ecclesia inquiratur Catholica? nemo vestram assignat? Si nosse quis velit, quot extent Catholici? vestros numerat nemo. Si Genevã adiens Portæ dicam custodibus, Catholicũ me esse, mox, quòd de eorũ secta non sim, percipiunt,

Ecclesia Apostolorum confestim extitit universalis, ac per totum orbem est diffusa. Rom. 10. *In fines orbis terræ verba eorum.* Rom. 18. Fides vestra in Hispania, Italia, Græcia, ac potiori orbis parte incognita latet.

Vestram Ecclesiam longo tempore occultatam fuisse dicitis atque invisibilem; illa Jesu & Apostolorum, semper visibilis est, ac notatu velut in Firmamento Sol, facilis; *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium,* Isaiæ 2. 2. *Non potest civitas abscondi suprà montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum* Matth. 5.

IV. Vestra in Ecclesia Machabæorum libri rejiciuntur: in illa Jesu & Apostolorum sunt recepti, atque inter reliquos scripturæ libros citantur; in antiquis namque Bibliis vestris, in margine diversorum Scripturæ locorum citationes continentibus, in S. Joanne cap. 10. vers. 22. ubi dicitur in Dedicationis die in Templo extitisse Jesum, librum Machabæorum primum, versu 59. citatis, ubi Dedicationis hoc festum Judas Machabæus instituisse dicitur. Et cap. 11. Hebr. S. Paulus, Martyrum recensens pro Fide tormenta, in scripturis enarrata, ut de Zacharia lapidato, 2. Paralip. 24. de Jeremia illuso, virgis cæso, intoxicato, Jerem. 37. 14. Sanctus Paulus, inquam, eod. in cap. vers. 35 inquit: *Distenti sunt.* In Græco est ἐτυμπανίσθησαν, ponitis in margine vos: *Instar tympani distenti sunt*; ac secundum Machab. 28. commodè admodum citatis; nam loco textus Latini, *ad supplicium trahebatur*, habetur in Græco: εἰς τὸ τύμπανον, quod idem in Hebræo verbum est, nec in toto V. T. hoc supplicii genus, à sancto Paulo allegatum, reperitur, nisi in hoc textu Machabæorum.

V. Apud vos Episcopi non extant; In Apostolorum Ecclesia erant: 1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 7. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.*

Sacerdotibus caretis? Tunc erant, non solùm accipiendo verbum hoc *Sacerdotes*, pro *Seniore*, πρεσβύτης, ut vos sumitis, sed pro *Sacrificatore* ἱερεὺς *Sacerdos*, Heb. 2. 17. & cap. 3. 1. & cap. 4. 14. Jesus Christus appellatur ἀρχιερεὺς *Princeps Sacrificatorum*, Psal. 131. David de Ecclesia Christiana loquens, quam Deus elegit pro habitatione sua æterna, etiam secundùm vestram interpretationem, Sacrificatores fore, *Sacerdotes ejus induam salutari*; ipsi vos ita traducitis τοὺς ἱερεῖς αὐτῆς.

In Ecclesia vestra, nemo expellit dæmonia, non ibi fiunt miracula; & Ecclesiæ suæ Jesus utrumque promisit. Marc. 16. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* In S. Joanne 14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet.* 1. Cor. 12. 9. *Alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum.*

Præcepit Jesus Ecclesiæ omnes instruere populos, Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes.* Marc. 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ,* Act. 1. Nullus vestrûm in potiori parte mundi Evangelium prædicavit, ut Jesuitæ, Capucini, aliique in China, Japonia, atque alibi fecerunt.

In Ecclesia Jesu derelinquunt alii domos, patrem, matrem, bona, ob ejus atque Evangelii amorem, quibus centuplum promittit: Marc. 10. 30. Inter vos id facit nemo: plures autem nostra in Ecclesia boni Religiosi.

Vestra

Vestra in Fidei Confessione tenetis Prælatorum mandata in conscientia non obligare? Contrarium in Apostolorum Ecclesia tenebatur, Rom. 13. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, & versu 5. *Subditi estote non solùm propter iram* (Superiorum) *sed etiam propter conscientiam*.

In Apostolorum Ecclesia, complures, ut Regnum cœlorum obtinerent, continenter degebant: Matth. 19. 12 & 1. Cor. 7. 7. Desiderat S. Paulus, ut à muliere, velut ipse abstinerent omnes: Respondetis adjungere eum: *Unusquisque proprium donum habet*: vera dicitis: at mirabile nullum è Ministis vestris hoc donum habere, nullum S. Pauli votum adimplere, ne unus quidem mente ac corpore purus est, velut magnus hic Apostolus desiderat: Si quis dono hoc præditus esse debet, erit, qui orationi intendet, 1. Cor. 7. 5. Nullus Ministrorum vestrorum, qui pro populo orare debent, hoc dono claret, nullus de numero eorum, quibus hæc laus tribuitur, quod *cum mulieribus non sint coinquinati, & sequuntur agnum, quocunque ierit*. Apoc. 14.

In Ecclesia Apostolorum plures paupertatem servabant, nec aurum nec argentum possidebant, Matth. 10. 9. Act. 3. Recollecti apud nos & Capucini faciunt, nemo vestrûm.

Erant filiæ Virginitatem custodientes, non ex defectu mariti, ast, ut non nisi de Deo cogitarent, atque ut corpore ac spiritu essent sanctæ, 1. Cor. 7. 34 nostræ faciunt, ubinam sunt vestræ?

VI. In S. Joanne cap. 4. 23. ait Jesus, quod *sua in Ecclesia adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Et vos vestris in precibus mendacia profertis, dicitis vos incessanter peccare, atque ad omne bonum esse inutiles? Cùm vestros baptizatis infantes, cùm Deum oratis, cùm Parentibus obsequimini, cùm moderatè somnum capitis, non delinquitis; igitur non sine fine ac cessatione peccatis: Eleemosynam elargiri bonum est, consolari afflictos bonum, ignorantes instruere bonum; subindè facitis, igitur non ad omne bonum inutiles estis? Dixit Jesus: *Dicite, quia servi inutiles estis*; ita: sed non ad omne bonum inutiles dicit, quia ut ait David: *Bonis nostris non eget*; nihil ad ejus felicitatem ac beatitudinem essentialem addere possumus.

In Apostolorum Ecclesia non solùm Præcepta Dei per Moysen data docebantur, sed & quæ Dei Filius adjunxit; venit enim, ut ea adimpleret, ac perficeret, ut ait Matth. 5. Et si Dei mandata, velut vos ea canitis, cum iis, quæ Antecessores nostri in versus redegêre, conferantur, videbuntur vestra non nisi à Moyse data: nostra illa Moysis ac Jesu Christi. Conferte illa invicem.

Quod si ita Filii Dei mandata tractaveritis, Sacramentis sanè haud pepercistis: potiùs infantem mori sinitis, quàm absque concione prævia eum baptizetis. Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum à S. Philippi Diacono in via baptizatus est. Act. 9. S. Paulus in domo Ananiæ.

Confirmatione caretis, Sacramento, quo Spiritus sanctus manuum Episcopalium impositione confertur. Act. 19. id fecit S. Paulus Ephesi. Act. 8. S. Petrus & S. Joannes in Samariam concedunt, ut facerent iis, quos S. Philippus Diaconus converterat.

Altari caretis & oblato: habebant ipsi; Hebr.

Hebr.13. *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Matth. 5. *Si offers munus tuum ad Altare.*

Cœnam instituitis vos in pane fermẽtato, Jesus in pane azymo Matt.26.17. Marc.14.12. Luc.22 7: eratque prohibitum expresse, ne tunc in domo panis fermentatus servaretur, Exod.12.15.

Cœnam nõ nisi bini saut ternis in anno vicibus instituitis, sæpenumerò ipsi, Act.2 v.42.& 46. Pauper nauta è Brasilia aut aliundè duorum annorum decursu non communicavit, aut fortè in vita nunquam, si octo aut quindecim diebus post Cœnæ vestræ tempus accedit, licet mortis foret in articulo; aut desideraret ardenter, reminiscens verbi Jesu: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Joan.6. communicare nequit.

In Cœna Calici minùs benedicitis, & 1.Cor.10. S. Paulus inquit: *Calix benedictionis, cui benedicimus.* Dicetis benedicere vos illi, undecimum primæ ad Corinthios legendo; verùm, cùm S. Paulus decimum Epistolæ hujus Capitulum scriberet, nondum undecimum erat scriptum, & cap.10 inquit, cùm calici jam benediceret; non igitur undecimum legendo capitulum nondum exaratum Calici benedicebatur; & nôstis deficiente in Cœna vino, nil aliud fieri, quàm ut vinum promatur, ac populo porrigatur?

VII. Non confitemini vos, confitebantur ipsi, Act.19.8. Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos, idq; cum verorum pœnitentium dispositionibus, curiosos enim, quos habebant, libros comburebant.

Extremam non administratis unctionem, at illi, non pro remedio solùm corporis, sed peccatorum remissione, Jac.5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ordinis Sacramentum non recipitis, ipsi ceu sacramentum gratiam manuum impositione conferens, quæ signum est externum, administrabant, 1.Tim. 4.14. & in 2.ad eund Tim.c.1 v.6. S.Paulus admonet, non negligendam gratiam manuum impositione sibi datam.

Cùm pluribus annis homo à Conjuge abest, ut alteri nubat permittitis, cõtra id, quod scriptum Matth.19.9. *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* Rom.7.3. *Vivẽte viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

Alter alterius non abluitis pedes? faciebant ipsi: Joan.13 & 1.Tim.5 10 Papa, Rex, Ecclesiarum Cathedralium Decani, Monasteriorum Superiores apud nos faciunt, die quo Jesus suorum lavit pedes.

Exploditis Purgatorium? S.Pauli tempore credebatur, 1.Cor.3.ait, *si quis superædificat supra fundamentum hoc* (fidei) *ligna, fœnum, stipulam* imperfectionum ac peccatorum venialium, *salvus erit, sic tamen quasi per ignem*; dicensque: *Quasi per ignem*, veritati huic non derogat, non plùs quàm S Joannes dicens: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti*; & Psal.125.1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

VIII. Dux Gandiæ Franciscus Borgias commissionem ab Imperatore recepit, ut Imperatricis Isabellæ defunctæ funus comitaretur, ac Toleto, ubi obierat, Granatam, locum sepulturæ Regum Hispaniæ deduceret. Pulcherrima Principum sui sæculi fuerat: cùm ejus Granadæ aperiretur tumba, immutata adeò, deformis, aspectu visa est horrida, ut eandem fuisse

fuisse jurare non sit ausus; Non absq; ratione; nam secundùm Aristotelem, corpus mortuum nō idem cum vivente corpus est; cùm forma det esse. Idem hoc in subjecto dico, cùm ab una parte in novo Testamento præclaram & adamabilem Ecclesiæ Apostolorum intueor faciem, ex altera Ecclesiam vestram prætensam, gemens ajo: Ah! quæ differentia! non solùm non jurare vellem esse eandem, verùm absque perjurii periculo jurare ausim, eandem non esse Ecclesiam, sed ejus solùm cadaver.

Prædecessores vestri optimi extitêre Catholici; præclaræ testantur Ecclesiæ ab ipsis ædificatæ, magnæ ab iis dotatæ Abbatiæ, pretiosæ reliquiæ auro inclusæ; At vos, Domini Religionis prætensæ, ipsis dissimiles estis, carnis eorum ac sanguinis hæredes quidē, præterea nihil; quantùm ad corpus ab eis descenditis, verùm quoad Christianismi spiritum, Fidem, pietatem ac Religionem nullo modo. De tot Sacramentis, Cæremoniis, observantiis religiosis, usu receptis, quid residuum est quo cum à Judæis discernamini? Ecquid vestris in Templis retinuistis, è quo extraneis vos esse Christianos innotescat?

IX. Supponimus, quòd nunquam continget, totum hoc vos pervertisse Regnū, supponamus non aliam hîc quàm Calvinistarum esse Religionem, veniatque ex Hierosolymis Judæus, qui de Christianismo nil unquam acceperit, & aliquanto ad conversionem teneatur desiderio, Fidei vestræ atque actionum regulas inquirat? vosq; novum ipsi exhiberetis Testamentum? cumq; id evolvisset, an non jure vobis diceret: Sanè vos mundo imponitis, dicendo vos esse discipulos ac Messiæ hujus imitatores, Successores Apostolorum, maximarum quæ hoc in volumine cōtinentur zelatores? Messias vester in perpetua vixit virginitate, Ministrorum vestrorum nullus eum imitatur? quadraginta jejunavit diebus, vos ne unico quidem in Quadragesima die? Hic liber refert Apostolos bona sua ac patriam deseruisse, ut nationibus exteris prædicarent Evangelium, vestrûm nullus id agit; nullum in Jerusalem unquam conspeximus. Auro & argento carebant, vestrûm nemo paupertatē hanc voluntariam amplectitur? ne reprobi forent corpus suum castigabant, non video vos vestra affligere; ac dicitis de salute vos esse securos? Liber hic continet, Apostolorum tempore plures bona sua in commune contulisse; non ita apud vos: nil fieri vestris in Templis cerno, quod in Synagoga nostra Hierosolymitana minùs fiat? vos duos aut tres Psalmos concinitis, plures duodenis canimus nos; contrà Papam vos ac Papistas prædicatis, nos quoque; sunt enim maximi hostes nostri. Subindè panis non nihil ac vini in Cœna distribuitis, & nos in Festis Azimorum. Vestro hoc in libro dicitur, quicquid Moysis ac Prophetarū tempore apud nos agebatur, umbras solùm ac figuras fuisse ejus, quod acturi eratis; nihil apud vos cerno, quod tantillum ad splendorem ac majestatē accedat eorum, quod suo ævo Patres nostri conspexêre: Manna habebant nutritivum ab Angelis cōfectum, vos nō nisi pacis buccellam vestra in cœna porrigere vos dicitis? Elias & Elisæus miracula patrabant; vos nulla fieri amplius spargitis? Dei laudes ad sonitum organi aliorumq; instrumentorum cantabat David, ut dicitur in Ps. 150. Vestris in Concionibus non nisi confusæ ac male concordantes audiuntur voces. Judæo, aut alio infideli hæc vobis objecturo, quid responsuri estis?

Nihil

Nihil contra nos dicere valetis, nisi quod Purgatorium, Sanctorum invocatio, Aqua benedicta in Bibliis haud contineantur: Contrarium vobis demonstratum. At supponite ita esse, ad minus prohibita non sunt Quæ res facinorosa magis, plus facere quàm præceptum, aut, quod mandatum non exequi? Quis horum in Dei judicio ampliùs arguetur, Catholicusne, qui dicet: Dixisti, *Hoc est corpus meum*, omninò simpliciter, atque ego adoravi: Dixisti, *Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua, non intrabit in Regnum Dei*, credidi ego verbis tuis, atque ut filius meus baptizaretur festinavi: Apostolus tuus dixit: *Infirmatur quis in vobis, ungant eum oleo*, obedii, Extremam unctionem recepi: An Calvinista dicturus: non credidi nisi illā corporis tui extitisse figuram, filium meum fide parentum fore salvandum, Extremam unctionem aliasque observantias non nisi pro tempore Apostolorum fuisse?

An non conspicitis, cunctas has excusationes verba esse humana, directè ac malitiosè Dei verbum oppugnantia? Mihi credite, falsam hanc Religionem, quæ parvo admodùm tempore extitit, nec unicum sacræ Scripturæ textum, ad doctrinæ suæ probationem, adducere valet, deserite, ab hominibus inventam absque authoritate, Missione, Commissione, Dei approbatione: Deprecemini Jesum, lumen verum, mundi lumen, ut spiritum vestrum illuminet, sensum ejus seu Discipulis ad intelligendas scripturas aperiat, in salutis vos viam, in Ecclesiam Catholicam reducat.

Navicula est Petri, è qua Dei Filius populos docebat, *Luc.* 5.3. veri Noë Arca est, in qua ad evitandum diluvium oportet esse inclusum, *Gen.* 7.1. Urbs est Segor, in quam, ut à Sodomæ incendio eripiamini, intrandum: Urbs Refugii est, ad quam, ut divinæ justitiæ executionem declinetis, confugiendum Suburbium est felix, ac securum, per quod necessariò eundum, ut ad cœlestem Jerusalem pertingamus, ubi omnes unum idemque Caput Jesum Christum Dominum nostrum sumus habituri; cor idem, gloriosum Spiritum sanctum: sensum eundem per gloriæ lumen; affectiones easdem per possessionem ac Dei fruitionem, cui honor, gloria, laus & amor in omnia sæcula sæculorum.

Amen.

SER-

SERMO OCTUAGESIMUS.

Compendium Mysteriorum Fidei.

Quod in Missione, ac cujusvis Prædicationis fine manè ac vesperi semper recitatur.

1. I. MUndus hic non semper esse habuit: Deus illum ex nihilo creavit, per suam voluntatem: adeò namque potens est Deus, ut derepentè quæ vult faciat.

2. Nostrum in usum hunc mundum condidit; Solem ad illuminandum, terram ad portandum ac fructus producendos. Verùm nos pro semetipso fecit; in mundum, non ut bona congregemus, nostrisque vacemus oblectamentis, nos ablegavit, ast ut ipsum cognoscamus, amemus, serviamus & obediamus, atque ita Paradysum mereamur.

3. Non nisi unus solus tribus in Personis divinis Deus est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Pater est Deus, Filius Deus est, Spiritus S. est Deus: verùm non tres sunt Dii, unus tribus in Personis Deus est.

4. Æquè potentes, sapientes, antiqui; unus non prædominatur aliis; quia sunt unus idemque Deus.

5. Secunda Persona, Dei Filius, pro nobis homo factus est, & Jesus Christus appellatur. Si vis, ut te salvet; quis sit nosse oportet. Dum ex te quæritur? Quis hic Jesus Christus est? Respondendum: Dei Patris Filius est, pro nobis homo factus in sacrosanctissimæ, ac semper immaculatæ Virginis MARIÆ utero; verus Deus, ac verus homo.

Deus Pater verus est Deus, at homo 6.
non est, corpus non habet, omnipotens est Spiritus, undique diffusus. S. quoque Spiritus verus est Deus, homo non est, corpore caret, Spiritus est omnipotens diffusus undique. Filius verus est Deus, Spiritus est omnipotens, diffusus undique; at non solùm Deus, sed & homo est.

Semper extitit Deus, non semper ho- 7.
mo: antequam homo, ceu Pater, Deus: Dei Filius ab omni Æternitate; genitus non carnaliter, nec corporaliter; Pater enim nec corpus, nec carnem habet, sed Filium ab æterno spiritualiter generat cogitatione atque intellectu diviuo.

Filius igitur Dei semper fuit Deus: 8.
non semper homo: à certo tempore homo est, mille sexcentis annis. Pro nobis homo factus: aliàs ob primi parentis, ac peccata propria damneremur omnes.

Concepit eum Virgo 25. Martii, abs- 9.
que virginitatis læsione; concepit enim, non ut reliquæ mulieres, sed gratiâ & operatione Spiritus sancti.

Natus mediâ nocte, in stabulo. 10.

Triginta tribus annis magnâ cum paupertate ac pœnitentiâ vixit.

11. Homo factus est, ut pro nobis pateretur; si enim non nisi Deus fuisset, pati haud valuisset; Spiritus erat, spiritus cruci affigi nequit; ut crucifigeretur, corpus atque animam assumpsit.
12. Die Veneris sancto in Cruce pro peccatis nostris mortuus, tertiâ post mortem die resuscitatus, anima reassumpsit corpus, vivum reddidit, atque in Paschatis die gloriosum.
13. Quadraginta post Resurrectionem diebus in Ascensionis die ascendit in cœlum. In die Pentecostes Ecclesiæ ad conducendam eam ac gubernandam misit Spiritum sanctum.
14. De Cœlo in terram aliquando rediturus, Angelis ad nos judicandos stipatus. Resurgemus omnes, corpora reassumemus, ac coram eo ad reddendam ei totius vitæ rationem comparebimus. Qui ejus benè observârint mandata, sanctè vixerint, securi gaudebunt, eosque unà secum deducet in Cœlum, ut deliciis omnibus, honoribus, atque oblectamentis fruantur æternùm. Verùm ii, qui mortalia commiserint, ut blasphemi, testes falsi, diem literis falsò subscribentes, vindicativi, luxuriosi, fæminæ impudicæ, latrones, debita non exsolventes, injustè litigantes, similesque alii, à Deo in Infernum, ubi æternaliter ardebunt, absque ullo dubio, dejicientur.
15. II. Ad donandam nobis suam gratiam, principalia tria reliquit Sacramenta: Primum Baptismus. In necessitatis casu baptizare quivis potest, infantis Pater ac Mater, si desit alter. Ac vide, quid agendum: conspergendum est infantis caput, si fieri nequit, pectus, brachia, manus, aut pedes, aquâ naturali, ac personæ baptizanti hæc dicenda: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Infans alia in corporis parte quàm capite baptizatus, si caput exhibeat, promptè superinjiciẽda est aqua ac dicẽdũ: Si non es baptizatus, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cùm dubitas prolem vivam aut mortuam esse, dic: Si in vivis es, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Infans namque absque Baptismo mortuus nunquam videbit Deum, infelix æternùm. 16.

Fæmina prægnante, in mortis articulo existente, præsto esse Chirurgus debet, ut, cùm de matris obitu certò constat, aperiatur uterus, extrahatur infans ac baptizetur. Error est credere, in eodem illum, quo mater, momento mori; subindè horæ quadrante, dimidiâ horâ & ultrâ post matrem vivit. 17.

Ad baptizandum infantem aquâ benedicta non est opus; naturalis esse debet, id est, qualem creavit Deus, ut aqua putei, pluviæ, fontis, fluvii, liquefactæ nivis; oportet, ut Infantis caput aquâ conspergatur. 18.

Deindè sacramentum est Pœnitentiæ. Ut benè quis confiteatur, duo ad minimùm præstanda: 19.

Primùm ac principale, ubi sæpiùs reperitur defectus, est, ut, priusquàm Sacerdoti te præsentes, sæpiùs magnoque cum affectu Deum depreceris, ut tui misereatur, te convertat, cor tangat, contritionem donet; ut tuam agnoscas miseriam, cùm à pravo statu illo teipsum erigere nequeas; ut auxiliatricem tibi manum porrigat. Roganda est Diva Virgo, implorandi Sancti, faciendæ eleemosynæ, aliaq; hanc ad intentionem pia opera sunt

ſunt præſtanda: dolor ingens concipiendus ob Deum, infinitè bonum atq; amabilem in ſe, peccatis offenſum, veraque debet adeſſe voluntas, ampliùs, mediante ejus gratiâ, nunquam ipſum offendendi.

20. Deindè Sacerdoti omnia ſunt detegenda peccata, nulla occultanda; ne verearis. Confeſſarii hac in Miſſione, magnâ cum dulcedine atq; affectione, grandia licet, infamia, ac numero multa veſtra ſint delicta, excipient, vos abſolvent, ut Deo animas veſtras lucrentur. Non vos cognoſcunt, nunquam viderunt, nec viſuri ſunt; cùm peccata eis confeſſi fueritis, liberati eſtis; nunquam, nec in mortis horâ, nec alio in jubilæo repetenda.

21. Tertiò credendum, ſacrâ in Hoſtiâ, quæ elevatur in Miſsâ, atque illâ, quam communicantes accipitis, poſt pronunciata à Sacerdote verba, præſentem eſſe Jeſum Chriſtum; non ejus imago eſt aut figura, ipſemet in perſona eſt: non eſt ut Crucifixus; Crucifixus imago eſt, nobis repræſentans, quo pacto Salvator mortuus eſt. In Hoſtia verò non imago eſt, aut ſimilitudo, Jeſus Chriſtus ipſe eſt. Caro, vivus homo ſacra in Hoſtia eſt, nempè Homo-Deus, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, caro ejus, corpus, ſanguis, anima, Divinitas; Totus ibi eſt adeò realiter, ut in viſceribus Virginis erat; adeò verè, ut in Cœlo eſt ad dexteram Dei Patris.



AD-

ADMONITIO.

LEctor mî, per viscera misericordiæ Jesu te adjuro, ut cum zelo ac vigore in fine omnium sermonum Missionis supradicta legas Mysteria; cumque in Adventu aut Quadragesima prædicas, ad minùs Dominicis ac festis diebus in fine sermonis legas; & perampla ac celebris licet sit Cathedra, è qua verba facis, ne verearis contemptum; zelum tuum extollent prudentes. Quærendus dein Deus, ac mundi judicio ejus est præferendus honos: Si gloriam ejus atque animarum salutem præfigis, honoris tui curam est habiturus.

En rationes, quæ ad hoc te incitabunt: Affirmant sanctus Thomas, S Bonaventura, & alii, omnes adultos sub mortali ad illa explicitè noscenda esse obligatos; plures omnium Ordinum Doctores boni tenent necessaria esse necessitate medii. Nî crebrò inculcentur, capere illa vulgus nequit; referuntur in Catechismo, major adultorum pars non interest.

Adhæc sublimis doctrinæ sermones quandoque instituuntur, è quibus plebs nihil capiens egreditur; aut sermones in vitium quoddam particulare, iis, qui minùs illi sunt addicti, ad nihil servientes, ut sunt de blasphemia, ebrietate, fæminarum luxu: atque hoc in casu, ut omnibus prosis, ad longum prædictorum articulorum quidam est extendendus, ut Incarnatio, atq; obligationes amãdi Deum, extremum judicium, aut aliud quoddam.

Tertio loco certis in occasionibus crebrò quis populo virtutem quandam collaudare, aut vitium reprehendere obligatur, nec ad id sermo accommodus est; in omnibus præfatis articulis, quod libuerit, dices, ut in Conceptione Jesu ac Divæ Virginis, de Rosarii devotione; de extremo judicio verba facturus, vitium quoddam reprehendere dicendo, qui ejusmodi sunt admissuri, esse damnandos. Suprà articulum mortis Salvatoris, exhortari ad eum sæpè adorandum, atque erigendam Crucem, coram qua domestici omnes vesperi ad orationem compareant. De Eucharistia in Ecclesiis irreverentiæ sunt carpendæ, incolarum, eò quòd maturè minùs ab infirmis sumatur, negligentia est perstringenda.

Non credituri estis, quot fæminæ apud me se accusarint de sua negligentia, ut suam famam conservarent, & non diffamarentur, quia nescierunt, quod infantes qui discedunt sine baptismo, damnentur; & quot non animas parvulorum lucrareris, si de hoc sæpe prædicares, & inculcares benè materiam & formam baptismi.

Quando dixi quarto puncto, sunt æquè potentes, antiqui, putavi supposita divina, nec dixi hoc de personis tribus timens, ne rudes aliquid feminini in personis apprehenderent. Scio, quod cùm aliquis Catechista inquisivisset, quænam inter tres personas esset antiquior, rusticus quidam imaginatus fuit, tres dari fæminas senes in Trinitate.

Interim hunc librum, omnes meos conceptus, verba, opera, personam, subjicio judicio & censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ, extra quam non est salus, in qua desidero vivere & mori velut humilis, fidelis servus & obediens filius.

TABU-

TABULA MATERIARUM principalium hujus operis.

tii,

F I N I S.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030481

